

THEOLOGIA
SCOTICA DOGMATICA
IN QUARTUM SENTENTIARUM
MAGISTRI

AD MENTEM SUBTILIS DOCTORIS
EXPLANATA.

PER R. P. FR. ANTONIUM HERAS,
*Regularis Observantia S. P. N. Francisci Filium, Lec-
torem Jubilatum, Ex-Custodem Provincia Burgen-
sis, & nunc Guardianum Conven-
tus Lucroniensis.*

TOMUS SECUNDUS,

CONTINENS TRACTATUS
DE SANGTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO,
de Sacrificio Missæ, de Ordine, &
Matrimonio.

IN QUIBUS NON PAUCA DE ECCLESIASTICA DIS-
CIPLINA INVENIUNTUR.



Superiorum Permissu.

POMPELONE: EX TYPOGRAPHIA BENEDICTI COSCULLUELA.
ANNO MDCCLXXXII.

THEOLOGIA

SCOTICA DOGMATICA

IN QUARTUM SENTENTIARUM

MAGISTRI

AD MENTEM SUBTILIS DOCTORIS

EXPLANATA

PER R. P. FR. ANTONIUM HERAS

Regularis Observantis S. P. N. Francisci Tiliensis, Lr.

in seminario, Ex-Cathedrae Praeceptoris, &c.

in S. S. Curiae Praeceptoris, &c.

in Lucerna

TOMUS SECUNDUS

CONTINENS TRACTATUS

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO

de sacrificio Missae, de Ordine, &c.

Manu scripto

IN QUIBUS NON PAUCA DE ECCLESIASTICA DISCIPLINA INVENIUNTUR



Superius Praeceptoris

POMPELONÆ: EX TYPOGRAPHIA BENEDICTI COPPELLERÆ ANNO MDCCXXXII

ERRATA CORRECTA.

Pag.	Col.	Lin.	Errata.	Correctio.
142	2	14	poteri.	potari
160	2	15	desseruit.	disseruit
233	1	52	poaitur	ponitur
244	1	6	quin	quia
272	2	44	subituris	subiturus
291	2	22	tobacum	tabacum
310	1	49	offerrinus	offerimus
365	2	35	plicctum	plicatum
378	2	5	epilogaas.	epilogatas
382	2	39	muteret	mutaret
389	1	42	Ecclesia	Ecclesiæ
390	2	51	exequandi	exequendi
396	2	9	adhuc	ad hunc
398	2	16	certo	cereo
401	1	33	constat	constant
402	1	8	esset	essent
Ibi.	2	51	hec	hac
430	1	38	facunda	facienda
432	1	16	peccati	peccasti
436	1	34	institutum	institutum
448	2	1	infideles	fideles
456	1	37	at cetera	ad cetera
457	1	20	ut maximé	& maximé.
471	2	22	adsit	absit
472	1	8	nuptiat	nuptias
500	1	21	cultas	cultus
504	2	43	persona	personæ
Ibi.	2	46	quod	quot
520	2	42	gradumi	gradum
539	2	41	totus	tutus
542	2	5	Regni	Regnis

En este Convento de N. P. S. Francisco de Pamplona à veinte y seis dias del mes de Octubre de mil setecientos ochenta y dos.

Fr. Antonio de Santa Maria.

TRAC





TRACT. VI. DE SANCTISSIMO EUCHA- RISTIAE SACRAMENTO.



UM NULLUM SIT, POST VERBI INCARNA-
tionem, hominibus concessum beneficium Eucha-
ristia præstantius, nullum etiam est, quod infes-
to magis bello impugnare, & expugnare simul,
per suos asseclas molitus fuerit Diabolus. Præsig-
narunt Mysterium istud oblatio olim facta á Re-
ge Salem, & Sacerdote Dei Altissimi Melchisedec,
necnon panes propositionis in altari servati: Pas-
chalis etiam victima manducanda cum azymis, a-
liæque complures veteris Testamenti figuræ. Nihil
potest á nobis excogitari sublimius, nihil investi-
gari difficilius, nihil, aut mentis contemplatione, aut disceptationibus
Theologicis utilius. Neque pertimescendæ sunt nimium præstigiæ Hæretico-
rum, siquidem adversus eos, qui tribulant nos, parata est hæc cælestis
mensa, ut Regius Vates illam prænuntians Psalm. 22. canit lætitia exul-
tans: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Ex
illa enim, dum non accedamus indigni, surgimus formidabiliores hostibus,
quemadmodum Græcorum Patrum eloquentissimus Chrisostomus memoria
repetens, quæ immolatione Agni Paschalis contingerunt apud Ægyptios,
alloquebatur Neophytos. Utinam id nobis præstet panis ille vivus, qui des-
cendit de Cælo, seseque tradidit pro peccatoribus. Tractatum igitur hunc
pro dignitate discutiendum, in quatuor dividam Disputationes pro ejus cla-
riori stylo, & methodo. In prima de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento
erit sermo. In secunda de materia, & forma hujus Sacramenti. Tertia ver-
ram Christi existentiam sub speciebus consecrationis contra Sectarios de-
monstrabit, aliosque effectus transubstantiationis, & consecrationis mani-
festabit. Quarta demum per tres sectiones edocet, quidquid de Ministro,
de Recipiente, & de effectibus mirabilibus hujus Sacramenti, quis cupiat
scire. Verum, quia sive á symbolis, sive á re, quam Sacramentum hoc



continet, variis, ac illustribus nominibus, hunc cœlestem panem Concilia, Patres, & Theologi appellarunt, in ejus laudem, gloriam, ac majorem nostram commendationem, per prius varietatem illorum explicabimus. In primis verò, ut methodum promissum servemus, audire oportet Concilium Florentinum, sic alloquens, & decernens de Eucharistico Sacramento.

Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem idè admiscetur; quoniam juxta testimonia SS. Patrum, ac Doctorum Ecclesiæ, creditur, ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse Sacramentum.... Cùm ergo tam Sancta Romana Ecclesiæ à Beatissimis Apostolis Petro, & Paulo edocta, quàm reliquæ omnes Latinorum, Græcorumque Ecclesiæ, in quibus omnis sanctitatis, & doctrinæ lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiæ sic servaverint, & modò servant, inconveniens admodum videretur, ut alia quævis regio ad hac universali, & rationabili discrepet observantia. Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe Christiano conforment. Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis in Corpus Christi, & substantia vini in Sanguinem convertuntur: ita tamen, quòd totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini, sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ, & vini consecrati, separatione facta, totus est Christus. Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, consequens est, quòd per hoc Sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur: omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus, quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, & reparando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem &c.

APPENDIX

De appellationibus, nominibusque Sacris Mysteriorum Eucharistiæ.

1 Sacramenti hujus dignitatem admiratione potius prosequi volumus, quàm oratione, cùm longè superet inopiam humani eloquii. Hoc est enim non plus ultra divini amoris, ut Sacer Evangelista, ejus delineationem depingens, dixit: *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Hoc est etiam de quo Zacharias prænuñtiavit: *Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Verè enim inenarrabilis est dignitas, & majestas tanti Sacramenti. In aliis siquidem Sacramentis, veluti per rivulos quosdam, cœlestem gratiam à capite ductam participamus; hic in proprio fonte authorem

bonorum spiritalium uberrimè posidemus. Quanta igitur dignitas inde in hominem derivetur, qui honos, quæ divitiæ, quod amoris pignus, quæ emolumenta inde emanare soleant, quis mortalium, aut verbis explicare, aut mente assequi poterit? Sed quamvis Sancti Patres, ac elegantissimi Sacri Scriptores nec verbo, nec mente, tantum Sacramentum assequi possint, plurimas tamen in illius commendationem, & encomium congeserunt appellationes illustres ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis, ut ex sequentibus apparebit.

2 D. Ciprian. Illud appellavit „ alimoniam immortalitatis, & vitæ „ eterne portionem. D. Hieron. omnium novitatum novitatem. D. August.

„ quòd Sacramentum pietatis, & vinculum charitatis. Damasc. omnium „ affinidam miraculorum. Bernard. „ Sanctum Sanctorum, Sacramentum „ Sacramentorum, amorem amorum, „ dulcedinem dulcedinum. Dionis. „ Sacrificium divinisimum. Ignatius, „ antidotum mortis, pharmacum immortalitatis. Chrisologus, æternæ „ vitæ cibarium. Origines, panem „ beatitudinis. Sic tandem ceteri Patres in hujus divini Sacramenti commendationem, & laudem, encomiis, ac periphrasticis nominibus, discurrunt. Non verò omnia nos ejusmodi encomia presequemur, ne diutiùs detineamur, sed ea solam, quæ ad nostrum juvant institutum, atque elucidationem dicendorum. Præcipue itaque nomina, quibus hoc Sacramentum insignitur, sunt quæ sequuntur: *Eucharistia; Panis, & panis fractio. Sacramentum altaris; Sacramentum fidelium; Corpus, & Sanguis Christi. Synaxis. Communio. Mensa Domini. Viaticum, & Cœna.* De his omnibus aliqua ad uniuscujusque explanationem, & captum, dicenda veniunt.

3 In primis Sacramentum hoc appellatur *Eucharistia*, quod vocabulum idem est, ac *bona gratia, seu gratiarum actio.* Dicitur *bona gratia*, tum, quia in se continet Christum Dominum, qui vera gratia est, atque fons gratiarum. Tum, quia præsignificat vitam æternam, de qua scriptum est: *gratia Dei vita æterna.* Nec minus aptè appellatur *gratiarum actio.* Imò; quia in ejus institutione Christus Dominus gratias egit: *accipiens panem fregit, ac gratias egit, dicens: hoc est Corpus meum,* ut refertur Matthæi 16. Secundo; quia ad gratias Deo referendas pro universis beneficiis nihil paucissima hostia Deo acceptius offerre possumus. Inquit namque S. August. *lib. de Spiritu, & littera c. 11. Cultus Dei in hoc maxime constitutus est, ut anima ei non sit ingrata: unde in verissima, & singulari sacrificio*

Tom. II.

Domino Deo nostro agere gratias jubemur. Denique; quia Sacramentum hoc est memoriale omnium mirabilium, & præcipue Redemptionis, in quo memoriali cætera gratiæ beneficia continentur.

4 Dicitur etiam hoc Sacramentum *panis*, qua appellatione sortitur ratione materiæ, ex qua potissimum conficitur: Quapropter Joan. 6. dicitur: *panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Appellatur itaque *panis*, jam propter materiam præcedentem, ex qua conficitur; jam propter accidentia panis, quæ post consecrationem permanent, & ratione quorum præfert extrinsecam formam, & figuram panis, modo quo Gen. 18. & 19. Angeli apparentes in humana specie appellantur homines. Tum denique; quia sicut corpus hominis nutritur, & saginatur pane, ita Christus Dominus se in Convivio Eucharistico manducantibus dat spiritus pinguedinem. Dicitur etiam *fractio panis*; quia in Sacris Scripturis idem est *frangere panem*, ac panem comedere, vel ad comedendum distribuere. Sic Actor. 2. *frangentes circa domos panem, sumebant cibum.* Eucharistia autem frangitur sic, id est, distribuitur fidelibus. Deinde, quia Christus Dominus in ipsa institutione dixit discipulis, Lucæ 22. *accipite, & dividite inter vos.* Unde Apost. 1. Corinth. dicit: *panis, quem frangimus, nonne communicatio Corporis Christi est?* Hinc Lucæ 24. dicitur, quòd discipuli euntes in Castellum Emaus, *cognoverunt Dominum in fractione panis*, hoc est, in illius distributione, ut ipsi comederent. Vocatur etiam *Sacramentum altaris*, & ita appellatur ratione loci, in quo celebratur, & conficitur. *Sacramentum fidelium* etiam appellatur, & hanc denominationem sortitur, atque ita appellatur à D. Aug. Serm. 2. de verbis Apost. cap. 1. quia soli fideles sunt illius, suscipiendi capaces. Præterea, quia solis fidelibus licebat audire, quæ de hoc Divino Mystero clarè dice-

A 2

ban-

bantur: nam coram Catechumenis non nisi obscure, & cum maxima cautela, de eo fiebat sermo. Demum, & maximè, quia in illo, veluti in centro, unitur fidelium religio, & fideles solebant ad illud convenire ad debitum Deo cultum exhibendum. Hac ratione appellatur *Synaxis*, id est, conventus, seu congregatio, ut ait S. Dionis. lib. de Ecclesiastica Hierarch. cap. 3. Deindè, quia præcipuus fidelium conventus fit ad hujus divini Sacramenti venerationem, & participationem. Deniquè, quia est Sacramentum unionis inter fideles, concordie, & pacis.

5 Dicitur *mensa Domini*: Tum, quia fideles ad Eucharistiam convenientes, & ad sacras Christi Domini Corporis, & Sanguinis epulas, ad altaris cancellos, tamquam ad sacram mensam, accedebant. Quare Apost. 1. ad Corinth. 10. ait: *non potestis mensam Domini participes esse, & mensam Dæmoniorum &c.* Tum, quia postquam divinam Eucharistiam suscipiebant fideles, solebant ad communes epulas accedere, in quibus à divitibus reficiebantur pauperes. Appellatur etiam *Corpus*, & *Sanguis Christi*; & etiam *Sacramentum Corporis*, & *Sanguinis Christi*. Primum est ratione *significati*, quatenus, nimirum, utrumque continetur sub speciebus. Secundum dicitur ratione *signi*, & *significati* simul. Vocatur etiam *communio*, hoc est, communis fidelium unio, tum inter se, tum cum Christo; nam communionem Corporis, & Sanguinis Christi, fideles non solum cum ipso Domino, sed etiam invicem sociantur: *quæ enim sunt eadem uni tertio, sunt etiam eadem inter se.* Unde Apost. 1. Corinth. 10. scribit: *unus panis, & unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane, & de uno Calice participamus.* Quæ verba expendens Mag. Par. Aug. Tract. 26. in Joan. ita exclamat: *O Sacramentum pietatis! O signum unitatis! O vinculum charitatis! litigabant utique ad invicem Judæi, qua-*

niam panem concordie non intelligebant, nec sumere volebant: nam qui manducant talem panem, non litigant ad invicem, quoniam unus panis.

6 Appellatur item *Viaticum*, id est, *cibus itinerarius*, & ita appellatur ratione subsidii, & solatii, quo vegetari, ac recreari solent fideles in extrema infirmitate hoc divino cibo refecti. Et verè est *viaticum*: Tum, quia hoc Sacramento via externitur, & munitur, ad æternam felicitatem. Tum, quia fidelibus in periculo mortis constitutis Sacramentum hoc ministrari debet, quo arctam viam, quæ ducit ad vitam, in illis momentis extremis magnis periculis sectam, inoffenso pede decurrent. Appellatur denique *Cæna*, hac appellatione desumpta ex tempore, & hora, quo primum institutum fuit; siquidem hoc Sacramentum institutum fuit in novissima Cæna à Christo Domino, priusquam pateretur. Sacræ Cænæ appellationem nonnulli desumunt ex illis verbis Apost. 1. ad Cor. *Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam Cænam manducare.* Hæc enim dicta esse de Eucharistia, volunt S. August. & S. Eligius homil. 15. Sunt autem non pauci, qui existiment, Apostolum eo loco non esse locutum de Cæna Dominica, & Eucharistica, sed de convivio communi, quo nascentis Ecclesiæ fideles reficiebantur simul in unum dives, & pauper. Hoc convivium vocatum fuit *Agape*, quod est nomen Græcum, significans epulas, seu convivium. Hujus convivii meminit S. Judas in Canonica Epist. dum arguit fideles, qui ventri nimio indulgebant post Sacram Synaxim, seu communionem: *hi sunt in epulis sultæ (græcè in Agapis) maculæ, convivantes sine timore.* Et Paul. I. ad Corinth. scribit: *Cum convenitis ad manducandum (scilicet Corpus Domini) invicem expellate: ut quis esurit, domi manducet &c.* Ex quo compertum est, quod talia convivium fieri solebant post communionem in templis,

&c.

& Sacris locis, ad alendos pauperes. Verum propter quorundam fidelium immodestiam sancitum est in Conc. Laodicensi can. 28. *Non oportet in Dominicis locis, seu Ecclesijs, Agapem facere, & intus manducare, vel*

accubitus externere. Et hæc eadem Sanctio innovata est in alijs Synodis. Alijs varijs nominibus, & gloriosis titulis hoc Sacramentum ratione suæ dignitatis, & mirabilium effectuum à SS. Patribus passim illustratur.

DISPUTATIO I.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

HOc divinum Sacramentum institutum fuisse à Domino Jesu Christo in ultima Cæna, cum accipiens panem, & calicem similiter, in sanctas, ac venerabiles manus suas, dicens: *Accipite, & manducate: hoc est Corpus meum: bibite ex hoc omnes: hic est Sanguis meus,* profitentur omnes, nedum fideles, sed etiam Hæterodoxi. Cumque Sacramentum hoc *Arca sit luminum*, sic illud appellante Germano Jerosolimitano, aliquam lucem effulgere expecto, ut in hac 1. Disput. foeliciter aperiatur hujus Sacratissimi Mysterii per varias quæstiones existentiam, institutionem, & miram naturam.

QUÆSTIO I.

Utrum Eucharistia sit unum ex novæ legis Sacramentis? Et quid sit?

7 EX dictis Tractat. de Sacramentis in genere aperte apparet, quid sit resolvendum erga 1. quæst. partem. Cum enim ibi dictum sit, Sacramenta novæ legis esse septem, nec plura, nec pauciora, inter illa recensetur, & principalissimè annumeratur, Sacra Eucharistia. Hæc veritas adeo constans est, ut nullus umquam extiterit Hæreticus, qui eam expressè negaverit, est de ejus efficacia, representatione, & usu, malè senserint. Et quidem, si qui eam veritatem in dubium revocarunt, ita absurdè dogmatizaverunt, ut insipientes magis, quam rationales, ab omnibus reputarentur. Ob hoc adhuc

infamis ille Pseudo-Propheta Mahumetes, qui in suo Alcorano omnes ferè Evangelicas veritates pessundavit, atque interpollavit, fatetur in 4. cap. hoc Sacramentum dignum esse veneratione, ut notat Pratteolus part. 1. r. verbo *Mahumetes*. Et notandum, seu potius ex dictis pluries repetendum, tria potissimum desiderari ad perfectam Sacramenti institutionem, & constitutionem. 1. Quod sit *signum sensibile* divinitus institutum. 2. Quod *significet gratiam*, ad hominis sanctificationem ordinatam. 3. Quod sit *permanens* à Deo concessum Ecclesiæ, usque ad hujus sæculi consummationem.

Sit prima Conclusio.

8 *Eucharistia est verum novæ legis Sacramentum.* Conclusio est de fide, expressa in Concilijs Nicæno 1. & 2. in Constantinop. 4. Et in Lateran.

ran,

ran. sub Innocent. III. cap. *Firmiter*, & Florent. in decreto Eugenii. Et in Trident. Sess. 13. Idem docet perpetua Patrum traditio. Nec istud negant prout in plurimum Hæretici, licet de hoc Sacramento non recte sentiant, & errores varios circa ipsum doceant: aliud est enim non recte de illo sentire, & aliud illud absolute negare. Primum faciunt Hæretici: nam illorum plurimi negant realem præsentiam Corporis, & Sanguinis Domini sub speciebus panis, & vini, consequenterque negant, hoc Sacramentum continere, & causare gratiam substantialem: at verò paucissimi sunt, qui negent, esse Sacramentum, & causare gratiam accidentalem, sicut & alia Sacramenta novæ legis. At verò dicunt, hoc esse sine mutatione substantiæ panis, & vini, sicut in Sacramento Baptismi non mutatur substantia aquæ, & sic de cæteris. Probatur Conclusio ex Sac. Scriptura: Tum ex Joan. 6. ubi Christus ait: *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus*. Tum: Lucæ 22. *accipiens panem, & gratias agens fregit, & dixit: accipite, & comedite: hoc est Corpus meum. Similiter & calicem &c.* Consonat illud Pauli 1. Corinth. 11. *hoc enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis &c.* Deinde probatione Subt. Doct. Ubi sunt conditiones veri Sacramenti, ibi est verum Sacramentum; sed in Sacramento Eucharistiæ sunt omnes conditiones veri Sacramenti: ergo. Prob. minor. Conditiones veri Sacramenti sunt, quod sit signum sensibile, quod sit divinitus institutum, quod efficaciter significet effectum gratuitum, & denique quod ad nostram justificationem ordinatur; sed omne id est in Eucharistiæ: ergo. Prob. minor. In primâ est signum sensibile per species panis, & vini; deinde ex institutione divina significat effectum gratuitum, nempe, Corpus, & Sanguinem Christi; licet autem præcisè gratiam accidentalem non significet im-

mediatè, significat tamen effectum aliquem Dei gratuitum, scilicet, esse Corporis, & Sanguinis Christi, sub tali specie, & gratia autem non accipitur in definitione Sacramenti pro gratia accidentali tantum, sed pro effectu Dei gratuito. Ultraquod etiam gratiam sanctificantem significat, & confert hoc Sacramentum dignè suscipientibus; nam ipse Dominus, cum dixisset Joan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, statim subdit: *Qui manducaverit hunc panem, vivet in æternum*. Et rursus: *qui manducat me, vivet propter me*, quod de gratia sanctificante intelligitur.

9 Arg. 1. Sacramenta novæ legis principaliter significant gratiam sanctificantem; sed Eucharistia illam principaliter non significat, sed gratiam substantialem, & subsistentem, ut liquet ex dictis: ergo. Maj. constat ex definitione Sacramenti. Confirmatur: Sacramenta novæ legis efficiunt, quod significant, seu significatum, sed Eucharistia non efficit, quod significat; non enim efficit, verum Corpus, & Sanguinem Christi sub speciebus consecratis contineri: ergo. Prob. min. Tales species non efficiunt præsentiam Corporis Christi, quia finitæ sunt, & nulla virtus finita potest talem præsentiam causare: ergo. Respondeo cum nostro Subt. Doct. negando maj. Sacramenta itaque novæ legis, ut talia sunt, seu in ratione communi Sacramenti, solum significant gratiam, vel substantialem, vel accidentalem. Quod verò principaliter unam præ alia significet, provenit ex ratione particulari talis, vel talis Sacramenti. Quare ait num. 6. quod gratia est duplex, una *subsistens*, altera *accidentalis*, sive inherens. Prima est Corpus Christi, sive Christus ipse: Secunda est gratia habitualis sanctificans animam. Primam gratiam significat, ac representat Eucharistia immediatè; secundam verò mediatè. Unde Eucharistia ex se tantum media-

diatè significat gratiam sanctificantem; quia Eucharistia stat, & permanet, quin ab aliquo recipiatur. Quando enim dignè accipitur, tunc etiam immediatè significat, & confert gratiam. Et in hoc sensu concedimus, quod omnia novæ legis Sacramenta immediatè causant gratiam sanctificantem. Ad confirmationem distinguo maj. efficiunt, quod significant, moraliter, concedo; physicè, nego maj. & distinguo minorem: non efficit moraliter corpus Christi præsens, nego, physicè, concedo minorem, & nego consequent. Ex quo absolutè poterat negari minor; nam præsentiam Corporis, & Sanguinis Christi causat Eucharistia eo modo, quo alia Sacramenta causant suos effectus, seu gratiam, nempe, moraliter. Unde argumentum solum potest concludere contra Thomistas, qui docent, Sacramenta causare physicè, quod significant: non verò contra Scotistas unanimiter asserentes, Sacramenta solum esse causas morales gratiæ, quam significant.

10 Arg. 2. Sacramenta novæ legis constant rebus, tamquam materia, & verbis, tamquam forma; sed non est ita de Eucharistia: ergo. Prob. min. Verba, quæ sunt forma Sacramenti, debent simul esse, seu coexistere Sacramento; sed in Eucharistia non coexistunt verba Sacramenti; nam quando actu verba proferuntur, non existit Eucharistia, sed tantum post eorum prolationem: & deinde, verbis transactis, & non permanentibus, Eucharistia perseverat: ergo. Resp. disting. majorem: omnia Sacramenta, quæ consistunt in usu, & cum illo fiunt, & prætereunt, constant rebus, tamquam materia, & verbis tamquam forma, concedo: quæ non consistunt in usu, sed habent esse permanentem, nego maj. & disting. minor. non constat rebus, & verbis quoad esse permanentem, concedo; quoad fieri, nego minor. Solutio est Subt. Doct. in 4. dist. 8. quæst. 1. num. 6. ubi dicit, majorem

esse veram de Sacramentis habentibus esse successivum, & quorum tota ratio, & virtus consistit in usu: non autem esse veram de Sacramento Eucharistiæ, quod habet esse permanentem, ac propterea non potest habere verba, quæ sint successiva, pro forma sui esse permanentis. Unde requirit verba pro forma consecrationis, seu ut fiat Sacramentum, non verò, ut perseveret jam factum.

11 Arg. 3. pro Hæreticis, salva catholica fide: sicut Christus dixit de semetipso: *ego sum vitis: ego sum vermis, & non homo: ego sum lapis angularis &c.* ita dixit: *Caro mea verè est cibus: hoc est Corpus meum*; sed hoc non obstanti, non dicimus Catholici, sub speciebus lapidis, vitis, aut vermibus esse Corpus Christi: ergo quamvis Christus dixerit: *Caro mea verè est cibus, & de pane, hoc est Corpus meum*, non inde credendum est, Corpus Christi esse sub speciebus panis. Si Catholici respondeant cum D. Aug. Tractatu 80. in Joannem, quod Christus dicitur vitis per similitudinem, non per proprietatem, quemadmodum dicitur Ovis, Agnus, Leo, Petra, Lapis angularis, & cætera hujusmodi, quæ sunt similitudines, non proprietates: at verò cum dixit accipiens panem: *hoc est Corpus meum*, hoc non dixit per similitudinem, sed per proprietatem: Si, inquam, Catholici sic respondeant, instant Hæretici, responsionem istam esse pure voluntariam; nam desideratur ratio, cur quando Christus dixit: *ego sum vitis*, locutus est per similitudinem, & non per proprietatem; & quando dixit: *ego sum panis*, locutus est per proprietatem, & non per similitudinem? Respondeo, expositionem datam esse optimam, & genuinam. Ad instantiam Hæreticorum dico, hoc clarè deduci ex circumstantiis, & ex modo loquendi. Igitur quando dixit Christus: *ego sum vitis vera*, aperte ex verbis sequentibus voluit Christus ostendere, quod sicut pal-

palmas non potest ferre fructum à semetipso, nisi in vite manserit; ita nullus potest ferre fructum in vitam æternam, nisi manserit in Christo, quod quidem est loqui per similitudinem, & sic de cæteris similitudinibus potest fieri discursus. Quando autem accipiens panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, & elevatis in Cælum oculis, Patri gratias agens, dixit: *hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur &c.* satis apparet, non esse locutum per similitudinem. Vel dicant Hæretici, si Christus aliquando dixit: *lapis est corpus meum: vel vitis est corpus meum &c.* sicut de pane dixit: *hoc est Corpus meum.* Certè numquam Dominus talia dixit.

12 Replicant Hæretici: Sicut Christus dixit: *ego sum vitis vera*, eodem modo, & similiter dixit: *ego sum panis vivus*; sed in primo loco locutus est per similitudinem, ut concedimus: ergo & in secundo. Prob. major. Sicut postquam Christus dixit: *ego sum panis vivus*, superaddidit: *qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo*, sic quando dixit: *ego sum vitis vera*, statim addidit: *qui manet in me, & ego in eo*, hic fert fructum multum: ergo eodem modo locutus est Dominus in utroque loco. Nunc sic: sed in primo locutus est per similitudinem, & non per proprietatem: ergo pariter in secundo. Respondeo negando majorem. Primus igitur locus allegatus est Joan. 15. vers. 5. locus autem secundus est ipsius Joan. 6. vers. 51. & 57. Quare locus primò positus in instantia posterior est respectu alterius, & potest adduci per similitudinem in confirmationem illius. Dominus enim dixerat: *Caro mea verè est cibus. Qui manducat meam carnem, & vivit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Postea verò, & in alia distincta occasione, dixit: *ego sum vitis vera, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Et paucis inter-

positis subjunxit: *sicut palmas non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Unde ex ipsa littera, attento contextu, apparet satis apertè, Dominum locutum esse per similitudinem in illis verbis: *ego sum vitis*, & per proprietatem in illis aliis: *ego sum panis vivus &c.* vel *caro mea verè est cibus.* Quapropter jam aliqui ex Hæreticis, ratione convicti, fatentur, Christum in ultima Cœna verum fecisse Sacramentum, & Apostolis dedisse verum corpus, & sanguinem, sub speciebus panis, & vini; sed tamen negant, satis ex sacro textu constare, Apostolis, & Sacerdotibus potestatem, & auctoritatem dedisse id ipsum in posterum faciendi. Unde dicunt, Corpus Christi non esse sub speciebus panis de facto. Verum in hoc, sicut & in aliis erroribus, cæci sunt, & malitia sua excæcavit eos; nam ipse Dominus immediatè dixit: *hæc quotiescumque feceritis, in meam memoriam facietis.* Igitur constans est, auctoritatem dedisse Apostolis, & in eis veris Sacerdotibus, ad id ipsum in posterum faciendum.

Secunda Conclusio.

13 *Eucharistia est Sacramentum distinctum à cæteris Sacramentis novæ legis.* Conclusio hæc etiam est Catholica, & constat ex uniformi consensu Ecclesiæ, & ex variis Conciliis, præcipuè ex Florentino, & Trident. Sess. 7. can. 1. ubi Eucharistiam enumerat inter septem Ecclesiæ Sacramenta, tamquam ab aliis distinctum. Probatur Conclusio ratione: Essentia, & partes hujus Sacramenti omnino differunt ab essentia, & partibus aliorum Sacramentorum: ergo. Antecedens quoad primam partem est evidens: nam essentia Eucharistiæ est præsentialiter continere ipsummet Corpus Christi, quod est principale significatum illius, quodque cætera Sacramenta non habeat.

Prob.

Prob. Illam quoad secundam: Partes hujus Sacramenti sunt illius materia, & forma; sed materia, & forma Eucharistiæ distinguuntur à materia, & forma aliorum Sacramentorum: ergo. Minor satis clara est; nam forma consecrationis convenientiam non habet cum formis aliorum Sacramentorum; neque pariter materia, quæ est panis, & vinum, ut apparet per singula discurrendo. Probatum etiam talis distinctio ex nostro Subt. Doct. in 4. dist. 8. quæst. 1. num. 5. ubi dicit, quòd licet alia Sacramenta significant practicè, & infallibiliter gratiam, tamen, si suscipiens subjacet lethali peccato, non confertur ei gratia sanctificans: at verò Eucharistia, quantum ad principale significatum, quod est positio corporis, & sanguinis Domini sub speciebus, non pendet à suscipiente; licet pendeat quantum ad significatum secundarium, quatenus Eucharistia non confert gratiam accidentalem suscipienti indignè: ergo. Denique suadet ex congruentia ab Angel. Doctore assignata: Eucharistia est instituta ad conservandam, & augendam vitam spiritualem animæ; sicut cibus materialis conservat, & auget vitam naturalem; sed hic finis ex institutione propria non competit alteri Sacramento, ut per se est compertum: ergo Eucharistia est Sacramentum ab aliis distinctum.

14 Arg. Duo Sacramenta non possunt ordinari ad eundem effectum; sed Confirmatio, & Eucharistia ordinantur ad eundem effectum: ergo cum confirmatio sit Sacramentum, Eucharistia rationem Sacramenti non potest habere. Prob. minor. Eucharistia ordinatur ad conferendum animæ robur, & ad augmentum gratiæ, seu ad vitam spiritualem augendam: sed Confirmatio etiam est instituta ad gratiam, & vitam spiritualem augendam in anima, & ad hominem corroborandum in fide: ergo. Respondeo, omissis variis Theologorum solutionibus, distinguendo ma-

Tom. II.

Prob. Illam quoad secundam: Partes hujus Sacramenti sunt illius materia, & forma; sed materia, & forma Eucharistiæ distinguuntur à materia, & forma aliorum Sacramentorum: ergo. Minor satis clara est; nam forma consecrationis convenientiam non habet cum formis aliorum Sacramentorum; neque pariter materia, quæ est panis, & vinum, ut apparet per singula discurrendo. Probatum etiam talis distinctio ex nostro Subt. Doct. in 4. dist. 8. quæst. 1. num. 5. ubi dicit, quòd licet alia Sacramenta significant practicè, & infallibiliter gratiam, tamen, si suscipiens subjacet lethali peccato, non confertur ei gratia sanctificans: at verò Eucharistia, quantum ad principale significatum, quod est positio corporis, & sanguinis Domini sub speciebus, non pendet à suscipiente; licet pendeat quantum ad significatum secundarium, quatenus Eucharistia non confert gratiam accidentalem suscipienti indignè: ergo. Denique suadet ex congruentia ab Angel. Doctore assignata: Eucharistia est instituta ad conservandam, & augendam vitam spiritualem animæ; sicut cibus materialis conservat, & auget vitam naturalem; sed hic finis ex institutione propria non competit alteri Sacramento, ut per se est compertum: ergo Eucharistia est Sacramentum ab aliis distinctum.

14 Arg. Duo Sacramenta non possunt ordinari ad eundem effectum; sed Confirmatio, & Eucharistia ordinantur ad eundem effectum: ergo cum confirmatio sit Sacramentum, Eucharistia rationem Sacramenti non potest habere. Prob. minor. Eucharistia ordinatur ad conferendum animæ robur, & ad augmentum gratiæ, seu ad vitam spiritualem augendam: sed Confirmatio etiam est instituta ad gratiam, & vitam spiritualem augendam in anima, & ad hominem corroborandum in fide: ergo. Respondeo, omissis variis Theologorum solutionibus, distinguendo ma-

Prob. Duo Sacramenta non possunt ordinari ad eundem effectum specificum producendum, concedo: genericum, nego major. & similiter distincta minori, nego consequentiam. Ad probat. disting. major. Ordinatur ad gratiæ augmentum, & robur animæ specificè diversum ab augmento, & robore per Confirmationem collato, concedo: non distinctum, nego major. Eodem modo intelligenda est minor. Quamvis enim Eucharistia, & Confirmatio ordinentur ad augendam gratiam in homine justo; tamen hoc augmentum, ab utroque Sacramento collatum, non est ejusdem rationis; quia Confirmatio fuit instituta ad augendam gratiam, & vires spirituales animæ per modum unctionis, & corroboracionis; ideòque datur sub chrismate, ut insinuetur, ex vi suæ naturæ non alere, sed confortare, & roborare animam ad pugnam. Unde confert augmentum gratiæ per modum roboris, & spiritualis fortitudinis ad fidem propagandam. At verò Eucharistia auget gratiam, & vitam spiritualem animæ per modum alimentis, nutritionis, & refectiois spiritualis, ad resartendas deperditas animæ vires per assiduos passionum motus, & ut homo fiat expeditior, & vegetior in suis spiritualibus muniis obeundis. Quare regeneratus in gratia per Baptismum, cum non solum requirat alimentum spirituale ad sui conservationem, sed etiam robur, & fortitudinem ad præliandum, primùm tribuitur ei per Eucharistiam, & secundum per Confirmationem: atque adeo ex fine institutionis sunt distincta Sacramenta. Ex quo inferes, quòd in Sacramentis, saltem in illis, quæ instituta sunt ad augendam gratiam, ut sunt Sacramenta vivorum, modus distinctus causandi in eis infert, aut constituit essentiam distinctam. Patet hoc; nam Baptismus causat gratiam per modum lavacri, Confirmatio per modum roboris, & sic de cæteris: & tamen essentia horum Sacramentorum est distincta, seu sunt diver-

B

sa

sa Sacramenta.

Tertia Conclusio.

15 Sacramentum Eucharistiæ rectè describitur sic : „ Signum sensibile , & efficax Corporis , & Sanguinis Christi realiter contenti sub speciebus panis , & vini , post consecrationem factam à Sacerdote sub certis verbis cum debita intentione prolatis , ex institutione divina significantibus , Corpus illud sub eis realiter contineri. Ita Subtilis Doct. in 4. dist. 8. quæst. 1. num. 2. per hæc verba ; „ Est Sacramentum novæ legis ex institutione divina veraciter significans, Corpus , & Sanguinem Christi Domini realiter contineri sub speciebus panis , & vini post consecrationem factam à Sacerdote certis verbis cum debita intentione prolatis. “ Definitio hæc brevius ordinari potest juxta mentem Doct. sic : Sacramentum significans ex institutione divina , Corpus , & Sanguinem Christi sub speciebus ritè consecratis veraciter contineri. Vel adhuc brevius sic : *signum sensibile gratiæ subsistentis per modum quimonis.*

16 Prob. Conclusio. Quia sic explicatur tota natura hujus Sacramenti secundum verum genus , in quo convenit cum aliis , & secundum veram differentiam , per quam ab eis differt : ergo. Explicatur hoc : quia per *signum sensibile* , & efficax (quod idem est , ac per *Sacramentum* , quo verbo utitur Doct.) convenit Eucharistia cum cæteris Sacramentis. Per particulas *Corporis* , & *Sanguinis* differt ab eis ; quia cætera Sacramenta non significant gratiam substantialem , sed solum accidentalem. Cætera ponuntur ad pleniorè intelligentiam , & explicationem , nempe , post consecrationem , quæ est causa qua , seu formalis. Factam à Sacerdote , qui est causa efficiens ministerialis.

17 Arg. Hæc definitio non con-

tinet verè rationem genericam Sacramenti : ergo non est bona pro Sacramento novæ legis Prob. aut. Omnia Sacramenta novæ legis sunt signa sensibilia , & efficacia gratiæ : sed hæc ratio signi non exprimit hæc definitio : ergo. Prob. minor. nam in illa dicitur *signum Corporis , et Sanguinis Christi* , non autem gratiæ : ergo. Respondeo negando antec. & distinguo minor. Non dicitur signum gratiæ accidentalis , directè , & immediatè , concedo : gratiæ subsistentis , nego minor. & consequent. Corpus itaque , & Sanguis Christi , quæ hæc significantur per illud signum sensibile , sunt gratiæ subsistentes , & substantiales. Deinde Sacramentum in genere definitur *signum gratiæ , vel effectus gratuiti*. Præsentia autem Corporis , & Sanguinis Christi est effectus gratuitus , & supernaturalis illius signi.

18 Ex his colliges cum N. Subt. Doct. dist. 8. cit. differentiam , & præminentiam Eucharistiæ inter omnia Sacramenta , per triplicem ejus excellentiam. Prima excellentia differentialis est , quod alia Sacramenta solum habent esse , quando suscipiuntur , tantumque consumuntur in usu , seu in fieri : Eucharistia verò est ens permanens , & consecratione transacta , remanet in facto esse. Hinc de hoc Sacramento ait Concil. Trid. Sess. 7. Can. 3. loquendo de Sacramentis in genere : *Si quis dixerit , hæc septem Sacramenta esse inter se paria , ita ut nulla ratione aliud sit alio dignius , anathema sit.* Et Sess. 13. appellat Eucharistiam : *divinum , mirabile , et sacrosanctum Mysterium.* Secunda excellentia differentialis sistit in eo , quod principale significatum aliorum Sacramentorum , scilicet , gratiæ accidentalis , non continetur realiter in Sacramentis , sed ex divino pacto causatur ab eis : at verò principale significatum Eucharistiæ , scilicet , *Corpus , et Sanguis Christi* , realiter continetur in ipsa Eucharistia , ut fide constat. Tertia excellentia sumitur ex præ-

præstantiori significato : siquidem alia Sacramenta principaliter significant gratiam creatam , supernaturalem , & accidentalem : Eucharistia verò principaliter significat gratiam subsistentem , & substantialem , ut jam est dictum. Omitto alias differentiales excellentias , satis notas.

QUÆSTIO II.

An Christus cum Discipulis Agnum Paschalem comederit ? Et quando Eucharistiam instituerit ?

19 Difficultas hæc adeo est implexa , & aliquibus insuperabilis visa , ut nedum Patres Latini , & Græci inter se ex diametro discordent , sed etiam inter Doctores Latinos non sit unanimis consensus. Est enim vulgaris sententia , Eucharistiam institutam esse à Christo Domino postrema Cœna , postquam cum Apostolis manducavit Pascha. Quo autem die , Pascha manducaverit Dominus cum Discipulis , & Sacramentum hoc instituerit ? hæc est difficultas , numquam satis decisa. Varietas opinandi provenit ex eo , quod textus Joannis : *ante diem festum Paschæ* , videtur opponi textibus aliorum trium Evangelistarum , qui videntur asserere , Christum cum discipulis Pascha celebrasse in ipso die festi. Sed de hoc videndi sunt DD. inter quos P. Berti rem pertractat satis eruditè. Ut verò resolvamus , & explicemus , quod ad nos attinet , sciendum est r. duas festivitates solitas fuisse celebrari à Judæis una , eademque vespera , scilicet , *Agni Paschalis* , & *Azymorum* ; quæ festivitates , licet diversæ , eodem celebrabantur die , sed erat differentia inter illas , primò , quod solemnitas Agni Paschalis fuit unius tantum diei , & ad vesperam solius illius diei celebrabatur : Solemnitas autem Azymorum prærogabatur ad septem dies , ut communiter sentiunt PP. & Expo-

Tom. II.

sitores. Secundò , quia illæ duæ celebritates fiebant ob distincta beneficia Dei erga Israëlitas. Etenim solemnitas Azymorum ex eo fluxit , quod populus Israël liber ab Ægipto egressus , asportatam inde farinam absque fermento in deserto coxerit , & panem azymicum , seu sine fermento , comederit. Unde Deus Exodi 12. sic præcepit eis : *Observabitis azyma , in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti* : Festivitas verò Agni Paschalis originem duxit ex conservatione Primogenitorum Israël eo tempore , quo Primogenita Ægyptiorum ab Angelo interficiebantur. Sic constat clarissimè ex cap. 12. Exodi.

20 Advertendum est item , quod apud Judæos duplex erat cœna , nempe , *legalis* , & *communis* , seu vulgaris : Judæosque , ut constat ex Chrysostomo hom. 28. in Matth. aliisque antiquissimis sacris Scriptoribus , solitos esse duplicem hæc facere cœnam , quo suum Pascha celebrabant Cœna *legalis* illa erat , quæ à legè præcipiebatur in memoriam transitus Israëlitarum ab Ægipto , & quæ fiebat omnibus stantibus , & cum reliquis cæremoniis supra in textu Exodi recensitis. Ex hac cœna si aliquid remanebat , ad alteram diem non servabatur , sed igne comburebatur , juxta Domini præceptum Exodi 12. *nec remanebit quidquam ex eo* , [Agno] *usque mane , si quid residuum fuerit igne comburetis.* Cœna *vulgaris* , seu *communis* , erat , quæ post legalem celebratam , solebat fieri pro corporali refectione totius familiæ , quæ , ubi numerosa erat , non poterat unico Agno anniculo cum panibus azymis , & modicis lactucis agrestibus satiari. Unde necesse videbatur , esse aliquod aliud prandium coctum , sive alio modo præparatum , domesticis apponere.

21 Advertendum tandem , Judæos computasse annos suos per menses Lunares , & illum mensem notasse primum , in quo Luna 14. incidit in

B 2

tem-

tempus Æquinoctii verni, qualis est mensis Martius. Deinde, quod suos computabant dies festos à vespera diei præcedentis ad vesperam, seu occasum, solis diei sequentis, juxta illud Levitici 23. *à vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra*, quod & adhuc nos observamus, quoad officia divina; & dies isti dicebantur *legales*. Præter hos dies *legales* sunt & alii, qui dicuntur *naturales*, continentes 24. horas, quas alij sumunt ab una media nocte ad aliam, alii ab uno ortu solis inclusivè ad alium exclusivè: alii dicuntur *artificiales*, hoc est, ad artes exercendas, & quæ mensurantur ab ortu solis usque ad occasum ejusdem; & sic in Æquinoctiis dies sunt 12. horarum, & totidem noctes. Nunc quærentur duo, nempè; an Christus comederit Agnum Paschalem eo anno, quo mortuus est? Et an die Azymorum Eucharistiam instituerit? Primum negant aliqui antiqui, ut testatur Theophylactus cap. 26. Hist. & moderni quidam apud P. Berti; quatenus judicant, Christum Dominum eo anno, quo mortuus est, solum celebrasse Coenam vulgarem, non autem legalem. Secundum negant Gregori, opinantes, Christum anticipasse solitum diem comedendi Pascha, & illud comedis die 13. quod probare nituntur ex Evangelista Joanne.

Prima Conclusio.

22 Christus Dominus, una cum discipulis, Agnum Paschalem comedit. Prob. ex Evangelistis, & expressè ex illo Matth. 26. ubi dicitur: *Prima die Azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: ubi vis pareremus tibi comedere Pascha?...* Et fecerunt discipuli, sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha. *Vespere autem factio, discumbibat Jesus cum duodecim discipulis suis &c.* Marci 14. *Prima autem die Azymorum, quando Pascha immolabant: quod*

vis eamus, & pareremus, ut manducemus Pascha? Vespere autem factio, venit cum illis duodecim, & discumbentibus eis &c. & Luca 22. *Venit dies Azymorum, in qua necesse erat comedere Pascha. Et misit Petrum, & Joannem, dicens: euntes parate nobis Pascha, ut manducemus &c.* ergo ex Sacris Evangelistis aperte constat, quod Christus Pascha Judæorum celebravit, & una cum discipulis Agnum Paschalem comedit. Si dicatur, quod parare Pascha, aut facere Pascha, quamoptimè accommodatur ad victimas, tempore illo Paschali oblatas, præter Agnum Paschalem, & quod ita intelligi debent textus allati: responsio, & intelligentia hæc, apertissimè est contra sacrum Textum, expressè asserentem, comedis Pascha, & ad comedendum paratum fuisse à discipulis jussu Domini. Deinde: Christus eo sensu respondet, se facere Pascha, quo discipuli interrogauerant: aliàs equivocatio fuisset in responsione Christi, sed discipuli interrogabant de vera, & propriè dicta manducatione Paschæ: nam dicunt Matthæi 26. *Ubi vis pareremus comedere Pascha?* Marci 14. *quod vis eamus, ut pareremus, & manducemus Pascha?* ergo licet aliquando in Scriptura facere, immolare, aut sacrificare Pascha accommodentur ad victimas, præter Agnum Paschalem; tamen comedere Pascha ad nihil aliud accommodari potest, nec invenitur in Scripturis, nisi ad esum Agni Paschalis. Deinde: Christus ipse explicat facere Pascha per manducationem: ait enim Marci 14. *Ubi est refectio, ubi Pascha cum discipulis meis manducem?* Luca 22. *euntes parate nobis Pascha, ut manducemus.* Et in ipsa Coena dixit: *desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, ante quam patiar.* Sed hoc Pascha fuit Agnus Paschalis: ergo Christus verè eo anno, quo mortuus est, comedit Agnum Paschalem, quam manducationem, dicit, se valdè desiderare.

23 Arg. 1. Si Christus manducasset Agnum Paschalem, maximè in ea Coena, quam fecit cum discipulis; sed in illa Coena illum non manducavit: ergo Christus illo anno Pascha Judæorum non celebravit cum discipulis. Prob. min. Agnus Paschalis manducabatur à stantibus, & in manibus habentibus baculos, & hoc fiebat cum festinatione, & Agnus debebat esse assus, non aqua, aut alio liquore coctus, ut expressè præcipitur præcipit cap. 12. Exodi: deinde nullus in ea Coena erat usus carni, in quo panis posset intingi. Nunc sic: sed Coena, quam Christus cum discipulis fecit, non fuit talis; nam illa fuit prolata, longo sermone permixta, lotionem pedum interrupta: in ea etiam Christus cum discipulis accumbat mensæ; quia dicitur in Evangelio, quod surrexit à Coena: denique aliquis usus fuit carni, in quo panis porrectus Judæ intinctus est: igitur sunt indicia validissima, probantia, Coenam à Christo observatam non esse legalem, neque eo anno Paschalem Agnum comedis, quando Eucharistiam instituit. Respondeo, facilissimo negotio conciliari omnia hæc. Dicimus igitur, quod Christus Dominus duas Coenas celebravit, uti facere solebant Judæi, & jam dictum est à nobis. *Unam legalem*, in qua Christus, & Apostoli stantes, & baculos in manibus tenentes, Agnum comederunt festinanter, juxta expressum præceptum legis. Alteram celebravit *communem, & usualem*, in qua, præcepta legis jam impleto, Christus cum Apostolis discubuit, quam prolixo sermone miscuit, & ex qua surrexit, ut lavaret discipulorum pedes, & præstitit cætera, quæ narrantur ab Evangelistis.

24 Arg. 2. Si Christus comedisset Agnum Paschalem, fuisset eo die, quo discipulis dixit, ut sibi pararent Pascha; sed in tali die non potuit esse: ergo. Prob. min. Christus observantissimus fuit legis antiquæ, nam Mat-

tha 5. dicitur: *non veni salvare legem, sed adimplere*, sed si illa die Agnum comedisset, legem à Deo statutam Christus non adimplevisset: ergo. Prob. min. In Exodo cap. 12. expressè præcipitur, ut die decima primi mensis Agnus adduceretur in domum, & servaretur ibi usque ad quartam decimam diem, in qua immolaretur, & comederetur; sed hoc Christus facere non potuit; quia ea die, qua Agnus erat immolandus, nondum habebat domum præparatam, ubi Pascha celebraret: ea enim die dixit discipulis: *ite in civitatem &c.* ac proinde non habebat Agnum paratum: ergo. Confirmatur: Conveniens non erat, ut Agnus typicus, seu figurativus comederetur eodem tempore, quo verus Agnus erat edendus in novo Paschate: siquidem umbra non stat simul cum luce, nec figura cum veritate; sed in ultima Coena, quam Christus fecit, juxta à nobis dicenda, verus Agnus erat comedendus in Eucharistia: ergo in ea non comedit Agnum Paschalem, Resp. negando utramque minorem, & etiam minorem probationis. Optimè siquidem antiquissimus Josephus lib. 5. de bello judaico, cap. 45. observat, quod positum fuit in more apud Judæos, ut Cives Jerosolimitani externis, & peregrinis in Urbem Jerosolimam advenientibus gratia celebrandi Pascha, præpararent Agnos, coenacula, & omnia ad id necessaria, & pretio accepto, aut gratis collato, postulantibus ministrarent. Unde cum Jerosolimitani essent soliti præparare Agnos necessarios pro se, & pro externis, die decima mensis primi, & eos servare usque ad diem quartam decimam; juxta præceptum Domini, quamoptimè potuit Christus ipsa die quarta decima primi mensis suos delegere, & delegare Apostolos ad eum, quem reperiri erant, portante amphoram aquæ, qui jam in usum Paschæ comparaverat Agnos, tam ex consuetudine, quam illi cives habebant, quæ, & for-

forte certius, ex instinctu divino. Ad Confirmationem poterat absoluté negari major. Sed claritatis gratia illam distinguo: non erat conveniens, ut id fieret eodem indivisibili tempore, & in eadem omnino coena, concedo: in diverso tempore, seu non conjunctim, vel in distincta coena, nego majorem. Necdum non est inconveniens, quod adducitur in argumento; quin potius, ut egregié explicat S. Leo serm. 7. de Passione, nihil convenientius erat, quam quód post celebratam figuram, succederet veritas.

Secunda Conclusio.

25 *Agnus Paschalis immolabatur, & comedebatur, die quarta decima primi mensis, seu Luna 14. Martii exeunte, ad quam consequabatur vespera, initiumque diei 15. & Paschalis Solemnitatis.* Veritas hæc demonstratur 1. ex cap. 12. Exodi, ubi Dominus præcepit, ut Agnus Paschalis servaretur usque ad quartam decimam diem, & ab universa filiorum Israël multitudine immolaretur ad vesperam. Sic ait: *immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam.* In Hebraico codice sic legitur: *& immolabunt eum omnes Cæres Sinagogæ Israël inter duas vespas.* Nota, inter duas vespas, quæ verba habentur etiam in Samaritana, Siriaca, & Arabica versione: Nihil autem aliud est, inter duas vespas, quàm inter tempus vespertinum diei 14. & vesperam, unde exordium ducit dies 15. Ideoque macrandus erat Agnus Luna 14. jam exeunte, & manducandus sub noctem primam diei 15. Sic sentiunt antiquissimi Hebræi. Josephus diserté hanc veritatem scribit lib. 3. Antiq. cap. 10. num. 5. macrari Pascha in mense Nisam (qui est Hebræis mensis Martius) die 14. secundum Lunam, Sole in Ariete existente. Idem scribunt alii doctissimi Rabbin. Nostraque ætate Judæi, etsi Agnum non

macrant, tamen cæremonias Paschales observant Luna, quæ est, aut ab illis creditur esse, decima quarta, secundis in vespas, & nocte præcedente decimam quartam lucem Nisam, ut inquit Maimonides, Moses Ægyptius, Leo Mutinensis cap. 3. de ritibus Hebræis, atque innumeri. Nec tantum Judæi, sed etiam Samaritani in monte Garimã, Sole occidente, & die quarta decima declinante, jugulabant Agnum Paschalem, ut Eusebius lib. 5. refert. Pro sacris nostris Expositoribus, relictis dictis Lorini, Corneli, Menoqui, ac Lipomani in Levit. & Exod. sufficiat nobis noster Liranus, sic dicens: *immolabatur autem ad vesperam, quia illa hora jam pertinebat ad diem sequentem solemnem, in qua exierunt de Ægypto.* Quæ Lirani verba pro nostra Conclusionem sunt clarissima.

26 Demonstratur etiam ex Sacra Scriptura, quæ ni fallor, clarissimè dirimit controversiam. Pascha immolabatur in vespera spectante ad primam diem Azymorum, sive in vespera, unde sumebat exordium solemnitas Azymi, quæ apud Hebræos celebrabatur a vespera usque ad vesperam, quemadmodum et festa alia! Sic constat ex Levit. 23. Et Marcus cap. 14. *& primo die Azymorum, quando Pascha immolabant &c.* Luc. 22. *appropinquabat autem die festus Azymorum, qui dicitur Pascha.* Et versu 7. *& venit dies Azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha.* Ex quo sic: sed ex Levit. cap. 23. constat, solemnitatem Azymorum incidisse in diem 15. mense primo quarta decima die mensis ad vesperam Phase Domini est: & quinta decima die mensis hujus solemnitas Azymorum Domini est: ergo vespera ad immolationem Paschæ designata ea est, quæ antevertit 15. diei. Hoc idem habetur ex Hebraica, & Samaritana lectione, dicentibus: *inter duas vespas.* Accedunt SS. PP. Hieronymus cap. 26. in Matth. inquit: *quarta decima dies mensis primi est, quan-*

do

do Agnus immolatur... & fermentum abijctur. Si enim in domibus erat panis fermentatus, fas erat Judæis comedere illum, saltem usque ad meridie, non verò vespera ingrediente, in qua incipiebat panis azymus per septem dies. Panem fermentatum auferri, juxta mandatum Domini, constat ex Exodo cap. 12. *septem diebus azyma comedetis.* Beda in argumentum Luæ, §. de *Mysteriis diei 14.* ait: *quarta decima Agnus immolabatur die.* Idem expressè habet August. Epist. 85. Chrysostomus, in cujus autoritate Græci Schismatici nituntur, ut suum errorem tueantur, hom. 81. in Matth. sic scribit: „ Alius Evangelista dicit: quia „ vespere illo non solum comedebat „ Dominus Pascha, verum etiam comedendo dicebat: desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum: quare hoc Pascha, id est, hoc anno comedere Pascha desideravit? Quia videlicet, tunc salus Orbi offerenda, tunc Mysteriorum tradenda, & tristitia per mortem essent fuganda. „ Unde non est cur Adversarii gloriantur, se pro se habere Chrysostomum.

Tertia Conclusio.

27 *Sacramentum Eucharistiæ institutum fuit eadem nocte, & die decima quarta, ac per consequens in Azymis.* Conclusio hæc demonstratur Scripturæ Sacre testimoniis, pro antecedentibus conclusionibus adductis. Matthæus itaque cap. 26. refert, quod *vespere facto, Dominus recubuit, & manducavit cum discipulis suis, & cœnantibus eis, accepit Jesus panem, benedixit, fregit, deditque discipulis suis &c.* Idem apertissimè constat ex aliis Evangelistis, scribentibus, quod prima die Azymorum Christus cum discipulis immolavit Pascha, ut apertissimè videri potest, præsertim in prima conclusionem: ex quibus sic: Prima die Azymorum, scilicet, die, & Luna quarta deci-

ma, in qua Judæi Pascha immolabant, Christus comedit cum discipulis Agnum Paschalem; sed eo ipso die, & post Cœnam legalem, instituit Eucharistiam: ergo instituta fuit ad vesperam diei 14. Martii. Nunc sic; sed a die quarta decima mensis ad vesperam ad septem usque dies non licebat Judæis nedum comedere, sed nec habere fermentum in suis domibus: *in die primo non erit fermentum in domibus vestris per septem dies,* dicitur in Exodo 12. ergo cum hoc Sacramentum institutum sit a Domino post esum Agni Paschalis, & ille Agnus deberet edi ad vesperam diei 14. Martii, in eaque Dominus celebraverit Paschalem Cœnam, & post illam, ut ex Evangelistis constat, instituerit Eucharistiam: & deinde, cum jam a tempore Cœnæ Paschalis ingressus fuerit tempus Azymorum, quo ingresso, per septem dies non licebat, juxta legem, uti pane fermentato, evidenter sequitur, Christum consecrasset in azymis, non in fermento. Neque sola Scripturarum Divinarum autoritate hæc veritas constat, sed etiam ex universa Ecclesia illam amplectente. Trident. enim Synodus sess. 22. cap. 1. hæc habet verba: *Nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israël immolabat, novum instituit Pascha &c.* Catechismus enim Romanus part. 2. cap. 4. num. 2. *etenim celebrata cum discipulis Agni Paschalis Cœna &c.* Idem habetur cap. *accipite de consecratione,* desumpto ex Commentariis Hieronymi, id expressè asserentis. Idem non semel profitetur Ecclesia in Solemnis Corporis Christi, uti in Hymno ad vespas: *In supreme nocte Cœnæ recumbens cum fratribus: Observata lege plenè cibis in legalibus: Cihum turbæ duodenæ se dat suis manibus.* Et in altero ad Matutinum: *Post Agnum typicum, expletis epulis, Corpus Dominicum &c.* Denique hæc Romanæ Ecclesiæ sententia corroboratur traditione veterum, & com-

mu.

muni consensu Patrum, nedum Latinorum, sed etiam Græcorum, inter quos S. Joan. Chrysostomus.

Solvuntur argumenta Græcorum.

28 Græci negantes, Christum pridie, quàm pateretur, celebrasse Pascha legale; aut illud celebrasse inchoata Solemnitate Azymorum, contendunt firmare suam sententiam auctoritate Sacrosancti Evangelii, & inquit sic: Matth. cap. 26. dicitur, quod Principes Sacerdotum consilium inierunt, ut Jesum dolo tenerent, & occiderent; dicebant autem, non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo: ergo juxta hunc Evangelistam Christus non est occisus in die festo. Sed dies festus Judæorum erat 15. Martii: ergo si ante diem, quàm pateretur, cœnavit cum discipulis, & post cœnam Eucharistiam instituit, nec cœnam celebravit in die Azymorum, nec Eucharistiam instituit in azymis. Sequitur ergo, dicunt Græci, Christum Dominum anticipasse solitum diem comedendi Pascha, & illud comedisse die tertia decima, ac proinde in eo Eucharistiam instituisse in pane usuali, seu fermentato. Urgent ex illo Joan. 13. ante diem festum Paschæ, sciens Jesus, quia venit hora ejus &c. ergo eo tempore, quo discipulorum pedes lavit, nondum erat inceptum festum Paschæ, nec inceptum erant Azymorum dies; aliàs Evangelista non diceret: ante diem festum Paschæ, sed in ipso die Paschæ. Confirmant ex ipso Joanne 19. quando Pilatus sedit pro tribunali, Christum judicaturus, dicit Evangelista: erat autem parasceve Paschæ hora, quasi sexta; sed parasceve est idem, ac vigilia, seu dies præparatoria, in qua disponebantur omnia, quæ pro Paschate celebrando erant necessaria; nam parasceve idem est, ac præparatio: ergo dum Christus fuit judicatus, & mortuus, fuit in die, qua omnia præparabantur ad Pascha: ergo non

in die Azymorum celebravit Cœnam, & consequenter nec Eucharistiam, sed in die antecedenti, & consequenter in die 13. instituit Eucharistiam, quo die non erat panis azymus. Urgentius adhuc arguunt, ex illo Joan. 18. Ministri Judæorum adducunt Jesum ad Caipham in prætorium: erat autem mane, & ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha: ergo nondum comederant Pascha, sed ipsum erant comesturi: consequenterque cum illa esset dies 14. Christus, qui nocte præcedente comederat Agnum, anticipavit diem Paschatis solitum. Unde apertè sequitur, Hebræos tempore meridiano ferie sextæ Paschalem victimam nondum manducasse.

29 Rationes istæ ex Sacris locis deductæ convincentes, & præcipue ultimus Joannis locus, ad nostram sententiam confutandam, visæ sunt non solum Novatoribus, sed etiam doctissimis Catholicorum, inter quos sunt Petavius lib. 12. de doctrina Temp. cap. 16. Maldonatus in Evang. Matth. & alii. Et si his textibus opponamus illos alios clarissimos pro prima nostra conclusione adductos, scilicet, Matth. 26. Prima die Azymorum, accesserunt discipuli &c. & subdit Evangelista: vespere facto, recubuisse, & manducasse cum discipulis suis &c. Marci 14. Primo die Azymorum, quando Pascha immolabant &c. Et Lucæ 22. venit dies Azymorum, in quo necesse erat occidere Pascha: Si, inquam, hos sacros textus opponamus, Græci fracti, & concussi tam evidentibus oraculis, reponunt, hos tres Evangelistas in errore esse lapsos, & à Joanne esse emendatos. Sed quis non videt, responsionem hanc apertissimam esse in Spiritum Sanctum blasphemiam. Nonne Spiritus Sanctus minus fuit author primarius illorum trium, quàm quarti Evangelistæ? Neutiquam: nam omnes Evangelistæ, & æqualiter, fuerunt amanuenses Spiritus Sancti, qui sem-

semper est infallibilis, utpote spiritus veritatis. Sicut ergo censetur, non errasse in dictando Evangelio Joannis, ita nec in aliis dictandis errare potuit; alioquin tota Scripturæ veritas, & auctoritas nutaret.

30 Ut autem, & satis clarè, argumento proposito satisfaciamus, advertendum est, quod, ut observat Innocentius III. lib. 4. de celebratione Missarum cap. 2. & etiam antiquissimi, & doctissimi Rabbin, nomen Paschatis variis in Scriptura sumi modis, sed quinque maximè usurpati. Primò pro eo die festo propriissimè sumpto, incipiente à media nocte, quo sensu dicit Joannes: ante diem festum Paschæ. Secundò pro eo solo die, in qua immolabatur Agnus Paschalis. Sic dicitur Lucæ 22. appropinquabat dies festus Judæorum, qui dicitur Pascha. Tertio pro ipso Agno Paschali. Sic ibidem: venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidere Pascha. Quarto pro cibis Paschalibus, seu victimis, quæ diebus illis septem Azymorum offerri solebant, & quibus vesci licebat. Animalia sic à populo oblata dicebantur Phase, juxta Paralipomenon 2. cap. 35. Dedit Josias omni populo, qui ibi fuerat inventus in solemnitate Phase, agnos, & hædos de gregibus, & reliqui pecoris triginta millia, bobum quoque tria millia ad faciendum Phase. Quintò denique pro vero Agno Paschali. Sic 1. ad Cor. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus.

31 Advertendum est etiam, quod dies festus Paschæ accipitur tripliciter, nempe, pro die naturali, artificiali, vel legali. Primus reputatur à media nocte usque ad aliam mediam noctem, modo quo nos computamus ad abstinentiam servandam in diebus præceptis. Secundus ab ortu solis usque ad occasum ejusdem. Tertius incipiebat à prima vespere usque ad secundam per totam. Prior dicebatur propriè dies festus, & erat dies decima quinta integra, quæ utique solemnitas erat. Posterior erat dies

Tom. II.

decima quarta, à cujus promeridiana parte incipiebat ritus celebrationis Paschæ, sicut etiam nunc fit in vigiliis nostrarum Solemnitatum. Hæc autem non erat solemnitas, & festiva, ut declaratur 28. Numer. vers. 16. mense autem primo, decima quarta die mensis, Phase Domini erat, & decima quinta Solemnitas. Hac die quarta decima ad vesperam Dominus cum discipulis comedit Agnum Paschalem, & sic, ante diem festum Paschæ, id est, in vespera antecedente diem solemnem. Ex quibus benè perpensis solvuntur difficultates in argumento positæ non difficulter. Et respondendo per partes.

32 Ad textum Matth. dico, illam sententiam, nempe, quod non esset in die festo, ne tumultus fieret in populo, fuisse quorundam Pharisæorum consiliantium. Verebantur enim, ne multi, quos testatur Joannes 12. in eum credidisse post Lazari resurrectionem, illum tumultuosè à manibus eorum eriperent, si viderent Dominum vinculis conjectum, & duci ad mortem. Verum non prævaluit consilium hoc; quia judicaverunt, perdendam non esse occasionem oblatam de Christo capiendo, quamquam immineret dies festus. Audi Chrysostomum hom. 70. in Matth. „ Considera valde ipsos timere, non Deum, neque ne majus scelus esset in ipsa Paschæ celebratione, tam tetrum facinus facere, sed homines, & tumultum: ira tamen inflammata, posteaquam proditorem invenerunt, commutati, expectare non poterunt, sed in ipsa Solemnitate ipsi occiderunt. „ Similia habet Theophylactus in Matth. qui & ingeniosè observat, Dominum fuisse passum, non quando Judæi voluerunt, sed quando ipse voluit, quemadmodum decebat authorem vitæ pro nobis spontè affigendum Cruci. Ultraquod, etiam si Principes Sacerdotum in priori opinione stetissent, neque in die præcedente Solemnitatem Paschalem procurassent mortem Christi; quia eadem

C

dem

dem die horis pomeridianis immolabatur Agnus, facto vespere, manducandus; ob quod circa meridiem, vel ad vesperam, quando crucifixus est Dominus, jam convenerat Hierosolimam ingens multitudo Hebræorum. Et addo ex Mammonide, & aliis Scriptoribus, consuetudinam fuisse Judæorum, insigniores reos plectere ipso die festo; quia dictum est in Deuteronomio, 17. *Et omnis Israel audiet, & timebit.* Ex quo negandum est, quod Christus non fuerit mortuus in die festo, & hoc ex dicendis patebit amplius, & negatur quidquid Græci inferebant ex Matth. Textu.

33 Ad urgentiam ex 1. loco Joann. ante diem festum Paschæ &c. dico, quod ante diem Paschæ, idem est, ac pridie Paschæ, seu in vigilia Paschæ, sumpta Pascha pro die solemnium, incipiente à media nocte, eo sensu, quo diximus num. 31. Unde talis dies erat quarta decima, cum Christus mortuus fuerit die decima quinta, juxta ipsum Evangelistam. Patet hoc; nam passio, & mors Christi incidit in eam diem, qua Præses unum ex vinculis solebat dimittere, & quo Pilatus Barabbam dimisit, ut constat ex calce cap. 18. & initio cap. 19. ipsius Joann. Ubi Barabbæ dimissio, Christi flagellatio, ac crucifixio, ut una, eademque die factæ, referuntur. Et quod Barabbæ dimissio facta fuerit die, & luna 15. vel in die illa prima solemnium Azymorum, patet ex dicto Pilati apud Joann. *est consuetudo vobis, ut unum vobis dimittam in Pascha.* Matth. 26. dicit: *per diem solemnem.* Marcus 15. & Lucas 23. *per diem festum:* dies autem in Paschate festus, ex Exodo 12. alius non erat, quam primus, & ultimus Azymorum. Cum ergo Græci in eo conveniant, passionem Christi non incidisse in diem ultimam Azymorum, qui pariter erat solemnium, sequitur, eam peractam esse die decima quinta: ac proinde Christum die quarta decima præcedente Agnum Paschalem manducasse, & Eucharis-

tiam instituisse, atque hoc ante diem festum Paschæ.

34 Ad confirmationem ex textu 19. Joann. erat autem Parasceve Paschæ hora quasi sexta &c. dico, quod nomine Parasceve, non intelligitur vigilia, seu dies præparatoria Paschæ; sed intelligitur dies præparatoria ad sabbatum, seu feria sexta, in qua ea præparabantur, quæ necessaria erant, non quidem ad esum Agni Paschalis, ut Græci intendunt, sed ad victum pro sequente sabbato. Die enim prima Azymorum, quamvis festum, licebat Judæis cibaria parare, ut habetur cap. 12. Exodi: *Die prima erit sancta, atque sollemnis, & dies septima eadem sollemnitate venerabilis: nihil operis faciatis in eis, exceptis iis, quæ ad vesendum pertinent:* id tamen erat vitium diebus sabbati, ut constat ex cap. 15. & 25. Et quidem, quod nomen Parasceve Joannes hic usurpaverit, non respectivè ad Pascha, sed ad diem sabbati, ipsemet indicat loculenter, cum cap. 19. ait: *Judæi, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in Cruce corpora sabbato &c.* Id evidentius explicat Marcus cap. 15. *erat Parasceve, quod est ante sabbatum.* Et dicitur Parasceve Paschæ, potius quam Parasceve sabbati, tum; quia erat una ex septem diebus Paschalibus; & tum; quia erat pridie sabbati, incidentis in dies Azymorum, seu Paschales. Ex quo totum ruit intentum Græcorum.

35 Ad ultimum, quod eis urgentius videtur, negatur consequentia, scilicet, quod ipsi jam non manducassent Agnum Paschalem. Dico igitur, quod nomine Paschæ ibi non intelligitur Agnus Paschalis, sed Paschales victimæ, quibus diebus illis, & maximè primis, utebantur, quæ etiam dicebantur Pascha, ut constat ex dictis num. 30. juxta illud Deuteronomio, 16. *immolabitis Domino Phasce de ovibus, & de bobus &c.* quorum Sacrificiorum pars una cremabatur in holocaustum, alia cedebat in Sacer-

dotum usum, & tertia comedebatur à populo; ut præcipitur Numer. 28. quæ quidem in illam edentibus postulabat legalem mundiciam, nedum in Sacerdotibus, quamvis major munditia ex lege in eis requirebatur, sed etiam in laicis erat necessaria, ut observat Josephus lib. 3. Antiquitatum cap. 3. Et quia Judæi immundiciam legalem contrahebant ex societate, & contubernio cum Infidelibus, seu Gentilibus, ideò illi, qui duxerunt Jesum ad Pilatum, noluerunt ingredi in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha, id est, illas victimas Paschales, quas diximus. Et notandum contra Spalatensem, quod non solum laici, ut ipse vult, recusant ingredi in prætorium, ne contaminarentur; siquidem ut legitur Marci 15. cum eis erant Principes Sacerdotum, & Levitæ: *Summi Sacerdotes cum Senioribus, & Scribis, & universo concilio, vincientes Jesum, duxerunt, & tradiderunt eum Pilato.* Unde Pontifices concitaverunt turbam, ut Barabbam peterent à Pilato, magis quam Jesum.

36 Arg. 2. Nihil operis servilis licebat Judæis facere diebus festis, maximè in Azymorum sollemnitate, ut constat ex Exodi 20; sed eam die, qua Christus crucifixus est, Joseph ab Arimathæa mercatus est sindonem in sepulturam Corporis Jesu, quod petiit, & obtinuit à Pilato, ipsumque de cruce depositum, & in ipsa sindone involutum, reposuit in monumento, & advolvit lapidem ad ostium monumenti, ut legitur Marci 15, & pariter piæ mulieres emerunt aromata, ut venientes ungerent Corpus Jesu: ergo cum hæc opera, utpotè servilia, die festo non essent licita, Christus non fuit crucifixus die festo Azymorum 15. sed die præcedente 14: ergo si manducavit Agnum Paschalem cum discipulis, hoc fecit anticipato tempore, & die, nempe 13. Respondeo, negando absolute, quod illa opera in argumento re-

Tom. II.

lata Josephi, & piarum mulierum, erga Christi Domini Corpus tumulandum, erant servilia, sed utique eximie charitatis, quæ diebus festis licebat exequi. Unde diebus festis licebat sepelire mortuos, ac ea sibi comparare, quæ erant necessaria ad illud impendendum obsequium. Sic expressè legitur 2. Tobie, qui in diebus festis Domini, relinquens prandium, & exiliens de accubitu suo, querebat mortuos de tribu sua; tollensque illos portabat occultè ad domum suam, ut dum sol occubisset, cautè sepeliret eos, ut refertur cap. citato.

37 Si replices, quod non liceret Judæis aliquem accusare, aut damnare diebus festis: ergo cum Christum accusarunt, & damnarunt, non fuit in die festo. Respondeo primò, hoc non obstare: quia cum Christum Dominum, Dei adversarium, & Moisaicæ legis expugnatorem, existimarent, putabant (licet malitiosè) se obsequium Deo præstituros, si eum ipsomet die Paschali occiderent. Deinde, non est ad rem; quia scimus, multas legis transgressiones factas à Principibus Sacerdotum, ut Jesum perderent, atque plura egisse ministerio Gentilium, ne viderentur tam apertè violare Sollemnitate: cujus gratia, ait Augustinus, dixerunt, fas sibi non esse interficere quemquam. Præterea: Judæi non semel intendant mortem Christo diebus solemnioribus: nam Joann. 10. in festo Enceniarum, & in ipso porticu Salomonis; & etiam in festo Tabernaculorum, voluerunt Christum occidere. Deinde, altera die, quæ est post Parascevem, id est, die sabbati, & ex Adversariorum sententia, die sabbati simul, & Paschatis convenerunt Principes Sacerdotum, & Pharisei ad Pilatum, rogantes, ut poneret milites ad custodiendum sepulchrum: & facta sibi à Præsede facultate, ipsimet apposuerunt custodes, munierunt sepulchrum, & signarunt lapidem, ut narrat Matthæus cap. 17.

C 2

De-

Denique, insignes reos damnari in solemnioribus diebus, est sententia antiquorum Rabbiorum.

38 Arg. 3. Christus, ut ex Evangelio constat, instituit Eucharistiam pridie, quam pateretur; sed passus est Luna, & die quarta decima: ergo Eucharistiam instituit Luna tertia decima: ergo ante diem Azymorum, ac proinde non consecravit in azymis. Prob. min. Christus passus est tribus diebus, & tribus noctibus, antequam resurrexit; nam tribus diebus, & tribus noctibus jacuit in sepulchro, ut prädixerat Matth. 12. his verbis; *Sicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus*; sed Christus resurrexit prima sabbati, id est, die Dominica: ergo revera mortuus, & sepultus est die quarta decima, scilicet, die Jovis. Respondeo, negando minorem, ut aperte constat ex dictis. Ad probationem dico, tres dies, & noctes, quibus Christus jacuit in sepulchro, non esse intelligendas de diebus, & noctibus completis, & integris, sed per figuram synecdochem. Hoc præclare explicat N. Alensis 3. part. quæst. 20. articulo 3. inquit: „Sexta feria „ cum nocte præcedenti erit una dies, „ & ita per synecdochem fuit ibi illa „ die: item fuit ibi per totum diem „ sabbati cum nocte præcedente, & „ ita per totum illum diem naturalis „ lem absque synecdoche: item nox „ præcedens Dominicam Resurrec- „ tionis cum ipsa die est una dies „ naturalis, & per illam noctem fuit „ ibi, & ita per diem naturalem, id „ est, per synecdochem, & ita per „ tres dies naturales fuit in sepul- „ chro. “ Et hic est genuinus sensus omnium Catholicorum erga numeratos tres dies, quibus Dominus mortuus fuit, & jacuit in sepulchro.

39 Instant Græci, Christus resurrexit ea die, qua Ecclesia celebrat ejus Resurrectionem, nempe, tertia die ab ejus morte; sed Ecclesia multoties celebrat ejus Resurrectionem Luna quinta decima; quia

semper Resurrectionem celebrat prima die Dominica post diem quartam decimam, qua Judæi suum celebrant Pascha: & non semel dies quinta decima est Dominica, quando, scilicet, Pascha Judæorum, seu Luna quarta decima primi mensis incidit in diem sabbati: ergo signum est, quod Christus mortuus est die antecedenti: aliàs nec per synecdochem, tres dies, & noctes occurrent inter mortem, & Resurrectionem Christi. Et deinde, Resurrectio Christi ali- quando celebraretur eo tempore, quo adhuc mortuus jacebat in sepulchro. Respondeo distinguendo majorem: ea die naturali: nego: Ecclesiastica, concedo majorem. Ecclesia igitur non celebrat Christi Resurrectionem die determinatè correspondente diei, seu Lunæ 17. primi mensis, in qua resurrexit: aliàs cum dies ille plurimè que incidat in aliquam hebdomadæ feriam, & non semper in diem Dominicam, deberet Ecclesia festum Paschæ non semper celebrare die Dominica, sed quavis alia die, in quam Luna 17. incidere, sicut celebrat Nativitatem Christi die 25. Decembris, quacumque die occurrat, sive feriali, sive Dominica. Unde hoc unum intendit Ecclesia, ut prima die Dominica post Pascha Judæorum celebret novum Pascha. Tum, ut significet, Christum surrexisse à mortuis ipsa prima die Dominica, post celebratum Judaicum Pascha: Tum, ut testetur ex hac diei diversitate, qua novum Pascha celebrat, se fateri, vetus Pascha Judaicum fuisse omnino abrogatum. Quapropter sancitum est, ne Christiani eadem die, qua Judæi Pascha celebrent. Etenim can. 71. Art. postolorum sic legitur: „ Si quis E- „ piscopus, Presbyter, Diaconus sa- „ cri Paschæ diem ante verbum *Et* „ quinoctium cum Judæis celebraverit, „ rit, deponatur, abjiciatur. Hinc S. Ignatius epist. 8. ad Rhilippenses „ Si quis cum Judæis Pascha celebret, „ participans est eorum, qui Domi- „ num occiderunt, & Apostolos ejus.

Hoc

Hoc præclare explicat Pontifex S. Victor 1. Epist. ad Desiderium Vienneensem, in qua scribit: „ Ut fraternitas tua à Presbyteris, qui Apostolos in carne viderunt, eruditata est, qui & in Ecclesia ad tua usque tempora vixerunt, non quarta decima Luna cum Judæis Pascha celebravit Ecclesia Catholica, hanc doctrinam Romæ Petrus, & Paulus instituerunt, ut in azymis sinceritatis, & veritatis Pascha ageretur &c.

40 Arg. 4. Judæi habebant in praxi ex traditione majorum, quod quando Luna 15. contingebat feria sexta, tunc non ordiebantur Solemnitatem Paschæ feria quinta ad primam vesperam, sed tantum ad secundam, atque ita differebant festum Paschatis in sequentem diem, ut traditum fuerat, dicunt, à temporibus Esdræ, post redditum à captivitate Babilonica, & perfectam instaurationem templi: atque adeo sabbatum erat prima dies Solemnitatis. Sed ita contigit anno, quo Christus passus est: ergo Judæi tantum inceperunt Solemnitatem Paschalem ad vesperam diei 15. in qua Christus passus est. Unde Christus, dicunt, hanc solemnitatem præveniens, suum Pascha manducavit feria 5. cum pane quidem azymato ad id necessario. At verò manducato Paschate, atque assumpto pane fermentato, adhuc eo die elicto propter translationem Paschæ in sequentem diem, coenam usualem inivit, & inter coenandum Eucharistiam instituit; atque adeo non in azymis, sed in fermentato, & usuale. Ad argumentum nego majorem. Ex nullo testimonio, faciente fidem, constat talis Judæorum praxis. Si enim vigilet ea legis interpretatio, antiqua traditione firmata, nullo modo hujus traditionis, & interpretationis legis silentium tam altum esset apud Josephum, & Philonem, accuratissimos ceremoniarum, & legum Israëlitiæ populi Scriptores; necnon & apud Patres Græcos, & Latinos, qui sæpe

meminerunt Paschæ Judæorum, & plurimi ex eis constantissimè asserunt, Judæos semper observasse Lunam quartam decimam in suo Paschate celebrando. Et quod magis est, si talis lex, & traditio tunc fuisset, quare Apostoli, nullo monente, Christum interrogassent: *Ubi vis patemus tibi comedere Pascha?* si illa ipsa die Pascha non fuisset comedendum? Quomodo assererent Evangelistæ, diem Azymorum venisse, in qua necessè erat comedere Pascha, si revera dies Paschalis esset transferenda in sequentem diem? Denique, quo pacto homo ille Jerosolymitanus induci potuisset, ut commodaret suum coenaculum ad Pascha comedendum, contra ritum Judaicum, & ordinationem Principum Sacerdotum? Non enim tale est credendum.

41 Arg. denique argumentum, quod Scaliger lib. 5. de Emendat. Temp. putat indissolubile, petitum ex festo Pentecostes: Si Christus Dominus passus est, & mortuus prima die Azymorum, dies Pentecostes non incidisset eo anno in Dominicam, sed in diem sabbati; sed hoc est contra Ecclesiæ Catholicæ traditionem, quam tenet, diem Pentecostes, & Spiritus Sancti descensum contigisse die Dominica: ergo Christus non est mortuus primo die festo Azymorum. Min. constat ex S. Clemente lib. 5. Constit. cap. ultimo, ex D. Aug. Serm. 154. de tempore, ex S. Leone Epist. 81. Prob. maj. Levitici 23. à secunda die Azymorum, in qua Judæi offerebant Deo manipulum, jubetur sic: *numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies, & sic offeretis sacrificium novum Domino*, nempe, in die Pentecostes. Nunc sic: sed in hypothesis dies illa cadit in diem sabbati; nam septem hebdomadæ faciunt quadraginta novem dies, quæ in prædicta hypothesis finiuntur feria sexta: ergo cum dies sequens sit sab-

ba-

batum, in quo completur quinquagesimus, sequitur, quod isto anno festum Pentecostes incidit in diem sabbati.

42 Huic argumento variae solent adhiberi solutiones. Uni dicunt, anno passionis Christi revera Pentecostem incidisse in sabbatum, eademque die Spiritum Sanctum illapsum esse super Apostolos. Ecclesiam vero in die Dominica Pentecostem celebrare, ut festum hoc conveniat cum die Resurrectionis Domini. Responsio haec placeat compluribus ex Recentioribus. Illam vero ut falsissimam reputat Eru- ditissimus Pontifex Benedict. XIV. utpote oppositam declarationi S. Leonis Magni, qui saeculo 5. vixit. Ratio est, ait, quia non est verisimile, S. Leonem Magnum, qui saeculo 5. floruit, scripsisse, Pentecostem incidisse in Dominicum diem, nisi id pervulgatum fuisset in traditionibus Romanae Ecclesiae, quas in hac parte sequuntur etiam Novatores. Alii dicunt, consuetudinem fuisse apud Judaeos, ut quinquaginta illi dies numerarentur a prima die profana post festum Azymorum. Unde quando dies secunda erat sabbatum, tunc non a secunda die, sed a tertia haec incipiebat numeratio. Quare merito Scriptura dixit: *ab altero die sabbati, non ab altero die Paschae*, ut forte, si aliud festum, puta, sabbatum, incidere in secundam diem Azymorum, haec computatio fieret non a secunda illa die, sed a die sequenti, quae esset profana, seu operum servilium. Atque ita contigit eo anno, ut secunda dies esset sabbatum. Haec responsio tradita est ab Eminentissimis viris, Belarmino, & Baronio, & est valde communis inter Theologos, valdeque probabilem reputat Benedictus XIV. Alii denique dicunt, Pentecostem Judaicam anno illo incidisse in sabbatum, sed falsum esse, Spiritum Sanctum descendisse in sabbato, sed descendisse die Dominico. Unde sic respondentes, distinguunt de Pentecoste Judaica, & Pentecoste

nova, seu Christiana, & dicunt, Judaicam fuisse in sabbato, & novam, in quo Spiritus Sanctus illapsus est in Apostolos, fuisse die Dominica, sive postriduo Pentecostes Judaico. In- feruat hoc ex verbis Actor. 11. *Et cum compleverentur dies Pentecostes*, quae verba denotant, diem primam Pentecostes tunc fuisse completam, quod idem est, ac praeteritam, & praeterlapsam. Hoc agnoverunt Interpretes Syrus, & Arabs, qui ita legunt: *Cum igitur impletus esset dies Pentecostes*. Confirmant hoc ex eo, quod sabbatum Christianum non fuit institutum sabbato Judaico, sed die Dominico. Quid ergo mirum, si Christus voluit consecrare adventu Spiritus sui non Pentecostem Judaicam, sed diem insequentem, quae deinceps futura erat Pentecostes Christianorum? Ex iis solutionibus, quarum quaelibet plures habet Patronos, secunda est inter Theologos communior.

43 Ex dictis tenendum est 1. nec Christum Dominum, nec Judaeos anticipasse, nec postposuisse esum Agni Paschalis, sed illud comedisse die 14. ad vesperam, sive ad noctem diei. De Christo Domino patet abunde ex dictis, & illustratur a nostro Subt. Doct. in 4. dist. 11. quaest. 6. circa medium, dicente: *Ex iis patet, quod die Azymorum prima, scilicet, 14. Luna, comedit Agnum Paschalem.... & 15. die erat solemnitas, hoc est, primus dies integer sollemnis sollemnitatis Paschae, & illa die pas- sus est Christus. Et sic illa hora, qua comedi debuit Agnus Paschalis secundum legem, scilicet 14. die mensis primi, comederunt discipuli ve- rum Agnum*. De Judaeis etiam constat propter eandem rationem, quia cum esset praecipuum, illos stricte obligans ad Agnum illa nocte comedendum, nec illi poterant trans- ferre ad aliam diem, nec ratio est aliqua suadens efficaciter, illos hoc praecipuum non adimplevisse.

44 Si dicas: quod ea nocte, qua

Is-

Israëlitis comederant, prohibiti sunt egredi domibus suis, quod etiam Judaei observassent, & quidem non observarent: nam egressi sunt ad vincendum Dominum: dico, quod prohibitio illa dumtaxat fuit propter vitandum percussorem Angelum. At postquam Israëlites audierunt ex clamore Aegyptiorum, omnes Primogenitos fuisse trucidatos, ac subinde recessisse exterminatorem Angelum, securi egressi sunt, nedum de domibus suis, sed etiam de terra Aegypti, ut dicitur Exodi 12. *Eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Aegypti*. Unde Moyses non praecipit Israëlitis, ut de domibus suis non exirent ea nocte absolute, sed ut non exirent, quamdiu percuterentur Primogenita Aegyptiorum, seu dum Angelus interficiens illa transisset, & ab Aegyptiis urgerentur, & cogerentur exire. Praeterquam quod Judaei ad hoc non attenderent, dummodo Jesum ad manus possent tenere.

45 Fatendum est 2. Christum in suprema Coena servasse praecipuas Paschalis legalis caeremonias, quae ex concordibus Rabbino- rum traditionibus istae erant. Ad Pascha comedendum conveniebat cum familia rector domus, & si domestici non sufficiebant ad esum Agni, assumebat vicinos ex 12. Exodi. Numerus iste ex Josepho lib. 4. de bello cap. 9. dicebatur societatum, & constabat ad minus ex decem convivis. Instituebatur convivium nocte, parabatur coenaculum, coquebantur cibi, ut postulabat Paschale convivium, & imminens solemnitas Azymorum. Dominum in suprema Coena servasse haec omnia, narrant Matth. 26. Marcus 14. & Lucas 22. Discipuli paraverunt Pascha, invenerunt coenaculum stratum, & Jesus unus cum duodecim discubuit, & facto jam vespere, coenavit.

46 Sed vero magnum intercessit discrimen inter Pascha primum Aegyptiacum, & inter Pascha posteriorum

temporum Jerosolymis peractum. Illud itaque celebrabant Judaei stantes, calceati, accinti renibus, & baculos in manibus habentes, tamquam ad iter habendum parati, utpote ex domo servitutis profecturi, ut in Exodo habetur expressè. Reliqua vero Paschata edebantur a Judaeis jacentibus, & decumbentibus, quasi in signum dominii, & libertatis: atque ita Dominum recubuisse, constat ex Matth. 26. Inter coenandum Paterfamilias, gratias agens, panem azy- mum benedicebat, & illud caeteris distribuere. Et cum in Paschali coena plures adessent calices, unus distribuere cum gratiarum actione, & alter distribuere post coenam: & nisi admisissent aquam, existimabatur, aliquid esse omissum in rec- ta hujus caeremoniae observatione, quod, ut ait Mammopides, constat ex communi Hebraeorum traditione. Calices istos optime distinxit Lucas cap. 22. ubi inquit, Eucharistiam sub specie vini institutam esse post coenam: *similiter, & calicem, postquam coenavit, dicens &c.*

47 Strato, ut dixi, coenaculo, ac duabus, vel tribus placentis Azy- mi paratis, quas apponentes mensae dicebant: *hic est panis afflictionis*, apponebatur Agnus assus cum lactu- cis, juxta praecipuum Domini. Co- meso Agno, & hac peracta coena le- gali, parabantur carnes coctae, & vas aliquod, quod in Evangelio di- citur paropsides, cum embammate, quod erat condimentum quoddam ex pomis, dactylis, saccaro, aliisque condimentis compositum, & Paterfa- milias, iterum agens gratias, fran- gebat placentam, & cuncti epulaban- tur splendide, vinumque gustabant: ac demum hac coena usuali absoluta, surgebant convivae, abluiebant ma- nus, ac post pusillum temporis iterum recumbentes, intingebant reliqua pla- centae frustula in embammate, quod servabatur ad finem convivii. Sic scri- bunt Thalmudistae omnes, & sequun- tur eos plures Scripturarii cum P. Ber-

Bertā Sed hic Author sentit, ex eo, quod in hac coena Christus benedixit panem, quod Sacramentum Eucharistiae instituerit in illa, ut verificaretur, quod coenantibus discipulis, hoc Sacramentum fuit institutum, ut apparet ex Matth. 26. Quare dicit, quod hac coena completa, & Eucharistia sub specie panis, & vini instituta, Christus surgens ab illa, deposuit vestimenta, praecinxit se linteo, & lavit pedes Discipulorum, Joan. 13. Et quod post ablutionem pedum, iterum recubuit, parvulamque aliam coenulam celebravit, in qua Judae porrexit buccellam, quam Joannes ipso cap. 13. refert, & qua recepta, statim Judas a coenaculo exiit. Unde praedictus Author tenet, Eucharistiam, antequam Dominus pedes Discipulorum lavaret, institutam esse. Verum sententia haec nobis placere non potest.

48 Quare asserimus, quod Eucharistiae Sacramentum institutum fuit in ultima Coena Jerosolymis facta post lotionem pedum Apostolorum. Sic S. Cyprianus Serm. de lotionem pedum. S. Bernard. serm. de Coena Domini. S. Ambros. lib. 5. de Sacramentis. c. 6. Sic etiam frequentius sentiunt Catholici DD. quam veritatem expressè docet V. Abbatissa Maria a Jesu de Agreda 2. parte Mysticae Civit. Dei cap. 12. num. 1181. Suadetur ratione: Lotio pedum significabat munditiam animae acceptam ex vi poenitentiae; sed animae munditia praecedere debet Eucharistiae sumptionem, juxta illud Apostoli: *probet autem se ipsum homo, & sic &c.* ergo. Colligitur etiam satis expressè ex illo Joan. 13. & cum recubisset iterum &c. ergo postquam Discipulorum pedes lavit, iterum Christus recubuit, & tunc Eucharistiam instituit. Unde asserendum est etiam, quod post utramque coenam, scilicet, legalem, & usualem, Christus Eucharistiam instituit. Patet: tum ex Ecclesia, canente: *expletis epulis, corpus Domini datum Discipulis &c.* sed epu-

lae non sunt expletæ, nisi post coenam legalem, & usualem, de quibus dictum est num. 46. & num. 47. ergo. Tum; quia Joan. 13. dicitur de Christo, quod surrexit a coena, & coepit labare pedes Discipulorum; sed in coena legali nec sedebant, nec sedere licebat, ut expressè dicitur 12. Exodi: ergo erat coena usualis, in qua Christus sedebat, vel potius supra quam, juxta usum Judaeorum, Christus recubuit, & unde surrexit; ut pedes Discipulorum lavaret, atque post lotionem Sacramentum institueret.

49 Ex quo inferes, ordinem servatum in actionibus illius Sacratissimæ noctis hunc fuisse. Primò fuit coena legalis, quæ appellabatur *immolatio phase*, & in qua non sedebant, ut dictum est. Secundò fuit coena usualis, in qua Christus cum Discipulis coenavit usualiter, id est, de cibis usualibus: ad quam coenam usualem recumbabant more Hebraeorum, quoniam mensa solùm quasi palmum, aut palmi dimidium, a terra elevabatur. Tertiò surgens a coena lavit pedes Discipulorum. Deinde fine imposito antiquis caeremoniis, parata est *mensa elevata*, jussu Domini, ad modum mensæ, qua nos utimur ad prandium, incipiens sic novum convivium, in quo legem gratiæ fundabat ipse Dominus, & ex quo ortum duxit in Ecclesia Catholica celebrare Eucharistiam in mensa, aut altari elevato. Super hanc elevatam mensam, decentissimè ornatam, & paratam, jussit Dominus apponi panem azymum, & vinum; ac demum super hanc mensam, & ex pane azymo, per consecrationem effecit Eucharistiae Sacramentum. Quod omne mirificè explicat praecitato in capite V. Serva Dei Maria a Jesu de Agreda, in quo, sicut in antecedenti capite, videnda sunt in hoc Mystero opera Dei mirabilia.

Du-

Dubium incidens resolvitur.

50 Dubium est: *An Judas praesens fuerit ad Sacramenti Eucharistiae institutionem?* Sunt, qui dicant, Judam fuisse praesentem ad consecrationem panis, & non ad consecrationem vini, cujus fundamentum debile est valde. Sunt etiam alii, qui asserant, quod Judas jam a coenaculo recesserat, ut cum Principibus Sacerdotum traditionem Domini machinaret, quando Christus Eucharistiam instituit. Hanc desertionem Judae a condiscipulis Apostolis aliqui Authores taliter anticipant, ut dicant, quod, ex quo Judas, visa unguenti pretiosi in Bethania effusione supra Christi pedes, quam effusionem agrè tulit, & obmurmavit, reprehensus fuit a Christo, Apostolos deseruit, atque ex tunc ad Pharisaeorum Principes properavit, ad propterea nec coenæ cum cæteris adfuit. Alii verò censent, Judam a coena cum cæteris adfuisse: sed verò accepta buccella a Domino, continuo exiit a coenaculo, ut Joannes refert. Cum autem Dominus ei in coena buccellam dederit, & illa accepta, statim recessisset, sequitur, quod institutioni Eucharistiae, quæ fuit, coena facta, Judas non fuerit praesens. Verum omnes istæ sententiæ omnino sunt rejiciendæ, & dicendum:

51 *Judam adfuisse praesentem institutioni Eucharistiae, ibi communicasse Corpus, & Sanguinem Christi, atque simul cum aliis Apostolis institutum fuisse Episcopum, & Sacerdotem.* Probat per partes. Et primò, quod Judas institutioni Eucharistiae esset praesens, constat ex S. Luca, qui referens Christum consecrasset panem, & calicem, subdit, Christum post verba consecratoria dixisse: *Verumtamen ecce manus tradentis mecum est in mensa:* ergo Judas a coenæ, & consecrationi praesens aderat. Deinde Lucas, & Joan-

Tom. II.

nes testantur, Christum, coena facta, Judae pedes lavisse: & Matth. asserit, ipsummet Judam in coena cum cæteris Christum rogasse: *numquid ego sum Rabbi? & ait illi, tu dixisti.* Quod etiam Corpus suum, & Sanguinem Christus Judae dederit, constat ex Marco, qui fatetur, omnes Apostolos ex consecrato calice bibisse: *bibite ex eo omnes;* de pane similiter: *accipite, & comedite &c.* sed Judas erat ex Apostolis: ergo particeps fuit cum aliis Corporis, & Sanguinis Christi. Hanc apertissimam veritatem SS. PP. Chrysostomus hom. de prodicione Judae. Cirill. lib. 9. in Joan. Hieronym. in illud Marci: *bibebant ex eo omnes,* ait: *Et Judas tibi, sed non saturatur, nec sitim extinguit ignis aeterni, qui indignè mysteria Christi suscepit.* S. Aug. in Psalm. 10. in ea verba: *Justus autem quid fecit?* ait: *Christus quid fecit vobis, qui traditorem suum tanta patientia pertulit, ut ei primam Eucharistiam, confectam manibus suis, sicut cæteris Apostolis, traderet.* Idem affirmant S. Leo Serm. 3. & 7. de Passione, & plures alii. Ultima pars, per quam aliæ confirmantur, constat ex Actor. cap. 1. ubi Judas dicitur Episcopus, & Sacerdos sicut scriptum est Psalmo 68. *Episcopatum ejus accipiat alter;* sed Apostoli ordinati sunt Sacerdotes, & Episcopi tantum in institutione Eucharistiae, dum Christus illis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem:* ergo evidenter, Judas cum aliis praesens aderat, accepit Eucharistiam, & constitutus est cum potestate ad illam conficiendam.

52 Arg. 1. S. Clemens lib. 9. Constit. cap. 13. expressè tenet contrarium, sic dicens: *Cum autem tradidisset nobis mysteria pretiosi corporis, & sanguinis sui, absente Judae, egressus est.* Idem, si non expressè, ad minus tacite, docuerunt Innocentius III. lib. 4. de Mysteriis missæ cap. 13. & S. Petrus Damian. Epist. 64. Respondeo, verba hæc S. Clementis absen-

D

absen-

absente Juda, referenda non esse ad precedentia, sed ad sequentia, ut testantur Evangelistae. Hoc est, quod Judas prius exierat de coenaculo, quam Christus, egressus ex illo, iret in hortum. Unde sensus est, quod absente jam Juda, Christus egressus est. Ad alios PP. dico, solum velle, Judam non fuisse participem effectus Sacramenti, atque ita caruisse tali Sacramento; quia nihil prodest Sacramentum absque illius effectu. Unde si aliquando dicunt, Judam non accepisse Eucharistiae Sacramentum, intelligendi sunt quoad ejus effectum, & fructum.

53 Arg. 2. Judas, accepta intincta buccella, continuo exivit de coenaculo, ut traderet Christum; sed illa buccella non fuit Sacramentum, neque porrecta fuit Judae post Sacramentum institutum: ergo Judas non fuit praesens, dum Eucharistia fuit instituta. Major constat ex Joan, cap. 13. ubi ait de seipso: „ Inquit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei, quis est de quo dicit? (scilicet, quia unus ex vobis tradet me.) Itaque cum recubisset ille supra pectus Jesu, dicit ei, Domine, quis est? Respondit Jesus: ille est: cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judae Simonis Iscariotae... cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo. „ Minor quoad primam partem, nempe, quod illa buccella non fuit Sacramentum Eucharistiae, definitum est in Concilio III. Bracharense contra aliquos antiquos DD. oppositum sentientes. Constat etiam ex D. Aug. Tract. 62. in Joan. sic dicente: „ Non autem, ut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas Corpus Christi accepit: intelligendum est enim, quod jam omnibus eis distribuerat Dominus Sacramentum Corporis, & Sanguinis sui, ubi & ipse Judas erat, sicut S. Lucas evidentissime narrat: ac deinde ad hoc ventum est, ubi secundum narrationem Joannis aper-

„ tissime Dominus per buccellam „ tinctam; atque porrectam, suum „ exprimit traditorem, fortassis per „ panis tinctionem illius, significans „ fictionem. „ Quoad secundam partem patet minor ex eo, quod illa buccella porrecta fuit Judae a Domino in Coena, postquam, juxta dicta, Sacramentum fuit institutum, & post hujus institutionem non fuit jam coena aliqua.

54 Respondeo concedendo majorem, & minorem quoad primam partem, sed nego illam quoad secundam, nempe, quod buccella illa non fuit Judae porrecta a Domino post Sacramentum institutum, ut verbis in argumento relatis expressè docet Aug. & ex contextu Evangelii Joannis convincitur. Sed pro majori intelligentia, & clariori captu, sciendum est, quod Christus Dominus hunc ordinem servavit. Primò Coenam legalem cum discipulis celebravit. Secundò, ea peracta caeremoniali Coena, quae fieri debebat a stantibus, & subcinctis renibus, ac baculum in manu per modum viatorum gerentibus, recubuit usuali mensae cum duodecim. Hac autem peracta Coena, surrexit a mensa, pedes lavit, & iterum recumbens, divinum sermonem habuit de humilitate: & postea ex residuo pane, & vino Eucharistiam instituit, ac singulis ministravit, modo jam dicto. Demùm, cum moris esset apud Hebraeos, referente Baronio, cum aliis, ut Praefectus mensae buccellam panis in embammate, variis rebus confecto intingeret, hoc & Christus fecit; intinxit enim buccellam panis, & illam Judae tradidit, & ei dicens, quod facturus es, fac citius. Rer hanc buccellae porrectionem suam expressit traditorem Joanni, & simul ut Aug. ait, per tinctionem illius panis Judae significavit fictionem. Hoc facto, ait Joannes, cum autem accepisset buccellam, exivit continuo: hoc est, non expectavit prolixum illum sermonem, quem, eo jam absente, Christus ad discipulos habuit.

QUAEST.

QUAESTIO III.

An Sacramentum Eucharistiae institui potuerit ante Christi Incarnationem, ut de facto peracta est?

55 Solemnem æquivocationem passus est Cajetanus in intelligentiâ tituli hujus quaestionis, & ex illa deceptione occasionem sumpsit ad appellandam chimericam sententiam Subt. Doct. Ad tollendam igitur æquivocationem, notandum est 1. quod dum quaeritur: an Corpus Christi potuerit existere, & fieri praesens in Eucharistia ante Christi Incarnationem, ut modo peracta est, seu antequam conciperetur ex Virgine? Sensus non est: an Christi Corpus potuerit esse in Eucharistia ante conjunctionem carnis cum Divinitate, ut perperam quidam existimant; nam certissimum est, quod ante illam unionem corpus illud non esset Corpus Christi: ac proinde evidens est, quod Corpus Christi non potest fieri praesens in Eucharistia ante Incarnationem, si per incarnationem intelligatur conjunctio Divinitatis cum humanitate. Sensus igitur difficultatis est: an ex hypothesi, quod humanitas non fuisset nata, ac formata per conceptionem naturalem, nec alicubi existeret unita Divinitati modo connaturali, scilicet, extenso, & circumscriptivo, tunc casus, eodem instanti, quo verba consecrationis proferrentur, Corpus, & Sanguis Christi possent poni, & fieri praesentia sub speciebus Eucharisticis? Ob hoc alii sic proponunt difficultatem: An praesentia realis Christi in Sacramento dependeat a praesentia ejus naturali, & circumscriptiva, ita ut sine ista, non possit habere illam? Notandum est 2. aliquid incipere esse, dupliciter posse sumi, vel simpliciter, vel secundum quid. Tunc accipit esse simpliciter, quando revera accipit existentiam, & verum est

Tom. II.

dicere, nunc est res, & immediate ante non fuit. Tunc accipit esse secundum quid, quando accipit aliquem modum existendi, quem prius non habebat. Sic paries, dum de novo fit albus, non incipit esse simpliciter, sed tantum secundum quid, nempe, secundum modum albedinis, quae de novo afficitur. Sic in praesenti: quando Corpus Christi de facto per consecrationem ponitur sub speciebus in Eucharistia, non dicitur produci, vel accipere esse simpliciter; quia non accipit suam existentiam realem in rerum natura; sed secundum quid; quia per consecrationem non acquirit nisi novum aliquem modum, vel novam praesentiam realem, seu esse Sacramentale, quod non habebat. Ex quo notandum est 3. quod in Christo per existentiam naturalem, seu per esse naturale, intelligimus esse in loco modo connaturali corporibus, scilicet, juxta dimensiones quantitativas, seu extensivè, & circumscriptivè. Per esse supernaturale, seu Sacramentale intelligimus esse sub speciebus Eucharisticis definitivè, ita ut, corpus illud sit ad modum spiritus, totum in toto, & totum in qualibet parte loci, seu spatii: non verò ita ut una pars locati respondeat uni parti loci, & alia aliis, quod est proprium praesentiae circumscriptivae. Unde Corpus Christi dicitur habere esse naturale in utero Virginis per Incarnationem, quamvis id habeat omnino supernaturaliter, & miraculose per operationem Spiritus Sancti: & esse, quod habet in Eucharistia, dicitur supernaturale, Sacramentale, & spirituale, prout talis modus essendi, seu praesentiae, opponitur naturali in sensu praedicto. Sed verò utrumque esse est realissimum. His ad intelligentiam difficultatis praemissis.

Sit Conclusio.

56 Ante Incarnationem Verbi Divini in utero Virginis, seu ut modo Da In-

Incarnatio perfecta est, potuit de potentia Dei absoluta institui Sacramentum Eucharistie. Conclusionem hanc Scotiam veram existimant Cardinalis de Lugo, & alii plurimi à nostra Schola extranei. Illam expressè docet noster Subt. Doct. in 4. dist. 10. quæst. 4. num. 6. ubi in terminis dicit: *Ante Incarnationem potuit ita verè Eucharistia fuisse, sicut & nunc est: & hoc tam quantum ad significationem, quam quantum ad rem signatam, & contentam.* Doct. Subt. sequuntur Discipuli omnes. Prob. conclusio ratione ipsius Doct. Existentia Sacramentalis Christi in Eucharistia non dependet ab existentia ejus in utero Virginis, vel in cruce, vel in Cælo, nec in fieri, nec in conservari. Uno verbo, realis existentia Christi in Eucharistia non dependet ab existentia reali, & naturali in alio ullo loco, in quo fuit, vel extitit: ergo Deus potuisset instituere Eucharistiam cum reali præsentia Corporis Christi ante illius Incarnationem in carne passibili, & utero Virginis: vel posset eam instituere, & conservare, non existente illo alibi, vel alio modo, quam sacramentaliter, prout est in Eucharistia. Antecedens est Adversariorum fundamentum. Prob. illud: Existentia naturalis Christi in aliis statibus, & locis, in quibus est, vel fuit, nihil confert, nec physicè, nec in nullo alio genere causæ ad illius Sacramentalem existentiam in Eucharistia; sed hoc ipso existentia realis Christi in Eucharistia non dependet ab existentia reali, & naturali in alio ullo loco: ergo. Prob. major. Christus ab omnipotentia Dei habet utramque existentiam, nempe, in utero Mariæ per generationem, & in altari, prout de facto se habet, per additionem; sed ad hanc secundam existentiam Sacramentalem, quæ fit per additionem, nihil influit illa prima, quæ fit per generationem; sicut nec præsentia Sacramentales influunt in præsentiam per generationem: ergo.

57 Confirmatur ex ipso Subt. Doct. Quod est Indifferens ad existendum in utero Virginis modo naturali, & in Eucharistia modo supernaturali, seu sacramentaliter, potest existere alterutro ex his modis; sed Corpus Christi ad utrumque modum existendi est indifferens: ergo sicut de facto extitit modo naturali, antequam existeret modo Sacramentali, ita pariter vice versa, potuit existere modo Sacramentali, antequam existeret modo naturali. Prob. min. Si non esset indifferens ad utrumque modum existendi; ideò esset, quia existentia Sacramentalis dependeret ab existentia naturali; sed hoc ita non est: ergo. Minor, ultra dicta, prob. sic à Doct. Si existentia Sacramentalis dependeret ab existentia naturali, maximè, vel tamquam effectus à causa, vel tamquam proprietas ab essentia, vel tamquam accidentis à subjecto; sed nullo ex his modis dependet: ergo. Major continet omnes rationes dependentiæ unius ab alio. Explicatur minor: In primis non dependet tamquam effectus à causa; quia præsentia Sacramentalis non causatur per præsentiam naturalem, sed unicè per divinam omnipotentiam. Sed aliunde neque tamquam proprietas ab essentia, nec tandem tamquam accidentis à subjecto; siquidem præsentia Sacramentalis non fluit necessariò à præsentia naturali; etenim hi duo modi existendi non sunt inter se ita necessariò connexi, ut sine se invicem subsistere non possint; quia de facto prius extitit præsentia naturalis, quam Sacramentalis, & si Christus perderet suam præsentiam naturalem, seu modum existendi quantitativum, & extensum, quamoptimè subsistere posset secundum modum existendi sacramentalem, seu inextensum, sub Eucharisticis speciebus; ex qua existentia seorsim probatur apertè, nec dependens, tamquam accidentis à subjecto: ergo.

58 Tota Adversariorum vis in eo sistit, quod præsentia Sacramentalis pen-

perdet à naturali, cum illaque habet connexionem. Ideò Cajetanus negat, tamquam falsam, illam propositionem Subt. Doct. scilicet, quod Corpus Christi est indifferens ad duos istos modos existendi, naturalem, & sacramentalem, dicens, quod existentia Corporis Christi non est indifferens ad esse naturale, & esse in Sacramento, sicut nulla substantia est indifferens ad esse ad se, & ad aliud. Unde Corpus Christi, dicit, ita est determinatum ad modum essendi naturalem, sicut ad esse ad se ipsum. Verùm hæc responsio procedit ex non intelligentia rationis Scoti, quæ clarissima est cuicumque terminis intelligenti. Doct. itaque tres terminos in ea ratione distinguit, nempe, existentiam simpliciter, quæ est substantialis: deinde existentiam sub modo naturali, nempe, cum extensione quantitativa in ordine ad locum: tandem existentiam sub modo Sacramentali, quæ est ipsa præsentia Sacramentalis, & indivisibilis, excludens existentiam sub modo quantitativo. Nec ut benè advertit Hiquæus in illius quæst. Commentaria, Cajetanus, aut alius potest dicere, Scotum impropriè esse locutum; quia non solum Theologi omnes modum existendi naturalem Christi sumunt pro existentia sub modo quantitativo, & extenso, & non pro existentia substantiali; sed etiam Concil. Trident. ita illam sumit, dum Sess. 13. cap. 1. inquit: *Neque enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in Cælis assideat, juxta modum existendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis in locis Sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit.* Ubi Concilium supponit, modum existendi naturalem separari à Christo in Eucharistia, & idem supponit fides, quam de hoc Mysterio habemus. Quare Scotus propriè loquitur, & sua ratio est efficacissima.

59 Sed adhuc contra 1. ex ipso

Subt. Doct. Nulla adducit potest repugnantia, quare Deus nequeat conservare, ac etiam primò producere, quodcumque corpus sub illo modo existendi; scilicet, totum in toto, & totum in qualibet parte, sicut nunc existit Corpus Christi in Eucharistia; ergo iste modus existendi nullam connexionem, nec dependentiam dicit ab alio modo naturali existendi. Antecedens, quod variis rationibus prosequitur Doct., ex eo constat, quod existentia sub modo naturali, licet sit connaturalis cuicumque corpori, tamen non est de ejus essentia, nec de essentia existentia Sacramentalis, neque ejus causa, ut ibidem ostendit Doct., & nos in probatione conclusionis ostendimus: ergo ita non dependet ab illa; quia nihil dependet ab aliquo, quod non est causa; nec de essentia ejus. Contra 2. Nullum datur fundamentum ad ponendam connexionem essentialem inter præsentiam circumscriptivam, & Sacramentalem: ergo liberè fingitur à Contrariis talis connexio. Antecedens ex eo suadet, quod, ut notat Lugo, sæpè sæpius requisiti Contrarii, ut rationem præbeant ad probandam ejusmodi connexionem, nullam dederunt efficacem: vociferant, repugnare Sacramentalem sine circumscriptiva, & nunquam probant repugnantiam. Deinde, licet isti due præsentia uniantur cum Corpore Christi, non tamen uniantur inter se: aliàs nec præsentia circumscriptiva posset conservari sine Sacramentali, quod est falsum apud omnes: ergo Corpus Christi valet conservari cum qualibet illarum. Prob. consequent. Licet in lacte uniantur albedo, & dulcedo, tamen quia inter se non uniantur, potest lac conservari cum albedine sine dulcedine, & è converso: ergo pariter Corpus Christi posset conservari in Eucharistia sub Sacramentali præsentia, licet amitteret præsentiam circumscriptivam, & consequenter tales præsentia nullam inter se dicunt connexionem essentialem.

60 Denique probatur conclusio alia ratione Subt. Doct. Verba consecrationis ex institutione divina habent virtutem ad operandum omne id, quod exigunt ad sui veritatem; sed ad sui veritatem exigunt, quod possint producere Corpus Christi, si non esset antea productum, illudque ponere sub speciebus: ergo. Major patet; nam virtus verborum consecrationis, quæ à Deo est, commensuratur cum divina omnipotentia. Prob. minor. Si Corpus Christi non esset productum, & prolatis verbis consecrationis, non produceretur, divinum decretum non esset infallibile; sed hoc nequit dici: ergo. Prob. sequel. majoris: Supposito, ut supponi debet, divinum decretum decernere, quod, prolatis verbis consecrationis ab idoneo Ministro, ponatur Corpus Christi sub speciebus, hoc necessario evenire debet: ergo si Corpus Christi non esset productum, & non produceretur, prolatis verbis, ac sub speciebus poneretur, non esset infallibile divinum decretum: ergo cum hoc dici nequeat, dicendum est, quod si non esset productum, ex vi verborum produceretur. Confirmatur: Si Corpus Christi fuisset in cineres resolutum, prolatis verbis consecrationis, iterum produceretur; aliàs veritas verborum consecrationis non esset infallibilis ab institutione divina, ut latè probat Lugo Disputat. 7. de Eucharistia sect. 8. ergo verba consecrationis habent vim ad producendum Corpus Christi, si non esset productum. Prob. consequent. Difficilius non est producere corpus, aliàs non productum, quàm reproducere corpus in cineres resolutum: ergo si verba consecrationis habent vim producendi corpus in cineres resolutum, & vim habent producendi corpus, si antea non est productum.

61 Adversarii respondent, argumentum verum esse, si Corpus Christi existentiam jam habuit: non autem si loquatur de prima sui productione, antequam in utero Virginis

formam assumeret, & uniretur Verbo. Sed hæc responsio jam manet impugnata. Præterquamquod, si institutio divina talem vim valet præstare verbis consecrationis, ut Corpus Christi jam resolutum iterum reproducant sub speciebus, quid interest, quod tale corpus jam prius existentiam habuerit, vel non habuerit? Nonne facilius est, rem jam ad nihilum reductam reproducere, quàm eam primò ex nihilo procreare? Deinde: Vel Deus de potentia absoluta posset instituere, quod per verba consecrationis primò produceretur Corpus Christi sub speciebus, vel non? Si si? Habemus intentum. Si non? Adhibeant Contrarii rationem, cur imponant terminum divinæ omnipotentia, & absolutæ Dei voluntati: & præsertim cum concedant ipsi, Deum æquè posse producere, ac reproducere Corpus Christi. Quare igitur, sicut Deus dicere valet: *dictis talibus verbis à Ministro, reproducam Corpus Christi*: dicere non potuit: *dictis talibus verbis à Ministro, producam Corpus Christi*? Dicunt, impossibilitatem non stare ex parte omnipotentia, sed ex parte objecti repugnantis; quia repugnat, aliquod corpus existere sacramentaliter, & miraculosè, quin prius existat extra sacramentum per præsentiam circumscriptionem, & modo suo naturali. Hæc solutio ab eis valdè decantata, jam impugnata manet. Sed ultra: ergo jam nihil interest, quod productio Corporis Christi sit prima, vel non; cum per vos tota impossibilitas in eo sistat, quod Corpus Christi debet existere suo modo naturali extra Sacramentum, ut possit existere in Sacramento: ergo si Corpus Christi foret in cineres resolutum, nulla ejus remanente præsentia, non posset reproducere ex vi verborum, quod est contra concessum, & probatum.

Sol.

Soluntur argumenta.

62 Arg. 1. Præsentia sacramentalis, & definitiva supponit naturalem, seu circumscriptionem; sed ista non potest esse sine incarnatione sub modo naturali: ergo neque illa, & consequenter falsa, & impossibilis est assertio nostra. Prob. major. Tum; quia præsentia sacramentalis est effectus præsentia circumscriptionis; sed omnis effectus supponit suam causam; ergo. Tum: præsentia sacramentalis est per actionem adductivam; sed actio adductiva supponit productum id, quod per eam adducitur: ergo. Major, & minor constant ex Subt. Doct. in 4. dist. 11. quæst. 3. & in Quolibet. 4. ubi docet, Corpus Christi in Eucharistia fieri præsens per additionem, istamque actionem adductivam non esse productivam. Ex quo iterum sic: actio, quæ de se non est productiva, non potest producere Corpus Christi, quod aliàs productum non est: ergo ex vi verborum non produceretur Corpus Christi, si jam non esset productum in utero Virginis: ergo præsentia sacramentalis necessario supponit præsentiam naturalem. Confirmatur: Verba consecrationis terminantur ad Corpus Christi præexistens: ergo nequeunt ei primam existentiam præstare, & consequenter præsentia sacramentalis supponit naturalem. Prob. antec. Quia signatum per verba consecrationis *hoc est Corpus meum*, est Corpus Christi cum suo modo naturali, super quem fundatur esse sacramentale: nam illud idem Corpus Christi adest in Eucharistia, quod est in Cælo: ergo terminatur ad Corpus Christi præexistens, consequenterque præsentia sacramentalis pendet à naturali.

63 Ad argumentum, quod est unum ex præcipuis Adversariorum, distinguo maj. de facto, & in præsentia rerum ordine, concedo: de possibili, & in alio ordine depreto-

nego majorem, & minorem; quia ut ex dictis in probatione conclusio, & in responsionum impugnatione apparet, modus sacramentalis non magis dependet à modo naturali, & circumscriptione ex se ante incarnationem, quàm post illam, cum corpus ex se sit indifferens ad utramque præsentiam. Ad primam majoris probationem nego majorem; quia præsentia sacramentalis est effectus divinæ omnipotentia, quæ præsentia nec de facto dependet ab alia, veluti ejus effectus. Ad secundam majoris probationem concedo majorem de facto, & etiam minorem in hoc sensu, & nego consequentiam. Ad ostensionem ex Subt. Doct. distinguo illam: actio adductiva non est productiva absolute, & ex se, nego: prout de facto applicatur in Eucharistia, dum supponit Corpus Christi præexistens, concedo. Ad confirmationem concedo antecedens, loquendo de facto, & nego illud de possibili: aliàs non posset decernere Deus, se Corpus Christi producturum ad prolationem verborum, quod est falsissimum. Ad probationem, præterquamquod est maxima æquivocatio in illa, numero sequenti detegenda, patet per immediatè dicta.

64 Itaque verum est, quod Corpus Christi de facto ponitur in Eucharistia per additionem; quia de facto supponitur productum, & alibi existens. At verò si Corpus Christi non præxisteret, nec antea productum fuisset, per ipsam formam consecrationis in Eucharistia produceretur; quia id exigat veritas hujus propositionis: *hoc est Corpus meum*. Hoc enim est intentum Subtil. Doct. quod in 4. dist. 8. quæst. 2. §. *Quantum ad tertium*, docet, quod verba consecrationis ex se sunt activa, & operativa. Unde actio transsubstantiativa, seu adductiva Corporis Christi in Eucharistia, dupliciter est consideranda, nempe, prout in se, & prout nunc applicatur. Prout in se absolute sumpta, est productiva

va

va Corporis Christi : at verò prout nunc applicatur , non est talis , non defectu virtutis , sed quia invenit jam productum Corpus Christi. Hæc est doctrina , & sensus Subt. Doct. qui amplius explicatur hoc exemplo: Gratia sanctificans applicata per Eucharistiam , seu per aliud Sacramentum vivorum , non est ex ratione talis Sacramenti expulsiva peccati ; quia supponitur peccatum jam expulsum : sed tamen eadem numero gratia sanctificans applicata per Baptismum esset expulsiva peccati ; imò & applicata per tale Sacramentum per accidens est expulsiva peccati multoties. *Æquivocatio confirmationis stat in ly modo naturali existendi Corporis Christi.* Si enim modus naturalis intelligatur de modo extrinseco , & accidentali , de quo est sermo , falsum est omnino , quòd modus sacramentalis fundetur in illo ; quia potius illum excludit , ut omnino oppositum ipsi. Si verò intelligatur de modo intrinseco , & essentiali , verum est. Sed ex hoc solum inferri potest , & debet , quòd præsentia , sive existentia sacramentalis pendet ab existentia intrinseca , & absoluta Corporis Christi , in qua fundatur : non autem à modo extenso , & extrinseco , quem Corpus Christi habet in Cælo ; quia quamoptimè potest esse sine isto , & sine illo est in Eucharistia de facto.

65 Replicabis 1. Verba consecrationis proferuntur à Ministro Christi nomine ejus : ergo supponunt Christum existentem : ergo si Christus non esset jam in rerum natura , non haberent vim producendi Corpus Christi ; non enim datur virtus in Ministro illius , qui nondum existit. Confirmatur : Minister per consecrationem repræsentat mortem Christi ; sed si Christus non præexisteret , illam non posset repræsentare : ergo. Replicabis 2. Si Corpus Christi separaretur ab anima extra Sacramentum , seu si exanimaretur , etiam separaretur , & exanimaretur in Sacra-

mento : ergo si non esset præsens præsentia circumscriptiva extra Sacramentum , nec posset esse præsens præsentia sacramentali sub speciebus. Prob. antecedens : Quia aliàs idem numero corpus esset simul in eodem instanti vivum , & mortuum , & verificarentur de eo duo contradictoria , quod non admittit verior philosophia : ergo. Explicatur totum : Corpus Christi ponitur in hoc Sacramentum , quale est extra Sacramentum , scilicet , passibile , vel impassibile , mortuum , vel vivum : ergo præsentia sacramentalis necessariò pendet à præsentia naturali ; aliàs non esset necessarium , esse in Sacramentum , quale est ante Sacramentum.

66 Respondeo ad primam replicam , concedendo antecedens , & negando utramque consequentiam. Ratio est ; quia Sacerdos institutus à Deo quamoptimè posset in virtute Christi futuri moraliter producere Corpus Christi per verba consecrationis ; modo quo SS. PP. antequam Christus actualiter existeret , habuerunt gratiam ex meritis Christi futuri , ut unanimiter docetur à Theologis Tract. de Incarnatione. Ad confirmationem nego minorem , & consequentiam. Hoc igitur Sacramentum non habet ex se significare determinatè mortem Christi , ut præteritam , sed etiam potest significare , ut futuram. Patet hoc : nam in ultima cœna habuit hoc Sacramentum totam rationem , & significationem , quam modò habet , & tamen non significavit mortem Christi , ut præteritam. Quare ex se solum habet significare mortem Christi , aliquo tempore exercitam , præcendendo ab eo , quòd sit præterita , vel futura ; ideòque etiam eodem modo ante Incarnationem potuisset significare mortem Christi.

67 Secunda replicæ solutio pendet ex variatione opinionum. Qui deficiunt , posse corpus esse in uno loco cum anima unicum , & in alio separatum , ut sunt Alexander de Ales,

Ma-

Mayor , Okam , Suarez , & alii plures , quos citat , & sequitur noster Poncius lib. 4. Physic. disp. 4. quæst. 6. hi omnes negant antecedens , & dicunt , quòd Sacramentum Eucharistiæ factum in ultima cœna , si in triduo mortis Christi conservaretur , contineret Corpus Christi animæ unicum , quod in cruce post mortem , & in sepulchro esset ab anima separatum. Unde simul esset vivum , & mortuum. Ad id autem , quod tunc de eodem verificarentur duo contradictoria , respondent negando talem sequelam. Ad quod suadendum Aensis sic ait : *Demonstrata carne in pyxide , hæc vera esset : hæc caro est viva : demonstrata in sepulchro , hæc esset vera : hæc caro est mortua , si ve non viva. Nec sunt ista contradictoria : hæc caro alicubi est viva : hæc caro alicubi non est viva ; nam sunt sub-contraria. Hæc esset ei contradictoria : hæc caro nusquam est viva , quod non concederetur. Nec valet : alicubi non est viva : ergo non est viva.* Hæc ad litteram Alexander de Ales , & cum eo omnes alii citati.

68 Sed quia de expressa mente Subt. Doct. oppositum nos in Physica docuimus , aliter argumentum solvimus. Concedimus antecedens , & negamus consequens. Indubitabile videtur ex Doct. in 4. dist. 11. quæst. 3. §. De secundo , quòd si anima separaretur à corpore extra Sacramentum , separaretur etiam in Sacramentum. Pro quo est notandum , formas alias esse priores , & independentes à loco , alias esse ab illo dependentes. Formæ absolute , vel respectivæ , priores loco , & ab eo independentes uniformiter insunt corpori , vel ab eo tolluntur , in uno loco existenti , vel in pluribus , ut cum Subt. Doct. latè in Physica docuimus. Cùm autem anima Christi una sit , & insimul forma absoluta independens à loco , verum est , quòd si Corpus Christi exanimaretur extra Sacramentum , etiam exanimaretur in Sacramentum ; & quòd

Tom. II.

tale ponitur in Sacramentum , quale extra illud , loquendo per habitudinem ad formas à loco independentes. Hoc verò non provenit ex eo , quòd præsentia sacramentalis simpliciter pendeat ab existentia sub modo naturali , ut pluries diximus : sed quia posita Christi præsentia sub utroque modo , necessariò partes , & proprietates à loco independentes , & eo priores , quæ insunt ipsi sub modo naturali , etiam insunt sub sacramentali. At verò neutiquam sequitur : si destrueretur præsentia Christi extra Sacramentum , destrueretur etiam præsentia Christi in Sacramentum , propter dicta.

69 Hæc eadem doctrina solvitur alia replica , nempe , quòd si destrueretur existentia Christi extra Sacramentum , desineret esse in Sacramentum : Ex quo inferre intendunt , quòd præsentia sacramentalis pendet à naturali ; nam si non penderet , manere posset , illa destructa. Solvitur , inquam , hæc replica , & ostenditur , quàm sine fundamento Scotistæ aliqui negant , quòd destructa existentia Christi extra Sacramentum , destrueretur hoc ipso in Sacramentum : & quod mirabilius est , ut hic notat Matrius , hoc de Doct. mente suadere intendunt. Sed apertè falluntur , cùm Subt. Mag. in 4. dist. 10. quæst. 2. & 3. & 4. sub littera H expressè doceat , quòd si in cælo , vel in Eucharistia , Corpus Christi amittat esse per destructionem formæ corporeitatis , idem esse ubique deperdit , & nullibi manet : & quòd si in cælo aliquam amittat partem essentialem , vel integram , aut aliquam formam , vel proprietatem priorem loco , & ab ipso independentem , eodem modo illam in Eucharistia deperdit , juxta regulam generalem , quam quæst. 2. tradiderat de corpore pluribus locis replicato in ordine ad formas à loco dependentes , vel non dependentes. Ex quo rectè colligitur , quòd si existentia Corporis Christi simpliciter destrueretur , vel annihil-

E

la-

laretur extra Sacramentum, destrueretur etiam, & annihilaretur in Sacramento, & é converso: sicut si anima annihilaretur in digito, annihilaretur etiam in capite. At veró non recté sequitur: si destrueretur præsentia Corporis Christi extra Sacramentum, etiam destrueretur in Sacramento; sicut non sequitur: si animæ præsentia destrueretur in digito, etiam destrueretur in capite. Ratio jam insinuata manet, nempe, quia Corpus Christi, & existentia simpliciter, & intrinseca Corporis Christi est una tantum, & independens à loco; ideóque si simpliciter destruitur in uno loco, destrueretur etiam in alio. At veró præsentia est multiplex, & á loco dependens: quapropter una sine alia destrui potest.

70. Arg. 2. Prius est, rem existere simpliciter, quam secundum quid; sed existentia naturalis est existentia simpliciter, & existentia sacramentalis est existentia secundum quid: ergo hæc necessariò præsupponit illam: ergo ubi naturalis existentia non præcedit, sacramentalis præsentia non est possibilis. Major est evidens. Prob. min. Si sacramentalis existentia esset existentia simpliciter, & non tantum secundum quid, Corpus Christi in ea hypothesi haberet esse simpliciter sub speciebus Eucharisticis; sed hoc est impossibile: ergo. Prob. min. Ea in hypothesi Incarnatio esset impossibilis; sed impossibile est, Incarnationem tunc casus esse impossibilem: aliàs impossibile esset, quod Christi Corpus posset naturaliter formari, quod asserere est absurdum; nam sequeretur, quod postmodum non posset formari Corpus Christi ex purissimo sanguine Virginis, atque adeo, quod illa non posset fieri Mater Dei: ergo. Confirmatur: Impossibile est, quod aliquid incipiat esse, postquam fuit, ut de se est notum; sed si Christus potuisset esse in Eucharistia ante Incarnationem, posset incipere esse, postquam fuit: ergo. Prob. min. Tunc adhuc potuisset

incipere esse in utero Virginis per Incarnationem Verbi; sed sic inciperet esse simpliciter, postquam fuit: ergo.

71. Respondeo negando minorem, & majorem probationis, & ad hujus probationem nego etiam majorem in sensu, quem intendit. Itaque rem existere simpliciter nihil aliud est, nec significat, quam primò accipere suam essentiam, & existentiam. In hypothesi autem, qua Corpus Christi tantum existeret modo Sacramentali, verè existeret simpliciter, & veram haberet existentiam: nam tunc ibi haberet esse reale reverà productum; non autem solum esse secundum quid, seu adductum, ut nunc habet in Sacramento; quia nunc non producitur reverà Corpus Christi sub speciebus Eucharisticis, sed jam productum, & existens adducitur, & fit ibi realiter præsens. Unde *naturalis existentia*, ut dicatur existentia simpliciter, debet sumi pro existentia naturali intrinseca, & substantiali; non prout *naturalis* denotat modum existendi extensum, & circumscriptivum: & propterea in propositione minori argumenti est magna æquivocatio. Nec ex nostra doctrina sequitur, quod postea Incarnatio esset impossibilis, nec quod Corpus Christi non posset formari ex purissimo Virginis sanguine. Imò oppositum dicimus; quia quamvis Corpus Christi præexisteret in Eucharistia, quamoptimè posset Deus convertere purissimum sanguinem Virginis in Christi Corpus, quod verè fieret præsens in Virginis utero; sicut de facto idem corpus, licet existens in cælo, fit præsens sub speciebus Eucharisticis, per conversionem substantiæ panis in ipsum.

72. Hanc doctrinam, & solutionem expendit N. Doct. Subt. dist. citat. num. 8. ubi ait: *Dico, quod possibile esset, illud idem corpus fuisse formatum de sanguinibus Virginis, & hoc sub modo essendi naturali, non obstante, quod Eucharistia præcessisset vera, sed illa formatio non fuisset*

set tunc acceptio corporis, nisi secundum quid, & tota ratio est, quia quod sic incipit, præhabet esse simpliciter. In quibus duo docet Doctor: & quod Christi Corpus in ea hypothesi formari posset ex conversione sanguinis Virginis in ipsum, & naturaliter produci in utero ipsius: & quod talis conversio, & productio corporis non esset quoad esse simpliciter, & primarium, cum jam illud haberet in Eucharistia, sed quoad modum connaturalem existendi, quem modum in Eucharistia non habet, nempe, modum existendi extensum, & circumscriptivum. Per hoc ad Confirmationem nego minorem, si intelligatur de incipere esse simpliciter, & illam concedo, si intelligatur de incipere esse secundum quid, & secundum modum naturalem existendi. Itaque si Incarnatio accipiatur, non pro unione humanitatis ad Verbum; quia hæc in nostra sententia jam supponebatur in Eucharistia, sed pro conceptione facta in utero Virginis, non est necesse, imò nec possibile, quod tunc Corpus Christi per eam acciperet esse simpliciter, & substantiale, sed illa inceptio, seu formatio Corporis Christi solum fuisset inceptio secundum quid, quatenus Corpus Christi incepisset esse sub modo naturali, seu circumscriptivè in utero Virginis; sicut de facto solum secundum quid incipit esse in Eucharistia; quia jam supponit in præsentia providentia ejus esse simpliciter productum. Quare, inquit Doctor, *hæc consequentia non valet: incipit esse modo naturali in utero Virginis: ergo incipit esse; sed est fallacia à secundum quid ad simpliciter:* sicut nec modò valet dicere, quod Corpus Christi, eò quod incipit esse in Eucharistia modo sacramentali, incipiat esse ibi simpliciter per transubstantiationem.

73. Replicabis 1. In conceptione Christi, prout facta est in utero Virginis, corpus ejus incipit esse simpliciter, & non tantum secundum quid:

Tom. II.

ergo si præcessisset in Eucharistia, & postea formaretur in utero Virginis, fuisset inceptio simpliciter: ergo incepisset esse simpliciter, postquam fuit. 2. Si præcederet Corpus Christi in Eucharistia, & postea posset concipi in utero Virginis, utique formaretur ex ejus purissimo sanguine, & sanguis ille destrueretur; sed sanguinis destructio esset actio substantialis; quia sanguis substantia est: ergo tunc conceptio esset ad terminum substantialem: ergo ad esse simpliciter, & non tantum ad esse secundum quid, quod est accidentale. Respondeo ad primam replicam, negando utramque consequentiam. Igitur inceptio simpliciter postulat, quod sit ad primum esse rei incipientis, quod non verificatur in casu posito; quia non fuisset tunc inceptio Corporis Christi secundum primum esse absolutè, sed solum primum esse secundum quid, hoc est, secundum primum esse sub modo naturali, & circumscriptivo in utero Virginis. Nunc autem de facto in Incarnatione non tantum fuit inceptio sub modo naturali, sed omnino primi esse, & ideò incepit esse simpliciter. Ad secundam dico, quod in eo casu destructio sanguinis fuisset utique actio substantialis: at verò positio Corporis Christi in utero Virginis esset actio accidentalis, terminata ad modum essendi in eo circumscriptivè, & localiter. Patet hoc in nostra sententia, in qua modò desitio panis in Eucharistia est actio substantialis; positio autem Corporis Christi sub speciebus est actio accidentalis, terminata ad modum essendi ejus sacramentalem. Ex quo sequitur, quod si Corpus Christi in Eucharistia præcessisset, & postea conceptum esset in utero Virginis, talis conceptio esset diversæ speciei ab illa, quæ modò facta est; nam hæc modò fuit actio substantialis ad substantiam Corporis Christi terminata; in alio verò casu esset actio accidentalis, non terminata ad substantiam

E 2

Cor-

Corporis Christi, sed ad modum essendi accidentalem, nempe, ad modum essendi circumscriptivè in loco in utero Virginis. Modo quo; quia Corpus Christi præcedit in esse naturali, ponitur in Eucharistia per actionem accidentalem, quæ terminatur ad ejus accidentalem præsentiam.

74 Arg. deniquè multipliciter. Tum; quia ut Verbum divinum esset in Eucharistia cum carne unitum, necessariò debuit incarnari: ergo vel Incarnatio debuit præcedere institutionem Eucharistiæ, vel Incarnatio esset ante Incarnationem. Tum; quia variata forma Sacramenti, non est idem Sacramentum; sed in casu conclusionis variaretur forma Sacramenti: ergo. Prob. minor. Verba consecrationis non essent eadem: ergo. Prob. antecedens: Sacerdos non posset dicere: *hoc est Corpus meum*: ergo. Prob. anteced. Vel loqueretur nomine proprio, vel in persona Christi? si nomine proprio? Non efficeret Sacramentum. Sed non posset loqui nomine Christi, qui tunc non existeret: ergo. Tum; quia impossibile est, aliquod corpus esse realiter alicubi, priusquam illud, ex quo formari debeat, reverà existat in rerum natura; sed Corpus Christi secundum Dei ordinationem formari debuit ex sanguine purissimo Virginis: ergo non potuit esse alicubi, priusquam B. Virgo existeret, & materiam ministraret ad illius corporis formationem. Tum deniquè: quia si Incarnatio in utero virginis non præcederet, & postea in illo fieret Incarnatio, quod possibile esse concessimus, tunc illa Incarnatio non esset vera conceptio, & formatio Corporis Christi: ergo nec B. Virgo esset tunc vera Mater Christi, quod non videtur dicendum.

75 Respondeo ad primum distinguendo antecedens: Debuit incarnari, id est, uniri carni veræ, & reali, quomodocumque existenti, concedo: uniri carni existenti modo cor-

poribus materialibus connaturali, & circumscriptivo, nego antecedens, & consequentias. Incarnatio Verbi in carne existente definitivè, & impassibiliter, qualiter existit in Eucharistia, & quæ verè tunc fieret, non minus est vera, & realis Incarnatio, quàm quæ facta est in carne passibili in Mariæ utero, & solùm distinguerentur penes diversum existendi modum. Undè quæstio non est: *An Corpus Christi potuerit esse in Eucharistia ante Incarnationem, sumptam pro unione humanitatis ad Verbum?* quia sine ista evidens est, quod non posset esse Corpus Christi. Sed, an possit esse unitam Verbo, & existere modo inextenso in Eucharistia, priusquam uniretur in utero Virginis modo extenso, & naturali? Quare consequentiæ, ex antecedenti illatæ, procedunt ex non intelligentia nostræ assertionis.

76 Ad secundum, quod supponit, verba consecrationis esse formam Eucharistiæ, & cujus oppositum firmatum, & demonstratum erit quæst. 7. dico, quod major solùm poterat esse vera de forma intrinseca, non de extrinseca, qualis est forma consecrationis respectu Eucharistiæ in esse permanenti. Deinde nego minorem, & antecedens probationis. Ad hujus probationem dico, quod tunc Sacerdos proferret verba consecrationis modo, quo à Deo esset institutum ad Sacramentum conficiendum, & nomine Christi statim per divinam virtutem in Sacramento ex vi verborum extituri. Et licet tunc fortè mutarentur verba, quod nescimus, cum hoc pendeat ex voluntate divina, semper Sacramentum esset idem, scilicet, species sensibiles significantes, & continentes Corpus Christi. Etenim etiam de facto potuit assignari à Christo Domino alia forma efficiendi hoc Sacramentum, cum ejus institutio pendeat ab ejus libera voluntate, quæ potuit alia verba designare, sicut præsentia stabilivit. Ad tertiam distinguo majorem: Si tale

tale corpus formaretur modo naturali, & per veram generationem, concedo: si fiat modo supernaturali, & per creationem, aut per transubstantiationem alicujus materiæ præ-existentis in ipsum, nego majorem. Verum est, quod si res spectentur secundum præsentem dispositionem, & rebus sic stantibus, Corpus Christi non potest esse alicubi sacramentaliter, quin existat alibi modo connaturali. At verò in data hypothesis non ita eveniret; quia tunc Corpus Christi formaretur, & fieret per transubstantiationem præsens sub speciebus panis, ut existeret modo sacramentali, eoque vero, & reali, secundum entitatem, quamvis non haberet connaturalem modum existendi: ac proinde ut modum sacramentalem existendi haberet, non prærequireret sanguinem Beatæ Virginis.

77 Ad quartum concedo, non futuram in eo casu conceptionem, & formationem Corporis Christi, propriè loquendo, ut de facto est, sed diceretur conceptio, & formatio corporis propter locum, in quo fieret: nam fieret in utero, in quo aliæ conceptiones fieri solent. Sed quomodo tunc B. Virgo dicenda esset Mater Christi? Relictis aliquibus dicendi modis, placet, quod doctè observat noster Hiquæus in Commentario num. 19. Dicit enim, quod tunc B. Virgo non aliter concurreret ad formationem Corporis Christi, quàm subministrando materiam prærequisitam ad existentiam, seu formationem illius corporis modo naturali; concurrente simul ad illius nutritionem, & reliquas dispositiones, & affectiones, quæ consequerentur ad augmentum, & existentiam naturalem ipsius corporis in suo sinu. Quarè non concurreret ad formationem primariam, seu ad illius fieri simpliciter, quia jam illud haberet, sed tantum ad secundariam, seu ad esse secundum quid, hoc est, secundum modum naturalem existendi, quam formatio-

nem secundariam Doctor appellat inceptionem secundum quid. Et vocatur sic, jam, quia supponeret corpus in esse simpliciter, & jam propter locum, in quo fieret. Siquidem in illo formari posset quoad esse simpliciter, nisi jam aliunde illud haberet, sicut haberet in data hypothesisi.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

78 Ex dictis inferes 1. quod de facto, & juxta præsentem institutionem hujus Sacramenti, præsentia Sacramentalis pendet à naturali. Nec oppositum docet Subt. Doctor, sed solùm, quod possibile est, absolute loquendo, & quod ex se una præsentia ab alia non dependet; & supponit, de facto præsentiam sacramentalem Christi in Eucharistia pendere à naturali, id est, supponere naturalem, quam habet in cælo, scilicet, cum suo modo quantitativo. Et quidem ipsa verborum forma: *hoc est Corpus meum*, indicat, quod præsupponatur Corpus Christi naturaliter esse in seipso, & supponatur existere ipse Christus, tamquam summus Sacerdos perficiens consecrationem. Deinde: quia quando hoc Sacramentum fuit institutum, Corpus Christi sub speciebus positum fuit passibile, ut patet ex illis verbis: *quod pro vobis tradetur*: at verò post Resurrectionem ponitur impassibile, & immortale: ergo juxta præsentem institutionem præsentia sacramentalis pendet à naturali, atque eam præsupponit.

79 Colliges 2. quod Eucharistia instituta ex hypothesisi ante Incarnationem, factam cum modo naturali, esset ejusdem rationis cum Eucharistia, quæ nunc est, & solùm pro connotato differrent. Sic colligitur ex Subt. Doctore loco citato sub littera E. Ratio; quia identitas specifica Sacramenti deducitur ex identitate signi sensibilis, & rei significatæ; sed in casu posito esset idem signum sensi-

sibile, scilicet, panis, & vinum, & idem significatum; nempe, Corpus Christi cum omnibus perfectionibus essentialibus, & accidentalibus absolutis: ergo esset idem Sacramentum. Differrent tamen pro connotato; quia in eo casu transubstantiatio connotaret aliquam actionem, quam modo non connotat; nam connotaret actionem creativam, vel aliam, per quam Corpus Christi produceretur simpliciter in existentia substantiali. Nunc verò tantum connotat actionem adductivam, per quam causatur praesentia Christi ad species; quia supponit Christum simpliciter esse. Unde in utroque esset idemmet signum, & significatum, ac proinde idem Sacramentum.

80 Dices: Ergo institutio, quae est de facto, non connotat, nec infert actionem productivam Corporis Christi, qualis esset in eo casu, sed tantum adductivam: ergo non esset eadem institutio. Sed variata institutione, variatur etiam institutum: ergo tunc variaretur ipsum Sacramentum, & consequenter non esset idem in illo casu. Respondeo, solum sequi, non esse eandem institutionem extrinsecam, & pro connotato, ut jam est dictum; sed esset eadem intrinsecam, & pro principali significato. Ut enim advertit Hiquerus in suo Comment. quantum spectat ad rationem, & essentiam institutionis, eadem esset voluntas Dei efficax, & absoluta cooperandi Sacramento, & formae sensibili verborum, prout practice significat Corpus Christi praesens speciebus. Per hanc enim voluntatem Dei causa principalis determinatur ad constituendum Corpus Christi praesens speciebus pro ultimo instanti prolationis verborum. At verò, quod talis praesentia habeatur, producendo, vel adducendo Christum, quid extrinsecum est, tam institutioni, & significationi sacramentali, quam ipsi contento, & significato, ut significatum sacramentale est; quia tantum denotat modum agendi causae

principalis, qui non ingreditur essentiam, aut modum essentialem Sacramenti.

QUAESTIO IV.

An ex suppositione, quod, Adamo non peccante, Christus veniret in mundum, institutum foret hoc SS.

Eucharistiae Sacramentum?

81 **P**raescindimus pro nunc a caeteris Sacramentis, de quibus major Scotistarum pars, cum Thomistis, negat, instituenda esse, nec stitura, si status innocentiae perseverasset, Adamo praecipuum Domini non transgrediente. Solum instituitur sermo de Eucharistiae Sacramento, de quo etiam Scotistae plures, qui de caeteris Sacramentis negant, probabiliter affirmant pro illo statu de Eucharistia. Sic N. Frassen. Qui verò asserunt, etiam alia Sacramenta pro tali statu, si perseverasset, fore instituta, ut Pasqualigus, Henno, Brancatus, Dupasquier, & alii, nihil mirum, quod inter illa Sacramenta enumerent Eucharistiam, pro qua sunt speciales rationes, aliis Sacramentis non adaptabiles. Igitur, ut nostram firmemus resolutionem, supponenda est, ut vera, Scoticae Scholae doctrina cum suo Magistro in 3. dist. 7. quaest. 3. & alibi, sustinens, quod, statu innocentiae perseverante, seu Adamo non peccante, Verbum caro fieret, & Christus Dominus veniret in vi praesentis decreti. Supponendum est etiam, quod hoc in casu, Christus veniret gloriosus, & in carne impassibili, saltem proxime. Supponendum est denique, quod Christo veniente, Adamo non peccante, Christus mereretur eodem modo, ac de facto meretur: nam gratia, & meritum Christi non pendet a peccato Adae. His suppositis, & etiam, quod nec Adam, neque posteri ejus peccassent, duae erga praesentem difficultatem mi-

li.

litant oppositae Theologorum sententiae. Prima asserit, quod si status innocentiae durasset, nulla Sacramenta instituta forent: imò addunt nonnulli, quod si Adamus non peccasset, quamvis alii ab Adamo descendentes peccassent, & per peccatum gratiam amitterent, adhuc nulla sacramenta instituta fuissent pro eis. Secunda sententia dicit, quod, statu innocentiae perseverante, licet non omnia, aliqua saltem Sacramenta fuissent instituta. Sed ab aliis Sacramentis praescindendo, & de sola Eucharistia disputando:

Sit Conclusio.

82 *Etsi alia Sacramenta pro statu innocentiae instituta non forent, tamen institutum esset Sacramentum Eucharistiae.* Ita plures Scotistae. Probatur 1. Conclusio ex fundamento Scholae Subtilis: quidquid fit ex duplici motivo, uno eorum cessante, fit propter aliud, & maxime si unum ab alio non dependet; sed Sacramentum Eucharistiae institutum est ex duplici motivo, & unum ab alio non dependet: ergo deficiente uno illorum, & statu innocentiae perseverante, quamvis alia Sacramenta non instituerentur, institueretur Eucharistiae Sacramentum. Major est fundamentum Scholae Scotistarum ad defendendum, quod Verbum divinum caro fieret propter nos homines, etiamsi non veniret propter nostram salutem: seu quod fieret homo propter excellentiam Mysteriorum, etiam Adamo non peccante: quatenus in ejus adventu de facto duplex ab eis assignatur motivum: unum primarium, scilicet, excellentia Mysteriorum, & ostensio divinae bonitatis, & infiniti amoris: aliud autem secundarium, dependens a peccato, & ad reparationem salutis nostrae ordinatum. Prob. minorem, in qua stare potest difficultas: Sacramentum Eucharistiae habuit pro motivo ostensionem divinae dilectionis erga nos, & excellentiam

ipsius Mysteriorum, praeter reparationem salutis, & medicinam infirmitatis naturae humanae; sed illud motivum primarium independens est ab isto secundo: ergo. Minor suadetur omnibus rationibus, quibus Scotistae probant, remedium humanae naturae per Incarnationem collatum independens esse a motivo primario ipsius Incarnationis decernendae. Prob. major. ex Matth. 28. ubi, instituto jam Eucharistiae Sacramento, dum Christus Dominus transiret ex hoc mundo ad Patrem, dixit: *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Consonat Proverb. 8. ubi ipse Dominus dixit: *& deliciae meae esse cum filiis hominum:* ergo praeter motivum reparandi, & alicui naturam nostram infirmam, habuit Christus aliud excellentissimum charitatis motivum in institutione Eucharistiae, nempe, manendi nobiscum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Nunc sic: sed hoc excellentissimum motivum amoris Christi independens est ab infirmitate nostra, & a natura lapsa: ergo propter hoc solum, alio deficiente, Sacramentum Eucharistiae institutum foret. Minor suadetur: Motivum veniendi, per vos, foret independens ab infirmitate nostra, & a natura lapsa: ergo & motivum manendi nobiscum in Eucharistia usque ad consummationem saeculi ab infirmitate nostra, & natura lapsa foret independens.

83 Confirmatur haec ratio: Tum, Deus non minus dilexit homines innocentes, & justos, quam reos, & peccatores: ergo non minora beneficia eis contulisset. Sed omnium beneficiorum praestantissimum est Corpus Christi in Eucharistia: etenim, ut ait Trident. est summa divini in nos amoris effusio, necnon & ultima divinae dilectionis meta: ergo rationabiliter dicendum est, quod in statu innocentiae hoc Sacramentum institutum foret. Tum: quod maxime congruit divinae sapientiae, bonitati, & amori, verisimile est, Deum esse fac-

facturum in statu innocentiae; sed institutio Eucharistiae, Adamo non peccante, talis esset: ergo. Prob. min. Quia id deceret, primo, ut caeteris individuis naturae humanae communicaretur Incarnationis beneficium: Eucharistia namque, ut ait Chrysostomus, est *veluti quaedam Incarnationis extensio*. Secundo, ut majoris plenitudo sanctificationis, & gratiae in omnes, & singulos homines exundaret: etenim longè uberior gratia per hoc Sacramentum confertur, quàm per quodcumque aliud medium à Deo instituendum. Et quidem: qui propter nos homines venit gloriosus, statu innocentiae perseverante, nolisset manere nobiscum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi? Qui mansit nobiscum, cum essemus maculati, & peccatores, nolisset manere nobiscum, dum essemus immaculati, & innocentes?

84 Probatur 2. conclusio: Ideò, statu innocentiae perseverante, non instituerentur Sacramenta; quia omnia novae legis Sacramenta respiciunt naturam lapsam, corruptam, & infirmam, suntque instituta in ejus salutem, & medicinam; sed licet hoc de aliis Sacramentis concedatur, non obest ad institutionem Sacramenti Eucharistiae: ergo. Major est unum ex praecipuis Adversariorum fundamentis. Prob. min. Licet caetera Sacramenta ex se habeant esse medelam, & remedium naturae infirmae, ac propterea ex sua primaria ratione supponant naturam lapsam, & infirmam, non sic ex se, & ex primaria ratione sua, est Sacramentum Eucharistiae: ergo licet hoc &c. Prob. antec. Tum; quia Eucharistiae Sacramentum conservatur, ejusque nobilissimum objectum consequitur, & nobilissimus finis habetur, in natura integra, sana, innocenti, & incorrupta: ergo. Prob. antec. BB. Virgo Maria perseveravit immaculata in statu innocentiae, & in originali justitia, ut docent famosiores Theologi, & inter illos N. Gonzalez Mat-

th. in 3. sent. Tract. de Virgine Deipara disp. 1. quaest. 7. sed in communi sensu SS. PP. *receptum Sacramentum Eucharistiae, & juxta illuminatam Venerab. Doctricem Mariam à Jesu, illud non semel accepit: ergo. Tum; quia ex dictis in prima probatione conclusionis, motivum principale institutionis Eucharistiae non fuit remedium peccati, sicut nec adventus Christi, sed summae divinae dilectionis ostensio, quae in illo statu non fuisset minor erga nos: ergo.*

85 Dices: Non esse credibile, Christum Dominum instituisse hoc Sacramentum in statu, in quo à fidelibus non esset sumendum. Unde cum institutum sit ad refectorem, & cibum spiritualem animae, in illoque statu hoc alimento spirituali non indigeret, non reciperetur à fidelibus: ac propterea estò independentem ab ejus usu, & sumptione salvetur integrum Sacramentum Eucharistiae, ejus institutio ad nihilum necessaria esset. Sed contra: Tum; quia semel concessio, quòd Sacramentum Eucharistiae foret institutum, perseverante statu innocentiae, quamoptimè posset à fidelibus sumi, & frequentari, ut claret in Beatissima Virgine; imò dignius sumeretur, quanto anima sumentium fuisset purior, & innocentior. Et patet: nam ex Philos. sicut se habet simpliciter ad simpliciter, se habet magis ad magis, & maximum ad maximum; sed in statu naturae lapsae receptio Sacramenti in Eucharistia postulat sanctitatem in anima recipientis: ergo quò magis animae sint sanctificatae, magis ad recipiendam Eucharistiam erunt aptae, & dispositae. Nunc sic: Sed statu innocentiae perseverante, animae forent sanctiores, & magis à peccato distarent: ergo aptiores invenirentur ad receptionem Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti. Tum; quia opposita sententia nunquam suadet, nec suadere potest, quòd, sumpto Sacramentum hoc ab anima immacu-

culata, & innocenti, non roboraretur in via spirituali, non aleretur, seu augetur gratia, nullumque haberet solatium speciale, dum Christum suum glorificatorem, Regem gloriae, & Authorem gratiae intra se reciperet. Deinde: dato, quòd statu innocentiae perseverante, non sumeretur à fidelibus Sacramentum Eucharistiae, propter remedium, nec propter necessitatem, suadet ex hoc, quòd tale Sacramentum sumi non posset? Neutiquam; quia Christus Dominus, postquam gloriosus resurrexit à mortuis, non egebat cibo materiali: & hoc non obstante, & propter alios mirabiles fines, de fide est, quòd cum discipulis manducavit, postquam gloriosus resurrexit: ergo etsi fideles non egerent Sacramento Eucharistiae ad spirituale alimentum, quod non concedimus, adhuc sumere possent illud propter alios fines jam assignatos.

Solvuntur argumenta.

86 Arg. 1. Statu innocentiae perseverante, etiamsi Christus in mundum veniret, non institueret alia Sacramenta distincta à Sacramento Eucharistiae: ergo neque hoc Sacramentum institueret. Prob. antec. Superfluum est remedium, ubi nullum adest infirmitatis motivum; sed Sacramenta sunt medicina, & remedium contra morbos, & infirmitates animae, & tunc nullum esset motivum infirmitatis, neque esset morbus: ergo. Nunc sic: sed Sacramentum Eucharistiae est medicina, & remedium contra morbos, & infirmitates animae, non minus ac caetera Sacramenta: ergo. Huic argumento Authores docentes, quòd in statu innocentiae adminus Sacramenta vivorum instituerentur, negant absolutè antecedens. Dicunt enim, quòd Sacramenta vivorum, quae de facto instituta sunt ad augendam gratiam ex opere operato, quodlibet suo modo tunc sortiretur eundem effectum; quia

Tom. II.

in illo statu augmentabilis esset gratia innocentium, ut negare potest nemo. Et si opponas eis, effectum talium Sacramentorum non esse augere gratiam utcumque, sed confortare, & corroborare naturam infirmam ad non peccandum, insimulque comperere fomitem peccati originalis, quo natura inordinata mansit in nobis: respondent, quòd etsi ita sit de facto, tandem statu innocentiae durante, & Domino adventante, separasset in talibus Sacramentis effectus supponentes fomitem peccati, & servasset effectum augendi gratiam, qui est effectus principalis. Unde dicunt, quòd essentia Sacramenti salvatur penes hoc, quòd sit signum practicum, efficaciter significans gratiam ex institutione divina; quòd autem hæc gratia sit, vel non sit medicinalis, est de per accidens, & ex suppositione peccati, seu infirmitatis naturae. Quare negant antecedens, & distinguunt minorem: Sacramenta sunt medicina de per accidens, & aliqua facta suppositione, concedunt; de per se, & essentialiter, negant.

87 Sed quia nos præscindimus pronunciamus ab hac difficultate, & invenimus pro institutione Sacramenti Eucharistiae rationem specialem, quae non reperitur in aliis Sacramentis, relicta illa opinione cum probabilitate, quam habuerit, vel non habuerit, respondemus ad argumentum, concessio antecedenti, negando consequentiam. Ad probationem concedo totum. Minor subsumpta distinguitur: Sacramentum Eucharistiae est medicina, & remedium, in presenti providentia, & hoc de per accidens, & secundum minus principale significatum, & objectum, concedo: per se, & primario motivo, & fine suae institutionis, nego minorem, & consequentiam. Itaque Sacramentum Eucharistiae est Sacramentum purissimi, & præcellentissimi amoris: est extensio Incarnationis: est præstantissimum futuræ gloriae pignus:

rius : est perfectissimum sacrificium laudis , & gratitudinis , ut nullus Adversariorum negare potest , & omne hoc , & alia excellentissima munera ex se habet , & omnino á peccato , seu infirmitate naturæ humanæ independenter. Quapropter , licet non foret tunc institutum ad nostrum remedium ; quia ad hoc , ut argumentum intendit , nullo modo esset necessarium ; foret tamen institutum ad nostrum solatium , & ostensionem amoris Christi Domini erga fideles suos , innocentes , & justos , ut eis præstaret pignus futuræ gloriæ in hoc Sacramento : & denique ut foret nobiscum , qui tunc essemus sine peccato , illemet Dominus , qui dignatus fuit esse nobiscum , dum sumus cum peccato. Igitur est nulla alia Sacramenta in suo adventu glorioso institueret , valde probabile est , & consentaneum rationi , quod institueret Sacramentum Eucharistiæ.

88 Arg. 2. Hoc Sacramentum non fuit institutum , dum in statu innocentiae perseveravit Adamus : ergo nec institutum fuisset , si status innocentiae durasset. Prob. consequ. Si hoc Sacramentum non fuit institutum pro Adamo in statu innocentiae , & postea fuisset , ejus posteri fuissent melioris conditionis , & excellentioris privilegii ; sed juxta Subt. Doct. posteri non sunt melioris conditionis , quam Pater , ex qua maxima probat Doctor , quod procreatus in statu innocentiae non fuisset illic , ac nati , in gratia confirmati , sed post victoriam primæ tentationis , sicut & Adam confirmatus fuisset , si suam tentationem vicisset : ergo si hoc Sacramentum &c. Minor est doctrina omnium Scotistarum. Argumentum hoc manifestam habet instantiam , præsertim in nostra Schola. Instatur sic : Dum Adamus stetit in statu innocentiae , Verbum Divinum non fuit incarnatum ; sed incarnatus esset , si status innocentiae perseverasset , ut omnes asserunt Scotistæ , quin ex hoc sequatur , quod filii essent excellen-

tioris conditionis , quam Pater ; vel si sequeretur , nullum esset inconveniens : ergo argumentum nullam vim habet.

89 Respondeo directè concedendo antecedens , & negando consequentiam. Ad probationem dico , quod melioris conditionis fuissent procreati ex Adamo , quam Adamus ipse , si præcisè intelligatur de illo parvulo tempore , quo Adam in accepta justitia perseveravit : Sed quia , si semper perseverasset , Eucharistia equaliter instituta esset pro illo , & pro aliis , sicut pro omnibus equaliter Christus venisset , neganda est major absolutè. Maxima Subt. Doct. intelligitur de gratiis personalibus Adæ collatis , & posteris conferendis , & præcipuè de gratiis sanctificantis perfectione , & de dono confirmationis , de quibus loquitur Doct. Dico igitur cum D. Thoma , & Scoto , in statu innocentiae nulla Sacramenta fuisse instituta ; quia Sacramenta sunt signa permanentia , quibus populus Dei in unam coalescit Religionem. Cum ergo Deus præviderit , statum innocentiae non fore permanentem , ita nec pro illo signa permanentia instituit. Fuit ergo brevissimus ille status , & Sacramentum debet esse signum stabile , & permanens , seu debet esse institutum ad tempus notabile , ut fert opinio communis , & Subt. Doct. in 4. dist. 1. quæst. 3. docet. Unde , sicut ex eo , quod Verbum Divinum non fuit incarnatum statim post Adæ peccatum , non probat , quod nec postea , currentibus sæculis peccatorum , fuerit incarnatum : sic ex eo , quod Sacramentum Eucharistiæ non sit institutum eo brevi tempore , quo Adam , & Eva extiterunt in statu innocentiae , non convincit , quod postea institutum non esset , semel admissio , quod propter nos homines Christus veniret.

90 Arg. 3. In casu conclusionis Christus Dominus veniret gloriosus , & impassibilis ; sed hoc stante , non

institeretur Sacramentum Eucharistiæ : ergo. Prob. minor. Si tunc ita veniret , non effunderet suum sanguinem , nec pateretur pro nobis ; sed hoc ipso non posset instituire Sacramentum Eucharistiæ , sicut modò institutum est : ergo. Prob. min. Modò hujusmodi Sacramentum institutum est sub speciebus panis , & vini , tum ob rationem convivii , tum etiam , ut sub speciebus vini repræsentaretur sanguis separatus à corpore , & effusus pro homine ; sed in casu nunquam præteritus Christi Sanguis separatus esset à corpore : ergo non posset institui hoc Sacramentum , sicut modò institutum est. Respondeo concedendo majorem , & negando minorem. Ad probationem concedo etiam majorem , & claritatis gratia distinguo minorem : sicut modò , quoad substantiam Sacramenti , nego : sicut modò , quoad circumstantiam , & modum , hoc est , in memoriam passionis Christi , concedo minor. Ad probationem concessis præmissis , nego consequentiam sub eadem solutione. In ea hypothesis certum est , quod Eucharistiæ Sacramentum non foret in memoriam passionis Christi ; non enim Christus Dominus in eo statu venisset mortaliter , nec moriturus ; quia assumpsisset corpus impassibile : atque adeo non potuisset institui aliquod Sacramentum in memoriam mortis , quam non esset passurus. At verò hoc non officit , ut esset verum Sacramentum Eucharistiæ. Nec esset diversæ speciei ; nam signum , & signatum , quod essentialiter importat Eucharistiæ Sacramentum , essent ejusdem rationis , sicut modò. Unde licet non potuisset institui in memoriam passionis , & ut repræsentativum sacrificii Crucis , potuisset tamen institui , ut contentivum Corporis Christi , ut convivium spirituale , & signum efficax gratiæ nutritivæ , & unitivæ cum Christo , quod est specialissimum in hoc Sacramento.

91 Replicabis : Ergo tunc san-

Tom. II.

guis Christi non separaretur à Corpore Christi : ergo neque Sacramentum posset institui sub distinctis , & separatis speciebus panis , & vini : ergo nec haberet rationem convivii. Sed hoc ablato , non manet Sacramentum Eucharistiæ ejusdem rationis cum eo , quod de facto institutum est per modum cibi , & potus , juxta illud : *Qui manducat meam carnem , & bibit meum sanguinem &c.* Et juxta illud Ecclesiæ : *O sacrum convivium &c.* ergo vel foret Sacramentum diversæ rationis cum præsentati , vel in casu conclusionis non institueretur Sacramentum Eucharistiæ. Respondeo , concessa prima consequentia , negando omnes alias. Dico igitur , quod neque modò separatus est sanguis Christi à Corpore ipsius in re , & quoad substantiam , & veritatem , nisi velis , quoad modum , scilicet , quia verba consecrationis panis non exprimunt sanguinem , & vice versa. In re autem non sunt separata , & tamen Sacramentum conservatur sub speciebus panis , & vini , distinctis , & separatis. Si dicas : ideò esse , quia semper repræsentant separationem in triduo factam , juxta illud Christi : *hic est Sanguis meus , qui pro vobis effundetur &c.* Dico , sic esse de facto ; quia de facto sanguis Christi est effusus : in casu verò conclusionis , licet Sacramentum sub speciebus separatis fieret , non repræsentarent separationem sanguinis à corpore , sed solum sic foret ob rationem convivii. Vel dico , quod sive fieret , sive non sic , salvaretur Sacramentum Eucharistiæ ejusdem rationis cum præsentati , dummodo daretur signum sensibile Christi Domini præsentiam , in quo stat hoc Sacramentum , quoad veritatem , & substantiam , quæ in eo consistit , quod Christus potest esse cum hominibus usque ad sæculi consummationem , quod est intentum nostræ conclusionis. Reliqua verò sunt accidentalia existentie reali Christi , & se-

F 2

cun-

cundaria respectu institutionis Eucharistiae, ex vi primae volitionis atactae.

Corollaria ex praecedenti doctrina.

92 Colliges primò, quòd omnes illi respectus, & appellationes, quas hoc divinum Sacramentum habet post peccati praevisionem, & commissionem, & quatenus ordinatum est ex tunc ad hominis infirmitates juvandas, & curandas, & in Christi Domini Passionis memoriam, deficerent ipsi Sacramento in hypothesi nostra. Ad modum quo, si Adamus non peccasset, Christus tunc venisset, sed non ut Redemptor, nec ut mortalis, & passibilis; quia ista omnia decreta fuerunt post praevisionem peccati, & accidunt Incarnationi Verbi, quoad substantiam consideratae, & ex vi primae volitionis atactae. Et sicut, praeviso peccato, ita Incarnatio volita fuit in carne passibili, & mortali, quin istae circumstantiae, & conditiones opponantur substantiae Mysterii Incarnationis: sic pariter dicendum est de Sacramento Eucharistiae, (quod juxta PP. est extensio Incarnationis) quoad appellationes, & respectus, quos, salva ejus substantia, quae consistit in vera continentia Corporis Christi, de facto post peccatum habet. Quarè discurrendum est in presenti materia eodem modo respectivè, ac de adventu Christi, Adamo non peccante, discurrunt Scotistae. Et sicut illi deducunt ex Subt. Doct. in 3. dist. 7. quæst. 3. hanc maximam propositionem: *Primum motivum, & finis per se Incarnationis fuit dignitas, & excellentia tanti Mysterii, gloria nominis ejus, & manifestatio bonitatis Dei communicandae ad extra: Secundarium verò, & minus principale, seu concomitans, fuit Redemptio nostra à peccato*: Sic ego eandem infero, proportionem servata, pro Sacramento Eucharistiae, & applico illud motivum primum, & secundarium ad argumentorum so-

lutionem, quidquid Mastrius, & alii Scotistae clament, quia oppositum unquam ostendere possint.

93 Colliges 2. quidquid diximus de Sacramento Eucharistiae in data hypothesi, intelligi de ejus institutione in vi praesentis decreti, modo quo Scotistae asserunt de adventu Christi, Adamo non peccante. Non enim in hac parte sequimur doctrinam nostri Delgadillo Tract. de Sacramentis cap. 2. dubio 9. dicentis: quòd licet tunc non forent Sacramenta, vi decretorum, quæ de facto fuerunt, fuissent tamen vi aliorum decretorum, quibus Deus Sacramenta decerneret. Per hanc doctrinam respondet huic argumento, quod sibi objicit: Sacramenta habent efficaciam, aut conferunt gratiam per passionem Christi, ut passim docent Patres, & Theologi, & praecipuè Subt. Doct. in 4. dist. 26. sed tunc non foret passio: ergo neque Sacramenta.

94 Respondet, ex hoc solùm probari, tunc non fore Sacramenta in vi decretorum, quæ de facto fuerunt, fuissent tamen vi aliorum decretorum. Si opponatur, hanc responsionem esse meram divinationem; quia vi aliorum decretorum, Deus quidquid vellet, posset facere, & necimus, quid vellet. Respondet, quòd si hæc objectio aliquid valeret, convinceret sanè, multa à Theologis dici per puram divinationem, ut quoties disputatur de re, exigente alium decretorum ordinem: v. g. si Deus remitteret peccatum mortale sine infusione gratiae? Si Verbum amitteret assumptam humanitatem? Unde dicit, quoties urgens invenitur ratio ad aliquid affirmandum, vel negandum in hypothesi, variationem decretorum exigente, tunc non dicitur quis divinare. Dico, quòd hanc doctrinam non sequor, sed praescindendo ab aliis Sacramentis, & loquendo de Eucharistia determinatè, solvitur dictum SS. Patrum per hoc, quòd hoc Sacramentum habet efficaciam

ciam in ordine executivo, & ex vi secundae volitionis, per passionem Christi, ad modum quo de Immaculata Conceptione dicunt Scotistae ad illud Ecclesiae: *Ex morte ejus praevisa ab omni labe praeservasti*. Et certum est, juxta ipsos, quòd pro priori ad praevisionem peccati BB. Virgo electa, & praelecta est immaculata in Matrem Dei.

95 Colliges 2. probabilius esse, quòd in data hypothesi de institutione Sacramenti Eucharistiae, etiam Ordinis Sacramentum institutum esset, qui Ordo non nisi propter debitam Eucharistiae administrationem, & confectionem institutus est. Videtur enim indubitabile, futuros esse tunc Ministros hujus Sacramenti, & consequenter, futurum esse Sacramentum Ordinis: quia congruit, Ministros ad hoc officium per Sacramentum Ordinis elevari. Colliges de aique; in statu innocentiae futurum esse aliquem cultum erga Deum, & aliquod sacrificium. Patet primum; quia in quocumque statu debet homo profiteri, se esse subjectum Deo, ipsumque laudare, tamquam Supremum Dominum. Patet secundum; quia cum in quocumque statu homo accipiat à Deo non solùm spiritum, & corpus, verùm etiam res externas, oportet, ut colat ipsum, non solùm corpore, & anima, nempe, Deum, laudando, & orando, sed etiam externis rebus, quarum oblatione profiteatur, ipsum esse Supremum Dominum, & authorem omnium rerum, in quo ratio sacrificii salvatur, juxta illud Paralip. 24. *Tua sunt omnia, & de his, quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi*. Unde Sacrificium censetur de jure naturæ, & sic tenet D. Thomas 2. 2. quæst. 81. art. 1. dicens: *Offerre Deo sacrificium est de jure naturali*.

96 Ex his scire cupies: An Sacramentum Eucharistiae esset Sacrificium? Aliqui sunt, qui negent: sed nescio quo fundamento, nisi velint, quòd non esset Sacrificium, sicut est

modò, nempe, Sacrificium incruentum repræsentativum Sacrificii cruenti in Cruce oblato. Dico, quòd esset verum Sacrificium, licet non talem repræsentationem haberet. Offerretur enim illa sacratissima hostia, contentiva Christi Domini, Aeterno Patri, & verificaretur vera ratio Sacrificii per hoc, quod substantia specierum, vi verborum consecrationis, destrueretur, & in Corpus, & Sanguinem Christi transubstantiaretur. Et esset quidem Sacrificium excellentissimum, & hominibus utilissimum, cum nulla oblatio dignior, nec utilior excogitari possit, quam oblatio incruenta proprii Filii Dei.

QUÆSTIO V.

Quomodo SS. Eucharistiae Sacramentum sit necessarium?

97 **N**ecessitas cujusvis Sacramenti duplex potest esse, & dupliciter nominatur. Alia dicitur necessitas *medii*: alia necessitas *praecepti*. Illud dicitur necessarium *necessitate medi*, sine quo finis non potest adipisci. Sic gratia sanctificans est omnibus necessaria ad vitam aeternam obtinendam; quia gratia talem connexionem habet cum gloria, ut ista nullatenus consequi possit sine illa. Illud verò est necessarium *necessitate praecepti*, quod ex natura sua non habet necessariam connexionem cum salute aeterna, sed tantùm ex praecepto divino, vel Ecclesiastico ad gloriam consequendam est necessarium, eò quòd à Deo, vel ab Ecclesia praecipitur. Discrimen inter utramque necessitatem praecipuè est duplex. Primum; illud est necessarium *necessitate medi*, quod ita simpliciter requiritur, ut nihil excuset à positione talis medi, vel alius cujus æquivalentis. Sic Baptisma est necessarium necessitate medi ad vitam aeternam; quia nihil excusat à susceptione illius in re, vel in voto.

Unde si Baptismus fluminis suscipi non potest, necessarió debet suscipi baptismus fluminis, vel sanguinis. Illud est necessarium necessitate præcepti, quod si propter aliquod impedimentum suscipi, vel fieri non potest, nulla remanet obligatio ad positionem æquivalentia. Quare, qui jejulare non potest, nihil æquivalet jejunio tenetur facere; quia jejunium solum est necessarium necessitate præcepti: Secundum discrimen inter utramque necessitatem stat in eo, quod Sacramentum necessarium necessitate medií semper ex se confert primam gratiam: non veró, quod solum est necessarium necessitate præcepti. Deinde sciendum est, votum alicujus rei suscipiendæ, vel faciendæ esse duplex, nempe, *explicitum*, & *implicitum*. *Explicitum* est desiderium rei ad ipsam rem expressé cogitam terminatum. *Implicitum* veró est desiderium ejusdem rei, non in se ipsa distincté cognitæ, sed in aliquo alio, cum illo aliquam connexionem habente.

98 Quæritur ergo: *An realis susceptio Eucharistiæ, vel saltem votum ejus explicitum, sit omnibus ad salutem necessitate medií necessarium?* Vel si non ita, quomodo necessaria sit ejus susceptio? Circa hanc controversiam multiplex est sententia. Prima Hæreticorum: nam teste Waldense Tom. 2. de Sacram. cap. 91. Hæretici quidam Armeni existimarunt, realem susceptionem Eucharistiæ omnibus hominibus, etiam parvulis, esse medium necessarium ad salutem. Unde Eucharistiam simul cum Baptismo ministrabant parvulis. Idem refert Pateolus de *Jacobitis, & Nestorianis*. DD. veró Catholici distribuuntur in tres sententias. Aliqui, quos refert Lugo Disp. 3. sect. 2. asserunt, susceptionem Eucharistiæ in voto explicito necessariam esse simpliciter ad salutem. Alii veró docent, ad id sufficere, & ad minus requiri, votum implicitum, & virtuale, quod in susceptione Baptismi, & a-

liorum Sacramentorum imbibitur: quia, nimirum, Eucharistia se habet per modum finis omnium Sacramentorum, & cætera ad ipsam, tamquam media, ordinantur: quicumque enim medium appetit, virtualiter censetur desiderare ipsum finem. Cæteri autem Theologi docent communiter, Eucharistiam neque in re, neque in voto esse medium simpliciter necessarium ad salutem; esse veró necessariam necessitate præcepti, quamvis etiam sit differentia inter illos, quo præcepto, nempe, divino, vel tantum Ecclesiastico necessaria sit Eucharistiæ susceptio.

Prima Conclusio.

99 *Sacramenti Eucharistiæ susceptio nec in re, nec in voto explicito necessaria est necessitate medií ad salutem, nec parvulis, nec adultis.* Colligitur ex Subt. Doct. in 3. dist. 40. §. *Hic sunt*, ubi ait: *Alia Sacramenta à Baptismo, & Pœnitentia forté non sunt necessaria.* Eam tenet Seraph. Doct. in 4. dist. 22. part. 2. art. 2. quæst. 1. Alensis 4. part. quæst. 11. & pariter Thomistæ contra varios Theologos. Conclusio, quoad susceptionem Eucharistiæ in re tam parvulis, quam adultis censenda est de fide. Quoad parvulos est expressa sententia Concil. Trident. Sess. 21. can. 4. sic dicente: *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem: anathema sit.* Et cap. 4. eadem Sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem: *Siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam filiorum gratiam in illa ætate, amittere non possunt.* Pro adultis constat ex traditione, & consuetudine Ecclesiæ, & probatur: Si susceptio realis Eucharistiæ esset medium necessarium ad salutem, sine ea nullus posset salvari;

ri; sed hoc est falsissimum: ergo. Major constat exemplo Baptismi, quod, quia necessarium est necessitate medií ad salutem in lege Evangelica, nullus absque Baptismo in re, vel in voto suscepto, salvari potest, nec salvatur. Minor constat ex consuetudine Ecclesiæ, quæ nec phreneticis, nec vomitum patientibus, nec ad mortem damnatis, aut habentibus quodcumque periculum alicujus indentiæ, aut irreverentiæ erga Sacram Eucharistiam, eam porrigere solet, etiam in articulo mortis. Hoc autem est evidens argumentum, realem Eucharistiæ susceptionem non esse ad salutem medium simpliciter necessarium; quia Ecclesia numquam censeret, hujusmodi homines tali medio ad salutem necessario esse privandos.

100 Probatur 2. conclusio pro omnibus: Dum homo est in gratia, salvari potest; sed parvulus recipiens Baptismus, & adultus debite recipiens Sacramentum Pœnitentiæ, sunt in gratia, ut definitum est pluribus in Conciliis: ergo sine Sacramento Eucharistiæ in re suscepto possunt salvari: ergo Eucharistia in re suscepta non est necessaria necessitate medií ad vitam æternam consequendam nec parvulis, nec adultis. Confirmatur 1. Eucharistia est Sacramentum vivorum: ergo supponit vitam spiritualem in anima: ergo & gratiam infusam: ergo & jus ad gloriam independentem ab actuali Eucharistiæ susceptione. Omnes istæ illationes sunt Mag. Parent. Aug. Epist. 23. ad Bonifacium. Confirmatur 2. Si Eucharistia in re, vel in voto, esset medium necessarium simpliciter ad salutem, etiam esset medium simpliciter necessarium ad primam gratiam: nam ideò Baptismus est medium simpliciter necessarium ad salutem parvulis, & adultis, & Pœnitentia adultis in peccato mortali lapsis, quia conferunt primam gratiam, sine qua consequi salutem nemo potest; sed non est medium necessarium ad primam

gratiam; nam Eucharistia est Sacramentum vivorum, & accedens ad eam indignus, & sine gratia gratiam non consequitur, imò committit lethale peccatum: ergo.

101 Respondebis, quòd licet Eucharistia non sit necessaria ad primam gratiam, tamen simpliciter necessaria est ad perseverandum in illa. Unde cum nemo possit salvari sine gratia finali, hinc est, quòd Eucharistia est medium simpliciter necessarium, saltem in voto suscepta, ad consequendam salutem. Sed contra: cum solo auxilio Dei superno, & dono perseverantiæ potest homo sine Eucharistiæ susceptione finaliter in gratia permanere, atque ita æternam salutem consequi: ergo non est necessaria necessitate medií Eucharistiæ receptio ad simpliciter in gratia perseverandum. Prob. antecedens: Tum exemplo plurium Sanctorum, qui in montibus, in speluncis, & in solitudinibus perseverantiam finalem adepti sunt. Sed vitam egerunt per annos plurimos sine Eucharistiæ assumptione: ergo. Tum; quia plurimi computantur inter Sanctos, qui nunquam Eucharistiam susceperunt, ut Martyres illi, qui aliorum constantiam videndo in fide tuenda mediis in tormentis, professi sunt Christi fidem, & illico proprio sanguine sunt baptizati. Quòd nec in voto hoc Sacramentum sit simpliciter necessarium, probatur sic: Effectus, quem non præstat Sacramentum Eucharistiæ in re susceptum, nec præstari valet ab ipso desiderio Sacramenti, seu in voto; sed Sacramentum Eucharistiæ in re susceptum non confert ex se primam gratiam, nec perseverantiam finalem, ut nuper ostensum est: ergo neque in voto susceptum sic ea dona concedere poterit, ut sine ipso non valeant obtineri, & consequenter &c. Major patet; quia si Baptismus in re susceptus non conferret primam gratiam, non posset dici, quòd efficaci desiderio susceptus conferret illam: ergo. Confirmatur: Ideò

Sacramentum Baptismi est simpliciter necessarium necessitate medii ad salutem, quia quando non potest suscipi in re, vehemens desiderium illud suscipiendi primam gratiam confert, sicut ipse Baptismus in re susceptus; sed desiderium quantumvis vehemens recipiendi Eucharistiam conferre non valet primam gratiam: ergo. Minor patet; quia nec realis susceptio Eucharistiae ex se confert primam gratiam. Denique: Illud absolutè est necessarium ad obtinendam gratiam sanctificantem, quod per se institutum est ad remissionem peccati; sed Eucharistia ad id non est per se primo instituta, imò supponit peccatum remissum, & gratiae statum: ergo.

Secunda Conclusio.

102 Eucharistiae receptio est fidelibus necessaria necessitate praecepti Ecclesiastici, & divini. Prima pars conclusionis communis est inter Catholicos. Et patet sic: Illud est necessarium necessitate praecepti, cuius obligatio ligat sub mortali; sed susceptio Eucharistiae, tempore ab Ecclesia determinato, obligat sub mortali omnibus fidelibus adultis, non impeditis, ex vi legis Ecclesiasticae: ergo. Prob. minor. In Concilio Lateran. sub Innocentio III. cap. *omnis utriusque sexus*, praecipitur omnibus fidelibus communicare, saltem semel in anno, scilicet, in Paschate. Hoc praeceptum renovat Concil. Trident. Sess. 13. Can. 9. sic alloquens: *Si quis negaverit, omnes, & singulos fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta praeceptum S. Matris Ecclesiae: anathematizabitur*: ergo.

103 Secunda conclusionis pars, nempe, Sacramentum Eucharistiae necessarium esse necessitate praecepti divini, sequitur à majori parte Theologorum, & Scotistis gravioribus, cum extraneis pluribus. Angel. Doct.

pro utraque parte communiter adducitur. Serap. Doct. in 4. dist. 12. part. 2. quaest. 5. tenet negativam partem, quem sequuntur aliqui Scotistae RR. inter quos Krisper. Eandem partem negativam sequitur Diana in Opere morali, tract. 6. resolut. 95. Gabriël, & aliqui alii antiqui. Noster Frassen, licet nostramet conclusionem amplectatur, fatetur tamen, rationes pro illa absolutè non convincere, & potius in hanc sententiam declinare propter Theologorum communem auctoritatem, quam propter urgentem aliquam rationem.

104 Probatur conclusio nostra: In hac re dicendum, & asserendum est, quod ex Sacra Scriptura, & Conciliis clarius apparet, & magis cum illis est conforme; sed Scriptura Sacra hoc praeceptum imponit, & Concilia illud confirmant: ergo. Prob. minor. in qua est totum pondus asserti: 1. ex illis verbis Christi Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.* Quibus in verbis Christus Dominus significat, eam manducationem aliqua necessitate esse necessariam; sed non est necessitate medii, juxta dicta conclusionem antecedenti: ergo est necessitate saltem praecepti divini. Et quòd talia verba intelligantur, non praecise de manducatione spirituali per fidem, sed etiam de manducatione sacramentali, & reali, docet Lugo disp. 26. sect. 1. ex communi Theologorum, & SS. PP. Praeterquamquod sic expresse sumitur à Concil. Trident. sess. 13. cap. 2. ubi illa verba Christi: *qui manducat me, & ipse vivet propter me*, intelligit de manducatione sacramentali, & reali. Idem constat ex Lucæ 22. *hoc facite in meam commemorationem*, per quae verba Christus Dominus Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, imperavit, non solum sacrificium offerre, sed facere, quod ipse fecit, hoc est, se, & alios fideles hoc divino cibo pascere praecepit, quamvis hujus executio-

tionis tempora non praescripserit, sed Ecclesiae suae dictamini, & determinationi commiserit. Prob. 2. minor principalis ex Concil. Trident. sess. & cap. nuper citatis, ubi ex praefatis verbis Christi praeceptum deducit, sic dicens: *illius sumptione colere nos sui memoriam praecepit, suamque annuntiare mortem, donec ad judicandum venerit*: ergo sententia nostra videtur in Concilio expressa, ut denotat verbum illud *praecepit*. Item: Aug. Epist. 128. ad Januarium cap. 1. loquens de Christo, sic ait: *Sacramentis numero paucissimis, significatione praestantissimis, societatem novi populi colligavit, sicuti est Baptismus Trinitatis numero consecratus: communicatio Corporis, & Sanguinis ipsius &c.* Ubi notandum est verbum illud *colligavit*, quasi diceret: *obligavit nos ad Baptismum, & ad sumptionem, & communionem sui Corporis*. Demum ad suadendum tale praeceptum divinum adest urgentissima congruentia, quia in hoc coelesti convivio conferuntur auxilia uberiora, & frequentiora, quibus anima in gratia diu perseverare queat: ergo sicut praecipuntur Baptismus, & Poenitentia, quibus confertur prima gratia, ita congruum apparet, ut praecipatur Eucharistia, qua homo possit perseverare in illa; etenim non minus necessaria est perseverantia in gratia ad salutem, quam collatio primae gratiae.

Solvuntur argumenta.

105 Arg. 1. sicut Christus dixit de Baptismo Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non introibit in Regnum Dei*, sic dicit de Eucharistia Joan. 6. *nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; sed verba Christi priora de Baptismo inducunt necessitatem medii ad salutem: ergo etiam posteriora, quae loquuntur de Eucharistia sumenda: ergo a-

Tom. II.

cut ex Scriptura divina Sacramentum Baptismi est ad salutem simpliciter necessarium, ita Eucharistiae Sacramentum. Confirmatur ex praxi primitivae Ecclesiae, quae, ut testatur S. Dionis. lib. de Eccles. Hierarc. c. 2. & S. Cyprian. Serm. de lapsis, & S. Aug. Epist. 107. quae est ad Vitalem, Sacramentum Eucharistiae etiam parvulis, unà cum Baptismate, conferebatur: quam etiam consuetudinem, adhuc suo tempore, viguisse, scribit S. Anselm. in cap. 2. Lucæ, sed hanc praxim Ecclesia non usurpavit aliunde, nisi quia judicavit, Eucharistiam in re susceptam, non minus quam Baptismus, esse ad salutem necessariam: ergo. Deinde: Innocentius I. Epist. ad Patres Concilii Millevitani, quaest. 93. inquit: *Illud, quod vestra fraternitas asserit, parvulos aeternae vitae praemio, etiam sine Baptismi gratia, posse donari, per falsum est. Et prosequitur: nisi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint ejus sanguinem, non habebunt vitam in semet ipsis*: ergo aequalem necessitatem medii in Eucharistia sumenda, & in Baptismo recipiendo recognovit Pontifex. Idem scripsit Gelasius Papa, dicens: *Ipse Dominus Jesus Christus caelesti voce pronuntiat: qui non manducaverit carnem &c. ubi utique neminem videmus exceptum &c.*

106 Ad argumentum responderi poterat cum aliquibus, negando consequentiam, & paritatem. Itaque verbum hoc nisi diversas in Scriptura Sacra sortitur necessitatum rationes: nam aliquando inducit necessitatem medii; ut in primo loco: *nisi quis renatus fuerit &c.* Aliquando verò solum inducit necessitatem praecepti, ut liquet in illis Christi verbis: *nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Caelorum*. Et ita est de primo, & secundo textu allatis pro argumento: nam primum inducit necessitatem medii, & secundum necessitatem praecepti. Sed, quando dicitis, verbum *nisi* arguit necessitatem

G tem

tem mediæ, & quando necessitatem præcepti? Ex quo capite hoc cognosci potest? Dico, hoc esse intelligendum, & colligendum, examinando, si id, quod præcipitur, est, vel non est primæ gratiæ collativum. Si est? Tunc arguit necessitatem mediæ, quia nemo sine gratia salvari potest. Si verò non est primæ gratiæ collativum, sed primam gratiam in anima supponit, ut receptio Sacramenti Eucharistiæ, tunc arguit solum necessitatem præcepti. Ad confirmationem respondet Concil. Trident., & nos cum ipso, Patres illius temporis id quidem fecisse rationabili de causa; non verò tali præxi agnovisse necessitatem absolutam Eucharistiæ suscipiendæ. Alias cum etiam Confirmatio illis temporibus, etiam simul cum Baptismo, & immediatè ad receptionem illius, conferretur, parè ratione dicendum esset, susceptionem Confirmationis necessariam esse ad salutem, quod nemo hucusque dixit. Audias nunc Concil. Trident. ses. 21. cap. 4. *Neque ideò tamen damnanda est antiquitas, si eum morem (administrandi parvulis Eucharistiam immediatè post Baptismum) in quibusdam locis aliquando servavit: ut enim Sanctissimè illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt: ita certè eos, nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est.* Et postea apponit Canonem, adductum in prima conclusione.

107 Sed respondeo ad argumentum, manducationem Corporis, & Sanguinis Christi duplicem esse: una est realis, & sacramentalis: alia est mystica, & spiritualis per fidem, quæ consistit in hoc, quòd omnis, qui est salvandus, incorporari debet in Corpore, & Sanguine Christi, ita ut fiat membrum ejus per susceptionem Baptismi, per quam susceptionem capax fiat recipiendi realiter, & sacramentaliter Corpus, & Sanguinem Christi Domini. Unde qui non sunt baptizati, nec sunt incorpora-

ti in corpore Christi, nec recipere valent Sacramentaliter ejus corpus, & sanguinem. Quapropter verba illa: *nisi manducaveritis &c.* dicta à Christo Domino, & relata à Pontificibus, Innocentio, & Gelasio, si accipiantur in sensu mystico, & spirituali, arguunt necessitatem mediæ, & tunc verbum *nisi* non reduplicat super actum recipiendi realiter Corpus Christi, sed supra sumptionem mysticam, & supra potentiam realiter recipiendi illud, scilicet, per Baptismum, faciuntque hunc sensum: *nisi per Baptismum efficiamini capaces recipiendi realiter, & Sacramentaliter Corpus meum, non habebitis vitam &c.* Consistit igitur paritas utriusque Sacramenti in eo, quòd sicut Baptismus est de necessitate salutis in re, vel in voto susceptus, ita ut adulti sine voto Baptismi salvari non possint, licet absque eo, re ipsa suscepto, & cum solo ipsius voto, interdum salventur: ita sine aliquo Eucharistiæ voto, saltem implicito, nullus potest consequi salutem, etiam si aliquando eam obtineat, absque illius actuali susceptione. Interest tamen inter utrumque Sacramentum hoc discrimen, quòd Baptismus est vitæ spiritualis principium, & janua aliorum Sacramentorum: Eucharistia verò est ipsius vitæ spiritualis consummatio. Unde receptio Baptismi est absolutè necessaria ad inchoationem vitæ spiritualis, ac proinde sine eo in re, vel in voto suscepto, nemo salvari potest. Eucharistia verò non sic; quia cum tantum videatur necessaria ad illius vitæ spiritualis consummationem, & majorem perfectionem, hinc est, quòd absque illius actuali susceptione, vel voto explicito, possit hæc spiritualis vita haberi, ac subinde salus æterna consequi. Parvuli autem ordinantur ad Eucharistiam per Baptismum, & sic habent votum illius implicitum: si quidem hoc ipso, quòd quis baptizatur, ordinatur per Ecclesiam ad aliorum Sacramentorum receptionem,

ma.

maximè, Eucharistiæ; & sic illius votum implicitum habet. Itaque, sicut parvuli ex fide Ecclesiæ credunt, ita ex voto, & intentione Ecclesiæ aliquem effectum Eucharistiæ recipiunt, licet eam in re non suscipiant. Ad Baptismum autem non ordinantur per aliud præcedens Sacramentum; ideoque pueri ante susceptionem Baptismi non possunt habere Baptismum in voto, sicut adulti, ac proinde sine actuali Baptismi susceptione effectum illius non possunt recipere. Ex quibus jam apparet, Baptismi susceptionem majoris esse necessitatis.

108 Replicabis: Necessitas Eucharistiæ suscipiendæ talis intelligi debet, qualem agnovērunt SS. PP. & maximè Aug. super verba Joan. citata; sed Aug. censuit, Eucharistiæ susceptionem non minus necessariam esse ad salutem, quàm Baptismi: ergo. Prob. minor ex ipso August. Lib. de peccatorum meritis, & remissione cap. 20. ubi cum ex illo Joan. 3. *nisi quis renatus fuerit &c.* probasset contra Pelagianos existentiam peccati originalis, & Pelagiani argumenti vim eludere cupientes, distinguerent inter Regnum Dei, & vitam æternam: & dicerent, Regnum Dei donandum esse solis baptizatis; vitam verò æternam parvulis, etiam non baptizatis: Hanc ergo confusionem præcludens S. August. ostendit contra Pelagianos, quòd à vitæ æternæ excludendi sunt, etiam non baptizati, propter illud oraculum Christi Domini: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.* Sic ait Aug. *Auferatur ergo jam dubitatio, Dominum audiamus, non suspitiones, conjecturasque mortalium: Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de Sacramento lavacri dicentem, sed de Sacramento sanctæ mensæ suæ, ad quod nemo ritè, nisi baptizatus accedit: nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Quid ultra querimus? An quispiam hoc di-*

Tom. II.

cere audebit, quòd ad parvulos hæc sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis hujus, & sanguinis in se habere vitam?... Ac etiam pro parvulorum vita caro data est; & si non manducaverint carnem filii hominis, nec ipsi habere possunt vitam. Idem reperit Lib. 3. contra Julianum cap. 1. & aliis in locis; & Lib. 2. ad Bonifacium cap. 4. super verba Innocentii in argumento citata, sic scribit: *Illud, quòd idem Papa de hac ipsa causa etiam Numidiæ rescripsit Episcopis... nonne apertissimè de parvulis loquitur?*

109 Respondeo ad instantiam distinguendo minor. Aug. censuit, susceptionem Eucharistiæ non minus esse necessariam, quàm susceptio Baptismi, quantum ad effectum utriusque, scilicet, quantum ad incorporationem cum Christo, Ecclesiæ capite, concedo; quantum ad utriusque realem susceptionem, nego minor. & consequentiam. Hanc esse intelligentiam August. tam in locis citatis ex ipso, quàm in aliis pluribus contra Pelagianos, ipsemet August. declarat, interpretem se constituendo sui ipsius. Igitur Lib. 3. de peccatorum meritis cap. 4. post plurima suam mentem suadentia, sic scribit: „ Unde fit consequens, ut „ quoniam nihil agitur aliud, cum „ parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiæ, id est Christi „ corpori, membrisque socientur, „ manifestum fit, eos ad damnationem, nisi hoc his collatum fuerit, pertinere. *Et postea:* Numquid etiam illud, nisi manducaverint homines carnem ejus, hoc est, „ participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam? Nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamatur, non solum in Regnum „ Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere, nisi Christi „ Corpus, cui ut incorporentur, Sacramento Baptismatis inducuntur? Ex quibus August. testimoniis eviden-

G 2

ter

ter apparet, S. Doct. velle, Eucharistiam necessariam esse ad salutem eodem modo, quo Corpus Christi in Baptismo manducari potest. Dicimur autem manducare Corpus Christi in Baptismo, quatenus per illum Christi Corpori, nempe, Ecclesiae incorporamur: ac proinde S. August. loquendo de necessitate Eucharistiae manducandae, non loquitur de ipsius sumptione actuali, sed tantum de mystica, & spiritali, seu de effectu Baptismi, qui consistit in incorporatione cum Christo, & per quem parvuli adscribuntur in societate corporis, & membrorum Ecclesiae. Quare, cum per Baptismum incorporentur Christo, haec realis susceptio receptio Eucharistiae, quae utique perficitur, & consummatur in ejus reali receptione. Et quod August. firmiter censeat, parvulos salvari posse absque reali susceptione Eucharistiae, docet Lib. 1. de peccatorum meritis, ubi sic scribit: „ Verumtamen, si percepto Baptismate, de hac vita emigraverit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens, in aeternum justificatos praesentis Creatoris illuminat.

110 Arg. 2. Non minus necessarius est cibus spiritalis ad vitam spiritualem conservandam, quam corporeus, & materialis ad vitam naturalem; sed cibus corporeus necessarius est absolute de via ordinaria ad conservandam vitam corporalem: siquidem absque cibo non potest homo diu vitam prorogare sine miraculo: ergo cum Eucharistia sit spiritalis animae cibus, ad vitam spiritualem erit necessaria simpliciter. Confirmatur: Tum; quia, quod Sacramenta sunt digniora, eo sunt magis necessaria; sed Sacramentum Eucharistiae est omnium dignissimum: ergo cum aliqua Sacramenta necessitate medii sint necessaria, multo magis ita necessaria erit Eucharistia.

Tum; quia Eucharistia appellatur ab Ecclesia *pignus gloriae*, & à SS. PP. vocatur etiam *Symbolum resurrectionis*; sed haec omnia necessaria sunt simpliciter ad vitam aeternam: ergo.

111 Respondeo negando major, nam cibus materialis est unicum medium naturale ad conservationem vitae naturalis: at verò, praeter Eucharistiam, datur gratia sanctificans per Baptismum, & Poenitentiam, atque auxilia divina, quibus conservari valet vita spiritalis sine Eucharistia. Unde disparitas inter utrumque cibum consistit in eo, quod vita corporalis conservari non possit, nisi per assiduam conversionem alimenti in substantiam aliti, ut sic restaurentur partes illae, quae per calorem naturalem absumuntur, & pereunt, ad quam restorationem nulla alia media, & remedia naturalia praeter nutritionem suppetunt. Secus verò est de vita spiritali, quae per media alia, quam per sumptionem Eucharistiae, conservari potest, & vegetari. Et quidem, quod haec spiritalis vita conservata fuerit in pluribus per auxilia, & gratias actuales, constat ex Patriarchis, & Sanctissimis Viris, qui diu vixerunt ante legem Evangelicam, & Eucharistiae institutionem. Ad confirmationem nego major, quia major dignitas Sacramenti non est indicium illius majoris necessitatis, sed tantum indicit, quod requirat nobiliores dispositiones in suscipiente ad debitam ejus susceptionem. Unde necessitas Sacramenti attenditur penes remotionem peccati, ad quam remotionem cum Eucharistia ex se non sit ordinata, sequitur, quod non est absolute necessaria ad vitam spiritualem instituendam.

112 Ad secundam partem confirmationis, concessa majori, nego minor. & consequent. Argumentum nihil convincit de necessitate medii, sed de necessitate congruentiae. Eucharistia appellatur quidem *pignus gloriae*, quatenus per illam exuberantius

tius consequimur gloriam, quam sine illa. Appellatur etiam *Symbolum resurrectionis*, & est medium necessarium ad resurrectionem, non quia sine ea resurgere non possimus; aliter parvuli non resurgerent, sed quia resurrectio dicitur effectus peculiaris Eucharistiae, eo quod unio cum carne Christi specialem praestitit titulum carni nostrae ad resurgendum. Quare si aliquando dicitur à Patribus, Eucharistiam fore necessariam ad resurrectionem, exponendum est, loqui non de necessitate medii simpliciter, sed de necessitate congruentiae. Ex quo sequitur, & ita fatemur, quod licet Eucharistia non sit simpliciter necessaria ad salutem, & vitam spiritualem, est tamen moraliter necessaria, & valde utilis ad conservandam vitam spiritualem, ad vitanda peccata, & ad vincendas tentationes. Constat hoc; tum ex eo, quod omnes relatos effectus causat digna Eucharistiae susceptio, ut postea videbitur, dum de ejus mirabilibus effectibus tractemus. Tum ex judicio Ecclesiae, quae decrevit, ut omnes fideles adulti, semel in anno saltem, sumant Sacratissimam Communionem. Tum; quia valde congruum est, ut qui ex negligentia non suscipit hoc salutiferum remedium, effectibus salutaribus illius privetur; & Deus subtrahat illi auxilia congrua, ad perseverandum in gratia, in super negligentiae poenam.

113 Arg. 3. contra secundam conclusionem: Si esset praecipuum divinum de Sacra Communionem, constaret, maxime ex illis verbis Christi Domini: *hoc facite in meam commemorationem*; sed in his verbis non imponitur praecipuum: ergo licet sit necessaria Eucharistia Ecclesiastico praecipuo, non tamen divino. Prob. min. Talia verba aequivalent his: *haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*; sed haec praecipuum non imbibunt; quia non praecipuum sumere Corpus Christi; sed solum praecipitur, quod quotiescumque, &

quandocumque sumatur, hoc fiat in memoriam mortis ipsius: ergo. Prob. minor. hoc exemplo: Si Petrus diceret Paulo: *quotiescumque feceris orationem, memento mei*, non praecipit ei, quod orationem faciat, sed quod casu, quo faciat orationem, memor sit illius: ergo similiter: verba illa *hoc facite &c.* & illa *haec quotiescumque feceritis &c.* non praecipunt facere, nec imponunt praecipuum. Argumentum hoc ex Eminent. Cajetano, solutum est per supra dicta ex Trident. Sess. 13. cap. 2. Ubi dicitur *illius sumptione colere nos sui memoriam praecipit*. Unde Concilium in verbis Christi Domini praecipuum intellexit, & haec expositio Sacrosancti Concilii praeponderat expositioni cuiusvis Doct. particularis, uti est Cajetanus. Deinde in forma nego minorem. Ad cujus probationem nego majorem. Ratio est; quia verba illa: *haec quotiescumque feceritis &c.* supponunt praecipuum explicitum in illis alijs: *hoc facite &c.* Quapropter unum non aequivaleret pro alio, sed supponit aliud. Ob hoc exemplum adductum nihil convincit; nam si verba illa: *quotiescumque feceris orationem &c.* supponerent alia praecipua: *fac orationem &c.* sicut illa verba: *haec quotiescumque feceritis &c.* supponunt alia: *hoc facite &c.* tunc teneretur Paulus facere orationem, & meminisse Petri in oratione. Unde argumentum vertitur in confirmationem nostrae conclusionis, & nulla paritas ex eo deduci potest.

114 Arg. 4. Si in illis verbis: *nisi manducaberitis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, ponitur praecipuum omnibus fidelibus de sumenda Eucharistia, etiam laici deberent sumere Sacramentum sub utraque specie; sed hoc est falsum; nam est contra praxim, & usum universalis Ecclesiae: ergo vel nullum est praecipuum in talibus verbis, vel etiam laici tenerentur communicare sub utraque specie. Confirmatur: Quando

do Christus dixit: *hoc facite in meam commemorationem*, solum loquebatur cum Apostolis: ergo dato, quod Apostolis, & Sacerdotibus imposuisset præceptum, ex eo non sequitur, impositum esse omnibus fidelibus. Respondeo negando sequelam majoris, & consequent. Concilium Trident. auctoritate, & simul efficaci ratione solvit argumentum hoc. Siquidem Sess. 21. cap. 1. ad rem sic ait: *Neque sermone illo apud Joan. 6. rectè colligitur utriusque speciei communionem à Domino præceptam esse. Nam qui dixit: nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; dixit etiam: panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et denique; qui dixit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo; dixit nihilominus: qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Quibus in verbis Concilium argumentum solvit, & sua auctoritate nostram firmat conclusionem. Ad confirmationem nego anteced. Quod Dominus prædictis in verbis cum omnibus fidelibus loquatur, patet. Tum; quia in illis postulat memoriam sue passionis, quam memoriam etiam laici possunt, & debent recolere. Ob quod Apost. 1. Corinth. 11. loquendo de omni populo Christiano, dicit: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* De consuetudine, quæ aliquando fuit communicandi sub utraque specie, dicitur disp. 4. sect. 2. quæst. 2. ubi de hoc argumento iterum redibit sermo. Videas ibi.

QUÆSTIO VI.

An Sacramentum Eucharistiæ consistat in solo usu, seu sumptione?

115 **O**Mnes Catholici pugnant hac in re contra omnes Protestantes, præcipue hujus temporis. Isti enim Hæretici fatentur, ut jam alibi diximus, Eucharistiam esse novæ legis Sacramentum: Verumtamen, rationem constitutivam hujus Sacramenti nolunt agnoscere in re permanente, sed in solo ejus usu, aut sumptione. In hujus explicatione conveniunt in substantia Lutherani, & Calvinistæ. Calvinus enim lib. 4. Instit. cap. 17. docet, panem, & vinum Eucharisticum non habere rationem Sacramenti, nisi cum sumitur actu, ita ut solum consistat in ejus usu. Ait enim num. 27. *Quæro, qua virtute putant, hostiam esse rectè consecratam? Nempe, dum verba illa proferunt, hoc est Corpus meum: ego vero contra objiciam, simul dictum esse, accipite, & manducate; neque id de nihilo faciam: cum enim præcepto annexa sit promissio, dico, hanc sub illo ita inclusam, ut separata fiat omnino nulla.* Et numero 39. impudenter non minus, quam impiè, vellicat Calvinus doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, inter alia dicens: *His rationibus clarè patet, repositionem, seu conservationem Sacramenti, ut ægrotis distribuat, erroneam, & inutilem esse.* Antonius de Dominis lib. 5. de Republica Christiana cap. 6. ex parte subscribit Calvino, dicens: *Sacramentum Eucharistiæ manere ab una publica communione ad aliam, pro his tantum, qui non participarunt in publica communione, vel ut advenis, & ægrotis: at verò, si diutius subsistat Eucharistia post publicam communionem, jam non habebit rationem Sacramenti.* Lutherani autem contendunt, usum, in quo Eucharistiæ Sacramentum reponunt, esse

esse essentialiter eas omnes actiones, quas ipse Christus Dominus in hujus Sacramenti institutione exercuit, nimirum, acceptionem panis in manus, benedictionem, fractionem, distributionem, & manducationem. Sic explicat Kemnaitius in examine Concil. Trident. 2. parte ad cap. 3. & Canon. 4. Hæc est hæretica Novatorum sententia de Sacra Eucharistia. Contra quam.

Conclusio Catholica.

116 *Sacramentum Eucharistiæ non consistit in solo usu, seu sumptione.* Sic definitur in Concil. Trident. & insimul ratione probatur ab ipso Concilio, sess. 13. can. 4. his verbis: *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus, & Sanguinem Domini N. Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non ante, vel post, & in hostiis, vel particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini: anathema sit.* Et cap. 3. sic ait: *Illud in Eucharistia excellens, & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis Author ante usum est. Non dum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum verè tamen ipse affirmaret, Corpus suum esse, quod præbebat, & semper hæc fides in Ecclesia fuit, statim post consecrationem verum Domini N. Corpus, verumque ejus Sanguinem sub panis, & vini specie unâ cum ipsius anima, & Divinitate existere.* Hæc Concil. Trident. verba, licet efficacissima, & clarissima, declarantur amplius, reducendo illa ad formam, sic: *Tunc est verè Sacramentum Eucharistiæ, quando verum est, adesse Corpus, & Sanguinem Christi; sed ante sumptionem,*

& usum id est verum: ergo hoc Sacramentum non consistit in sumptione, & usu, sed in re permanenti, ut docet Concilium. Major ab Hæreticis negari non potest: nam ideò volunt, hoc Sacramentum consistere in solo usu; quia existimant, Corpus, & Sanguinem Christi tunc tantum esse in eo. Prob. minor. In nocte Cænæ tunc erat Corpus Christi præsens, cum ipse Christus dixit: *hoc est Corpus meum*; sed antequam Eucharistia comederetur, & biberetur, Christus Dominus verba illa protulit in præsentem: *hoc est Corpus meum*, & non in futuro, nempe, *hoc erit Corpus meum*: ergo tunc verè præsens erat Christi Corpus. Major est certissima; quia si tunc Corpus Christi non fuisset præsens, propositio hæc: *hoc est Corpus meum* fuisset falsa, & Christus protulisset mendacium, quod est blasphemum.

117 *Probat. 2. conclusio, & insimul præcedens ratio confirmatur ex illo, quod Lucæ 22. Christus dixit Apostolis, ministrando calicem: hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur &c.* ergo sanguis Christi fuit in calice, antequam esset in bibentium ore, maxime cum Apostoli omnes ex uno, & eodem calice biberint, & Christus semel dumtaxat ea verba protulerit. Confirmatur 1. Tunc est verè Sacramentum Eucharistiæ, quando panis fit sacramentalis per Ministrum, ut Calvinistæ docent, & quando Christus fit præsens substantiæ panis, & vini, & fit verum ejus corpus, & verus sanguis, ut volunt Lutherani; sed hæc fiunt ante manducationem, & bibitionem actualem: ergo jam est Sacramentum, quando quis accipit panem, & vinum, ac proinde illud Sacramentum non potest simpliciter consistere in solo usu. Minor certa est; quia juxta Hæreticos, teste Beza, qui est unus illorum, panis fit sacramentalis per Ministrum, quando ab illo benedicitur ad



ad prolationem horum verborum: *hoc est Corpus meum*. Illa enim verba, dicit, non sunt meré historica, sed operatoria; quia præstant, ut substantia panis transeat ab usu communi ad sacramentalem, qui transitus præcedit utique manducationem, & bibitionem Eucharistiæ. Siquidem Minister, sive Calvinista, sive Lutheranus, hæc verba profert super panem, & vinum præparatum, antequam quisque ex summentibus particulam accipiat. Denique probatur ex constanti Ecclesiæ praxi, quæ quovis sæculo consuevit asservare Sanctam Eucharistiam, tum ut esset in venerationem fidelibus; tum, ut deferri posset ad absentes; tum, ut ministraretur, tamquam viaticum infirmis: ergo ex praxi Ecclesiæ Sanctæ indubium est, Eucharistiam non in usu, sed in re permanenti consistere.

118 Uni ex Hæreticis dicunt, Christum Dominum non protulisse verba consecrationis, priusquam panem, & vinum manducandum, & bibendum dederit suis Discipulis; quod præbere intendunt ex verbis Matthæi 26. *Accipit Jesus panem, & benedixit, nec fregit, deditque Discipulis suis, & ait: accipite, & manducate, hoc est Corpus meum*: ergo in ipsa sumpptione stat Sacramentum. Alii cum Calvino dicunt, verba illa: *hoc est Corpus meum* prolata quidem fuisse ante manducationem, sed non fuisse impleta, nec effectum habuisse, nisi manducatione. Ratio est, dicit, quia Christus promissionem, & præceptum simul conjunxit: promissio fuit: *hoc est Corpus meum*; præceptum verbó: *accipite, & manducate*: ergo Christi corpus non fuit præsens, nisi cum Apostoli susceperunt, & comederunt panem. Hæc Hæreticorum responsio omnino nulla est, licet sit fundamentum erroris, & pertinaciæ eorum circa Sacram Eucharistiam, ut doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ resistent.

119 Dicendum est igitur ad pri-

mam responsionem, quod non ex verborum ordine, sed ex vero sensu, & vera significatione intelligendum est, quid Christus Dominus fecerit prius, aut posterius in ultima Cœna. Si enim ex verborum ordine, & non ex vero sensu, & significatione accipiendum esset, liceret inferre, Christum post actionem bibendi calicem, verba consecrationis calicis protulisse; nam Marcus cap. 14. ait: *Accepto calice, gratias agens, dedit eis, & biberunt ex eo omnes, & ait illis: hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur*. Hæc autem illatio absurda prorsus esset; quia pronomen *hic* est demonstrativum, & ut tale indicat præsentiam Sanguinis Christi. Si autem Christus ea verba protulisset, postquam Apostoli biberunt calicem, non potuisset indicare præsentem suum sanguinem; quia nihil ejus ampliùs remansisset. Imò nec Apostoli Sacramentum sumptissent; quia jam panis fuisset manducatus, & vinum potatum, antequam prolata fuissent verba, per quæ illa materia fieret Sacramentalis. Igitur cum hæc absurda sint, & sequantur ex responsione, absurditas illius patet. Ad secundam responsionem, quæ est Calvini, dicendum est, omnino liberé eam fingere. Etenim si ea verba: *hoc est Corpus meum*, includerent promissionem, deberent exprimi per verbum futuri temporis, sicut fit in omnibus promissionibus, quæ exarantur, tam in veteri, quam in novo Testamento, ut constat maximè in effectu repromisso hujus Sacramenti, Joan. 6. *qui manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*; sed Christus non dixit: *hoc erit Corpus meum*, sed *hoc est Corpus meum*: ergo falsum est, ea verba promissionem continere. Deinde: Si illa verba continerent promissionem præcepto conjunctam, impletio illius promissionis non comitaretur actualem Eucharistiæ manducationem, sed sequeretur ad illam; & sic fideles non haberent Sacramentum Eucharis-

ristiæ, & corpus Domini, dum suscipiunt panem, & vinum, sed postquam manducassent, & bibissent; siquidem impletio promissionis est effectus actionis imperatæ, & actio imperata præcedit impletionem promissionis: ergo jam Eucharistia non consistit in ejus usu, seu receptione, & consequenter sibimet contradicunt Hæretici.

120 Arg. 1. pro illis: Christus numquam præcepit asservationem Eucharistiæ: ergo contra Domini præceptum militant, qui Eucharistiam servant: ergo Sacramentum Eucharistiæ non est institutum à Domino permanens, & consequenter &c. Confirmatur ex Origine in 7. Levitici nom. 5. scribente: *Dominus panem, quem Discipulis dabit, & dicebat eis: accipite, & manducate, non distulit, nec servari jussit in crastinum*: ergo Eucharistia non est asservanda. = Arg. 2. Sententia fuit veterum Patrum, nihil ex Eucharistia esse servandum, ut constat ex cap. *Tribus de consecratione* dist. 2. quod petitur ex Epist. 2. S. Clementis: *Tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant: quod si remanserint in crastinum, non reserventur, sed Clericorum diligentia consummantur*: ergo ex Patribus Eucharistia non est asservanda.

121 Respondeo 1. disting. anteced. Non præcepit explicitè, concedo; implicitè, nego antecedens: nam Christus dedit Eucharistiam, ut cibum, qui est permanens, & debet esse paratus omnibus Christianis, & ideò debet asservari. Deinde nego consequentiam. Ecclesia enim potest ea jubere, quæ spectant ad Sacramentorum, & mysteriorum reverentiam, & ad fidelium utilitatem; cum ex Trident. sess. 21. cap. 2. ei credita sit dispensatio mysteriorum Dei. Et quidem, quod Dominus Apostolis, speciatim de his, quæ spectant ad Eucharistiæ dispensationem, curam, venerationem, & commissionem dedisset, scribit Paul. 1. Corinth. sic:

Tom. II.

cætera, cum venero, disponam. Unde certissimum est, non tantum à Christo, sed etiam ab Apostolis, & ab Ecclesia ritus Eucharistiæ præcipi posse, ut postea ampliùs constabit. Ad confirmationem nego consequentiam; quia Dominus per Apostolos, & Ecclesiam plura ordinavit, quæ non jussit. Aliud est, aliquid esse præceptum, & aliud valdè diversum est, esse contra præceptum. Ad secundum nego consequent. Ita quippè constituit S. Clemens tempore nascentis Ecclesiæ, & ita etiam fecerunt alii antiqui Patres. Tum; quia Sacra Communio tunc erat tam frequens, ut non esset necessarium servare Sacramentum ægris. Sed noluit hoc servandum ætatibus secuturis, in quibus Eucharistiæ usus futurus non erat adeo frequens. Tum, quia hoc fuit convenienter tunc temporis dispositum ob continuas persecutiones Infidelium, ne Sacra Eucharistia aliquam irreverentiam pateretur. Ob hanc causam etiam voluit, quod si aliqua particulæ post communionem superessent, sumerentur à Clericis, vel etiam à pueris innocentibus, & jejunis, ut Nicephorus Hist. 17. cap. 25. scribit. At verò Eucharistia semper servata fuit in aliquo loco, licet quoad hoc pro temporum varietate, varii fuerint antiquorum ritus. Pro quo ostendendo, sequens statuitur assertio:

Semper fuit usus servandi Eucharistiam.

122 Hanc veritatem demonstrare placet, ut evanescant Hæreticorum cavillationes. Primò, Justinus Martyr, qui fuit Apostolorum Discipulus, apologia 2. affirmat, quod Saceris in Ecclesia peractis, Diaconi solebant ad absentes deferre sanctificatum panem, & vinum, quod alimentum Eucharistiæ dicitur. Ireneus Epist. ad Victorem Papam, apud Eusebium lib. 5. histor. cap. 24. refert, quod illius temporis consuetudo

H

tudo

tudo erat, ut Papa mitteret Eucharistiam ad alios Episcopos in signum pacis, & communionis. Tertulianus pluribi significat, fideles suo tempore solitos esse hostiam in manibus accipere, & eam domum deferre, ut urgente necessitate, aut persecutione, illam secreto sumerent. Hanc consuetudinem testatur etiam S. Cyprian. serm. de lapsis, ubi refert, quod cum quaedam mulier arcam suam, in qua Domini Sanctum Corpus fuit, manibus indignis tentasset aperire; igne inde surgente, deterrita est, ne auderet attingere. Unde Eucharistia servabatur olim a suscipientibus. S. Ambros. lib. de obitu Satiri fratris eandem observantiam probat, maxime ex eo, quod in periculo naufragii constitutus requisierit Eucharistiam a Christianis, qui erant simul in eadem navi, qua accepta, ligavit in orario, & cum ipsa se confidenter in mare dejecit, ac faciliter ad litus pervenit. Simile quid refert S. Hieronym. Epist. ad Rusticum de S. Exuperio Episcopo Tolosano, inquit: *Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vitineo sanguinem portat in vitro.* Sed hanc consuetudinem proscripsit, & abrogavit Concil. Toletan. I. anno Domini 400. can. 14. ubi prohibetur sub anathemate, ne quis deinceps acceptam Eucharistiam conservaret, & eam secum deferret. Idem fuit vetitum in Concil. Rothomagensi laudato ab Ivone Carlotenensi canon. 2. Nihilominus, his Ecclesiasticis determinationibus non obstantibus, nonnulli fideles, diversis agitationibus, acceptam Eucharistiam diutino adhuc tempore servaverunt. Narratur enim, quod circa annum 1183. quidam Pastor Wandalus acceptam in die Paschatis Eucharistiam, partem reposuit in summitate sui pedi pastoralis, ut esset in propugnaculum sui gregis: quo facto noctibus singulis cum ingentes ignis faces super dictum illud pedum pastorale appaerent, hoc prodigio

concitatus Episcopus loci, una cum plebe sibi commissa, Pastorem accersit, requirens, utrum sciat causam illius prodigii? Ille rem pandit eo ordine, quo executi sunt. Quo audito, Episcopus cum Clero, ac ingenti populi multitudine, deferunt pedum illud pastorale summa cum reverentia ad Monasterium Orvacese, ubi plurima miracula patrata fuerunt.

123. Secundó: mos erat antiquis, servandi Eucharistiam pro communicandis fidelibus vita functis, qui sacrum viaticum recipere non potuerant ante mortem, ut refert S. Gregor. Mag. lib. 2. Dialog. cap. 24. ubi narrat, quod S. Benedictus, cum audivisset, juvenem ex suis Monachis mortuum, ac tumulatum, semel, & iterum e sepulchro a terra rejectum, mandavit, super demortui pectus recondi Sacram Eucharistiam, & sepeliri cum ea: quo facto, cadaver quievit in sepulchro tumulatum, & amplius a terra non fuit rejectum. Hæc autem cæremonia maxime erga Episcopos servabatur. Refert enim S. Amphilochius, Episcopus Hiconiæ, quod cum S. Basilii quadam die sacra mysteria celebrasset, panem Eucharisticum in tres partes distribuit, quarum unam servari voluit, ut cum ea post mortem sepeliretur. Idem refertur de aliis SS. Episcopis. Consuetudo hæc, quæ diu in Ecclesia viguit, prohibita fuit in Concilio Carthaginensi ubi decernitur: „Placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur: Dictum est enim a Domino, accipite, & edite: cadavera autem nec accipere possunt, nec edere.“ Quod etiam postea renovatum est in aliis Conciliis.

124. Tertio: servari solebat Eucharistia in altari propter fidelium devotionem, ut docet S. Chrysostom. hom. 24. & S. Cyril. epist. ad Chalosirium, de quibusdam, qui dicebant, quod Corpus Christi non remanebat sub hoc Sacramento, si in crastinum

re-

reservaretur: quia, inquiebant, non remanebat quidquam usque mane de Agno Paschali, qui erat figura hujus Sacramenti, ut præcipitur Exodi 12. De illis, inquam, qui id assererebant, sic ait Cyril. „Insaniunt, quidam, dicentes, mysticam benedictionem cessare a sanctificatione, si quæ ejus reliquæ remanserint in diem subsequentem. Non enim mutatur Sacramentum Corporis Christi; sed virtus benedictionis, & vivificans gratia jugis est.“ Hujus veritatis illustre profert exemplum S. Gregor. Nazianz. de sorore sua, quæ ante altare coram augustissimo Sacramento procumbens sanitatem obtinuit.

125. Denique: Eucharistia servabatur in altari, ut ad ægrotos deferretur. Sic statuitur in Concil. Nicæno, can. 13. his verbis: „De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regularisque servatur: ita ut si quis egreditur de corpore, ultimo, & necessario Viatico minimè privetur.“ Ex quibus fit compertum, Eucharistiam in templis fuisse servatam, ut ad ægrotos deferri posset. Hinc decernitur in Concil. Turonensi II. ut Corpus Domini componatur in altari: & Felix Episcopus Bituricensis, qui ipsi Concilio interfuit, curavit, elaborari insigne vas aureum, instar turris, ad asservendam Eucharistiam. Ex quibus omnibus, & aliis plurimis Patrum testimoniis aperte constat, semper creditum esse in Ecclesia Dei, quod Corpus Christi in Sacramento Eucharistiæ non simul cum usu desinat esse, sed quod in eo conservetur permanenter.

126. Alia plurima de antiquis consuetudinibus, & stilibus erga Sacramentum Eucharistiæ, pro temporum varietate, videnda sunt apud antiquissimos Scriptores, Basilium, Nicephorum, & alios similes in suis historiis. Unum verò est advertendum, nempe, omnes prædictas antiquatas consuetudines, & ritus meri-

Tom. II.

tissime a Sancta Ecclesia, ob multas Sacramenti irreverentias, & alia mala vitanda, abrogatos esse, & proscriptos. Quare nulli jam licet Sacramentum hoc in suam domum deferre, & ibi illud asservare: nulli, nisi Sacerdotibus, suis manibus communicare. Nulli fas est in itineribus Eucharistiam appensam collo deferre. Solum jam pristinae consuetudinis viget observantia, dum iter conficit supremus Rector Ecclesiæ. Tunc enim Summis Pontificibus iter agentibus, deferri solet Eucharistiæ Sacramentum honestissimo comitatu, & decenti pompa a Præfecto Sacrarum Apostolici. Ratio hujus, inter alias, assignatur ab erudito Angelo Roccha in suo Comment. tom. 1. scilicet, ne confluentium populorum occurus, & videndi Pontificis desiderium, immineat cultum Domino Jesu exhibendum. Unde solis Pontificibus iter agentibus licet, Eucharistiam cum decenti pompa præferre.

QUÆSTIO VII.

In quo essentialis ratio Sacramenti Eucharistiæ consistat?

127. Hujus admirabilis Sacramenti aptissima definitio assignata est quæst. 1. conclus. 3. ex N. S. Doct. in 4. dist. 8. quæst. 1. Similiter hoc Sacramentum non consistere essentialiter in solo usu, seu sumptione, stabilitum est de fide adversus modernos Sectarios quæst. antecedente. Quo indubitanter supposito, progredimur in præsentem ad ejus essentialia constitutiva investigandum, circa quod maximum est dubium. Ratio dubitandi provenit ex eo, quod ad Sacramentum hoc perficiendum multa concurrunt. Concurrunt enim panis, & vinum, ut materia remota Sacramenti hujus. Concurrunt etiam eorum consecratio, actio transubstantiativa panis in Corpus Christi, & vini in ejus sanguinem. Etiam concurrunt species ipsæ panis,

H 2

&

& vini, jam consecratae, & quae post consecrationem manent a subiecto separata: Corpus, & sanguis Christi, quae sub illis speciebus realiter manent. Denique res, seu gratia sacramentalis, quae confertur dignè sumentibus. Cùm igitur omnia hæc ad hoc Sacramentum concurrant, difficultas est: An hæc omnia, aut quodnam eorum rationem essentialem Sacramenti, formaliter considerati, ingrediantur?

128 Circa quam plurima, ac varia sunt Theologorum placita. Prima opinio asserit, Sacramentum Eucharistiae esse ipsamet actionem sacramentalem, consistentem in consecratione materiae, seu in mirabili illa actione, qua panis convertitur in Corpus Christi, & vinum in sanguinem. Hæc tribuitur Cajetano, Lugo, & aliis citatis à Mastrio. Secunda opinio essentialiter hujus Sacramenti constituit in aggregato ex speciebus, & verbis consecrationis. Sic Valentia, Suarez, & alii non pauci cum ipsis. Tertia opinio docet, Sacramentum Eucharistiae essentialiter constare ex speciebus consecratis, & ex Corpore, & sanguine Christi Domini. Sic sentit noster Centinus cum aliquibus ex Scotistis, & cum pluribus Neutralibus, & Thomistis. Quarta denique opinio docet, hoc admirabile Eucharistiae Sacramentum formaliter, & essentialiter consistere, non in actione consecratiua materiae, nec in aggregato ex speciebus, & verbis consecrationis, ut prima, & secunda opinio intendit: nec in conjuncto ex speciebus consecratis, & corpore, & sanguine Christi, ut opinio tertia, non sine fundamento, suadere prætendit: sed unicè in speciebus consecratis, significantibus, corpus, & sanguinem Christi sub illis realiter, & substantialiter contineri. Hæc fuit opinio Alensis, D. Bonaventurae, & est nostri Subt. Doct. cum suis, & multis Thomistis. His præhabitis,

Sit prima Conclusio.

129 *Consecratio, qua panis, & vinum transubstantiantur in corpus, & sanguinem Christi, non est formaliter Sacramentum Eucharistiae, nec aliquid ad illud intrinsecè, & essentialiter pertinens.* Conclusio est expressa Sub. Doct. in 4. dist. 8. quæstio. 1. num. 6. ubi ait: „Ad tertium patet, quare illud Sacramentum non habet aliqua verba pro forma; quia tunc non esset Sacramentum permanens, cùm verba non possint esse sine successione, tamen ipsa consecratio Sacramenti consistit in fieri: & ideò requirit aliquam formam verborum. Sed illa non est forma Sacramenti, sed consecrationis Sacramenti: & pro tanto illa possunt dici verba sacramentalia, quia ad Sacramentum consecrationis ejus, quæ consecratio est inceptio sacramentalis; sed non dicuntur sic sacramentalia, sicut verba Baptismi; illa enim sunt sacramentalia, sicut forma Sacramenti.“ Ex quibus verbis probatur conclusio sic: Sacramentum Eucharistiae est res permanens, & non consistens in solo usu, ut cætera Sacramenta; sed consecratio modo in conclusione expresso non est quid permanens, sed actio quædam transiens; nam verba consecratoria fluunt, & effluunt, peracta prolatione: ergo in ea nec totaliter, nec partialiter hoc Sacramentum essentialiter consistit. Major docetur à Sacro Concilio Trident. sess. 13. c. 4. definiente; hoc Sacramentum esse quid permanens, & non consistens in solo usu, ut Lutherani, & Calvinistæ protervè sustinent, sed existere ante sumptionem, & post consecrationem: *Si quis dixerit, peracta consecratione in admirabili Eucharistiae Sacramento, non esse corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu-Christi, sed tantùm in usu, dum sumitur &c.*

ana-

anathema sit. Minor non indiget probatione. Consequentia est legitima; quia res permanens nequit ente successivo, & non existente constitui, tamquam per formam intrinsecam.

130 Confirmat. In nulla re, quæ producitur, causa ejus efficiens, seu ipsius efficientia, aut productio ad illius intrinsecam constitutionem spectare potest; sed consecratio, ut hinc de ea loquimur, est actio effectiva Sacramenti Eucharistiae; nam consecratio est operatorius Christi sermo, quo hoc Sacramentum fit, & conficitur, ut præclarè docet D. Ambros. dist. 2. de consec. cap. panis est, ubi ait: *Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? consecratione. Consecratio autem quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu... & sic ex pane fit corpus Christi, & vinum cum aqua in calice mixtum fit sanguis, consecratione verbi caelestis:* ergo ad ejus intrinsecam constitutionem spectare nequit.

131 Respondebis cum Adversariis, quòd licet forma consecrationis physicè transeat, adhuc manet moraliter in speciebus consecratis, tamquam in effectu, sicut consensus matrimonialis moraliter permanere dicitur in effectu, quamvis physicè transierit. Sed contra: Moraliter existentia non est physica, & sacramentalis, seu signi sensibilis, quæ tale est, quæ necessaria est ad existentiam Sacramenti propriè dicti: alioquin forma Baptismi jam collati, & absolutio sacramentalis jam præterita possent dici tamdiu existere, quamdiu eorum effectus perseverat, nempe, gratia, & character. Sed hoc falsum est; aliàs equè dici posset, sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ formaliter adhuc in nobis perseverare, ac Eucharistiae Sacramentum perseverat in altari, facta consecratione: ergo talis moralis existentia formæ consecrationis non sufficit, nec sufficere potest, ut dicatur Sacra-

mentum Eucharistiae perseverare sub ratione Sacramenti sensibilis, & permanentis, quale est Sacramentum Eucharistiae. Exemplum adductum non est ad rem. Etenim consensus matrimonialis, licet physicè transierit, dicitur moraliter permanere, quatenus solum permanet in habitu, & in vinculo, quod inducitur ex lege. Nec dicitur manere in seipso, sed in effectu suo, quomodo Sacramenta reliqua, in usu consistentia, dicuntur manere in suo effectu, quamdiu manet effectus. At verò, ut Hiquæus hinc benè advertit, hæc non est existentia Sacramenti in seipso; siquidem hæc debet esse physica, & realis, ut sufficiat ad usum, efficaciam, & applicationem Sacramenti. Quapropter si Sacramentum est transiens, & in usu solum consistens, ejus existentia necessariò est successiva, & ita est in aliis Sacramentis: Si verò Sacramentum est permanens, ut Eucharistia est, existentia est tota simul, & permanens.

132 Arg. 1. ex Concilio Florentino, in quo Decreto Eugenii dicitur de omnibus Sacramentis novæ legis, quòd materia, & forma perficiuntur per hæc verba: *novæ legis Sacramenta perficiuntur rebus, ut materia, & verbis, ut forma.* Et postea expressè loquens de Eucharistiae Sacramento, docet illius materiam esse panem, & vinum, formam verò verba, quibus conficitur Sacramentum: ergo juxta Concilium verba consecrationis sunt vera forma hujus Sacramenti, & consequenter de illius existentia, & ratione formali. Declaratur hoc: In aliis Sacramentis verba sacramentalia sunt vera forma, & pars intrinseca cujuslibet Sacramenti, juxta Concilium; sed Concilium loquitur de omnibus Sacramentis novæ legis, & ultra loquens de Eucharistia in particulari, idem, ac de aliis, docet: ergo verba se habent in Eucharistiae Sacramento, sicut se habent in aliis: ergo cùm in omnibus aliis verba sint de

de intrinseca Sacramenti ratione, pariter in Sacramento Eucharistiæ. Confirmatur: Ideo in aliis Sacramentis verba sunt forma intrinseca, & pars essentialis; quia determinant materiam ad gratiam significandam; sed sic se habent verba consecrationis in Eucharistia: ergo sunt forma intrinseca, & pars essentialis, sicut & in aliis Sacramentis. Prob. minor. Verba consecrationis determinant species ad significandum: species enim non significant Corpus Christi præsens, nec gratiam sanctificantem, nisi ratione consecrationis, quæ fit per verba determinata: ergo cum species illæ vim significandi non habeant, nisi quatenus determinantur per verba, ita sunt ratio formalis determinans ad gratiam significandam.

133 Huic argumento, quod aliquibus ex Adversariis visum est convincens, facili negotio tripliciter respondent Scotistæ. Primò: verba consecrationis esse formam Sacramenti Eucharistiæ in fieri, sed non in facto esse, & hanc esse intentionem Concilii in verbis relatis. Etenim Concilium ibi enumerat ea, quæ ad fieri Sacramentorum requiruntur, non quæ intrinsecè illa componunt, ut claret ex ejus verbis, quæ sic se habent: *Omnia [Sacramenta] tribus necessariò perfici, rebus, tamquam materia, verbis, tamquam forma, & Ministro.* Ex quibus colligitur apertè, illa tantum tria esse necessaria ad fieri cujuslibet Sacramenti, quæ tria utique concurrunt ad fieri Sacramenti Eucharistiæ. Unde fatemur, Eucharistiam in suo fieri habere res, & verba. At verò dicimus, hæc ad esse Eucharistiæ in facto esse non esse nec verum, nec necessarium. Quapropter notandum est, Concilium non dicere, Sacramentum quodlibet constare ex illis, sed ex illis perfici: aliàs sequeretur, constare etiam ex persona Ministri, cum eodem modo loquatur de Ministro, ac de materia, & forma, dum dicit: *bis tribus perfici.* Unde sensus est, ad con-

ficiendum quodlibet Sacramentum tria requiri, materiam, formam, & Ministrum, quæ etiam in consecratione Eucharistiæ assignantur. Et etiam si diceret, *constare*, sensus est idem, scilicet, quod non potest fieri Sacramentum, nisi per verba, res, & Ministrum. Ex quo sequitur, Sacramentum nec potius esse effectus verborum, quam ex ipsis constitutum. Etenim ille modus loquendi Concilii *ex verbis confici*, importat habitudinem causæ efficientis, non formalis. Unde consecratio requiritur, tamquam actio, qua hoc Sacramentum, quasi effectivè, conficiatur; non tamquam pars intrinseca ejus. Et licet verba appellet formam, intelligit de forma, qua efficitur, non qua constituitur.

134 Respondent secundò Scotistæ, verba consecrationis dici à Concilio Eucharistiæ formam, non intrinsecam, sed extrinsecam, quatenus est forma Eucharistiæ conficiens, non autem illam intrinsecè constituens. Ratio hujus intelligentiæ verborum Concilii est; quia sicut Concilium panem, & vinum absolutè vocat materiam Sacramenti, quamvis verè non sint, nisi tantum materia consecrationis; sic verba ex eo, quod sint forma consecrationis, poterunt pari ratione dici forma Eucharistiæ. Et sicut dum Concilium dixit, materiam ejus esse panem, & vinum, non intellexit, nec intelligere potuit materiam intrinsecè componentem: Siquidem Sacramentum hoc non componitur ex pane, & vino, tamquam ex materia, cum necesse sit, panem, & vinum destrui; sic pariter nomine *formæ* intelligere noluit formam intrinsecam ejus, sed extrinsecam, videlicet, quæ extrinsecè requiritur ad hoc Sacramentum efficiendum.

135 Respondent tertio Scotistæ alii; Eucharistiam in hoc differre ab aliis Sacramentis, quod cætera Sacramenta consistunt in usu, & sunt successiva, ob quod possunt constitui ex verbis, tamquam ex forma in-

trinseca; quia ut entia successiva unum componant, satis est; quod in aliqua sui parte conveniant. At verò Eucharistia consistit in esse permanenti, & ideò Sacramentum habet esse, verbis transactis. Unde dicunt, verba Concilii per distributionem accommodam debere applicari diversimodè diversis Sacramentis: ita ut de illis, quæ in usu consistunt, dicatur constare intrinsecè & rebus, & verbis: de Eucharistia verò, quæ in usu non consistit, tantum extrinsecè, quatenus consecrationis verba concurrunt ad illius consecrationem, & sunt forma consecrationis. Explicatio hæc valde quadrat intentioni Concilii. Dixerat enim Concilium, omnia novæ legis Sacramenta tribus perfici, materia, forma, & Ministro. Postea loquens de Sacramento Eucharistiæ, dicit, materiam ejus esse panem, & vinum, formam verò verba, quibus Sacramentum conficitur. Nunc sic: sed panis, & vinum non sunt materia Sacramenti Eucharistiæ, cum in illo non permaneant, sed tantum sunt materia consecrationis: ergo ejus verba erunt verba consecrationis, non Sacramenti, ut permanentis. Quare, ut rectè ait Hiquæus, Eucharistia duplicem habet rationem, seu dupliciter considerari potest, *in fieri, & in facto esse*: sumpta Eucharistia *in fieri*, constituitur intrinsecè per verborum formam: sumpta verò *in facto esse*, & ut est Sacramentum permanens, non constituitur per talia verba, sed per species, ut postea dicemus.

136 Ex hac triplici responsione à N. Mastrio adducta, & quæ meo videri, in unum coincidit, licet sub diversis verbis expressum, concessio antecedenti de Sacramento Eucharistiæ in ejus fieri, nego consequentiam de Eucharistia in facto esse. Ad explicationem concedo majorem, & distinguo minorem: Concilium idem, ac de aliis Sacramentis, docet de Eucharistia, quoad ejus fieri, concedo: de illa in facto esse, & ut est Sa-

cramentum permanens, nego minorem, & eodem modo distinguitur, & intelligitur utraque consequentia. Solutio satis est declarata, & ad genuinum sensum Concilii manifesta. Ad confirmationem distinguo minorem: sic se habent verba consecrationis, quoad ipsam consecrationem, seu quoad Sacramentum in fieri, concedo: in facto esse, & in esse illius permanenti, nego minorem. Ad probationem distinguo antecedens: verba consecrationis determinant efficienter, & per modum actionis, species ad significandum, concedo, formaliter, nego antecedens, & sic intelligitur consequens. Itaque verba consecrationis non formaliter, sed efficienter determinant species ad significandum, quatenus Sacerdos per verba consecratoria Corpus Domini nostri Jesu Christi adducit sub speciebus, quo peracto, species ipsæ ex institutione divina significant, corpus Christi ibi contineri: formaliter verò Sacramentum Eucharistiæ permanens, & ut Sacramentum necessariò signum sensibile, determinatur, tamquam per formam, per habitudinem signi ad signatum. Quare verba consecrationis habent utique significationem sacramentalem, non quidem formaliter, sed per modum actionis, quatenus habent causalitatem, efficaciamque moralem, in eo consistentem, ut ad prolationem eorum, Deus ponat corpus, & sanguinem Christi sub speciebus. Hac ratione dicuntur effectiva corporis, & sanguinis Domini, atque ista dicitur significatio effectiva, seu per modum actionis. Sed verò præter istam alia admitti debet significatio, quæ competat Eucharistiæ in esse quieto, utpotè Sacramento permanenti, quæ significatio, licet à verbis dependeat in genere causæ efficientis, non tamen in genere causæ formalis.

137 Arg. 2. & replicabis: Nulla est repugnantia, quod verba consecrationis dicantur forma Eucharistiæ, & ut talis, illam constituent; sed non

non repugnat, ita asserendum est, ut conformius Concilio Florentino: ergo. Prob. major. 1. Ideo non; quia verba post prolationem physicè pertransierunt; sed hoc non obstat, ut verè dicantur forma Eucharistiæ: ergo. Prob. minor. Licet verba consecrationis physicè pertransierint, tamen manent adhuc moraliter in ipsis speciebus consecratis, tamquam in effectu suo, sed hoc sufficit, ut verè dicantur forma Eucharistiæ: ergo. Minor claret in Sacramento Baptismi: forma enim Baptismi dicitur esse, quando ejus ultima verba proferuntur, quamvis prima ejus verba transierint: similiter dicitur continuari materiæ, & illam determinare, quamvis materia non sit hinc, & nunc physicè, sed antecessit, vel subsequitur. Unde quamdiu aliqua pars Sacramenti manet, dicitur ipsum Sacramentum esse: ergo pariter in proposito, quamvis forma præcesserit, sufficit, quod maneat species, ut dicatur ipsa forma manere, vel saltem Sacramentum constans tali formâ manere. Prob. major. 2. Illud essentialiter constituit Sacramentum, quod est signum, seu effectivum sui signati; sed hoc competit formæ verbalis consecrationis: illa enim efficit rem Sacramenti: ergo.

138 Respondeo negando major. & minor. ejus primæ probationis. Est enim implicatorium, aliquid esse formam, sive naturalem, sive artificialem rei existentis, dum ipsum non existit; quia quæcumque forma propriè dicta dat esse rei, illudque in suo esse constituit. Ad minoris probationem nego minorem, ejusque falsitas ostensa est §. *Respondebis cum Adversariis*, ubi dictum est, illam moralem permanentiam formæ verborum in speciebus consecratis ad hoc non sufficere, cum moralis tantum existentia non sit physica, & sacramentalis, seu signi sensibilis, qualis requiritur ad constituendum Sacramentum sensibile permanentem, quale est Eucharistia, Paritas de Bap-

tismo non tenet: quia Baptismus non est Sacramentum permanentem, sed in fieri consistens, & successivum, ad cujus existentiam utique sufficit, ut existat aliqua ejus pars, nec aliter existere potest. Unde Baptismus componitur ex partibus successivis, tamquam ex materia, & formâ, inter quas sufficit continuatio moralis, sicut integrant unum tantum morale. In hoc sensu possunt dici verba consecratoria forma Eucharistiæ in fieri; quia sic etiam est Sacramentum successivum in aliquo vero sensu. At Eucharistia, ut de ea hic agitur, quæstio, est Sacramentum permanentem, & ut tale, necessariò exigens, ut simul existat secundum omnes suas partes, ob quod consistere nequit in aliquo successivo, constituyente, nec totaliter, nec partialiter.

139 Ad secundam probationem primæ major. disting. major. Illud essentialiter constituit Sacramentum, quoad fieri, concedo: quoad esse intrinsecum permanentem, nego majorem; & eodem sensu intellectum minori, nego consequentiam. Vel aliter: constituit Sacramentum consistens in usu, seu cujus totum suum esse est fieri, concedo: Sacramentum permanentem post ipsum signum, nego majorem. Sacramentum vel est signum, aut significans aliquid fieri per ipsum, vel aliquid esse per ipsum: & hoc secundo modo species sunt signum præsentis corporis Christi in Eucharistia. Essentia enim Sacramenti consistit in hoc, quod veraciter significet id, quod figurat. Sed quia aliqua Sacramenta significant aliquid fieri per ipsa, nimirum, illa, quæ consistunt in usu, hæc utique efficere debent suo modo id, quod figurant. Unde Sacramentum Eucharistiæ, quod est permanentem, significat veraciter sub esse, quod figurat. Quare non est opus, ut ipsum efficiat corpus Christi præsens, sed sufficit, ut ostendat, ipsum corpus esse præsens ibi, seu ibi existere. *Tota hæc doctrina est N. Subtil. Doct. dist.*

dist. 8. quæst. 1. num. 6. in respons. ad secundum, ubi ait: *Dico enim, quod hoc modo intelligitur illa propositio, Sacramentum efficit, quod figurat: id est, si significat aliquid fieri, illud per Sacramentum efficax fit: si autem significat aliquid esse, illud per Sacramentum, tamquam per signum, verax est.*

140 Replicabis: Si verba consecrationis non sunt forma hujus Sacramenti, hoc Sacramentum caret forma; siquidem nulla alia congruentius assignari potest; sed hoc stante, dici non potest, quodlibet Sacramentum materia, & forma constare, quod videtur contra Concilium citatum: ergo. Hujus replicæ clarissimam responsionem tradit N. Subt. Doctor. quæst. citat. in probatione conclusionis, per verba ibi adducta. Vide illa. Prosequitur Subt. Doct. aliquid excitando, & resolvendo dubium: Si quæras: *quæ sit forma hujus Sacramenti? Dico, quod ipsæ species visibiles sunt materia, id est, proximum fundamentum relationis significationis: & ipsa significatio est ibi formale, sicut in aliis Sacramentis.* Etenim Sacramentum hoc, sicut & alia Sacramenta, componitur ex re significante, & significatione; quia cum veram habeat rationem Sacramenti, participat veram rationem signi; quod signum unum importat de materiali, & est illa entitas sensibilis, cui convenit significatio, & alterum de formali, quod est ipsa significatio. Adhuc prosequitur Doct. inquirendo, & resolvendo: & si quæras: *Quid est in hoc fundamento, tamquam materia, & aliud tamquam forma? Respondeo, quod non est hæc aliud tamquam materia, & aliud tamquam forma, sicut est in aliis. Cujus ratio est, quia istud est permanentem, & ideo non possunt aliqua verba ad ejus essentiam pertinere: in quocumque autem Sacramento distinguitur materia, & forma, signum visibile dicitur esse materia, verba verò forma.* Hæc littera Doct. adeo *Tom. II.*

subtilis, & pulchra est, ut sensus conclusionis pateat per illam, & plura solvantur argumenta.

141 Arg. 3. Ideo verba consecrationis non sunt de essentia Sacramenti Eucharistiæ, tamquam ejus pars formalis, quia sunt causa efficiens Sacramenti, & idem non potest esse simul causa formalis, & efficiens ejusdem compositi; sed non repugnat, rem aliquam simul esse causam formalem, & efficientem ejusdem compositi: ergo. Prob. minor. Licet Sacerdos sua benedictione conficiat aquam benedictam, ipsa benedictio simul est causa efficiens, & formalis; aqua enim benedicta, ut benedicta, includit ipsam benedictionem, tamquam formam: ergo licet Sacerdos verbis conficiat Eucharistiam, tamen Eucharistia potest includere verba, tamquam formam, & consequenter &c. Confirmatur: Licet anima sit causa efficiens illius partis substantiæ, quæ aggenerat per nutritionem, nihilominus est ejus forma; nam illam informat, sicut & totum compositum: ergo pariter verba consecrationis simul efficienter concurrunt ad constituendum corpus Christi sub speciebus, & sunt causa formalis illius compositi, quod ex speciebus, & iisdem verbis resultat. Sic arguit Cardinalis de Lugo, & ex ipso alii ipsum sequentes.

142 Respondeo negando minor. Etenim repugnat, aliquid esse simul causam formalem, & efficientem ejusdem compositi; quia tunc idem esset causa sui ipsius. In tantum enim aliqua dicitur causa efficiens aliquid compositi substantialis, in quantum formam producit in materia. Unde si respectu ejusdem compositi eadem posset esse causa formalis, & efficiens, idem esset causa efficiens sui ipsius. Ad probationem dico, quod benedictio passiva in aqua est quid morale, non quid physicum, benedictionemque illam passivam concipimus in aqua benedicta, ut distinctam

à benedictione activa à Sacerdote præstita. Quare probatio non est ad rem. Nec magis ad rem facit exemplar confirmationis; quia pars, quæ de novo aggeneratur per nutritionem, non habet pro ejus forma solam animam rationalem, sed novam formam mixti, quam præter animam admittimus, & adstruimus in viventibus. Cùm autem anima rationalis sit indivisibilis, producta hac nova parte corporis, ad eam informandam anima sese indivisibiliter protendit. Semper verò præ oculis habenda est doctrina prælaudata Subt. Doct. nempe, quòd quamvis verba consecrationis non sint forma, seu pars essentialis Sacramenti Eucharistiæ, nihilominus possunt dici forma illius, quatenus sunt forma consecrationis.

Sit secunda Conclusio.

143 *Corpus, & sanguis Christi Domini non constituunt, nec totaliter, nec partialiter Sacramentum Eucharistiæ formaliter sumptum.* Est dicere, quòd Eucharistiæ Sacramentum essentialiter non consistit in corpore, & sanguine Christi verè existentis sub speciebus consecratis, nec tale Sacramentum esse quid formaliter compositum ex corpore, & sanguine Christi, & simul ex spectibus. Conclusio, quæ est contra Suarez, & alios plures, tam antiquos, quàm modernos, est N. Subt. Doct. cui conclusioni consentiunt Thomistæ, ut P. Gonet asserit. Probat. 1. ex Subt. Doct. in 4. dist. 8. quæst. 1. num. 2. ponente in definitione Eucharistiæ corpus, & sanguinem Christi, non ut Sacramentum, & signum, sed ut signatum, & significatum. Non enim dicit, quòd est corpus, & sanguis Christi, illa in recto ponendo, ut pars essentialis, vel ut totum constitutum essentialiter, sed dicit, quòd Eucharistia est Sacramentum corporis Christi veraciter contenti sub illis speciebus... & signans,

corpus Christi, & sanguinem sub illis speciebus contineri: ergo ex ipso Doct. corpus Christi neque est totum, neque pars essentialis Sacramenti Eucharistiæ.

144 *Prob. conclusio ratione 1. Ratio formalis constitutiva Sacramenti Eucharistiæ in eo statuenda est, quod ex se habet rationem signi sensibilis; sed corpus, & sanguis Christi in Eucharistia non habent rationem signi sensibilis: ergo non possunt constituere rationem formalem Sacramenti. Major est innegabilis: siquidem juxta omnes Catholicos Theologos, ratio signi sensibilis est quid essentialiter pertinens ad Sacramentum novæ legis, quæ ratio convenire debet Eucharistiæ non minus, quàm aliis Sacramentis. Tum; quia sic dicitur ab omnibus, loquendo de Sacramentis in communi. Tum ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 3. dicente, & docente: *Commune hoc quidem est sacratissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, symbolam esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem. Verum illud in ea excellens, & singulariter reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est.* Minor etiam constat: nam corpus, & sanguis Christi non sunt signa sensibilia, & visibilia, quo stante, non habent rationem, nec partialem, Sacramenti formaliter accepti: ergo Sacramentum Eucharistiæ non est formaliter constitutum ex corpore, & sanguine Christi.*

145 *Respondebis: Corpus, & sanguinem Christi esse sensibilia per aliud, nempe, per species, & hanc sensibilitatem per aliud sufficere corpori Christi, ut sit pars Sacramenti Eucharistiæ; modo quo, contritio, quæ est pars Sacramenti Poenitentiae, fit sensibilis per aliud, scilicet, per confessionem. Hanc responsionem impugnat N. Frassem ex eo, quòd, si juxta illam, corpus, &*

san-

sanguis Christi sunt sensibilia per aliud, sunt sensibilia per accidens, & si ita, consequens est, quòd dumtaxat per accidens, & extrinsecè, non autem intrinsecè spectabunt ad rationem Sacramenti, atque adeo nec partialiter concurrere possunt ad illud intrinsecè constituendum. Verum hæc responsio non videtur satisfacere exemplo Adversariorum de contritione, cùm ipsi instent, contritionem in Sacramento Poenitentiae esse partem intrinsecam, quin ad hoc obstat, quòd fiat sensibilis per aliud, seu per accidens. Quare ex alio capite efficaciter est rejicienda.

146 *Et rejicitur sic: licet corpus, & sanguis Christi fiant aliquo modo sensibilia per species, non tamen fiunt sensibilia eo modo, quo ad Sacramentum requiritur: ergo invalida est responsio. Antecedens declaratur; quia pro nunc dato; quòd contritio sit pars Sacramenti Poenitentiae, de quo dubitant plurimi; dato etiam, & concesso, ad Sacramentum, vel ejus partem aliquam sufficere, quòd sit sensibilis per accidens, tamen sensibilitas hæc talis debet esse, ut proveniat ex aliquo signo ex natura sua significante; quin sufficiat ad Sacramentum, quòd sit tantum sensibile per aliquod signum exterius, quod tantum ex institutione Christi, & fide supposita, illud significet. Quare dispar est ratio de contritione. Actus enim interior voluntatis, qualis est contritio, potest esse sensibilis ratione alicujus signi exterioris ex natura rei illum significantis, & sic notificari solet dolor internus per signa externa. Etenim illud dicitur, per se sensibile, quòd immittit speciem sui ipsius immediatè in sensum: sensibile verò per aliud dicitur illud, quod in tantum sentitur, in quantum illud aliud immittit in sensum etiam aliquomodo speciem istius, & mediante illo, aliquomodo sub sensu cadit. Sic contritio fit sensibilis per externam confessionem; nam per*

Tom. II.

*illam, & præcipuè circumstantionum signis externis fletus, tuasionis pectoris, genuflexione, & aliis similibus, immittitur in sensum species interni doloris, & detestationis peccati, & hoc ex natura rei talium externorum signorum. Unde sensus alter se habet percipiendo confessionem cum talibus effectibus, quàm sine eis, ut per se patet, & quisque expertus est. Hoc enim sufficit, ut fiat sensibilis sufficienti modo ad constituendam partem Sacramenti. Nunc sic: sed audita consecratione, & visis accidentibus panis, & vini, hæc nullo modo immittunt speciem sensibilem corporis, vel sanguinis Christi: nam eadem species, & eodem omnino modo, quo causabatur ante consecrationem in visu, vel tactu, causabatur etiam postea: & eodem modo sensus se habent in cognitionem Corporis Christi sub accidentibus panis, & vini ante consecrationem, ac post consecrationem ex natura ipsorum: solumque fiunt sensibilia per aliud, non ex natura rei, sed ex institutione Christi, & supposita fide; ob quod Ecclesia canit: *Et si sensus deficit, sola fides sufficit: ergo hæc non fiunt sensibilia per species, quantum sufficit ad rationem Sacramenti, quòd est signum sensibile. Unde exemplum de contritione videtur mihi esse ad oppositum, & ex illo posse redargui Adversarios,**

147 *Prob. 2. conclusio: Corpus, & sanguis Christi in Eucharistia habent rationem signati, ut patet ex ejus definitione: ergo non habent rationem signi: ergo nec Sacramenti, quod essentialiter est signum. Patet consequens; quia implicat, idem simul esse signum, & signatum, cùm signatum dumtaxat sit terminus relationis signi. Confirmatur paritate aliorum Sacramentorum, in quibus signum non constituitur essentialiter à signato, nec tamquam à tota sua essentia, nec tamquam à parte: Baptismus enim non constituitur per gratiam, quam significat, tamquam per*

I 2

sui

sui partem, vel totam essentiam: ergo res significata non potest habere rationem formalem signi. Totum fit manifestum ex Trident. supra laudato. Concilium enim expressé distinguit symbolum, & formam visibilem á corpore Christi, quod significat: non itaque Christus potest esse symbolum, & forma visibilis sui ipsius: ergo nec habere potest rationem, nec totalem, nec partialem Sacramenti.

148 Respondebis, quód corpus Christi respectu specierum habet rationem signati; respectu veró gratiæ sanctificantis nobis conferendæ in Sacramenti sumptione, ipsum Christi corpus habet rationem signi practici, & efficacis gratiæ: atque adeo sub hac ratione spectat intrinsicè ad rationem Sacramenti cum speciebus, quin verificetur, idem simul esse signum, & signatum respectu ejusdem, sed respectu diversorum: species sunt signum corporis sub illis existentis, corpus est signum gratiæ per Eucharistiam animæ collatæ, quod totum ingreditur rationem intrinsicam hujus Sacramenti. Verúm hæc solutio in sua vi relinquit nostram rationem: nam Sacramentum est id, quod á Christo est institutum pro signo practico gratiæ, quæ est primum illius significatum; sed hujusmodi primum significatum non est gratia accidentalis, sed est gratia subsistens, quæ est ipse Christus: ergo nulla est responsio. Minor docetur á D. Thoma, & Scoto, juxta quos primariæ consideratio hujus Sacramenti est esse permanens, & hanc differentiam ab aliis Sacramentis statuit Trident. citatum in prima probatione conclusionis. Unde in hac solutione fit transitus á gratia subsistente, & substantiali, cujus hoc Sacramentum, uti permanens, est signum, ad gratiam accidentalem, quæ solúm in ejus usu, & receptione conferri potest.

149 Arg. 1. Tam sacri Canones, quám plurimi ex SS. PP. apertè as-

serunt, Sacramentum Eucharistiæ constare ex corpore, & sanguine Christi: ergo dicendum est, quód si non totaliter, ad minus hoc Sacramentum essentialiter ex corpore, & sanguine Christi constat, tamquam ex parte ejus intrinsicæ. Antecedens constat ex cap. *Hoc est dist. 2. de cons. ubi dicitur: Sacrificium constare duobus, scilicet, visibili elementorum specie, & invisibili Jesu carne.* S. Irenæus lib. 4. cap. 34. ait: *Eucharistiam duobus rebus constare nimirum, terrena, & cælesti.* Idem docet August. & alii SS. PP. Sed ad omnia hæc, & similia, concessio antecedenti, negatur consequentia. Dum enim SS. PP. & Ecclesiæ Doctores, Sacramentum Eucharistiæ, dicunt, duobus constare, scilicet, & visibili elementorum specie, & ex invisibili corpore, & sanguine Christi Domini, nihil aliud docere prætendunt hoc modo loquendi, quám quód corpus, & sanguis Christi Domini verè, & realiter existunt simul, & permanentes cum speciebus consecratis, quod negant Hæretici: nihil interim curantes: an utrumque sit, vel non sit de ratione formali Sacramenti Eucharistiæ, de quo non erat ipsius cum Hæreticis metaphysica controversia. Nec verba cap. *Hoc est* aliquid convincunt contra assertionem. Tum; quia eodem cap. sufficienter distinguit corpus Christi á ratione Sacramenti, dicens, Sacramentum Eucharistiæ esse species consecratis, corpus veró Christi esse rem Sacramenti. Sic dicit: *Sacrificium Ecclesiæ duobus constare, & Sacramento, & re Sacramenti*, id est, Corpore Christi, quod verissimum est. Tum, quia ibi agitur non de Sacramento, sed de Sacrificio, inter quæ adest dispar ratio. Siquidem ut sit Sacrificium, sufficit, quód corpus Christi ibi Deo offeratur in memoriam, & imitationem Sacrificii crucis: at veró ut sit Sacramentum, debet esse quid sensibile representans aliquid invisibile. Quare dum ex PP. di-

dicitur, quód definiunt Eucharistiam per corpus, & sanguinem Christi, distinguendum est sic: tamquam per quid realiter contentum, & significatum, conceditur: velut Sacramentum formaliter, negatur.

150 Replicabis: Idem est Sacramentum Eucharistiæ, ac Sacrificium altaris; sed ut Sacrificium non consistit in speciebus; quia quod offertur in altari est illud idem, quod fuit in cruce oblatum, licet differenti modo: ergo. Nego major. absolute, & simpliciter loquendo. Sacrificium enim, si sumatur pro ipsa actione sacrificandi, est oblatio alicujus hostiæ, circa quam Sacerdos aliquam exercet sacramentariam. Si veró accipiatur pro re oblata, quæ dici solet hostia, Sacrificium in Eucharistia non supponit pro speciebus sacramentalibus, sed tantúm pro sanguine, & corpore Christi sub eis contentis. Sic deducitur ex Trident. sess. 22. cap. 1. ubi dicit; quód Christus in ultima Cæna corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini obtulit Deo Patri. At veró Sacramentum, ut docetur ab ipso Concilio, est rei sacræ signum, quod non nisi de speciebus potest verificari.

151 Arg. 2. Corpus Christi cum speciebus facit unum Sacramentum: ergo negari non potest, quin Sacramentum hoc sit quid unum ex speciebus, & Corpore Christi equaliter coalescens: ergo istud unum aliquo uno vocabulo in Ecclesia significatur; sed istud vocabulum non est aliud, quám Sacramentum Eucharistiæ: ergo. Confirmatur: Id est Eucharistiæ Sacramentum, quod per se primò fit consecratione sacramentali; sed per consecrationem neque sunt, vel fiunt species seorsim sumptæ, neque corpus, & sanguis Christi seorsim, sed quoddam ineffabile compositum ex utroque: ergo utrumque est de ejus essentia. Respondeo distinguendo antecedens: faciunt unum unitate aggregationis, vel inte-

gritatis, concedo: unitate compositionis essentialis, nego antecedens. Vel clariús: unitate continentis, & contenti, vel signi, & signati, concedo; unitate partium essentialiter componentium, nego. Solutio ex dictis claret. Ad confirmationem potest negari, & potest concedi major, juxta diversitatem sensuum, in quibus accipi potest. Si per quod per se primò fit consecratione sacramentali, intelligatur transubstantiatio panis in corpus Christi, quod utique fit ex vi verborum consecrationis, sic nec transubstantiatio, nec verba sunt Sacramentum formaliter sumptum, & prout de eo controvertitur. Si veró per ly quod per se primò fit consecratione sacramentali, intelligatur, ipsas species panis manere consecratis, atque adeo sub illis corpus Christi veraciter continetur, sic vera est major, & hoc est, quod asserit nostra conclusio. Quare dico ad minorem, quód licet per consecrationem non fiant species nudæ, & absolute sumptæ; quia sic jam præerant, fiunt tamen, ut consecratæ, & corpus, ac Christi sanguinem continentes, & ut fundant relationem signi ad illa, tamquam signatum sub illis contentum. Et in hoc sensu dicitur, fieri Sacramentum Eucharistiæ per consecrationem.

152 Arg. 3. Sacramentum Eucharistiæ adoratur á fidelibus cultu latriæ, sed species consecratæ non debent tali cultu adorari: ergo talis cultus, vel exhibetur corpori, & sanguini Christi seorsim, & secundúm se, vel speciebus cum corpore, & sanguine simul: ergo vel Eucharistia supponit tantúm pro corpore, & sanguine Christi, quatenus sub speciebus continentur, vel saltem pro aggregato ex utroque, & consequenter &c. Antecedens est expressum in Concil. Trident. sess. 13. cap. 5. *Nul- lus enim, inquit, dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, quod*

beno Deo debetur, huic Sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant: neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit à Christo Domino, ut sumatur, institutum: nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater Æternus introducens in Orbem terrarum dixit: *Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Minor constat; quia ut sæpè docet S. Synodus, *solus Deus hoc latræ cultu debet adorari.* Igitur si juxta Concilium cultus latræ adhiberi debet Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, tale Sacramentum necessariò consistit in corpore, & sanguine Christi.

153 Huic argumento plures Theologi sic disting. majorem: Sacramentum Eucharistiæ adoratur cultu latræ, secundum id, quod in eo continetur, concedunt: illud enim est corpus Christi, quod reverá est adorandum cultu latræ propter unionem hypostaticam, ut docetur in Tract. de Incarnatione, agendo de adoratione humanitatis Christi: adoratur cultu latræ, secundum signum continens per se nudè, & simpliciter sumptum, negant. Dum enim, dicunt, Concilium Tridentinum decernit, Sacramentum Eucharistiæ cultu latræ esse adorandum, accipit ibi Concilium continens pro contento, scilicet, Sacramentum pro Christo, qui in eo continetur. Quare cum doctrina illa reducitur ad fidei definitionem, sic proponitur can. 6. *Si quis dixerit, in Sancto Eucharistiæ Sacramento Christum Unigenitum Dei filium non esse cultu latræ, etiam externo, adorandum: anathema sit.* Ubi Christus dicitur adorandus in Sacramento.

154 Doctrina hæc displicet Mastrio, dicens, hoc Sacramentum, ut tale, adorari debere cultu latræ, quod expressè constat ex Concilio, docente verbis in argumento relatis, Sacramento ipso, & non tantum Christo in ipso existenti, deberi cultus latræ, ut denotant verba illa:

huic Sacramento Sanctissimo, quæ de speciebus ipsis consecratis sunt intelligendæ. Unde nedum Christus in hoc Sacramento existens adoratur latræ, sed etiam species ipsum continentes, sicut adoratur crux, & imago Christi. Imò potiori jure; quia imago repræsentat nobis Christum præsentem solum objectivè; species verò consecratæ corpus Christi repræsentant realiter præsens, ut proinde, cum simul unitæ sint Christo, non quidem physica unione, sed intima præsentia, simul obijciuntur adorandæ eodem prorsus actu, quo Christus adoratur. Sic etiam discit Hiquæus in Comment. dist. 8. quæst. 1. in fine; quia ad adorationem latræ sufficit repræsentatio, & tactus, ut patet in Cruce, & Imaginibus: ergo potiori jure in venerabili Sacramento, ubi Christus includitur realiter, & demonstratur præsens.

155 Sed recolendum est hic, ut benè advertit Aretinus, quod communiter docent Theologi Tractat. de Incarnatione de adoratione Imaginum, nimirum, aliud esse imaginem adorari, & aliud esse rationem formalem adorationis. Dum igitur imago adoratur, totum illud, quod est in imagine, ut tali, pertinet ad objectum materiale adorationis, ita quod illa imago formaliter sumpta est illa, quæ adoratur: ratio verò formalis sub qua adoratur, est ipsa res per imaginem repræsentata. Sic in nostro casu: cum species sacramentales adorantur, totum illud, quod intrinsecè, & formaliter pertinet ad Sacramentum Eucharistiæ, se tenet ex parte objecti materialis adorationis, & est terminus illius: Christus autem realiter contentus sub speciebus est ratio formalis objecti adorationis; juxta quam doctrinam minor argumenti neganda est, & ad ejus probationem dicendum, quod solus Deus est adorandus cultu latræ absolute, & tamquam ratio formalis sub qua, non verò solus ipse Deus, tam-

tamquam ratio, aut tamquam objectum materiale, & ratione quæ adorationis.

156 Replicabis: Quod species sub se Christum contineant, non sufficit, ut adorari debeant adoratione latræ: ergo. Prob. antecedens: Nam etiam sub illa ratione considerata tales species, distinctæ sunt à Christo Domino; sed ut sic distinctæ non debent tali cultu adorari: ergo. Ex quo sequitur, quod Christus sub eis existens possit adorari latræ, non verò ipsæ species: sicut ex eo, quod Christus contineatur, & sit in ciborio, & tabernaculo, non sequitur, ipsum ciborium, & tabernaculum posse adorari, sed solum Christum in illis existentem. Respondeo, instantiam istam non esse ad rem, nec est paritas inter tabernaculum, aut ciborium, & species sacramentales; quia inter tabernaculum, & Sacramentum non datur illa sacramentalis unio, & existentia ex pacto divino, qualis reperitur inter species consecratis, & Christi corpus sub illis realiter contentum. Unde nego antecedens. Ad hujus probationem concedo majorem, & nego minorem. Licet enim plures sint Theologi, qui censeant, species sacramentales in se inspectas, & prout à Christo distinctas, non esse adorandas cultu latræ; sed hyperdulæ, quatenus dicunt, est dignitas, quam illæ species mutuatur ex sui conjunctione ad Christum, sit major omni creata excellentia, minor tamen est humanitatis Christi dignitate; prout humanitas unita est hypostaticè Verbo Divino, ac proinde minori adoratione adoranda: quamvis igitur ita sentiant, ego cum aliis plurimis, & celebrioribus Doctoribus, inter quos ex nostris Hiquæus, & Mastrius, censeo, ipsismet speciebus consecratis, secundum se consideratis, adorationem respectivam latræ impendendam esse. Hic igitur cultus debetur speciebus, quia per eam habitudinem Christum includunt, & per conco-

mitantiam Deitatem, ob quam præsentiam Concilium Tridentinum assignat hanc rationem motivam cultus, & asserit, tribuendum esse huic Sanctissimo Sacramento, quod de ipsis consecratis speciebus est intelligendum. Doctrina hæc fit manifesta in Imaginibus, & Cruce Domini, quæ adorantur cultu latræ respectivè: ergo potiori jure speciebus consecratis talis cultus tribuendus est; quia Imago solum repræsentat nobis Christum objectivè præsentem, species verò consecratæ repræsentant Christi corpus præsens realiter. Vide §. Doctrina hæc displicet.

Sit tertia Conclusio.

157 Eucharistiæ Sacramentum formaliter, & essentialiter consistit in solis speciebus consecratis, quatenus connotant, corpus, & sanguinem Christi sub ipsis contineri. Est contra quotquot asserunt, hoc Sacramentum consistere essentialiter in ipso corpore, & sanguine Domini, & etiam contra asserentes, in verbis consecratoriis stare. Est verò conclusio N. Subt. Doct. loco pluries citato num. 7. dicentis: *Et si omnino quæras, quæ sit forma hujus Sacramenti. Dico, quod ipsæ species visibiles sunt materia, id est, proximum fundamentum relationis significationis, & ipsa significatio est ibi formale.* In quo docet, quod Eucharistiæ tantum supponit pro speciebus, quatenus continent corpus, & sanguinem Christi. Est communis in nostra Schola, & in Thomistica. Probatür 1. ex modo loquendi Ecclesiæ, quæ in sequentia Missæ in honorem hujus Sacramenti, & pro ejus solemnifimo festo instituta, ita canit: *Fractio demum Sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub framento, quantum toto tegitur.* Sed fractio solum est in speciebus, non in re sub speciebus contenta; solum est in signo, non in signato, seu significato, ut patet in verbis sequentibus: *Nul-*

la rei fit scissura, signi tantum fit fractura, qua nec status, nec status signati minuitur: ergo. Confirmatur ex Conciliis Lateran. & Trident. definientibus, corpus, & sanguinem Domini in Sacramento altaris contineri: ergo juxta Concilia, Sacramentum, & corpus Christi distinguuntur, ut continens, & contentum: speciesque vocant continens, ac corpus, & sanguinem Christi contentum: ergo ratio Sacramenti salvatur in solis speciebus, prout continent Christi Domini corpus.

158 Probatur 2. ex Innocent. III. cap. Cum Martine de celebratione Missarum, ubi ait: „Distinguendum est subtiliter inter tria, que sunt in Sacramento discreta, videlicet, formam visibilem, veritatem corporis, & virtutem spiritualem. Forma est panis, & vini, veritas carnis, & sanguinis, virtus unitatis, & charitatis. Primum est Sacramentum, & non res: Secundum est Sacramentum, & res: Tertium est res, & non Sacramentum.“ Ubi Pontifex asserit, primum esse species panis, & vini; secundum corpus, & sanguinem Christi; tertium gratiam sanctificantem, que homini datur in actuali sumptione. Item; quod primum tantum est Sacramentum, & res: tertium, quod est res, & non Sacramentum. Ex quo arguo sic: sed in aliis Sacramentis, quod est res, & Sacramentum simul, non est Sacramentum simpliciter, aut essentialis pars Sacramenti: ergo. Minor fit certa in Baptismo, Confirmatione, & Ordine. Character enim baptismalis, qui est res, & Sacramentum in Baptismo (idem de characteribus Ordinis, & Confirmationis respectivè) non est Sacramentum Baptismi, nec ejus pars essentialis: ergo neque corpus, & sanguis Christi, cum sint res, & simul Sacramentum, in Eucharistia sunt simpliciter Sacramentum Eucharistiae, nec ejus pars essentialis.

159 Probatur etiam eadem veritas ex confessione fidei Berengarii, que habetur cap. Ego Berengarius dist. 2. de consecratione, ubi coram 113. Episcopis, in Romana Synodo collectis, profitetur sic: „Consecratio S. Romanæ, & Apostolicæ Sedis, & ore, & corde profiteor de Sacramento dominicæ Mensæ, eandem fidem me tenere, quam Dominus, & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus auctoritate Evangelica, & Apostolica tenendam tradidit, mihi que firmavit: scilicet, panem, & vinum, que in altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, & sensualiter non solum Sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari &c. Eos verò, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus, & secretoribus suis, æterno anathemate dignos esse pronuntio.“ Et Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. part. 8. cap. 7. diffusè explicat, species consecratas habere rationem Sacramenti, seu signi sacramentalis, corpus autem, & sanguinem Christi Domini esse rem in hoc Sacramento significatam. Confirmatur ratione: In his speciebus post consecrationem habetur quidquid ad essentiam Sacramenti requiritur, nempe, quod sit signum visibile ex divina institutione significans gratiam invisibilem, sive subsistentem, & substantialem, scilicet corpus, & sanguinem Christi immediatè; ergo tota ratio hujus Sacramenti stat in speciebus consecratis.

160 Probatur secunda pars conclusionis: Omne relativum, aut signum, aut continens connotant suum terminum, aut significatum, aut contentum, à quo specificatur extrinsecè; sed species consecratæ sunt signum significans, & continens sub se corpus, & sanguinem Christi: ergo species illæ, prout tale corpus,

et

et sanguinem connotantes, sunt Sacramentum Eucharistiae. Et nota, quod omne relativum connotat, et dicit de obliquo suum objectum, seu suum terminum. Cum ergo Sacramentum Eucharistiae, sicut et alia Sacramenta, sint in genere signi, et signum dicat ordinem ad signatum, hinc est, ut ipsum signatum in quolibet Sacramento habeat rationem formæ extrinsecæ, à qua extrinsecè specificetur, modo quo relationes, et relativa à suis terminis specificari dicuntur. Unde cum in hoc Sacramento principale signatum sit corpus, et sanguis Christi, sequitur, hæc aliquomodo, nempe, de connotato, et in obliquo pertinere ad essentiam Sacramenti, et Sacramentum ab eis extrinsecè specificari. Ex quo non sequitur, nec rectè dicitur, connotatum pertinere ad essentiam hujus Sacramenti; quia non potest se habere tantum connotativè id, quod rem constituit essentialiter, seu secundum primarium ejus conceptum, cum semper primarius rei conceptus ad esse connotativum præsupponatur.

161 Ex hucusque dictis infero, quod permissio, quod Sacramentum Eucharistiae essentialiter consisteret in aggregato ex speciebus, & corpore, & sanguine, non adhuc importaret de recto corpus, & species pro connotato, sed è contra. Sic Mastrius contra Vazquez, & Lugo, quod probat N. Gavatus decem expressissimis auctoritatibus Conciliorum, & Patrum. Et si interdum alii Patres dicunt, Sacramentum Eucharistiae esse corpus, & sanguinem Christi in recto, jam dictum est supra num. 149. eorum intentum tantum fuisse, docere veram, & realem corporis Christi existentiam sub speciebus, quin inter eos umquam fuerit altercatio scholastica de partibus hujus Sacramenti constitutivis, sed tantum de vera, & reali præsentia corporis Christi in Eucharistia, quam existentiam Hæretici negabant. Et licet Sententia noster cum

Tom. II.

Lugo asserat, quod, spectato usu loquentium, magis, quam species, videtur, corpus, & sanguinem Christi importari de recto, ita non est, quin potius è converso. Ratio, & insimul probatio hujus illationis est: 1. Quia species sacramentales appellantur in recto Sacramentum, ex locis supra citatis cap. Cum Martine, & cap. Ego Berengarius. Et sic passim loquuntur Patres, & fideles, dum ajunt, Sacramentum in altari exponi, dum exponuntur sacramentales species. 2. Quia valet hæc prædicatio: species consecratæ sunt Sacramentum Eucharistiae, & è converso, Eucharistia est species panis, & vini consecrata. Tandem; quia speciebus consecratis competit integra, & perfecta definitio Eucharistiae: ergo & definitum, juxta locum topicum. Antecedens est certum: nam juxta Subt. Doct. species istæ sunt signum sensibile gratiam subsistentem ex institutione divina efficaciter significans; & hæc est ratio hujus Sacramenti, ut constat ex ejus definitione.

162 Arg. 1. Per nos, ideò corpus, & sanguis Christi non sunt Sacramentum Eucharistiae; quia sunt res, & Sacramentum simul, atque adeo non sunt essentialiter Sacramentum; sed ex hoc potius oppositum deducitur: ergo infirma est nostra probatio. Major est secunda probatio conclusionis ex Innocentio III. Prob. minor: à propositione de prædicato copulato ad quamlibet partem illius est bona consequentia: V. g. in hac: Petrus est albus, & sapiens, valet: ergo est albus: ergo est sapiens: ergo si corpus Christi in Eucharistia est res, & Sacramentum, bene sequitur, esse Sacramentum; & consequenter ratio nostra est ad oppositum. Respondeo negando minorem, & concessa probatione de propositione, quæ verè est de prædicato copulato, nego consequentiam, & paritatem adductam. Dico igitur, quod esse rem, & Sacramen-

K

men-

mentum, est esse Sacramentum secundum quid tantum. Unde arguitur à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, in quo non valet argumentatio. Nec facienda est vis in nomine *Sacramenti*, ut inde inferatur rationem Sacramenti illi simpliciter convenire; quia ob vocabulorum penuriam utuntur Theologi hoc nomine; & ideo illi adjungitur nomen *res*, ad denotandum, hoc esse medium quoddam inter Sacramentum tantum, & rem tantum. Et licet medium utriusque extremi naturam participet, non tamen eam participat simpliciter, & secundum totam suam rationem. Exempli gratia: si medium aliquem colorem, qui proprium nomen non haberet, appellaremus album, & simul nigrum, non inde simpliciter, et in rigore posset colligi: ergo est albus: ergo est niger. Doctrina hæc in hoc puncto notanda est valde ad tollendas plures de nomine lites.

163 Arg. 2. Sacramentum Eucharistiæ est id, quod à Christo est institutum per modum cibi, et potus spiritualis animæ; sed esse cibum spirituales animæ non competit propriè speciebus sacramentalibus, sed corpori, et sanguini Christi: ergo corpus, et sanguis Christi essentialiter hoc Sacramentum constituunt, et species solum de connotato, seu se habent concomitanter. Major certissima est, et constat ex Trident. sess. 13. cap. 2. Minor ex Joan. cap. 6. *caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Ubi non dixit Christus, *panis, sed caro mea verè est cibus*: nec dixit: *Vinum, sed sanguis meus verè est potus*. Et qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem &c. Respondeo distinguendo majorem: quod à Christo institutum est per modum cibi, et potus sensibilis, concedo: cibi, et potus insensibilis, nego majorem, et eodem modo distincta minori, nego consequentiam. Vel aliter ex P. Mastrio: Sacramentum hoc quoad esse

principale, primum, et permanentius institutum est in cibum spirituales, nego: quoad usum, et sumptionem ejus, concedo, et sic reliqua argumenti sunt intelligenda.

164 Ex quo, juxta primam solutionem, dico, quod Christus ibi asserit, carnem suam esse verè sub speciebus panis, et vini, seu insensibiliter, in quo non potest stare ratio Sacramenti, quæ sita est in esse sensibili. Ideò dicebat: *panis, quem ego dabo*, scilicet, sensibiliter, et quasi panem, *caro mea est*, sub illis accidentibus panis latens, et ideò hæc species sunt verè Sacramentum. Unde advertendum est, quod in Eucharistia distingui potest triplex cibus animæ: unus sensibilis, qualis sunt accidentia panis, et vini, quæ sensibiliter manducantur, et bibuntur: alii duo insensibiles, quorum unus est corpus, et sanguis Christi, quæ sub illis sensibilibus sumuntur: alter est gratia, qua anima spiritualiter cibatur, et nutritur, quæ gratia producit, et recipitur in Sacramenti receptione. At verò species sacramentales sunt cibus sensibilis, et alium utrumque cibum invisibilem, et insensibilem continent; corpus quidem Christi actualiter, et realiter, gratiam autem virtualiter, et causaliter. Unde dum dicimus, quod species sacramentales sunt cibus spiritualis animæ, intelligendum est de cibo sensibili, et duos insensibiles cibos continente, et conferente, ut rectè N. Brancatus advertit. Quate de ratione Sacramenti Eucharistiæ est, ut sit cibus sensibilis continens alios cibos insensibiles. Neque ex hoc infertur, etiam corpus Christi ingredi partialiter essentialiter Sacramenti; quia est cibus spiritualis animæ. Ratio est; quia hoc etiam sequeretur de gratia, quæ est alter cibus spiritualis animæ. Solum ergo deducitur, utrumque cibum in speciebus contineri, unum actu, alterum virtute, speciesque esse significativas utriusque cibi, ita ut unum sit signi-

QUÆSTIO VIII.

An hoc Sacramentum sit unum, vel multiplex in se?

166

Quia hoc Sanctissimum Sacramentum conficitur sub duplici specie, scilicet, panis, et vini; et similiter, quia toties conficitur in distinctis formulis panis, et potionibus vini, hæc controvertitur I. An sit unum Sacramentum, vel potiùs plura specie Sacramenta, sub speciebus panis, et vini. Controvertitur II. An sit unum, vel plura numero Sacramenta in pluribus hostiis consecratis, et pluribus potionibus vini? Mastrius in 4. disp. 3. quæst. 2. num. 34. hanc quæstionem de nomine vocat, & de modo loquendi, plusquam de re. Verum quamvis de modo loquendi non parum habeat, varietas opinandi, & vis uniuscujusque in suum sentire roborando, illam satis de re reddit. Ante resolutionem duo suppono certa. 1. Species panis, & vini, seorsim sumptas, gratiam causare sacramentalem, ac directè significare diversam, scilicet, corpus sub speciebus panis, & sanguinem sub speciebus vini. 2. Utramque speciem, seu partem, unum integrare convivium, unitate saltem integritatis: Siquidem nec integrum esset in cibo sine potu, nec in potu sine cibo. Item, utramque speciem unum, eundemque Christum continere, in unumque finem, & convivium Eucharistiæ institutam esse, nempe, ut fideles in unum corpus mysticum adunentur, juxta illud Apost. 1. Corint. 10. *Unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus*. Ex quo videtur, Sacramentum esse unum, & non duo. Sed de hac unitate dubitatur, qualis sit? Aureolus, Major, Gabriel, quibus accessit N. Gavatus disp. 2. quæst. 1, affirmarunt, esse plura Sacramenta specie infima, seu atoma, unum verò

K 2

rò

nificatum primum, scilicet, corpus Christi, alterum, nempe, gratia, secundarium.

165 Juxta secundam solutionem Mastrii, quæ fere in primam reincident, concedendum est, species esse cibum spirituales animæ, seu gratiam in ipsa causare, quod, ut Hiquæus ait, perperam negant aliqui; siquidem universaliter verum est, Sacramenta novæ legis efficere gratiam, quam significant, ex Trident. sess. 7. can. 6. 7. et 8. At verò Eucharistiæ Sacramentum considerandum est dupliciter, vel quoad esse permanent, quod est suum esse quidditativum, et essentialiter, vel quoad ejus usum, vel sumptionem. Considerato primo modo, falsum est, quod sit cibus spiritualis animæ; quia sic Eucharistia est Sacramentum, et permanent in ratione talis, ante ipsius usum, et sumptionem, et etiamsi non sumatur. Unde corpus Christi non est cibus spiritualis animæ in actu secundo, nisi in usu, et sumptione Sacramenti, et in hoc sensu loquitur Concil. Trident. scilicet, de altero fine hujus Sacramenti, et illius institutionis, qui quidem finis habetur in sumptione. Unde tam corpus Christi, quam species sunt causæ ejusdem gratiæ: Sacramentum est id, quod cibatur animam, sub figura panis, et vini; corpus autem Christi est quo, quatenus sub speciebus realiter continetur. At verò non intelligas ex hoc, quod gratia physicè causetur à corpore Christi; quia, sicut et in aliis Sacramentis, solum illam causat, ut causa meritoria, et moralis, sed tamen, mediante applicatione ipsius Sacramenti, nempe, specierum. Unde tam corpus Christi, quam species sunt causæ morales ejusdem gratiæ in Sacramentum debitè recipiente. Alia argumenta, quæ contra antecedentes conclusiones objecta sunt, et soluta, veniunt etiam contra istam. Vide illa.

Tom. II.

ro secundum quid, seu specie subalterna, aut genere proximo.

167 Contra secundam partem controversiæ, scilicet, *an sit unum, vel plura numero Sacramenta, in pluribus hostiis consecratis, & pluribus portionibus vini?* Sunt plura DD. placita. Unum dicunt, omnes species consecratas ubicumque, & quomodo-cumque sicut, esse unum numero Sacramentum. Ita Suarez. Hunc dicendi modum sequuntur plures, inter quos Cardinalis de Lugo. Alii asserunt, unitatem numericam hujus Sacramenti pendere ex morali conjunctione specierum, ita ut omnia illa, quæ per modum unius proponuntur, vel tribuuntur, censeantur unum Sacramentum, etiamsi non sint continua physicè. Unde hæc sententia videtur solum multiplicare numero Sacramentum per diversam numero summptionem, aut Sacramenti propositionem. Pro hac opinione citantur aliqui Scotistæ cum Valentia tom. 4. disp. 6. quæst. 2. Alteri denique defendunt, tot esse numero Sacramenta, quot sunt species consecratæ numero diversæ, divisæ, & discontinuatæ. Unde necessarium est, difficultatem propositam resolvere per varias conclusiones.

168 Sit I. Conclusio: *Eucharistia sub specie panis est distinctum Sacramentum ab Eucharistia sub specie vini.* Unde species panis, & vini consecrati sunt duo Sacramenta partialia specie distincta. Hæc conclusio, ait N. Frassen, communior, & verior est, vocatque Eucharistiam materialiter sumptam, nempe, sumpta Eucharistia prout est sub duplici materia specie diversa, qualis est species panis, & vini. Probatur 1. ex Conciliis, & PP. non raro appellantis Eucharistiam *Sacramenta* in plurali. In Concilio Carthaginensi can. 24. dicitur: *In Sacramentis corporis, & sanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quam Dominus ipse tradidit, id est, panis, & vinum aquæ mixtum.* Et can. 29. *Sacramen-*

ta altaris non nisi à jejunis hominibus celebrentur. Eadem expressio *Sacramentorum Eucharistiæ* habetur ex Gelasio Papa Epist. ad Macarium, & Joannem, Episcopos: & ex Clemente Papa cap. *tribus gradibus* Epist. 2. Præterea: Concil. Trident. sess. 21. cap. 3. & can. 3. definit, sub speciebus panis, & sub speciebus vini, id est, sub qualibet illarum (etiamsi divisim sumantur) esse verum, & reale Sacramentum.

169 Probatur ratione: Quodvis signum sensibile, efficaciter gratiam significans, est simpliciter Sacramentum; hæc enim est Sacramenti essentia; sed species panis, seorsim à specie vini, & pariter species vini, seorsim à specie panis, est signum sensibile efficaciter gratiam significans: ergo utraque species seorsim ab alia est simpliciter Sacramentum. Prob. minor. Tum; quia in qualibet specie seorsim ab alia significatur, & continetur effectus gratuitus, sive gratia substantialis, & subsistens, scilicet, corpus Christi sub speciebus panis, & sanguis ejus sub speciebus vini, quæ gratia est primum signatum, & significatum per tales species: ergo quælibet earum seorsim ab alia &c. Tum; quia quælibet species seorsim sumpta confert gratiam suscipienti sine obice. Confirmatur: Dum adest specifica distinctio signi sacramentalis, adest distinctio specifica Sacramenti; sed in qualibet ex speciebus consecratæ panis respectu vini, & vini respectu panis, adest specifica signi distinctio: ergo. Prob. minor. Vel distinctio specifica signi sumitur ex distinctione specifica materiæ, cui inest significatio, vel ex distinctione significati, vel simul ex utroque, non enim videtur aliud caput, ex quo desumi possit; sed ex quocumque ex his sumatur, arguitur specifica distinctio: ergo. Prob. min. quoad primam partem: Panis, & vini accidentia sunt materia, & fundamentum

ta-

talium significationum, ut est innegabile; sed species panis, & vini specie differunt, ut per se patet: ergo ex parte materiæ, cui significatio inest, specifica distinctio adest. Prob. minor. quoad secundam partem: Immediatus terminus significationis talium specierum est corpus, & sanguis Christi; sed Christi corpus, & sanguis, secundum se, & in esse physico, specie distinguuntur, & differunt: ergo termini immediati talium significationum sunt diversi in specie. Ex quo sic pro probatione tertiæ partis: ergo etiam ipsa signa, ex utroque compacta, differunt specie; nam supposita distinctione specifica materiæ, quæ significat, vel cui adest significatio, & distinctione specifica signati, consequens est specifica distinctio signi ex illis resultantis.

170 Si dicas cum aliquibus, quod terminus talium significationum est gratia sanctificans, quæ semper eadem est respectu utriusque speciei panis, & vini. Contra est 1. quia ut abundè dictum est quæst. præcedenti, & ex se est perspicuum, talis gratia accidentalis in Eucharistiæ Sacramento non est terminus immediatus signi, sed tantum terminus medius. Etenim significatum primum specierum panis est corpus Christi, & primum significatum specierum vini est ejus sanguis, quæ signa, & significata permanent, etsi à nullo recipiatur Sacramentum: gratia autem sanctificans est significatum secundarium, quæ dignè communicanti confertur, & sine qua collatione stat totum Sacramentum. Contra est 2. Gratia sanctificans, quæ confertur dignè suscipienti Sacramentum sub speciebus panis, saltem quoad modum, videtur specie diversa à gratia accidentali sanctificante, quæ confertur sub speciebus vini: siquidem una est alimonia spiritualis, quæ confertur per modum cibi, alia per modum potus; eibus autem, & potus diverso modo nutriunt.

171 Sit II. Conclusio: *Sacramentum Eucharistiæ integrè, & completè sumptum, ac ex utraque specie compactum, est unicum Sacramentum in specte infima, seu atoma.* Est dicere, quod ex speciebus panis, & vini consecratis fit unicum Sacramentum integrum in specie, ita ut neutra illarum specierum sit integrum, & adæquatum Sacramentum Eucharisticum. Et nota, quod species infima, seu atoma, illa est, quæ in alias totales, integras, & adæquatas species non valet subdividi. Conclusio est contra Authores relatos ab initio quæstionis, & est communior, verior, ac expressa N. Subt. Doct. in 4. dist. 8. quæst. 1. §. *De unitate.* Sed postea videbitur, quæ sit hæc unitas in sensu Doct. Subt. Prob. 1. conclusio ex Concil. Lateran. cap. *Firmiter*, & Florentino in instructione Armenorum, & ex Trid. sess. 7. in quibus asseritur, Sacramenta novæ legis esse septem dumtaxat, nec plura, nec pauciora, enumeraturque Eucharistia, tamquam Sacramentum unicum ex illis: ergo juxta Concilia Eucharistia est unicum Sacramentum in specie infima, seu atoma. Prob. consequent. Si ut volunt Adversarii, Eucharistiæ Sacramentum esset specie multiplex, seu unum dumtaxat specie intermedia, aut subalterna, non posset dici unum Sacramentum; sed hoc est contra stabilitum in Conciliis: ergo. Major patet; quia homo, & leo non possunt dici simpliciter unum animal, sed simpliciter plura animalia, estò convenient in ratione animalis, tamquam generis proximi, vel speciei subalterne. Pariter ergo.

172 Confirmatur 1. ex modo loquendi Ecclesiæ de Eucharistia, quam Sacramentum appellari solet nomine singulari, ut videri est in officio Corporis Christi: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui*: quo loquendi modo frequentius utuntur Patres, & Concilia, dum de Eucharistia loquuntur, tamquam de unico Sacra-

eramentis. Confirmatur 2. ex Catechismo Tridentini de Eucharistia, n. 10. dicente: „ Licet duo sint elementa, panis, scilicet, & vinum, ex quibus integrum Eucharistiae Sacramentum conficitur: non tamen plura Sacramenta, sed unum tantum esse, Ecclesiae auctoritate edocti confitemur: aliter enim septenarius Sacramentorum numerus, quemadmodum semper traditum, atque a Concilio Lateranensi, Florentino, & Tridentino decretum est, constare non poterit. Nam cum hujus Sacramenti gratia unum corpus mysticum efficiatur, ut Sacramentum ipsum rei, quam efficit, conveniat, unum esse oportet. Nam quemadmodum cibus, & potio, quae diversae res sunt, ad unam tantum rem adhibentur, ut, scilicet, vires corporis reficiantur; ita etiam duas illis diversas Sacramenti species respondere consentaneum fuit, quae cibum spiritua-lem significarent, quo mentes sustententur, & recreantur. Quare a Domino Salvatore dictum est: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Quibus in verbis clarissime nostra suadetur conclusio.

173 Prob. secundò conclusio ratione: Sacramentum Eucharistiae integrè sumptum institutum est à Christo Domino, ut alimonia, seu refectio spiritualis, ad instar convivii; dicitur enim: *O sacrum convivium*; sed convivium, & integra alimonia necessariò constat ex cibo, & potu: ergo in integro convivio utrumque includitur: ergo neutra harum specierum seorsim ab alia est integrum, & adaequatum spirituale convivium: ergo nec integrum Eucharistiae Sacramentum. Consequentia ista omnino sunt veræ. Nunc sic: ergo ex illis speciebus simul sumptis resultat unum integrum, totale, & adaequatum Sacramentum in specie atoma. Probo hanc consequent. Ex partibus requisitis ad aliquod totum, sive natura-

le, sive artificiale, solum resultat unum specie in illo ordine, quamvis partes specie differant secundum se: ergo si species panis, & vini sunt partes, ex quibus conflatur integrum spirituale convivium, non poterit fieri ex eis, nisi unum integrum in specie atoma, & consequenter unum integrum Sacramentum in tali atoma specie. Antecedens patet tam in homine, quam in aliis compositis, quae resultant ex partibus specie diversis. Licet enim homo constituitur ex corpore, & anima, quae inter se specie distinguuntur, homo tamen ex eis constitutus evadit quid unum unitate specifica infima, & atoma. Confirmatur occurrendo solutioni: Quod species panis, & vini contineantur sub unico genere proximo Sacramenti, non facit, quod Eucharistia sit unum Sacramentum, ut Concilia vocant illud: ergo. Prob. antecedens. Tum; quia convenientia generica non facit, ut duae species numerentur una: convenientia hominis, & leonis in ratione generica animalis non sufficit, ut homo, & leo sint una species animalis; quia quodlibet secundum se est adaequatè animal distinctum in specie infima ab alio. Tum; quia etiam alia Sacramenta conveniunt in ratione Sacramenti; sed hoc non sufficit, ut non sint inter se Sacramenta distincta, & integra, ita ut quodlibet ponat numerum distinctum in ratione Sacramenti: ergo dicendum est, species panis, & vini non solum genericè convenire, sed ex eis fieri unum integrum Sacramentum impartibile in Sacramenta adaequata, & consequenter quodlibet eorum non est adaequatum Sacramentum, vel Sacramenta Ecclesiae erunt octo, quod a nemine dicitur.

174 Ad omnia hæc respondet Gavatus, Sacramentum Eucharistiae esse unum unitate specifica subalterna, non atoma, per quam unitatem, dicit, salvantur omnia dicta ex Conciliis. Parificat in Sacramento Ordinis,

nis, quod est unum Sacramentum, & tamen non habet unitatem specificam specie atoma, sed subalterna, quæ postea sub se continet septem Ordines specie diversos, ut innuit Doct. in 4. dist. 24. quæst. unic. Sed contra: quia si responsio esset vera, Sacramentum Eucharistiae posset, & vocari deberet absolutè, & simpliciter duo Sacramenta; sed Sacramentum Eucharistiae, propriè, & simpliciter loquendo, est unum Sacramentum, adhuc juxta ipsum Gavatum conclus. 1. ergo responsio est contra ipsum. Major patet; quia per unitatem absolutam simpliciter non intelligitur alia, quam unitas specifica atoma, & per unitatem specificam secundum quid non intelligitur, nisi unitas specifica subalterna. Etenim quamvis homo, equus, & leo conveniant in ratione animalis, tamquam generis proximi, vel speciei subalternæ, adhuc dici debent plura simpliciter animalia, & unum tantum secundum quid; quia unitas generica, etiamsi generis proximi, vel speciei subalternæ, est unitas tantum secundum quid: ergo si species panis, & vini in Eucharistia essent duo Sacramenta ita specie diversa, ut nullam haberent unitatem, ratione cuius vocari possent unum Sacramentum specie atoma, sed tantum subalterna, absolutè, & simpliciter vocari possent duo Sacramenta. Neque exemplum Ordinis est ad rem. Scotus itaque loquitur ita de Ordine, dicens, esse Sacramentum unum unitate generis propinqui; non verò loquitur ita de unitate Sacramenti Eucharistiae dist. 8. quæst. 1. sed absolutè ait, esse unum Sacramentum unitate integritatis, ita quod ex utroque signo partiali specierum Eucharistiae integretur unum signum totale corporis Christi, prout etiam includit sanguinem. Et ultra, neque id de Sacramento Ordinis est absolutè verum. Quinimo dicunt plurimi, quod, si sub Ordine ut sic plura continentur Sacramenta, illa non sunt Sacra-

menta totalia, sed partialia, constituentia unum Ordinis Sacramentum totale, & completum in specie infima, significans gratiam necessariam ad ministrandum in Ecclesia. Sed de unitate Sacramenti Ordinis suo loco dicitur.

175 Sit III. Conclusio: *Unitas Sacramenti Eucharistiae assignata est unitas integritatis, non indivisibilitatis.* Conclusionem hanc inferunt Hiquæus, Matrius, Aretinus, Frassen, et Scotistæ communiter ex Subt. Doct. in 4. dist. 8. quæst. 1. num. 4. ubi loquens de unitate hujus Sacramenti, postquam dixit, corpus, prout dicit compositum ex solis partibus animatis, non comprehendere saltem immediatè sanguinem, quem non putat animatum; benè verò prout includit omnia illa, quæ pertinent ad totum corpus organicum, etiam humores, et spiritus, sic prosequitur: *Et hoc modo sanguis, & corpus constituunt unum signatum totale... Congruit autem hoc Sacramentum habere talem unitatem integritatis, & non indivisibilitatis; quia est ad completam nutritionem animæ, quæ significat completam nutritionem corporis: completa autem nutritio fit ex aliquo uno unitate integritatis, non unitate indivisibilitatis; non enim nutrit sufficienter cibus sine potu, nec è converso: ergo.* Itaque neutra pars Sacramenti Eucharistiae habet rationem materiæ, aut formæ respectu alterius, ut faciat cum illa unum per se physicum, & essenziale: sed constat hoc Sacramentum duabus partibus integrantibus, scilicet, speciebus panis, & vini, quæ ab invicem sunt separabiles, ita ut possit existere Sacramentum sub specie panis solius, sicut sub specie vini seorsim, & sumi uno, vel altero modo, & sub quolibet eorum cum eodem effectu, ut postea videbitur. Ex quo evidenter sequitur, hoc Sacramentum non esse unum unitate indivisibilitatis, cum duas habeat partes, ex quibus integratur; & quod est sim-

simplex, aut indivisibile, partes non habet.

176 Advertendum verò, quòd quando dicimus, utramque speciem se habere, tamquam partem integram hujus Sacramenti, non est intelligendum sic, ut illud integrent secundum aliquam perfectionem debitam, non tamen essentialem, sicut pes, & manus dicuntur integrare hominem. Sed intelligendum est, quòd, qualibet earum deficiente, hoc Sacramentum desinat esse quoad suam integritatem essentialem. Unde species panis, & vini sunt partes essentielles materiæ hujus Sacramenti integrè sumpti: ita ut ex utraque specie integretur materia essentialis ejus, & ex partialibus formis, quibus consecratur panis, & vinum, integretur una essentialis integra forma. Quare quando Subt. Doct. in hac quæst. docet, quòd caro, & sanguis Christi pertinent ad integritatem hujus Sacramenti, non loquitur de quacumque integritate, sed de integritate essentiali, ut notant hic nostri Authores. Et subdit Mastrius disput. 3. quæst. 2. num. 38. quòd sicut in rebus physicis plures substantiæ diversæ speciei possunt concurrere ad unam substantiam integrandam unius speciei, etiam atomæ, ut patet de carne, ossibus, & nervis, ad constitutionem corporis humani unius speciei atomæ concurrentibus; ita pariter in præsentis speciei panis, & vini concurrunt ad componendum totum integrale Sacramenti per modum partium distinctæ speciei. Forma enim, & materiæ corporis reverà est tam distinctæ speciei à materiæ, & formæ sanguinis, quàm à materiæ, & formæ cujuscumque alterius Sacramenti. Præterea etiam in ratione signi, loquendo de significati tam proximis, vel primariis, quàm remotis, seu secundariis, instituta sunt ad significanda signata in se diversa. Quando enim panis consecratur, ex vi verborum tantum ibi continetur, & ponitur Christi corpus, &

solum ex concomitantia ponitur ibi sanguis; quia verum Christi corpus sine sanguine non reperitur: Similiter dum consecratur vinum, ex vi verborum est sanguis Christi, & per concomitantiam corpus, ut in 4. dist. 10. quæst. 4. notat. Doctor.

Solvuntur argumenta.

177 Arg. 1. adversus I. conclusionem: Corpus humanum, & rationalis anima, inter se physicè unita, unum hominem constituunt: ergo pariter species panis, & vini inter se moraliter unitæ, constituunt unum Eucharistiæ Sacramentum. Nunc sic: sed nec anima per se, nec corpus per se, est homo: ergo nec species panis per se, nec species vini per se sunt Eucharistiæ Sacramentum, adhuc parziale, seu partialiter. Confirmatur ex Ecclesia, quæ nomine singulari appellat hoc Sacramentum sumptum sub utraque specie: *Hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam.* Item: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui,* quòd de utraque specie simul canit: ergo Eucharistia sub specie panis non est distinctum Sacramentum, ac sub specie vini. Ad argumentum concessio antecedenti, nego consequentiam, & paritatem, & similiter ad subsumptam. Itaque homo essentialiter est animal rationale compositum ex parte materiali, & spirituali. Et cum hoc cuilibet parti seorsim ab alia convenire nequeat, inde est, quòd nulla pars seorsim ab alia possit esse homo. At verò Sacramentum intrinsecè est constitutum per esse signum sensibile efficax gratiæ. Cum igitur species, tam panis, quàm vini consecratæ sint signum efficax gratiæ, independentem una ab alia, essentia Sacramenti convenit utrique seorsim sumptæ, ac proinde utraque per se est Sacramentum propriè. Ad confirmationem dico, quòd dum Ecclesia de hoc Sacramento loquitur in singulari, respicit illud, ut unum totum

tum integrale, & in sensu, quo nos loquimur in secunda conclusione: dum verò loquitur in plurali, considerat Eucharistiam per partes seorsim, & in sensu nostræ primæ conclusionis.

178 Arg. 2. contra II. conclusionem: Si ex utraque specie unum constituatur integrum Sacramentum essentialiter, sequitur, quòd sub una tantum specie, nempe, panis, non sumatur integrum essentialiter Sacramentum; sed hoc est contra Concil. Trident. & est fidelibus laicis injuriosum: ergo quælibet species, seorsim ab alia, habet rationem integri Sacramenti: ergo Eucharistia non est essentialiter unum, sed multiplex Sacramentum. Minor quoad primam partem constat ex Trident. sess. 21. cap. 3. ubi ait: *Fatendum est, sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi: ac propterea quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam solum speciem accipiunt.* Ex quo sequitur secunda minoris pars: nam si quælibet species non est integrum Sacramentum, quod sub utraque specie communicant, recipiunt soli integrum Sacramentum, à quo ceteri, non ita communicantes, fraudarentur, quod quidem illis esset injuriosum. Respondeo distinguendo sequelam majoris: non sumatur integrum essentialiter Sacramentum, quoad ejus effectus, & rem significatam, nego: quoad modum formalem, & distinctum significandi, concedo. Vel ita: non sumeretur integrum materialiter, & quoad signum, concedo: formaliter, & quoad significatum, nego. Itaque sub qualibet specie totus Christus continetur, ut animam spiritualiter reficiat: nam juxta Tridentinum, *tantumdem continetur sub alterutra specie, atque sub utraque, scilicet, totus, & integer Christus, ac per consequens tantam gratiam operatur sub una specie, quantum sub utraque, quia ubique est totus*
Tom. II.

Christus, licet non eodem modo. Ex quo fit, nullam injuriam fieri laicis, nec in aliquo fraudari, cum sub una tantum specie totum recipiant Christum, & eodem modo spiritualiter homo reficiatur, ac si duas reciperet species. Declaratur hoc accommodato exemplo: Si aliquis frustum panis comederet, & biberet portunculam vini; alius autem eandem vini quantitatem non biberet, sed partem quantitatis panis imbibitam exhauriret, reverà uterque manducaret, & biberet idem, quoad rem alimenti, & quoad fructum manducationis, si cetera sint paria, non autem quoad modum utriusque sumptionis. Nec aliud significare voluit Tridentinum; nam eo in loco dumtaxat decernit contra Hæreticos, communionem non esse necessariò faciendam sub duabus speciebus, ut ipsi Hæretici dicunt; quia communicantes sub una tantum specie, nihil minus suscipiunt, nec reficiuntur spiritualiter, quàm communicantes sub utraque; cum totus Christus sit sub earum qualibet. Unde per illam particulam *verum Sacramentum*, non intendit Concilium, alteram speciem per se sumptam esse absolutè integrum Sacramentum Eucharistiæ, quoad essentiam: non enim dicit, sub altera tantum specie totum, atque integrum sumi Sacramentum, sed ait: *Sumi totum, atque integrum Christum, & verum Sacramentum*, ut, videlicet, discernat inter integritatem, seu totalitatem, & veritatem Sacramenti. Quare in cujuslibet speciei sumptione recipitur totus, et integer Christus, nec non et verum Sacramentum: sed non recipitur Sacramentum integrum, quantum ad rationem formalem, et distinctam significandi.

179 Arg. 3. Quælibet species, seorsim ab alia, continet integrum Eucharistiæ essentiam: ergo qualibet est integrum Sacramentum, & consequenter cum quælibet species specificè distinguatur ab alia, Eucha-

ristia non est unum Sacramentum in specie infima, sed unum unitate tantum subalterna, vel sunt duo Sacramenta, specie diversa sub eodem genere. Prob. antecedens: Sacramentum Eucharistiæ prædicatur *essentialiter*, & *in quid*, tam de specie panis, quam de specie vini, seorsim sumptis: ergo. Et confirmatur: Ubi sunt diversæ materiæ, & diversæ formæ, ibi sunt diversa Sacramenta essentialiter, & specificè; sed in Eucharistia sunt diversæ materiæ, & formæ: ergo & diversa essentialiter specificè Sacramenta. Prob. minor. Materiæ sunt panis, & vinum, seu species panis, & vini; & formæ sunt *hoc est corpus meum*, & *hic est calix sanguinis mei*; sed hæc sunt diversissima: ergo. Respondeo distinguendo, seu potius explicando antecedens: continet integram Eucharistiæ essentiam, quantum ad rationem formalem significandi, seu in ratione formali signi, nego: quantum ad rationem significati, & sub illis contenti, concedo antecedens: nam ut Concil. Trident. docet, *quælibet species totum Christum*, & *verum Sacramentum continet*. Nec probatio opposita suadet. Certum est enim, Sacramentum Eucharistiæ essentialiter de singulis speciebus prædicari, singulasque partes consecratas verè Eucharistiam appellari: at verò intelligendum est in hoc sensu, quod sicut partes substantiales hominem constituentes in ratione substantiæ totalis, & completæ, vocantur verè substantiæ, non quidem totales, & completæ, sed partiales, ita species unum Sacramentum constituentes, verè appellantur Sacramenta, sed partialia, quæ invicem concurrunt ad constituendum, & integrandum unum Sacramentum in specie atoma. Unde ad confirmationem distinguo majorem: Ubi sunt diversæ materiæ, & formæ totales, & adæquatæ, ibi &c. concedo: partiales, & integrantes, nego majorem, & eodem modo, & sensu distinguo minorem. Solutio cla-

ret ex immediatè dictis. Et ultra: quia sicut ex materia ossis, & carnis, & sanguinis, quæ specie differunt, integratur corpus humanum, quod est compositum physicum unius speciei infimæ; ita ex speciebus panis, & vini fit ex divina institutione unum Sacramentum, seu unum compositum morale integrale in specie infima. Siquidem cum per modum convivii spiritualis sit institutum, utramque speciem claudit, & exigit ad suum complementum. Quod etiam in naturalibus cernitur: nam idem etiam in specie prandium coalescit ex diversis specie cibis, & potibus.

180 Arg. 4. Species panis, & vini nigri differunt specie ab speciebus panis, & vini albi: ergo Sacramentum integratum ab speciebus albis panis, & vini erit specie diversum à Sacramento Eucharistiæ integrato ab speciebus nigris, vel rubris. Ex quo sic: ergo possunt dari plura Eucharistiæ Sacramenta integra, & adæquata, & specie diversa: ergo Eucharistia non est unum Sacramentum in specie infima, seu atoma. Respondeo, omisso antecedente; quia certum non est, vinum album, & nigrum specie differre, nisi ad summum accidentaliter, & ratione coloris, quod quid extrinsecum est substantiæ vini: hoc, inquam, omisso pro nunc, nego omnes consequentias inde illatas. Signum itaque non variatur formaliter in specie, nisi varietur terminus principaliter significatus à signo, vel modus significandi. Cum enim in omni Sacramento integro, sive integretur ex speciebus albis, sive nigris, terminus principaliter significatus semper sit idem, nempe, corpus, & sanguis Christi, & similiter modus significandi pariter sit idem; quia significant tales species, sive albæ, sive nigræ, gratiam subsistentem per modum alimonix, seu convivii, hinc est, quod omnia Eucharistiæ Sacramenta integra, & adæquata non sunt for-

formaliter specie distincta, quamvis integrentur ex speciebus albis, & nigris, aut rubris. Ad summum dici posset, talia Sacramenta distingui in specie materialiter, non verò formaliter, & in ratione signi. Deinde argumentum non est ad propositum; quia modò non disputamus, an omnia Eucharistiæ Sacramenta integra, & adæquata sint inter se eadem specie, vel diversa? Sed an Sacramentum integratum ex his numero speciebus panis, & vini, sit unicum in specie infima, unitate integritatis? Quod conclusio nostra asserit, ac per consequens quamlibet speciem seorsim non esse integrum Sacramentum, sed partiale.

181 Argumenta, quæ militant contra tertiam conclusionem, solvuntur ex dictis, & etiam ex ipsius conclusionis declaratione. Unum advertendo semper, nempe, quod qui unam tantum speciem recipit, tam perfectè reficitur, & tantum recipit, quam qui duas, quoad rem, licet non quoad modum, seu ex vi significationis sacramentalis, ut patet in exemplo pro responsione secundi argumenti adducto. Et notabis, quod quælibet species est simpliciter Sacramentum, non autem integrum; nam *integrum* in nostro sensu, & *simpliciter*, seu verè totius Christi contentivum, sunt quid diversum. Notabis etiam, quod hujus Sacramenti integritas non sumitur ex parte significati; quod ibi latet, & per concomitantiam ponitur, sed principaliter sumitur ex parte signi, & significati, quod directè, & immediatè ponitur sub una specie. Unde corpus directè ponitur sub specie panis, & sanguis ponitur per concomitantiam: ac vicissim sanguis sub specie vini ponitur directè, & per concomitantiam corpus. Quare sub neutra specie seorsim ab alia est formaliter integrum Sacramentum.

182 Sit IV. Conclusio: *Sacramentum Eucharistiæ plurificatur numero ex pluralitate reali specierum*
Tom. II.

consecratarum: ita ut tot sint Sacramenta numero distincta, quot sunt hostiæ, & calices consecrati. Conclusio est communior inter Scotistas, & teste Gonet, apud Thomistas, contra Authores ab initio quæstionis citatos. Prob. 1. ex cap. *Tribus gradibus*, ubi Clemens Papa dicit: *tot holocausta in altari offerantur, quot populo sufficere possint*. Et prosequitur, quod si plures sint hostiæ, quam personæ, quæ supersunt, debent consumi à Clericis: *si remanserint, in crastinum non servantur*: ergo sentit Pontifex, tot esse holocausta, seu Sacramenta, quot hostiæ consecratæ: Sacramentum enim Eucharistiæ est holocaustum. Respondet Cardinalis de Lugo, Clementem non habere *tot holocausta*, sed *tanta*, quæ dictio significat magnitudinem, non pluralitatem. Verum consideratio hæc grammaticalis vana est, ait Mastrius: quia si quis diceret, tanti auditores sunt in templo, quanti sufficiant ad concionem audiendam, etiam rudis homo id intelligeret de multitudine, & quantitate discreta, non de magnitudine, & quantitate continua: ergo *tot*, ac *tanta* idem omnino significant. Unde responsio omnino est nulla. Suarez respondet, Pontificem locutum esse de numero hostiarum, quæ sunt consecrandæ, & quæ utique plures simpliciter sunt ante consecrationem: post consecrationem verò quamdam unitatem sacramentalem recipiunt, eò quod in eodem Christi corpore uniuntur. Sed inutilis est etiam hæc responsio: nam ex illis verbis: *quod si remanserint, in crastinum non reserventur*, aperte colligitur, locutum esse etiam de numero hostiarum, seu holocaustorum, post consecrationem: ergo si ante consecrationem unitatem numericam non habent, nec illam post habebunt.

183 Prob. 2. ratione: Sacramentum Eucharistiæ, quod sumit Petrus, non est unum numero cum eo, quod sumit Paulus, sub speciebus panis
L 2 v.g.

v. g. ergo. Prob. antec. Utraque hostia consecrata habet omnia requisita ad distinctionem numericam inter se, sed in qualibet hostia consecrata stat verum Sacramentum: ergo. Minor est evidens, et juxta nostram, et communio rem sententiam, in speciebus consecratis tota essentia Sacramenti formaliter sumpti consistit. Prob. major. Quia indubitanter sunt distinctæ materiæ, et sepius distinctæ formæ consecratiuæ, distinctæ figuræ, distincta tempora consecrationis, et singula hostia causat suos effectus in recipiente seorsim, et independenter ab alia, nempe, est causativa gratiæ per modum cibi, significatque corpus Christi ibi præsens, et denique existunt prorsus separatæ; sed hæc omnia sunt principia numericæ distinctionis: ergo. Confirmatur urgenter: Multiplicata essentia alicujus compositi, numero multiplicari debet compositum, ut in omni sententia est compertum; sed multiplicatis numero speciebus consecratis, essentia Sacramenti Eucharistiæ multiplicatur: ergo. Minor, in qua est difficultas, si intelligatur de essentia Sacramenti fundamentaliter sumpti, est clara. Sed pro faciliiori captu nota hanc doctrinam, quæ deservire potest ad plurima in hac materia. Itaque Sacramentum dupliciter sumitur, nempe, fundamentaliter, et formaliter. Sacramentum formaliter sumptum est ipsamet significatio formalis gratiæ, scilicet, relatio rationis, sive realis, juxta diversa placita, fundata tali relatione in signo sensibili, & terminata ad gratiam, quam præstat, vel continet tale Sacramentum. Loquendo verò de Sacramento fundamentaliter sumpto, est ipsum sensibile signum, in quo prædicta relatio fundatur. Sit exemplum in Sacramento Baptismi. Sacramentum Baptismi formaliter sumptum est relatio fundata in signo sensibili, nempe, in aqua diffusa, & in illis verbis: ego te baptizo &c. & terminata ad gratiam sanctificantem, & tol-

lentem peccatum originale. Fundamentaliter acceptum est ipsa aqua super baptizatum diffusa, & insimul verba, in quibus duobus fundatur dicta relatio. Unde respectu Baptismi fundamentaliter sumpti verba baptizantis sunt forma, & aqua, quæ simul effunditur, est materia. At verò respectu Baptismi formaliter accepti, verba, & aqua sunt fundamentum, & quasi materia, ubi fundatur relatio significans gratiam. Ex quo constat, quod duplex numero aqua, & verba super illam sunt distincta numero materia, & forma Sacramenti Baptismi, ac proinde Sacramentum Baptismi materialiter sumptum numericè erit distinctum.

184 Restat verò probatio minoris, si intelligatur de essentia metaphysica Sacramenti, & formaliter sumpti. Prob. illam sic: Sacramentum Eucharistiæ formaliter, & metaphysicè sumptum, consistit in relatione signi fundata in accidentibus consecratis, & terminata ad corpus, & sanguinem Christi; sed ad numericam multiplicationem hostiarum, numero multiplicatur relatio: ergo. Prob. minor. Si non multiplicaretur numero talis relatio, seu formalis significatio, maximè, quia terminus significationis non multiplicatur; sed talis termini multiplicatio non requiritur ad distinctionem relationis: ergo. Prob. minor. Relationes multiplicantur, quoties fundamenta multiplicantur, licet terminus permaneat invariatus: ergo. Prob. antec. Tot relationes similitudinis terminantur ad unicum subjectum album, quot multiplicantur subjecta alba ei similia, ut est compertum; sed ut supponitur, terminus talium relationum permanet invariatus: ergo. Prob. denique conclusio: Idem Sacramentum numero nequit simul existere, & non existere; est enim aperta contradictio; sed hoc sequeretur, si ad specierum numericam multiplicationem, Sacramentum non multiplicaretur numero: ergo. Prob. minor. Ex duabus hos-

hostiis simul consecratis, potest destrui una, permanente alia; sed una hostia destructa, Sacramentum desinit esse: ergo si ambæ sunt unum numero Sacramentum, idemmet numero permaneret, & non permaneret, destrueretur, & non destrueretur.

185 Ad secundam probationem respondent Adversarii, plures posse numero multiplicari relationes respectu ejusdem termini in fundamento, quando fundamentum non causat terminum; non tamen si terminum causet; quia tunc sequeretur, eundem effectum à pluribus causis totalibus simul adæquate posse causari, quod verior philosophia abhorret. Ad tertiam probationem dicunt, rationem nostram nullam vim habere adversus illos, cum ex nostra ratione idem inconueniens sequatur, & ideò in idem impossibile incidimus. Ratio est, dicunt; quia in sententia nostra, duæ partes continuæ unius hostiæ sunt unum numero Sacramentum: & tamen ex duabus partibus continuis unius hostiæ, una potest destrui, alia remanente, non minus, ac si essent discontinuæ. Ergo vel sequitur, quod destrueretur, & non destrueretur idem numero Sacramentum: vel ex quo ex duabus hostiis separatis, & discontinuis, una possit destrui, alia remanente, non infertur, quod idem numero destrueretur, & non destrueretur; atque adeo non ex hoc sequitur, esse numero distinctum Sacramentum.

186 Verum adversus responsionem arguo sic: ergo si fundamenta relationum causant terminum diversum, multiplicatis fundamentis, etiam relationes multiplicantur. Nunc sic: sed species consecratiæ numero distinctæ causant terminum numero diversum: ergo vera est nostra probatio. Prob. minor. Effectus specierum Sacramentalium non est Christus secundum esse substantiale absolutum: non enim humanitas Christi absolutè, & substantialiter produ-

citur de novo per consecrationem, ut amplius constabit, ex dicendis disp. 3. quæst. 5. sed solum est Christus secundum esse extrinsecum, scilicet, secundum præsentiam realem Sacramentalem; sed præsentia ista multiplicatur penes multiplicationem hostiarum: ergo species numero distinctæ causant terminum numero diversum: ergo non sequitur, eundem effectum provenire à duplici causa totali. Deinde, gratia habitualis est terminus secundarius Sacramenti Eucharistiæ; sed hic effectus præstari valet à qualibet hostia consecrata distincta, & seorsim ab alia: ergo in qualibet est distinctum Sacramentum talem gratiam causans. Solutio ad tertiam nostram rationem vim haberet, si probaret, duas partes continuas unius hostiæ esse numero distinctas inter se, ita ut qualibet pars diceretur, & esset una numero hostia, sicut numero distinguitur una hostia discontinua, & separata ab alia. Quod non potest probari: nam duæ guttæ aquæ, si sunt continuæ, & unitæ, non est duplex numero aqua, sed tantum una. Sic pariter, una hostia antequam dividatur, est duas partes continuas habeat, non est duplex, sed una numero hostia, ac proinde unum numero Sacramentum sub illa. Quare, si corrumpatur, aut destruat una, ex his partibus, non destruitur Sacramentum, nisi quoad unam partem illius signi. Duplex verò hostia, quarum una est ab alia separata, cum secundum se quælibet sit una numero hostia ab alia distincta, consequens est, quod ex qualibet fiat unum signum, & Sacramentum, ab alio distinctum numero. Igitur, si una hostia destruitur, cum nullo modo sit alterius pars, dici non potest, quod destruitur Sacramentum, solum quoad partem signi, sed quoad totum.

187 Ob hoc aliis Scotistis visum est aliter respondere, dicentes, quod licet duæ hostiæ consecratiæ sint unum numero Sacramentum, non sequitur, quod

quod ex quo una destruat, Sacramentum destruat essentialiter, sed solum secundum quid. Ratio est: nam si Christus solum existens in Caelo, & in Eucharistia, desineret esse in Caelo, tunc solum secundum quid desineret esse, quia deficeret solum quantum ad presentiam circumscriptionem, quam in Caelo habet, & maneret in Eucharistia simpliciter; quia ibi permaneret totum suum esse substantialiale. Sic in proposito, inquit, maneret essentialiter idem numero Sacramentum, quoad denominari Sacramentum, & solum secundum quid deficeret, eo quod solum destrueretur relationis signi fundamentum. Huic solutioni acquiescit aliquorum animus, qui jacula ferere non sentiunt. Sed contra 1. ex ipsorum principiis: Illud desinit esse simpliciter, cujus tota essentia destruitur; sed destructa una numero hostia, tota essentia illius Sacramenti destrueretur: ergo nulla est solutio. Prob. minor. Perente illa numero hostia, periret materia sensibilis significationis, tam gratiae substantialis, quam accidentalis: ergo etiam significatio destrueretur. Sed in sententia Scotistarum tota essentia Sacramenti stat in materia sensibili, & in significatione formali, ut patet ex quaest. 7. hujus disp. conclus. 3. ergo destructa una numero hostia, desineret esse tota essentia illius numero Sacramenti. Contra 2. & est simul altera conclusionis probatio: In pluribus hostiis consecratis, & inter se discontinuis, nullum est principium unitatis numericae, physicè loquendo, seu in esse physico consideratis: ergo nec in esse Sacramenti, & consequenter &c. Antecedens est indubium. Prob. consequ. Ut inter res in esse physico distinctas detur unitas numerica in aliquo genere, debent componere, ut partes, in illo genere aliquod totum; sed plures hostiae discontinuae, & in esse physico numero distinctae, ut tales, nequeunt unum numero Sacramentum compo-

nere: ergo nec possunt habere unitatem numericam in esse Sacramenti. Prob. minor. Ad hoc, ut quod est numero, & in re aliquod integrum totum, componat in alio genere aliquod totum, requiritur, quod per continuationem cum aliis compartibus uniatur; sed quavis consecrata hostia est tam integrum Sacramentum, sicut omnes hostiae simul: ergo ut una hostia cum alia componeret, aut faceret unum Sacramentum, erat necesse, quod cum alia uniretur, aut continuaretur. Major fit evidens in aqua, cujus partes, quia verè participant rationem totius, non possunt componere unam numero aquam, usque dum uniantur, & continuentur. Ergo dum hostiae consecratae maneant discontinuae, quaelibet seorsim ab alia unum numero Sacramentum erit.

Solvuntur Argumenta.

188 Arg. 1. Apost. 1. Corinth. dicit: *Unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus.* S. Ambros. cap. de consecratione dist. 2. ait. *Una est hostia, & non plures, quam Christus obtulit, & nos offerimus:* ergo Eucharistiae Sacramentum in omnibus hostiis unum est numero. Confirmatur: Unitas, & multiplicitas entis sumenda est ex unitate, & multiplicitate entitatum, quas dicit in recto; sed Sacramentum Eucharistiae solum dicit in recto Christum, qui semper est idem numero: ergo. Prob. minor. ex SS. Patribus, qui hoc nomen *Eucharistia* passim praedicant de Christi corpore: ergo. Respondeo, textum Pauli intelligi posse de unitate specifica. Vel panem dici unum, quia est unius Domini, ac Patris familias, modo quo omnes ejusdem familiae dicuntur unum panem vescere, quamvis in eadem mensa apponantur panes distincti. Vel denique: panem huic unum esse, intelligi ab Apostolo, sumendo continens pro contento; quatenus Christus

tus in omnibus Sacramentis, seu hostiis consecratis est unus numero. S. Ambrosius loquitur de hostia, & sacrificio incruento, quo Christus offertur, quæ hostia ex parte oblata eadem est in omnibus sacrificiis. Ad confirmationem nego minorem ex dictis quaest. 7. num. 143. Et licet gratis concederemus, quod ex corpore Christi, & speciebus hoc Sacramentum intrinsecè constitueretur, non sequeretur adhuc, quod corpus Christi diceretur in recto. Tum; quia rectum Sacramenti nequit esse, quod per se est insensibile, cum rectum definitionis praedicari valeat de definito: at Sacramentum definitur per esse signum sensibile, quod praedicari non potest de corpore Christi sub Sacramento: ergo. Tum: in omnibus aliis Sacramentis solum dicitur in recto, quod est sensibile, & gratia, quod est significatum, dicitur in obliquo. Tum denique; quia etiam in SS. Patribus species consecratae aliquando significantur in recto, ut de S. August. notavit Lugo Epist. 23. ad Bonifacium: non ergo convincitur, nec ratione, nec autoritate, quod in minori negata continentur.

189 Arg. 2. Si Verbum Divinum plures humanitates assumeret, ex illis propter unitatem Verbi solum fieret unus homo: ergo pariter, plures hostiae consecratae non constituunt nisi unum numero Sacramentum, propter numericam unitatem corporis Christi. Confirmatur: Tum; quia licet accidentia panis, & vini specie distinguantur inter se, tamen, ut localiter conjuncta, constituunt unum integrum Sacramentum in specie: ergo licet plures hostiae distinguantur numero inter se, ut conjunctae localiter, unum numero Sacramentum constituent. Tum; quia si idem subiectum haberet duplicem albedinem, non esset, nisi unum numero album: ergo neque plures species, continentes idem numero corpus Christi, erunt nisi unum numero Sacramen-

tum. Tum denique; quia, juxta a nobis dicta, ex speciebus panis, & vini constituitur unum numero integrum Sacramentum: ergo multo magis ex pluribus speciebus solius panis: nam istae magis conveniunt inter se, quam illae.

190 Respondeo concedendo antecedens, juxta dicta Tractatu de Incarnatione cum Subtil. Doct. in 1. dist. 12. quaest. 1. & in 3. dist. 6. quaest. 1. quamvis non omnes Theologi illud absolute concedant. Sed nego consequentiam, & paritatem ob duplicem rationem. Primò; quia sive humanitas sit rectum hominis, sive solum substantia personalis, sive simul utrumque, semper convincitur, quod in casu argumenti solum pars hominis multiplicetur: at verò in pluribus hostiis consecratis, & discontinuis, constitutum Sacramenti adequati numero multiplicatur, ut satis est probatum. Secundò, quia argumentum supponit, corpus Christi sic intrinsecè spectare ad constitutionem Sacramenti, sicut subsistentia Verbi, posita privatione humanae, ad complementum hominis Dei, quod falsum est, cum subsistentia pertineat ad complementum substantiale. Ad confirmationis primam partem nego consequentiam, & paritatem. Ratio discriminis est; quia accidentia panis, & vini solum sunt Sacramenta partialia in specie, quorum unum per modum cibi, aliud per modum potus constituunt unum in specie numero convivium, in quo consistit hoc Sacramentum adaequatè, & integrè sumptum: at verò plures hostiae sunt integra Sacramenta in determinata specie cibi. Cum autem, ut illa, quae in aliqua specie sunt integrum totum, constituent unum numero, non sufficiat localis conjunctio, sed requiratur, quod per continuationem uniantur, ut claret exemplo guttarum aquae num. 187. hinc est, quod species consecratae, & conjunctae localiter distinctum numero Sacramentum manent semper. Dein-

de : ad unitatem specificam sufficit convenientia in aliqua ratione specifica : at veró ad unitatem numericam est necessarium vel identitas in individuatione , vel partium continuatio.

191 Ex quo fit compertum, quód licet quævis pars unius hostiæ possit dici essentialiter Sacramentum , in quantum quælibet continet corpus Christi ; quia tamen sunt per continuationem unitæ , usque dum dividantur , omnes sunt unum numero Sacramentum , quód per aquæ exemplum fit clarum. Ad secundam probationem confirmationis , nego consequentiam ; nam ad multiplicationem concreti accidentaliter semper debet multiplicari subjectum , ut in Philosophia docetur. Præterquamquod , non multiplicatur tota essentia concreti albi , quod ex subjecto , & albedine coalescit , per hoc , quód præcisè albedo multiplicetur , cujus oppositum evenit in nostro casu , ut patet ex solutione ad argumentum. Ad tertiam probationem nego consequentiam. Igitur ex speciebus panis , & vini fit unum numero convivium , & sic in ratione convivii unum numero integrum Sacramentum. At veró ex duplici particula specierum solius panis non fit unum numero convivium , ac per consequens , nec unum numero Sacramentum. Quin potius quælibet particula secundum se remanet in ratione Sacramenti partialis ab alio Sacramento partiali alterius particulae consecratae numericè distincti. Nec obest , quód magis inter se conveniant , quia in physicis ex corpore , & anima fit una perfecta humanitas , & unicus numero homo ; & tamen ex duplici anima rationali non fit una anima , neque ex duplici corpore unum corpus , licet magis conveniant inter se duæ animæ , & etiam inter se duo corpora , quàm corpus , & anima.

192 Replicabis : Tum ; unitas Eucharistiæ non est unitas continuitatis , sed integritatis : ergo ad cons-

tituendum unum , vel multiplex numero Sacramentum non est recurrendum ad continuationem , vel discontinuationem specierum consecratarum. Tum : quia exercitus est idem numero , quamvis milites non sint physicè continui inter se : ergo ad unitatem numericam Sacramenti non requiritur inter species consecratas unitas physicæ continuitatis. Tum denique : prædicatum constitutivum debet esse distinctivum ; sed separatio , vel discontinuatio unius particulae consecratae ab alia non est prædicatum constitutivum in esse Sacramenti : ergo neque numero distinctivum.

193 Respondeo ad primam replicam distinguendo antecedens : Unitas Eucharistiæ integraliter , & completè acceptæ in ratione convivii , non est unitas continuitatis , sed integritatis , concedo : Unitas numerica Eucharistiæ partialiter acceptæ , pro unica tantum specie , nego antecedens , & consequentiam. Licet enim Sacramentum hoc in ratione convivii sit unum unitate integritatis , excludente continuationem partium ; non tamen ita est , si quælibet pars discontinua consideretur in ratione Sacramenti secundum se , ut constat ex dictis in conclusione , & in impugnatione solutionis contrariorum. Ad secundam replicam dici potest : Tum , quód exercitus est totum per aggregationem moralem , secus veró Sacramentum. Tum , quód si exercitus divideretur in duas partes , quarum quælibet deperderet moralem aggregationem cum alia , jam non esset unus exercitus , sed duplex. Deinde concedo antecedenti , nego consequentiam , & paritatem. Disparitas est , quia quilibet homo secundum se , & seorsim ab alio non est exercitus : at veró quælibet particula consecrata , & physicè discontinua ab alia , habet rationem adequatam Sacramenti , in esse talis , licet solum sit pars Sacramenti in ratione integri convivii. Ad ultimam distinguo minor : separatio , vel dis-

con-

Continuatio non est constitutivum Sacramenti Eucharistiæ , in esse Sacramenti specificè , concedo : in esse Sacramenti numericè , seu ad distinguendum numero Sacramentum , nego minorem. Doctrina est N. Doct. dicentis , quód licet non quælibet unitas sufficiat ad identitatem , quælibet differentia sufficit ad distinctiōnem. Et quidem , quód quævis discontinuatio , & separatio constituent diversam numero entitatem , seu diversificent numero rem , ex Philosophia , & Theologia constat exemplis. Aqua enim , quæ est in flumine , licet , prout in flumine , tota sit una numero , si tamen separatur aliqua pars ; jam illa pars separata est aqua numero distincta ab aqua , quæ est in flumine. Item : si actus peccaminosus voluntatis perseverat continuus per spatium unius horæ , vel plurium , solum est unum numero peccatum : si veró ter , vel pluries actus ille discontinuetur in illa hora , tot erunt peccata distincta numero , quot fuerint discontinuationes actus per retractionem , & novum consensum. Unde discontinuatio , & separatio ex natura sua multiplicat numericas entitates , ut in primo casu dicunt Philosophi , & in secundo Theologi.

194 Arg. 3. Homo accedens ad confessionem cum duplici actu doloris , & singula peccata bis confitendo , non facit nisi unum numero Sacramentum Pœnitentiæ : ergo neque duplex particula consecrata specierum panis faciet duo numero distincta Sacramenta , sed unicum. Confirmatur à paritate convivii toties à nobis iasinuata : in convivio , licet pluries sumatur de eodem cibo , nempe pane , vel carne , tamen unus dicitur cibus , & una sumptio : ergo similiter , pluralitas specierum panis , & pluralitas sumptionum ejusdem speciei non faciet nisi unicum sumptionem , & unum numero Sacramentum. Urgetur : Resolata forma consecrationis super decem particulas , om-

Tom. II.

nes consecrantur simul , ut de fide est certum : ergo solum ex eis fiet unum numero Sacramentum. Probat. conseq. In aliis Sacramentis , etiam si materiæ multiplicentur , tamen solum ad multiplicationem formæ , seu verborum efficientium Sacramentum , multiplicantur numero Sacramenta : ergo idem est dicendum in Eucharistia.

195 Respondeo , concedo antecedenti , negando conseq. & paritatem. Ratio disparitatis stat in eo , quód in Sacramento Pœnitentiæ , multiplicatis numero actibus doloris , & confessionis peccatorum , si absolutio non multiplicatur , non multiplicatur Sacramentum , sed sola materia Sacramenti. At veró multiplicatis numero speciebus consecratis panis , multiplicatur numero tota essentia Sacramenti partialis , ut satis ostensum est in conclusione. Ad confirmationem dico , quód unitas moralis plurium sumptionum constituit unicum refectionem spiritualem , sed non unicum Sacramentum : siquidem unitas , vel multiplicitas Sacramenti non sumitur ab unitate , vel multiplicitate sumptionum , ut intendunt Scotistæ adversarii , sed ab unitate , vel multiplicitate materiæ , & formæ hujus Sacramenti. Aliud enim est refectio , & aliud cibus refectionis. Duo panes discontinui absdubiè distinguuntur numero , & tamen , si unica refectione comedantur , refectio erit unica. Igitur , quód refectio sit una , non tollit , quód cibi illius refectionis sint diversi. Ad urgentiam nego consequentiam , & consequentiam probationis cum paritate. In aliis Sacramentis verba sunt de ratione intrinseca constitutiva Sacramenti ; ideòque immultiplicata forma constitutiva , nequit constitutum multiplicari. At veró in Eucharistia non est ita : nam est Sacramentum permanentis , cujus tota ratio stat in speciebus sensibilibus consecratis , & permanentibus. Unde verba consecratoria non sunt forma , nec pars intrin-

M

trin-

trinseca hujus Sacramenti, ut constat ex quaestione 7. conclus. 1.

196 Arg. 4. Distinctio numerica Sacramentorum sumenda est à distinctione numerica significationis gratiæ; sed si plures formæ sumuntur à pluribus, multiplicantur numero significationes gratiæ, & idem contingit, si diverso tempore sumantur ab uno: ergo à diversitate sumentium, vel sumptionum sumenda est numerica multiplicitas Sacramenti Eucharistiæ, & non à discontinuatione specierum consecratarum. Hoc argumentum, in quo fundantur defensores, numericam hujus Sacramenti unitatem, vel multiplicatam à multiplicitate sumentium, vel sumptionum sumendam esse, instatur in ipsos: unica particula consecrata potest sumi duplici distincto tempore, seu distincta sumptione, ab uno subjecto, & etiam à pluribus, & præstare potest duplicem numero gratiam; sed esset idem numero Sacramentum; quia foret eadem numero hostia consecrata: ergo numerica multiplicitas Sacramentorum non sumi debet à diversitate numerica sumentium, aut sumptionum. Prob. major. Si eadem numero particula, jam ab aliquo sumpta, ob stomachi debilitatem post horam evomeretur, incorruptis speciebus, posset ab alio sumi; sed utrimque distinctam numero gratiam conferret: ergo. Minor certa est; quia primus verè, & realiter sumpsit Sacramentum: ergo etiam illi contulit gratiam, & non quidem alteri collatam, sed aliam numero distinctam. Sed in tali casu particula consecrata, ut supponitur, esset idem numero Sacramentum, sumptiones verò, sumentes, & gratiæ causatæ, duo essent: ergo. Ex quo ad argumentum, concessa majori in aliis Sacramentis, consistentibus in solo usu, & receptione, nego illam de Eucharistia, quæ est permanens, & cujus significatum principale non est gratia accidentalis, sed substantialis. Quare distinctio desumenda est à

distinctione numerica significationis gratiæ primario significatæ: & sic verum est, quòd ad distinctionem numericam significationis hujus gratiæ sumitur distinctio numerica Sacramenti: cum autem in qualibet specie consecrata seorsim ab alia hoc inveniatur, in qualibet erit distinctum numero Sacramentum. Non verò sumi potest à distinctione numerica gratiæ accidentalis, jam propter superius dicta, & jam quia in eodemmet subjecto communicante, & statim per peccatum gratiam amittente, si statim debite doleat, dum adhuc species consecratæ in stomacho manent, gratiam iterum acquireret, quæ distincta erit à deperdita numericè. Hæc doctrina est, meo videri, securior, quàm alia, quam in Authoribus, quos ad manus habeo, reperio.

197 Arg. denique ex variis absurdis: Si à pluralitate specierum sumeretur pluralitas Sacramenti, sequeretur 1. Quòd sumens tres, aut quatuor formulas consecratas, sumeret simul tria, vel quatuor Sacramenta. 2. Quòd si una hostia in centum partes divideretur, prodirent centum Sacramenta numero distincta. 3. Quòd Sacerdos plures hostias deferens in pixide, diceretur deferre plura Sacramenta: & laicus accedens ad communionem, diceretur accedere ad tot Sacramenta, quot essent formulæ consecratæ. Denique sequeretur, quòd sumens plures formulas consecratas, reciperet plures gratias numero distinctas, vel plures gratiæ gradus, etiam quando simul sumuntur, quod est falsum. Antecedens patet, quia quælibet, utpote Sacramentum distinctum, causaret suam gratiam. Sed omnia hæc inconvenientia, aut absurda videntur: ergo.

198 Respondeo, nullum inconveniens, nec absurdum sequi ex omnibus prædictis sequelis. Concedimus igitur omnes illas, præter ultimam, Etenim strictè, & physicè loquen-

do,

do, reverà sunt plura Sacramenta physicè numero distincta, quàmvis moraliter, & in communi modo loquendi, dicantur unum Sacramentum. Ad ultimum respondeo, quòd quando plures particule, seu plures species simul sumuntur, non conferunt nisi eandemmet gratiam, quam singulæ conferrent, si sumerentur seorsim. Ratio est; quia tunc omnes sumuntur per modum unius communionis, & unius refectiois spiritualis; ad modum quo etiam in conviviis corporalibus plures cibi, & plures potus materiales dicuntur unum convivium, quatenus unica sumptione morali recipiuntur, & applicantur ad corpus reficiendum. Ratio alia assignari non valet, quàm divina voluntas, quæ ita hoc Sacramentum instituit, ut sumptio multarum specierum, sive simul, sive successivè, dummodo omnes earum sumptiones unam faciant moralem sumptionem, unam tantum gratiam causarent, licet quælibet ex illis nata sit conferre ex se eandem gratiam, si sola sumeretur in ea refectio. Parificari potest in eo, qui peccata sua confiteretur pluribus, & ab eis simul, aut successivè absolveretur, qui tunc casus unam gratiam reciperet tantum.

199 Replicabis: ergo omnia illa Sacramenta causarent eandem gratiam totaliter, atque ita essent due causæ totales ejusdem effectus; sed hoc concedi non potest: ergo. Respondeo gratis concedendo primam consequentiam. In causis enim moralibus nullum sequitur inconveniens, quòd idem effectus proveniat à duplici causa totali. Patet hoc in casu, quo plures Sacerdotes simul, & semel eundem infantem baptizarent, vel simul, & semel eandem materiam consecrarent, quo casu, dicunt plurimi ex negantibus, duplicem causam physicam totalem adæquatè posse producere simul eundem effectum, quòd uterque Sacerdos adæquatè baptizaret, & totaliter conse-

Tom. II.

craret. Ratio potissima est; quia qui principaliter, & physicè producit effectum, solus est Deus, & causæ morales solum ingrediuntur ex pacto divino: Deus autem nullis legibus adstringitur, & liberè valet unicam, vel plures designare, & admittere causas morales, quibus positus, ipse ad illarum positionem physicè producat quidquid voluerit. Unde non est paritas de causis physicis producentibus physicè per suam virtutem ad causas morales. Et hæc videtur doctrina Subtil. Doct. in 4. dist. 6. quæst. 2. num. 2. ubi docet, quòd hæc propositio: *idem effectus non potest produci à pluribus causis totalibus*, debet intelligi de causa inducente formam effectivè, non de ea, quæ solum se habet moraliter, & ut conditio ad effectum, uti sunt Sacramenta, juxta Scotum. Unde Deus causaret effectum ad positionem, vel sumptionem illarum specierum, quæ per modum unius tunc casus sumerentur.

Dubia quædam.

200 Dubitabis 1. *Unde propriè sumatur unitas Eucharistiæ?* Ratio dubitandi oritur ex eo, quòd in Sacramento Eucharistiæ adest significatum, seu contentum, quod est Christus, & finis ipsius Sacramenti, qui est refectio spiritualis animæ. Queritur ergo, à quo sumat hoc Sacramentum suam unitatem? nempe, ab unitate contenti, seu significati, vel ab unitate finis? Hoc secundum asserunt passim Thomistæ. Scotistæ verò, quàmvis ex utroque capite desumant unitatem, principalius verò ab unitate signati, & in hoc opponuntur Thomistis. Quapropter:

201 Dicendum est, quòd unitas Eucharistiæ propriè, & meliùs colligitur ex unitate significati, seu rei contentæ, quæ est Christus Dominus: & etiam sumitur aliquomodo, seu minus principaliter, ex unitate finis, qui est refectio spiritualis animæ. Sic Scotus in 4. dist. 8. quæst.

M 2

1.

1. dicente: *Ambo sunt signum unitus rei, ut corpus Christi, & quia est ad completam nutritionem anime, quæ significatur per completam nutritionem corporis*: ergo juxta Scotum ex utroque capite colligitur, & deducitur unitas hujus Sacramenti. Quod autem magis à priori deducatur unitas hujus Sacramenti ex unitate corporis Christi sub utraque specie contenti, probatur: Sacramentum Eucharistiæ formaliter acceptum est relatio: ergo cum relatio suam unitatem, & distinctionem specificam desumat à termino, aptius unitas hujus Sacramenti desumitur, & deducitur ex unitate corporis Christi, sub utraque specie contenti, quam ex unitate refectionis spiritualis, qui est finis, ad quem ex Christi institutione ordinatur hoc Sacramentum. Confirmatur: In hoc Sacramento, juxta dicta, duplex significatum reperitur, unum primarium, & essentialiale, scilicet, corpus Christi, & sanguis; alterum secundarium, & accidentale, & est gratia sanctificans, & spiritualiter per modum cibi, & potus nutriens animam: ergo magis à primo capite, quam à secundo sumenda est unitas Eucharistiæ.

202 Unde licet Scotus ex utroque capite unitatem hujus Sacramenti assignet; siquidem negari non potest, quod Eucharistia, quatenus constat ex duabus speciebus, efficiat, & significet unam integram refectionem spiritualem, ad quam hoc Sacramentum ordinatur, & ob quam erit simpliciter unum Sacramentum, sicut & ipsa relectio est simpliciter una, quatenus fit ex cibo, & potu: hoc, inquam, non obstante, ex capite unius istius refectionis spiritualis inferenda non est primario, & principaliter unitas hujus Sacramenti. Ratio hujus tacta est sepe sepius, nempe, quod nutritio, & spiritualis anime relectio Eucharistiæ ei non convenit, nisi prout habet esse in usu, qui usus, & receptio est ei acciden-

talis. Quare nutrire, & alere est finis extrinsecus, & contingens Eucharistiæ: etenim etsi non sumatur, adhuc absque nutritione datur essentia hujus Sacramenti: ergo per se, & à priori unitas hujus Sacramenti à tali fine non dependet; quia unitas per se rei à fine accidentali, & extrinseco desumi non potest.

203 Dubitabis 2. *An significatio totalis, integrata ex distinctis speciebus hujus Sacramenti, importet distinctas relationes signi, ex quibus componatur? vel potius sit una indivisibilis relatio in toto aggregato, vel composito?* Aliqui dicunt, relationem signi totalis refectionis, quæ fundatur in speciebus consecratis panis, & vini, & formis earum, esse unam numero relationem unitate simplicitatis, & indivisibilitatis, modo quo unum totale ædificium adæquatè refertur una numero relatione ad suum exemplar, & una civitas, sumpta ut una, ad Regem, seu Governatorem, & unus Exercitus ad Ducem. Sed N. Hiquis loco citato hoc negat, dicens, nullam aliam dari significationem ab illa, quæ est partium, diversam, & incomplexam: neque ex significatione partium coalescere unam, nisi ratione signati proximi, qua refertur ad tertium coalescens ex utroque signato.

204 Sed videtur mihi, non posse negari, quod significatio integra hujus Sacramenti componatur ex significationibus partium, quatenus unaquæque significat suum peculiare signatum, tum proximum, tum remotum, modo jam supra dicto: & hoc intendit Doct. quando dixit, hoc Sacramentum esse unum, non unitate indivisibilitatis, sed integritatis, & ut perfectum, & integrum plura signa partialia includens. Ex alia verò parte videtur concedendum, in toto Sacramento esse unam totalem significationem, quæ à significationibus singularum partium aliquo modo distinguatur: etenim non potest esse unum signum, etiam unitate integri-

ta-

tatis, nisi etiam aliquo modo significatio sit una. Patet hoc in propositione, & terminis, ex quibus integratur. Propositio enim habet suum proprium significatum distinctum à terminis, ex quibus componitur. Hæc significatio totius Sacramenti dici debet composita, & complexa; quia constat partibus diversis, & rei compositæ inest. Unde solum potest dici indivisibilis, quatenus indivisibiliter inest in toto complexo: ita ut nec in partibus manere possit eo modo, quo est in toto, neque etiam in toto eo modo, quo est in partibus.

Aliqua elucidantur de convenientia, & congruentia hujus SS. Sacramenti.

205 Postquam de necessitate hujus Eucharistici Mysteriorum plura docuimus, præsertim quæst. 5. visum est ad hanc disputationem finiendam aliqua elucidare de ejus convenientia. Et quamvis ex quo Christus Dominus hoc instituerit Sacramentum, certissime concluditur, id congruentissime esse factum, tamen gratia majoris eruditionis placet congruentiam inquirere specialiter, ut inde ad tanti Mysteriorum majorem venerationem, majoremque tanti beneficii gratitudinem, excitemur fideles. Congruentia igitur institutionis hujus mirabilis Sacramenti passim inveniuntur apud Doctores: sed sine ullius præjudicio N. Scotus præfulget.

206 Subt. Doct. in 4. dist. 8. q. 1. num. 3. quatuor rationes congruentia hujus Sacramenti institutionis profert, sic dicens: *Congruum est, Christum esse nobiscum in tali signo sensibili, ut magis excitetur quilibet ad reverentiam, & devotionem ad Christum, & hoc patet de facto, quod quasi omnis devotio in Ecclesia est in ordine ad illud Sacramentum: propter hoc enim Clericus majori diligentia persolvit officium divinum in ordine ad Missam. Propter hoc etiam*

populus devotius audit Missam, quam aliquod aliud officium Ecclesiasticum. Propter hoc etiam singuli cum majori diligentia confitentur, quando intendunt, secundum ordinationem Ecclesiæ, saltem semel in anno communicare. Secundo congruum fuit, post generationem spiritualem conferri etiam nobis nutrimentum spirituale, & illud magis congruè nobis datur sub similitudine nutrimenti corporalis: nutrimentum autem corporale præcipuum consistit in pane, & vino. Tertia congruitas: quod signum sensibile, sub quo nobis Deus voluit se dare, haberet ordinem ad verba aliqua ab aliquo Ministro proferenda: quia aliter nesciremus, quando in tali signo esset Christus, & quando non, & sic periret reverentia debita, & devotio. Quarto: congruum fuit, quod in prolatione illorum verborum Minister esset in Ecclesia excellens, scilicet, Sacerdos, per cujus actum ministerialem Christus sic incipiat esse nobiscum.

207 Probatur etiam congruentia ex Trident. sess. 13. cap. 2. *Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias sui erga nos amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum. Quæ major congruentia, & convenientia? Ex Scriptura, & Patribus etiam suadet. Joan. 13. dicitur: cum dilexisset suos, in finem dilexit eos, id est, ultra vitæ finem, & ultra mensuram, ut Chrys. loquitur. Suadet denique ex perfectionibus divinis, quæ in hoc Mystério emicant singulariter. Emicant 1. bonitas, & amor: nec enim major esse potuit, quam ut sacrificio perenni per modum cibi, & potus concorporaretur nobis. 2. Nullibi major sapientia, quæ hinc edificavit sibi domum, miscuit vinum, & posuit mensam, divino cibo onustam. 3. Potentia, quæ hinc fecit memoriam omnium mirabilium suorum, operum, in esca hac, quam dedit timentibus se. Et quidem innumera hinc simul cer-*

cernimus mirabilia, innumera ferè incomprehensibilia potentia, & sapientia miracula, ut in decursu Tractatus fient evidèntia. 4. Gloria, & meritum passionis perpetuò hinc recolitur: includiturque hinc omnium veterum sacrificiorum meritum, & valor, & quæ per hoc unum vacuantur, & exhauriuntur: insimulque per illud figurarum veterum terminan-

tur umbræ, & implentur Prophetia: quippè, ut S. Ambros. in Psalm. 18. ait: *Eorum, quæ celebramus in hoc Sacramento, vetustissima prædictio fuit in sermonibus Prophetarum.* Est ergo hoc Sacramentum excellentissimum præ ceteris, & maximè ratione contenti, scilicet, corporis, & sanguinis Christi.

DISPUTATIO II.

DE MATERIA, ET FORMA SACRAMENTI Eucharistia.

DE materia, & forma SS. Eucharistia Sacramenti pertractandum est in hac secunda Disputatione: rectus enim ordo disputandi exposcit, ut postquam de ejus institutione, essentia, & existentia, quæcumque ad plenam instructionem sufficiunt, diximus, ad ejus essentielles partes, quæ materia, & forma Sacramenti dicuntur, transitum faciamus. In illa igitur utilissima plura, eaque ingeniosa valde, sunt edocenda.

QUÆSTIO I.

Quæ sit materia SS. Eucharistia Sacramenti?

208 **D**E materia remota est nihil aliud est, quàm ipsamet remota formæ approximata, seu supra quam profertur forma. Et cum Eucharistia Sacramentum institutum fuerit ad animæ spirituales refectioem, & nutritionem per modum cœlestis convivii, ut abundè dictum est Disput. antecedenti, conveniens fuit duplici ex materia confici. Circa utramque tales fuerunt aliquorum antiquorum Hæreticorum errores, adeoque horrendum in modum sunt prolapsi, ut eorum spurciloquia, & impurissimas sordes exhorreat animus co-

gitare. Illas S. Epiphanius lib. 1. ad versus hæreses, hæresi 26. num. 4. refellit. S. August. aliorum deliramenta, & plusquam dæmoniaca figmenta detegit lib. de Hæresibus, hæresi 17. 26. & 64. de quo N. Frassen. Relictis igitur talibus erroribus circa materiam hujus Sacramenti; quia adeo abominabiles sint, ut non mereantur confutationem, nec quòd iterum exarentur litteris, certissimum est, & constat ex Evangelico textu, Christum in hoc Sacramento usum fuisse panem, & vino. Quàm sapienti, ac justa ordinatione hoc Sacramentum confectum est à Domino ex speciebus panis, & vini, videndum relinquo apud Seraph. Doctor. Div. Bonavent. in 4. dist. 11. part. 2. artic. 1. Nunc igitur notandum est 1. panem triplicis esse speciei, ratione rerum, ex quibus conficitur, aut

confici potest. Alius enim fit, vel ex fructibus arborum, ut ex castaneis, amygdalis, nuccibus &c. vel ex radicibus, qualis est ille, qui fit in Insulis America, vulgoque appellatur *casave*: alius ex leguminibus, ut ex fabis &c. alius denique ex granis, quæ generali appellatione frumenta dicuntur. Vox enim frumenti, quamquam per antonomasiam triticum significet, tamen generalitèr comprehendit omnia semina, quæ habent culmum, & spicas. Unde nomen frumenti genericum est ad triticum, hordeum, siliginem, avenam &c. Vinum etiam multiplicis est speciei. Aliud est, quod exprimitur ex arborum fructibus, quale est vinum majorum granatorum, vel pomorum &c. aliud verò est de vite, seu vitigineum, quod per antonomasiam, & per excellentiam vinum appellatur. Quæritur igitur: quisnam ex eis panibus sit materia necessaria? & pariter quale debeat esse vinum, ut censeatur materia apta, & idonea Sacramenti Eucharistia?

Prima Conclusio.

209 *Panis, & vinum sunt materia necessaria Eucharistia conficiendæ.* Conclusio est de fide. Probat 1. ex Scriptura: Ea est materia necessaria Eucharistia conficiendæ, quam Christus Dominus instituit, & quam servandam Apostolis, & Successoribus tradidit; sed hæc sunt panis, & vinum: ergo. Prob. minor. quoad primam partem: Matthæi 26. Marci 14. Luca 22. ac 1. Corinth. legitur, quod Jesus accepit panem, benedixit, fregit, deditque discipulis, dicens: *accipite, & manducate, hoc est Corpus meum*: ergo. Prob. eadem minor. quoad secundam partem. Quia licet Evangelistæ recitando institutionem, dicant tantum, Christum accepisse calicem, tamen Matthæus, & Marcus statim interpretantur, calicem istum fuisse calicem vini, nam subjiciunt, Christum statim dixisse:

non bibam amodò de hoc genimine vitis, donec bibam illud &c. Et Lucas dicit: *de hac generatione vitis: eaque semper fuit constans, ac firma Ecclesie traditio: ergo. Probat 2. ex Concilio Apostol. can. 3. ubi decernitur: Si quis Episcopus, aut Presbyter, præter ordinationem Domini, alia quædam in sacrificio offerat super altare, id est, aut mel, aut lac, aut pro vino siceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra institutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.* Idem decernit Concil. Bracarense cap. 54. dicens: *Non oportet, aliud in Sacramento offerri, præter panem, vinum, & aquam, quæ in typo Christi benedicuntur: quia cum in cruce penderet, de corpore ejus fluxit & aqua &c.* Idem tradunt Florentinum in decreto Eugenii, & Tridentinum sess. 13. cap. 3.

210 Si quærat ratio hujus institutionis, & ordinationis divinæ, alia non est à priori, quàm voluntas Christi Domini instituentis. Congruentia verò hujus institutionis plurimæ sunt, quas egregiè expendit Catechismus Romanus de Eucharistia num. 19. Nobis sufficiat hæc: quia cum unum Ecclesie corpus ex multis membris sit compositum, in nulla alia re melius elucet ejus conjunctio, quàm in panis, & vini elementis. Sicut enim ex multis granis panis conficitur, & ex multitudine racemorum existit vinum, ita nos, cum multi simus, hujus divini mysterii vinculo arctissime colligamur, & tamquam unum corpus efficiamur. Deinde: per panem, & vinum, Passio Christi, quæ per hoc Sacramentum commemoratur, expressius significatur. Siquidem sicut in Passione Christi sanguis separatus est à corpore, ita in hoc Sacramento, quod est ejus memoriale, panis accipitur seorsim, ut Sacramentum corporis, vi verborum, ita confectum, & pariter fit in vino. Unde corpus Christi, ut passum, & affi-

affixum cruci representatur per panem, juxta illud Jeremiæ 11. *mittamus lignum in panem ejus*, id est, crucem in corpus ejus, ut exponunt Hieronymus, Tertullianus, & alii Patres. Vinum autem exprimit sanguinem effusum in passione; nam Gen. 49. dicitur: *lavabit in vino strolam suam, & in sanguine. uve pallium suum*, id est, in proprio cruore suam humanitatem. Ob hoc Isaiæ 63. Christus dicitur, calcasse torcular, & expressisse vinum ex uva; quia sicut vinum ex uvis in torculari calcatis, & expressis fluit, ita sanguis Christi; vi laborum, & cruciatuum ex ejus corpore fluxit.

211 Arg. 1. Materia legitima, & sufficiens Eucharistiæ est omne illud, quod representat spiritualem alimoniam, & cibum; sed ubi non reperiuntur panis, & vinum, & alia eorum loco substituuntur, quæ in communem cibum, & potum utuntur, representant alimoniam spiritualem, & corporis, atque sanguinis Domini communicationem, uti sunt carnes, pulmenta, cervisia, & similia: ergo hæc sunt sufficiens, & legitima materia Eucharistiæ. Major patet; quia materia cujuscumque Sacramenti dijucari debet ex intentione Christi; intentioque Christi, cum Eucharistiam instituit, fuit exhibere, & representare spiritualem alimoniam, et sui corporis, ac sanguinis communicationem per elementa, seu signa potus, et cibi communis, et usitati. Respondeo distinguendo maj. Est omne illud, quod representat ex institutione Christi, concedo: ex aliqua solum congruitate, aut aliqua alia ratione, nego majorem, et similiter distinguo minorem. Itaque duplex est hominum cibum, et potus. Unus qualiscumque, quo homines utcumque vescuntur, et aluntur, et quo citra singulare, perfectumque convivium utuntur, est tō quibusdam in locis, ratione sterilitatis regionum, ciborum, et paupertatis incolarum, sit satis ordina-

rius. Ejusmodi sunt radices aliquæ, castaneæ, et similia, quibus nonnulli utuntur pro pane. Alter est cibum, et potus exquisitus, et perfectus, quos solent homines uti, quando perfectum, & singulare convivium celebrant. Ejusmodi sunt panis, & vinum. Panis; nam in Scriptura manducare panem est sumere refectioem, Matthæi 15. *non lavant manus suas, cum panem manducant*, id est, cum refectioem sumunt. Panis etiam significat convivium perfectum, seu epulari, aut convivari, Lucæ 14. *cum intrasset Jesus domum cujusdam Principis Pharisæorum sabbato manducare panem, nempe epulari*. Unde invitare quempiam, ut manducet panem, idem est, ac illud ad convivium invitare. Unde Sapientia 9. sic ad suum invitatur convivium *venite, comedite panem meum*. Idem constat de vino, quod est etiam animæ convivium; ideoque Sapientia ad suum convivium ita hortatur: *& bibite vinum, quod miscui vobis*. Christus autem Dominus Eucharistiam instituit, ut convivium exquisitum, & omnino perfectum. Isaiæ enim 25. dicitur: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiarum &c.* Vel ut habent Septuaginta: *Faciet convivium omnibus gentibus super montem istum: bibent in lætitia, bibent vinum &c.* Quæ sacra loca Expositores Sacri intelligunt de institutione Eucharistiæ: atque adeo Christus in ejus memoriam instituit panem, & vinum: si ergo talem determinatam materiam instituit, nullo modo potest aliquid aliud loco panis, & vini substitui ad conficiendum verum Sacramentum Eucharistiæ.

212 Arg. 2. Plurima sunt loca, in quibus nec vinum, nec panis propriè dictus reperiri, nec haberi possunt; sed Sacramentum Eucharistiæ haberi, & celebrari debet ubique Gentium, juxta illud Malachiæ 1. *Ab ortu solis, usque ad occasum mag-*

magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: & juxta illud: ecce vobiscum sum &c. quod pro omnibus fidelibus, ubicumque degentibus, est intelligendum; cum promissio hæc facta sit omnibus: ergo. Probo major. Tum quoad panem: quia plures Americæ populi non alio vescuntur pane, quam è radicibus compacto, & ex plantis confecto. Tum quantum ad vinum; nam ait Vولاتerranus in Geographia, quod in Novergia, ob immensa frigora, vinum comportatum conservari non possit, sed cito acescat. Unde asserit, concessionem Innocentii VIII. permissum fuisse, panem sine vino sacrificare: ergo. Et confirmatur: ea censenda est materia legitima Eucharistiæ conficiendæ, quæ à fidelibus ad altare consueverat offerri; sed non solum panem, & vinum, sed etiam alia plurima, ut lac, uvas, oleum, spicas, mel fideles offerre consueverant, ut pluribus testimoniis constat: ergo ex his poterat confici Eucharistia: ergo panis, & vinum non sunt præcisè hujus Sacramenti materia.

213 Respondeo ad argumentum negando majorem. Ad probationem dico, quod quamvis non in omnibus mundi plagis triticum, & vinum nascantur; in omnes tamen deportari possunt, & maximè quoad usum Eucharistiæ, ut experientia demonstrat, & ampliùs dicitur conclus. sequenti ad secundum argumentum. Narratio Vولاتerrani falsa, & fictitia est. Si enim esset vera, credibile non est, quod in re tam inusitata, tantique momenti non extaret aliquod monumentum ejus facti, & certum est, quod nullum extat instrumentum talis concessionis. Quin potiùs tantum abest, ut vinum in Novergia acescat, ut in ea regione valde accommodatum potu reperiat, ob quod laici nolint nisi in utraque specie communicare. Ex quo fit evidens falsitas concessionis à Vولاتerrano con-

Tom. II.

fictæ. Ad confirmationem distinguo majorem: quæ consueverat offerri ad consecrationem, concedo: in gratiarum actionem, aut in exercitium religionis, & Clericorum victum, & sustentationem, nego majorem; & concessa minori sub secundo membro distinctionis, nego illam sub primo, & consequentiam. Concedimus, quod antiquitus fideles, instante consecrationis tempore, offerebant ad altare oleum, mel, lac &c. ut colligitur ex cap. 24. Concilii tertii Carthaginensis, ubi dicitur: *Primitiæ verò, seu mel, seu lac, seu alia, quæ solent offerri, quamvis in altari: tamen habent propriam benedictionem, & à divinis Sacramentis distinctam*. Verùm hæc non offerebantur in oblationem, sed in gratiarum actionem, & in Episcopi, & Clericorum sustentationem, ut constat ex Can. 3. Apostolorum. Et subditur Can. 4. *Offerre non licet aliquid ad altare, præter novas spicas, & uvas, & oleum ad luminaria, & thymiama, id est, incensum, tempore, quo sancta celebrantur*. Et Can. 5. *Reliqua poma omnia ad domum primitiæ Episcopo, & Presbyteris dirigantur, non offerantur in altari*. Hoc ipsum luculenter explicant, & decernunt Concilium Bracaraense, & alia antiquissima, quod & faciunt Lateranense, & alia posteriora, in quibus jam prohibitum est, talia munera ad ipsum altare deferri, & statutum, in sacrificio nihil aliud offerendum ad altare, nisi panem, & vinum, ex quibus conficitur.

Secunda Conclusio.

214 *Materia Eucharistiæ conficiendæ necessariò debet esse panis triticus, aqua naturali coalescens, aut immixtus, atque igne decoctus; & insuper debet esse vinum vitis, seu vitigineum*. Conclusio hæc quatuor constat partibus. Quoad primam certissima est apud Catholicos, & docetur à N. Subt. Doct. in 4. dist. 11. quæst.

N

quæst. 6. num. 3. ubi ait : *Certum est, farinam tritici purgatam secundum communem purgationem esse materiam ad conficiendum panem consecrabilem : quia Christus talem materiam consecrandam instituit, & in signum institutionis tali materia consecranda usus est.* Constat expressè ex Concilio Florent. sess. ultima, ubi Græci interrogati à Summo Pontifice de materia Eucharistiæ conficiendæ, respondent his verbis : *De pane, sive azymus, sive fermentatus fuerit, Græci non curant, dummodo ex tritico constet.* Similiter constat ex Concil. Lateran. cap. *Firmiter de summa Trinitate, & fide Catholica,* & ex Trident. sess. 13. Denique ex Florent. ex litteris unionis Ecclesiæ Græcæ cum Latina, in quibus definitur : *in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter conficitur.* Probatum conclusio ratione : Solus ille panis est materia apta consecrationis, qui est usualis, & institutus ad sustentationem corporis, & in quo Christus Dominus consecravit ; sed solus panis triticeus est ex natura sua usualis, & in eo Christus Dominus consecravit : ergo. Major indubia est. Prob. minor. quoad primam partem : Ille panis est ex natura sua hominibus usualis, qui magis naturæ nostræ accommodatus, & dum potest haberi, præ omnibus aliis convalescenda miscetur, & eligitur ; sed hujusmodi est panis triticeus : ergo. Minor experientia constat ; quia solum ex inevitabili necessitate ubique terrarum alterius modi panis comeditur, quod ex eo liquet, quod, adveniente pane triticeo, omnes alii panes pro eo relinquuntur. Prob. minor. quoad secundam partem : Christus Dominus ad consecrandum in nocte Coenæ assumpsit panem, quem præ manibus habuit in illa Sacratissima nocte, ut indubitatum est ; sed Christus Dominus consecravit in pane triticeo, ut constat ex Conciliis, & traditum est in Ecclesia Græca, et Latina : ergo.

215 Si respondeas cum aliquibus Concilia, et maxime Florentinum, verbis prælaudatis solum significasse, panem triticeum esse de necessitate præcepti, non verò de necessitate Sacramenti : hæc responsio falsissima est, quod patet : Tum ; quia Concilia Florent. et Trident. eodem modo loquuntur de aqua naturali necessaria ad materiam Baptismi, ac de pane triticeo pro materia Sacramenti Eucharistiæ ; sed de aqua naturali dici non potest, quod solum sit necessaria necessitate præcepti, et non Sacramenti : ergo. Tum ; quia in decreto unionis pro instructione Armenorum sic legitur : *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite.* Ex quo sic : eo modo definitur ibi panis triticeus materia necessaria conficiendi corporis Christi, quo vinum de vite materia sanguinis consecrandi ; sed vinum de vite est materia necessaria simpliciter, non solum ratione præcepti, sed etiam ratione Sacramenti, ut amplius constabit ex probatione quartæ partis conclusionis : ergo. Tum ; quia ille panis dicitur materia hujus Sacramenti, à quo Eucharistia vocatur panis, & sub quo fuit prænnuntiata ; sed iste est triticeus ; nam Psalm. 147. dicitur : *adipe frumenti satiat te.* Et Osee 14. *vivent tritico,* quos textus omnes PP. & DD. de Eucharistia intelligunt, & interpretantur : ergo. Tum denique ; quia hæc censetur Apostolica traditio, quam auctoritas Ecclesiæ firmavit, ut docet Catechismus Romanus num. 13. Ex his impugnationibus validæ pro nostra conclusione probationes insurgunt.

216 Secunda conclusionis pars, scilicet, quod panis ille debeat confici ex aqua naturali, suadetur : Tum ; quia materia necessaria hujus Sacramenti est panis usualis ; sed panis, quo solent uti homines, ex aqua naturali coalescit : ergo. Tum ; quia farina compacta ex butyro, oleo &c. non habet rationem panis usualis, sed

sed placentæ, aut tortæ : ergo. Tertia pars conclusionis, scilicet, quod panis debeat esse igne decoctus, patet : Tum ; quia tali pane usus est Christus : ergo & nos uti debemus. Tum ; quia pasta non est panis, nec cibus, nec alimentum hominis : ergo non potest esse signum alimenti spiritualis. Et si panis, & pasta specie non differant, hoc non obest. Ratio est ; quia licet pasta tantum accidentaliter differat à massa cocta panis, tamen non potest esse legitima materia Eucharistiæ consecrandæ, eo quod non est panis usualis, & ordinatus ad nutritionem hominis, quem utique panem Christus assumpsit ad consecrationem. Hac etiam ratione neque massa frixa est sufficiens materia consecrationis ; quia non est simpliciter panis communis, & usualis.

217 Quarta, & ultima conclusionis pars, videlicet, quod materia consecrationis sanguinis Christi Domini debet esse vinum vitis, seu vitigineum, constat. Tum ex Scriptura, tum ex Conciliis, & præcipue ex Florentino citato : *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite.* Tum maxime ex exemplo Christi Domini, qui, peracta hujus Sacramenti institutione, dixit Matthæi 26. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis,* ubi *ly hoc* designat materiam, quæ erat in illo calice : ergo erat vinum de vite. Tum ; quia solum vinum de vite propriè, & simpliciter dicitur vinum, sicut solum oleum de oliva propriè, & simpliciter vocatur oleum. Tum ; quia vinum vitis convenit propriè effectui hujus Sacramenti ; nam est simpliciter lætitia, ideòque de illo dicitur Psalm. 103. *vinum lætificat cor hominis.* Tandem ex Trident. sess. 13. c. 3. ubi dicitur : *Semper fuit hæc fides in Ecclesia Dei, statim post consecrationem, verum Domini nostri corpus, verumque sanguinem sub specie panis, & vini existere.* Concilium Tom. II.

autem vinum vitis intelligit, & colligit ex illo Matthæi : *non bibam amodò de hoc genimine vitis ;* & ex illo Lucæ : *de hac generatione vitis.*

218 Arg. 1. cum Gabriële : Dum Concilia, & Patres de materia Eucharistiæ conficiendæ loquuntur, sæpè dicunt, *esse panem ex frumento ;* sed frumentum est genus ad omnem speciem grani, quod habet aristas, ut ait S. Isidorus lib. 7. Ethimolog. cap. 3. & Plinius lib. 18. hist. cap. 7. & Varron de *re rustica* cap. 18. ergo quilibet panis, ex quibuscumque granis frumenti fiat, erit sufficiens consecrationis materia. Et confirmatur 1. Materia Eucharistiæ est panis usualis, & communis ; sed talis non est idem, ut dictum est, in pluribus provinciis, in quibus, ut in America, triticum non reperitur, & in illis panis usualis est hordeaceus, vel ex aliis granis compactus : ergo in illis partibus talis panis erit materia Eucharistiæ, & consequenter panis triticeus non erit materia necessaria necessitate Sacramenti. Confirmatur 2. Ex quolibet pane fit eadem nutritio corporea, & idem sanguis : ergo cum Christi corpus sit in animæ cibum, ex quolibet fieri potest Eucharistiæ Sacramentum.

219 Respondeo distinguendo minorem : est genus apud profanos, transeat ; apud Authores Sacros, & juxta Scripturæ loquendi modum, nego minorem. Frumentum enim, ex Deuteron. 7. ex Jeremia 41. ex Ezech. 4. ex Joel 1. distinguitur ab hordeo, milio, & aliis granis, & pro tritico usurpatur. Unde non est genus ad illa. Constat apertè ex Genes. 46. his verbis : *Joseph jussit Ministris, ut implerent saccos eorum tritico, & illi portantes frumenta in asinis suis profecti sunt.* Unde Concilia, & Patres non quemlibet panem, sed panem usualem, & simpliciter talem assignant pro materia Eucharistiæ. Iste enim apud omnes est panis triticeus, solusque iste di-

citur *absoluté panis* : ceteri autem non *absoluté* , sed cum addito , nempe , panis hordeaceus , panis ex typha , vulgo *centeno* , panis ex milio , qui specie differunt á pane triticeo. Ad primam confirmationem , concessa majori , distinguo minorem : non est idem per se , nego ; per accidens , concedo. Illæ enim Gentes statim ac triticum serere , & metere noverunt , omnes eum cuilibet panis præferunt , quod est indicium certum , hunc panem per se esse usualem , & communem. Nec credendum est , Evangelium alicubi prædicari , quin pariter divina providentia ibidem triticum suppeditet , ut in tali regione hoc Sacramentum adorandum confici possit. Quare , si in aliquibus regionibus non reperitur triticum , vel ibi deportari debet , ut habeatur materia necessaria Eucharistiæ conficiendæ , quemadmodum in India , & aliis orientalibus partibus asportatur balsamum in plagas occidentales , & septentrionales pro chrismate conficiendo ; vel abstinendum erit á consecratione , maximé cum Eucharistiæ sumptio tantum sit necessaria necessitate præcepti , non necessitate medii. Ad secundam confirmationem nego consequentiam , & paritatem ; aliás sequeretur , quodlibet edulium , sive fructus , sive herbas comestibiles posse consecrari , cum ex eis fiat idem sanguis , & eadem nutritio , quod est valde absurdum.

220 Arg. 2. & replicabis : Christus utebatur pane hordeaceo , æqué ac triticeo , ut patet ex Evangelio Joan. 6. ubi legitur , populis distribuisse quinque panes hordeaceos : ergo iste panis potest esse materia consecrationis. Prob. conseq. Christus consecravit , & instituit hoc Sacramentum in pane sibi , & aliis usuali , sed panis hordeaceus fuit Christo , & aliis usualis : ergo. Confirmatur : Per hoc quod Christus in vino albo , vel rubro consecraverit , non sequitur , aliquod illorum esse materiam necessariam necessitate Sacra-

menti : ergo admissio : quod in pane triticeo consecraverit , non deducitur necessarió , solum panem triticeum esse materiam necessariam hujus Sacramenti. Respondeo negando consequentiam. Ad probationem distinguo minorem : fuit usualis , ob defectum , & carentiam panis triticeo , concedo ; aliter , nego minorem , & consequentiam. Christus enim instituit Sacramentum in pane , quo tunc utebatur apud Judæos , & tunc maximé pro Cœna legali utebantur pane triticeo. Unde licet aliás potuerit uti aliis panibus , non sequitur , quod in illa Cœna usus fuerit alio , quam triticeo. Quare licet in aliis potuerit Dominus instituire Sacramentum , noluit , nisi in isto : ideóque standum est ad divinam institutionem. Nec ex eo , quod ob defectum , & carentiam panis triticeo , panis hordeaceus fiat usualis , sequitur , quod in illo consecrari possit ; aliás si ob defectum frumenti in aliqua regione comederent cortices arborum , sequeretur , consecrari posse in arborum corticibus , quod est absurdissimum. Ad confirmationem nego consequentiam , & paritatem ; quia utrumque vinum album , nempe , & rubrum , est simpliciter vinum de vite , & vinum usuale : at veró quilibet alius panis distinctus á triticeo , non est simpliciter panis usualis , sed cum addito , scilicet , ob defectum panis triticeo. Unde unum vinum tantum accidentaliter differt ab alio , hoc est , vel ratione coloris , saporis , majoris , vel minoris virtutis. At veró panis ex diversis specie granis diversus est especie.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

221 Ex dictis decursu hujus questionis aliqua inferuntur , & aliqua stabiluntur ad majorem dictorum declarationem , tam pro pertinentibus ad panem , qui est materia consecrationis corporis Christi , quam ad vinum , quod est materia conse-

cra-

crationis sanguinis. Pro pertinentibus ad materiam corporis Christi , sequitur 1. panem confectum ex arborum , vel herbarum radicibus , foliis , aut fructibus , ut pomis , castaneis &c. non esse aptam materiam consecrationis , cum iste non sit veré panis. Sed quia frumentum est omne granum , quod habet aristas , scilicet , triticum , hordeum , milium , avenam &c. Gabriël in Canonem lect. 35. contendit , quod panis confectus ex hordeo , centeno , milio &c. est materia apta consecrationis. Hæc veró opinio parum tuta videtur ; quia est contra sententiam communem Scholasticorum & Ecclesiæ usum. Et quod magis est , contra Concilia , ut constat ex 2. conclusione. De pane confecto ex typha , vulgo *centeno* , volunt aliqui , esse materiam aptam. Sed nec hoc est approbandum : nam adminus remanet materia dubia , ex qua non possumus uti in Sacramentis : imó neque ex materia apta probabiliter , relicta tutiori , ut declaravit Innocentius XI. in propositionibus ab ipso damnatis.

222 Sequitur 2. quod panis calore solis decoctus , non ad ignem , & licet sit igne decoctus , si tamen confectus est lacte , oleo &c. insuper , panis subactus aqua rosacea , vel alia quacumque artificiali ex herbis , vel fructibus destilata , non est materia apta consecrationis. Ratio totius est ; quia hujusmodi panis , licet triticeus sit , non est usualis. Ob quod Potesta á N. Gonzalez adductus , negat , panem aqua maris confectum consecrari posse , eo quod maris aqua non est usualis. Sequitur 3. quod si tritico misceantur alia grana in parva quantitate , ita ut semper permaneat veré triticum , quatenus illa parva materia in triticum convertitur ; vel taliter ab illa absolvatur , ut pro nihilo reputetur , valida est consecratio. Resolutio est communis. Et ratio est ; quia si materia illa convertitur in triticum , vel est in parvissima quantitate , quamvis non convertatur , tunc

pro nihilo reputatur , & panis ille absolutè loquendo est triticeus , & usualis. Ex quo ulterius sequitur , quod si materia mixta tritico sit in magna quantitate , ut dimidia , vel tertia pars , ita ut dici nequeat panis triticeus , non erit materia consecrabilis. Vel adminus erit materia dubia , qua uti non licet , ad modum , quo diximus de centeno num. antecedenti. Hoc enim Sacramentum non est necessarium necessitate medii.

223 Si cum Poncio , sequente Cajetanum , quæst. 74. artic. 7. dicas ; quod aqua rosea est ejusdem speciei cum aqua naturali , & solum accidentaliter differt , nempe , ratione aliquorum accidentium , ut sunt fragrantia , sapor &c. ergo panis aqua rosea confectus est materia consecrationis. In primis nego antecedens ; nam aqua rosea non est aqua naturalis , nec reputatur ut talis. Deinde , illo omissio , nego consequentiam. Ratio est ; quia panis rosaceus non est usualis , & solum iste est materia consecrationis. Nec obest , quod aqua rosea , & naturalis sint ejusdem speciei , dummodo panis non evadat usualis ; quia etiam massa triticea cruda , & cocta , est ejusdem speciei , & solum differunt accidentaliter , sicut caro cruda , & cocta : & tamen massa cruda non est apta consecrationis materia ; quia non est panis usualis : ob quod , potius quam cibus , & vita , esset venenum , & mors.

224 Pro pertinentibus ad materiam consecrationis sanguinis Christi , advertendum est , quod vinum vitis multipliciter potest considerari. 1. Quatenus exprimitur de uvis non maturis , quomodo dicitur *acresta* , vulgo *agraz*. 2. Quatenus adhuc continetur in uvis jam maturis , non expressum , & calcatum , & dicitur *botrus* , seu racemus. 3. Quatenus est recenter expressum , habetque adhuc multas feces admixtas , & dicitur *mustum*. 4. Quatenus est *congelatum*. 5. Qua-

Qua-

Quatenus est acidum, seu acetosum. 6. Quatenus est jam verum acetum. Denique, quatenus jam est defæcatum, & dicitur vinum. Nunc dubitatur: in quonam horum validè fiat consecratio?

225 Dico 1. Nullam esse consecrationem in acresta, & in botro. Prob. prima pars: Tum; quia ita decernitur in Missali Romano in defectibus Missæ ex parte materiæ. Tum; quia non minus differt specie à vino, quàm sanguis à carne; nam diversas habet à vino qualitates: siquidem illud est digestum, hoc indigestum: illud habet liquorem odorificum; hoc penitus nullum; illud virtutem habet calefaciendi, hoc frigefaciendi. Ex quibus colligitur ejus diversitas specifica à vino: quod autem vinum non est, nec materia consecrationis potest esse. Quoad secundam partem claret: Tum: quia quando liquor est in uva, magis habet rationem comestibilis, & cibi, quàm rationem potus; non enim dicitur bibisse uvas, & racemos, sed comedisse. Unde cum hoc Sacramentum institutum sit in specie sanguinis ad spiritualem animæ alimoniam per modum potus, botrus, seu mustum in uva non est aptum ad significandum effectum spiritualem hujus partis Sacramenti. Tum; sicut materia conficiendi corpus est simpliciter res manducabilis, ita pariter materia conficiendi sanguinis debet esse simpliciter potus, seu res potabilis; sed racemus non est talis: ergo. Quod N. Frassen dicat, vinum inclusum esse in racemo, modo quo includitur in dolio; & quod sicut vinum in dolio inclusum potest consecrari, etiam inclusum in racemo: præterquamquod hoc est contra praxim, nullo modo videtur verum; nam vinum in dolio reclusum est verum, & actuale vinum: in racemo tamen, non est vinum actu, sed tantum potentia: non est potus, sed cibus.

226 Dico 2. mustum validè po-

test consecrari. Est communis inter Theologos. Prob. Tum; quia est verè substantialiter vinum: habet verè rationem potus, & est per se, & immediatè præsens consecranti. Tum; quia hoc docuit Innocentius lib. 4. de Sacrificio Missæ, cap. 30. dicens: *Licet diligenti studio optimum vinum sit querendum, ut Sacrificium offeratur: vitium tamen vini non maculat munditiam Sacramenti. Quocirca sive vinum novum, quod dicitur mustum, sive vinum acidum, quod appellatur acetum, in sacrificium offerantur, Sacramentum conficitur, & divinitus consecratur.* Idem definiit Julius Papa Epist. ad Episcopos Ægypti, cujus definitionem innovavit Concilium Bracharense III. cap. 1. ubi legitimam materiam consecrationis calicis aperiens, dicit: *Nam quod de expresso botro, id est, de uvarum granis, populus communicatur, valde est omnino confusum: sed si necesse sit, botrus in calice comprimatur, & aqua misceatur; quia juxta canonem calix Dominicus vino, & aqua permixtus debet offerri &c.*

227 Dico 3. nec acetum, nec vinum congelatum, est sufficiens materia consecrationis. Prima pars est communis. Prob. Tum; quia non habet rationem potus. Tum; quia specie differt à vino, ut constat ex diversis utriusque effectibus. Constat etiam autoritate Aristotelis 8. Meteorum cap. 14. Ubi acetum comparat cadaveri, ita quod sicut cadaver, ut aliqui volunt, discrepat substantialiter à corpore vivo, ita acetum à vino. Demum: Galenus in Commentario aphorismorum confert, & comparat vini corruptionem per acetum corruptione sanguinis; ita quod sicut sanguis corruptus nulla vi potest primam formam recipere, ita nec vinum corruptum in pristinum statum potest restitui. Secunda pars, scilicet, quod vinum congelatum non est apta materia consecrationis, est contra Hiquæum in 4. dist. 11. quest. 7. quem secutus fuit

fuit N. Arbiol in disp. Selectis disp. 3. art. 3. Probatur: Materia consecrationis calicis est vinum potabile, seu per modum potus; sed tale non est vinum congelatum, usque dum liquetur: ergo usque dum liquidum fiat, non est apta materia consecrationis. Confirmatur: Aqua congelata non est apta materia Baptismi: ergo pariter. Mustum, antequam exprimatur ex granis racemi, non est aptum consecrari. Denique: vinum imbibitum in pane non est apta materia consecrationis, juxta ipsos; quia sic non sumitur per modum potus: ergo neque vinum congelatum, reduplicativè ut tale.

228 Dices contra 1. partem: Innocentius supra citatus dicit: *sive vinum acidum, quod appellatur acetum, in Sacrificium offeratur, Sacramentum conficitur.* Unde sentit de aceto, sicut de musto, ut videri est in ipsa ejus littera supra expressa: ergo sicut mustum est materia consecrationis, ita & acetum. Dices contra 2. partem: in Missali Romano, Rubrica de defectibus Missæ, dicitur, quod si vinum consecratum congelatur, semper censetur materia potabilis, sicut aquæ diversæ, quæ inestate venundantur congelatæ, & semper potus censentur: ergo. Respondeo ad 1. Innocentium loqui, & intelligendum esse, non de aceto propriè tali, & simpliciter à vino distincto, quod est formaliter acetum, sed de vino acescente, seu quod Hispanè dicitur *vino apuntado*. Sic etiam intelligendus est Isidorus lib. 20. Ethimol. cap. 3. ubi inter species vini recenset acetum. Ad 2. dico, quod vinum congelatum semper censetur materia potabilis, quatenus semper censetur, per se liquefieri, & sic potari. Dum verò actu est congelatum, actu non est potus, cujusmodi debet esse materia hujus Sacramenti in ipso fieri.

229 Ex dictis inferes 1. Nullum alium liquorem, ut hypocras, fore materiam aptam consecrationis. 2.

Nec talem materiam esse vinum imbibitum in pane: quia sic non sumitur per modum potus. Nec obstat, quod si vinum consecratum in pane imbibatur, rationem servat Sacramenti, quoad usque vini species siccantur. Nam, ut benè advertit Mastrius in 4. disp. 3. num. 83. plus requiritur ad consecrationem, quàm ad conservationem: eò quod in consecratione pronomen illud *hic* debet applicari materiæ per modum spiritalis potus: at verò consecratione facta, talis demonstratio ampliùs non est necessaria: sufficit enim, quod species incorruptæ permaneant, licet imbibitæ sint in alia materia. 3. Quod vinum miraculosè factum ex vite materia censetur, & ideò in illo fieri valet consecratio, sicut in pane miraculosè facto fieret Sacramentum corporis, & in aqua miraculosè facta Sacramentum fieret Baptismi.

230 Ex his refellitur apertè Aquariorum error, & dogma valde insulsum. Hi enim dicti *Aquaristæ*, eò quod manè aquam, & vespere vinum in sacrificio adhibebant. De his Aquariis, materiam hujus Sacramenti pro suo arbitrio in aquam mutantibus, scribit Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom.: *eos relinquere Ecclesiam, & versari in hæresibus, qui sola aqua utuntur in Eucharistia.* Eisdem non recipi à Deo ad commixtionem suam, scribit S. Irenæus lib. 4. adversus hæreses cap. 1. Eos etiam redarguit Chrysostomus hom. 83. in Mattheum dicens: *cujus rei gratia non aquam, sed vinum? Perniciosam quamdam hæresim radicitus evellere voluit eorum, qui aqua in Mysteriis utuntur.* Denique S. Cyprianus Epist. 63. ad Cecilium, *eos dicit, plebem esse sine Christo, ubi aquam, non vinum, offerunt.*

231 Sed in quibusdam Ecclesiis diu viguit consuetudo, ut Eucharistia consecraretur manè, & vespere, ut colligitur ex Concil. III. Carthaginensi celebrato anno 397. In eo namque

que legimus Can. 29. ut Sacramenta non nisi à jejunis hominibus celebrantur, excepto uno die anniversaria, quo Cæna Domini celebratur. Hanc consuetudinem celebrandi, & consecrandi Eucharistiæ post cœnam die Jovis majoris hebdomadæ, suo adhuc tempore viguisse, testatur S. August. Epist. 118. ad Januarium, requirentem ab ipso: an feria 5. ultimæ hebdomadæ Quadragesimæ offerendum esset mané, & rursus post cœnam. Ad quod respondet S. August. faciat ergo quisque, quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit. Quibus in verbis aperte significat Augustinus, eam consuetudinem bis celebrandi feria 5. majoris hebdomadæ suo adhuc tempore vigere apud quasdam Ecclesias, quam consuetudinem Honorius III. meritissimè abrogavit. De hac consuetudine, & abrogatione, adhuc alia dicentur postea.

QUÆSTIO II.

An panis, ex quo Eucharistia conficitur, debeat esse azymus, aut fermentatus?

232 **P**ræsens controversia non tendit, nec intendit suadere, Christum Dominum consecrasse in azymis. Hæc enim difficultas, numquam inter Ecclesiam Latinam, & Græcam terminata, resoluta est jam disp. 1. quæst. 2. ubi statuimus contra Græcos, Christum cum Discipulis Agnum Paschalem comedisse, & cœnam legatam celebrasse, die 14. primæ mensis, seu lunæ 14. Martii ex qua doctrina, Scriptura, Conciliis, traditione, & Patribus, satis evidenter comprobata, diximus conclus. 3. præcitate quæstionis, Sacramentum Eucharistiæ institutum fuisse à Christo Domino in azymis. Cum igitur veritas hæc, cum aliis pluribus consideratione dignissimis, stabilita maneat ibi satis diffusè, hic solum investigandum venit 1. An uter-

que panis, tam azymus, quam fermentatus, sit yfficiens materia Eucharistiæ? 2. Quis panis convenientior sit ad consecrationem? 3. Quo tempore viguerit in Ecclesia Latina usus azymi, & in Græca usus fermentati? Denique: Quomodo debeant esse panes Eucharistiæ conficiendæ? Quod omne resolvendum est per varias conclusiones.

Prima Conclusio.

233 Panis, tam azymus, quam fermentatus, est materia apta consecrationis. Est communis apud Catholicos contra aliquos Græcos, patentes, invalidum esse panem azymum. Conclusionem, quæ est communis, docet Subt. Doct. in 4. dist. 11. quæst. 6. num. 6. ubi ait: hoc ergo simpliciter tenendum est, quod de necessitate panis consecrabilis non est, neque quod sit azymus, neque quod sit fermentatus, quia non differunt essentialiter azymus, & fermentatus, & ideo non negamus, verè conficere Græcos. Demonstratur veritas hæc ex Concilio Florent. in litteris unionis: item definimus, in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in alterutra ipsius Domini corpus conficere debere, utrumquemque, juxta Ecclesiam suam, sive Orientalis, sive Occidentalis consuetudinem. Patet etiam veritas hujus assertionis: Tum; quia uterque panis triticeus est, & censetur panis propriè dictus. De fermentato Græci non dubitant; sed nec dubitare debent de azymo: nam juxta Matthæum 26. Marcum 14. Lucam 22. id, ex quo Christus suum corpus confecit, verè dicitur panis; iste autem panis fuit azymus, ut dictum est præcitate quæst. ergo. Tum; quia panis, quem Lucæ 24. fregit Christus in castello Emmaus, reverà fuit azymus; sed panis ille, quem Christus ibi fregit, & benedixit, simpliciter dicitur panis; nam inquit: factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem,

& benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et infra: cognoverunt eum in fractione panis. Major constat; quia hoc factum fuit tertia die azymorum; aut, ut Græci volunt, secunda die, quo tempore apud Judæos, nullus erat fermentati panis usus. Neque Latinorum aliquis sacrificia Græcorum umquam repudiavit; quia è pane fermentato conficiuntur; sed solum veritate, & charitate, falsas Græcorum calumnias, causasque dissidiorum prætextas, vicerunt. Unde S. Gregor. VII. Epist. 1. lib. 8. omnium consensione Latinorum, dicit, nos azymum nostrum inexpugnabili securum Dominum ratione defendentes, ipsorum fermentum non reprobamus.

Secunda Conclusio.

234 Panis azymus convenientior est, quam fermentatus. Prob. conclusio: Tum; quia Christus Dominus hoc probavit suo exemplo; nam prima die Azymorum, quo tempore nihil fermentati panis apud Judæos erat permissum, confecit Eucharistiæ Sacramentum; sed convenientius, & congruentius est, nos consecrare in pane, quo Christus Sacramentum instituit, ut magis cum illo conformemur: ergo panis azymus &c. Tum; quia panis azymus magis congruit ad hujus Sacramenti proprietates significandas, quam fermentatus: nam azymus denotat puritatem, candorem, simplicitatem, humilitatem, & incorruptionem, quæ Christo sub Eucharistia latenti propriè conveniunt, & etiam convenire debent fidelibus ad hoc Sacramentum accedentibus. E contra verò panis fermentatus; nam fermentum plerumque in Scriptura denotat morum corruptionem, & fictam, seu ementitam virtutem. Sic Lucæ 12. Christus Discipulos monet: Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Unde Apost. 1. ad Corinthios 5. ait: Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit: expurgate

vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi: etenim Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiae, sed in azymis sinceritatis, & veritatis. Sinceritatis quidem, id est, contra peccati corruptionem, & veritatis, nempe, contra figuras veteris legis: ergo panis azymus convenientior est, quam fermentatus ad hujus Sacramenti proprietates significandas.

Tertia Conclusio.

235 In Ecclesia Romana, ab Apostolorum ætate usque ad hanc, viguit perpetuus azymi usus. Oppositum hujus conclusionis docent viri aliqui, eruditione satis conspicui, existimantes, utramque Ecclesiam Latinam, & Græcam initio adhibuisse azymum panem: exorta verò hæresi Evionitarum, qui simul cum Evangelio custodiebant legalia, ad hujus hæreseos detestationem, in sacris Mysteriis fermentum prælegisse. Sæculis autem posterioribus, dicunt, Ecclesiam Catholicam ad panem azymum reddidisse. Sed hæc opinio, quam Græci contra Latinos vocitant, ut illos de inconstantia redarguant, falsissima omnino est, & conficta. Patet hoc ex S. Leone IX. Epist. 1. c. 5. respondente objectionibus græcis sic: Ecce jam post mille, ac fere viginti à Passione Salvatoris nostræ annos, incipit per vos discere Romana Ecclesia, qualiter memoria Passionis sit recolenda. Hinc Cardinalis Humbertus: vestra duplicitas suo fermento contenta, Romanæ, & Latinæ simplicitati azymum extorquere nequit. Et infra: Prima, scilicet, Ecclesia ad hæc moderna tempora, sicut ab Apostolis accepit, fideliter retinuit. Et S. Gregor. VII. Epist. 1. lib. 7. hortatur Armenos azymum nobiscum consecrantes, ut multum mitterentur de temeraria Græcorum garulitate. Et Innocentius III. de Mys-

teris Missæ lib. 4. cap. 2. inquit: *ab ipsis ergo beatis Apostolis Petro, & Paulo, quos & vivos habuit, & defunctos custodit, hunc Sacrificii ritum accepit Romana Ecclesia, quem hæcenus inviolabili cultu servavit. Ex quo evincitur, falsissimum esse, quod ajunt Adversarii, azymum post decimum sæculum usum obtinuisse. Si enim id verum foret, numquam Leo IX. eodem sæculo natus, & circa medium undecimi sæculi scribens, neque Humbertus Cardinalis doctissimus, ausus esset repetere, ab Ecclesiæ primordiis natam ætati suæ consuetudinem celebrationis in azymis. Imò jure objicissent Schismatici Leoni Papæ, se sequi exempla majorum. Hæc ab Ecclesiæ initio consuetudo comprobatur ex antiquissimo, & Doctissimo Alcuino, qui obiit ante sæculum IX. Epist. 69. ad Ecclesiam Lugdunensem, inquit: „Panis, qui in corpus Christi consecratur, absque fermento, debet esse mundissimus, & aqua absque omni sorde mundissima, & vinum absque omni commixtione alterius liquoris, nisi aquæ, purgatissimum &c. Videnda sunt de hoc affa plura eruditissima apud Berti lib. 33. cap. 3. & apud Mazedo pag. 24.*

Quarta Conclusio.

236 *Incertum est, quo tempore invaluit apud Græcos fermentati usus. Videtur tamen obtinuisse ante schisma Photianum. Scriptores enim non consentiunt circa tempus, quo primum ceperunt Græci adhibere in Sacrificio panem fermentatum. Innocentius III. lib. 4. de *Mysteriis Missæ*, cap. 4. scribit: *Græcos Sacrificii ritum temerè mutasse, postquam tunicam Domini inconsutilem diviserunt. Sed quando hoc fuit, non dicit. Aftensis, D. Thomas, aliique veteres Scholastici censent, inductum fuisse fermentum occasione Ebionorum, tam in Græca, quàm in Latina Ecclesia: illa autem hæresi cessante, Latinos**

ad morem pristinum rediisse, & Græcos persistisse in recepta consuetudine. Sed hoc quantum spectat ad Latinos, ex antecedenti conclusione evincitur falsum. Gregorius Sissensis Patriarcha Armenorum asserit, Apostolos interdum azymum, interdum consecrasse fermentum, pro loci, ac temporis opportunitate, atque hinc derivatum esse utriusque Ecclesiæ discrimen. Hoc probabile censent noster Mazedo, Vazquez, & alii: & inferunt, Græcos ante exortam hæresim Ebionitarum consecrasse in azymis. Et hæc est sententia Scholasticorum pervulgata, scilicet, Græcos à principio convenisse in consecrando in azymis cum Ecclesia Latina. Cùm autem opiniones istæ invicem pugnent:

237 *Hoc unum dixi, & iterum dico: Usus fermenti in Ecclesiis Græcis antiquiorem esse Schismate Photiano. Assertum patet, primò; quia S. Leo IX. & Cardinalis Humbertus pugnarunt pro vetusta Romanæ Ecclesiæ consuetudine, & numquam objecerunt Græcis usurpatum ab ipsis fermentatum panem, occasione dissidii paulò ante exorti sub Photio; invasore Constantinopolitanæ Sedis quod utique objecissent, si hujusmodi novitatis indicia habuissent. Deinde: quia constat, Græcos non minus proclives esse ad nova dogmata, quàm tenaces in antiquorum rituum observatione, in quibus, ut scribit S. Irenæus, apud Eusebium lib. 5. Hist. Eccles. cap. 24. fere à principio Christianæ Religionis discrepavit ab Ecclesia Latina, tam in controversia de Paschate, quàm in quibusdam aliis rebus. Tandem Joannes Philoponus Alexandrinus, qui Constantinopoli vivebat anno 535. ut Baronius demonstrat ad eundem annum, nitebatur ostendere in disputatione de Paschate, Dominum consecrasse in fermento, argumentatione petita ex more tunc temporis vigente, sic scribens: *neque azymum panem antitypum proprii corporis discipulis suis**

dedit Christus: fieri enim etiam tunc. Ex quo evincitur evidenter usus fermentati, sexto vertente sæculo, in Ecclesia saltem Constantinopolitana, & Alexandrina. Non ergo tempore Photii incepit, cùm hic posterioribus multis sæculis in mundum venerit.

Quinta Conclusio.

238 *Panis in Eucharistia consecrandus debet esse figura rotundus, & exilis, ex antiqua disciplina Ecclesiæ. De figura rotunda stat testimonium S. Epiphanius, qui in Anchor. docens, panem etiamsi figuræ sit circularis, posse esse symbolum corporis Christi ait: *hoc enim est rotundæ formæ. Ex quo evincitur, etiam Græcos, uti est Epiphanius, usos esse pane rotundo in sacrificio, seu pane circularis figuræ. Item: Gabriël Philadelphiensis in Apolog. pro Ecclesia Orientali de pane Eucharistico dicit: *is panis præfert sigillum figuræ circularis, vel quadrangulæ, cum hac inscriptione: *Jesus Christus vincit: Ubi etiam notat, in circulari figuræ significari divinitatem, in quadrangula quatuor mundi partes, quibus Christus salutem attulit. Deinde, Cesarius, frater Nazianzeni, dialogo 3. de fide Catholica, compatans Corpus Christi, dum inter nos degeret, cum eodem in Sacramento, inquit: *Illud est artubus compositum, hoc rotundum, quod de exteriori apparientia specierum panis est intelligendum. Ulterius: Imagines quoque ex vetustibus codicibus descriptæ, non tantùm Latino-rum, verùm etiam Syrorum, Alexandrinorum, atque Græcorum, hostias representant rotunda, & circulari figura; licet Græci panes quoque quadratæ figuræ consecrent, apud Jacobum Sirmundum, disquis. de Azymo cap. 4. & Edmondum Martenium lib. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus cap. 3. art. 7. Demum: Honorius Augustodunensis in Rationa-*****

li lib. 4. cap. 41. scribit, *hostias in modum denarii formatas: Tum; quia panis vitæ pro denariis traditus est: Tum; quia idem denarius laborantibus in vinea erit præmium.*

239 *Hostias autem tenues, exilesque formandas esse, constat ex antiquis picturis nuper commemoratis; & præsertim ex revelatione S. Ildefonsi Archiepiscopi Toletani, cui revelatum est, Sacerdotibus majores hostias, communicantibus minores esse tribuendas, sed omnes una ferri impressione formatas. Uldaricus Tertio lib. cap. 13. scribit: in ferramento, quod *characteratum* appellat, simul sex confici hostias, quod argumentum est earum exilitatis. Eadem ratione oblatas, impressas, & decoctas ferro, narrat Monachus Anonymus, qui floruit sæculo nono, in lib. de Miraculis S. Wandegresili Abbatis cap. 29. ex quibus panis azymi quantitas, & simul figura, probatur. Deinde sic statuit quoad figuram, & exilitatem panis consecrandi Synodus Toletana 16. celebrata anno 693. adversus quosdam oppositum tentantes. Concludendum igitur cum Raymundo in summa, sic canens de hostia consecranda.*

Candida, triticea, ac tenuis, non magna, rotunda, Expers fermenti, non salsa, sit hostia Christi.

Solvuntur Argumenta.

240 *Arg. 1. Materia apta consecrationis est panis propriè usualis; sed iste solùm est fermentatus: ergo. Confirmatur: Usus panis azymæ est observatio Mosayca; sed Christus abrogavit omnia legalia: ergo non est materia consecrationi apta. Urgetur ex Calvino lib. 3. instit. cap. 17. Ecclesia semper usurpavit panem fermentatum, & vulgarem ante tempus Alexandri Episcopi Romani, qui primus delectatus est azymo pane, ut rudis, & ignaræ plebis oculos magis*

traheret in admirationem hoc novo spectaculo: ergo panis azymus non est præ cæteris usurpandus. Respondeo distinguendo minor. per accidens, concedo: simpliciter, & per se, nego minorem. Vel distinguo majorem: panis usualis, id est, qui ex substantia, & ex natura sua aptus est nutritioni ex ejus usu, concedo: qui per accidens est frequentior in usu, nego majorem. Itaque panis ille dicitur per se usualis, qui ex triticea farina, & aqua naturali conficitur, igne decoquitur, & in usum, ac hominis nutritionem cedit, qualis etiam est utique azymus panis: Unde etiam inserviebat Judæis per septem dies ad nutritionem. Est igitur panis fermentatus magis in usu, ac magis frequentatus, quam azymus; quia meliorem, ac magis aecommodatum habet saporem, delectabiliorque est ad sâcietatem, & nutritionem: hoc verò ad substantiam panis nihil facit.

241 Ad confirmationem distinguo minorem: abrogavit omnia legem figurativa, quæ, scilicet, significabant Christum venturum, & quæ Evangelicis institutis, & præceptis adversantur, concedo: alia omnia prorsus, nego minorem. Major, si aliquid probaret, probaret etiam, abstinendum esse à fermentato, utpote etiam legali; nam Levitici 7. & 13. panes fermentati erant Deo offerendi. Si autem, ut argumentum intendit, Christus absolutè omnes observantias legis Mosaycæ abrogavit, panem fermentatum etiam abrogasset: Itaque usus panis azymi in Eucharistia non adhibetur nunc ex præscripto legis Judaicæ, sed ex præscripto Evangelicæ legis: & sufficit, quòd Christus in hujus Sacramenti institutione, & novi agni sumptione, retineri voluerit hunc panem.

242 Ad urgentiam ex Calvino dico, ipsum, ut assolet, impudentissimè mentiri. Nec in hac sua fabulosa narratione solum prodit ignorantiam, sed & maximam malitiam. Et

ideò quis fuerit Alexander ille hujus moris institutor, omnino tacet, ne convinceretur aperti mendacii. Quòd enim Ecclesia azymum panem pro Eucharistia conficienda, semper, & à principio usurpaverit, constat aperte ex tertia conclusione, ubi probatum est clarissimis testimoniis S. Gregorii IX. Humberti Cardinalis, S. Gregorii VII. & Innocentii III. Vide ibi. Quibus additur Algerus, antiquissimus Scriptor, lib. 6. cap. ultimo inquit: „ Nulla ratio cogit, ut azymum à Christi sacrificio repellatur: dignum est, ut quod Christus instituit (omnis autem Ecclesia, præter Græcam, à primordio sui, ex traditione Principum Ecclesiæ, scilicet, Petri, & Pauli, celebravit) indesinenter conservet. Accedit Rupertus libro de Divinis Officiis cap. 22. dicens: „ Nescio, qua autoritate suffragante, totam Græciam refragari consuetudini S. Romanæ Ecclesiæ, numquam in sacrificio fermentatum admittendi. Tandem: hoc idem haud obscure colligitur ex S. Epiphânio hæresi 3. ubi referens, & repellens Ebionitarum hæresim, ait: „ Mystera autem faciunt ad imitationem Sanctorum in Ecclesia ab anno in annum per azymos, hoc est, non fermentatos panes: & alteram Mystera terii partem per aquam solam. Hæc est hæresis Aquariorum, de qua dictum est quæst. antec.

243 Arg. 2. Tum: olim Eucharistia consecrabatur ex oblationibus populi, & quod superaret, distribuebatur viduis, ac pauperibus; sed illæ oblationes erant ex panibus usualibus, & fermentatis: ergo Tum Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. num. 14. appellat panem Eucharisticum *panem usitatum*: ergo confectum fermento. Tum: Photius non objecit Latinis, quòd azyma consecrarent: ergo eo tempore utraque Ecclesia Latina, & Græca utebatur fermento in sacris Mysteriis. Tandem: ex decretis Melchiadis, Siricii, &

In-

Innocentii, apparet, oblationes consecratas, quæ ad Titulos, & Ecclesias deferebantur, dictas fuisse *fermentum*; sed hoc non alia causa, nisi quòd ex pane fermentato fiebant: ergo. Respondeo ad primum, olim duas oblationes in Missa factas esse: una ante Evangelium, in qua offerrebantur panis, & vinum, & quodque aliud in alimentum Sacerdotum, & egenorum: altera, lecto jam Evangelio, in qua offerrebantur panis, & vinum ad consecrationem, & ex qua, si quòd supererat, ab Archidiacono tradebatur servandum in custodia. Unde concedimus, primam oblationem fuisse panis fermentati; sed negamus, alteram fuisse ejusdem panis. Etenim hanc oblationem fuisse azymorum colligimus ex antiquissima Missa Ambrosiana, & ex more, qui etiam nunc à prima institutione Mediolani servatur, nempe, ut viri, & matronæ, quos *Vegiones*, & *Veglonissas* appellant, instante tempore oblationis, offerant Sacerdoti materiam sacrificii, panes azymos, cum vasculo vini. Ad secundum dico, quòd Ambrosius appellat azymum ante consecrationem *panem usitatum*, quatenus opponitur consecrato: quo sensu etiam Rupertus Abbas lib. 3. de Spiritu Sancti operibus cap. 21. panem azymum à Domino in ultima Cœna consecratum, vocat *panem communem*. Ad tertium dico, quòd Photius ideò de azymis nullam litem movit, quia judicavit, id esse dissimulandum, propter quod azymum ex factò Christi Domini magnam haberet auctoritatem. Et quidem ipse Photius in Bibliotheca scripserat juxta Chrysostomum, & Ecclesiam universam, Christum peregrisse Pascha legale juxta præscriptum legis, ideòque in azymo consecrasse. Addunt viri eruditi, Photium nec vitio tribuisse Latinis tonsuram capitis, quicquam aquæ infusionem in Baptismo, dilationem confirmationis, & alia plura, in quibus Latini discrepant à Græcis. Nec potuit Photius id objec-

tare; quia Epist. 64. scripserat, sustinendam esse absque reprehensione in variis Ecclesiis *differentiam, ac dissimilitudinem, in mysticis sacrificiis*.

244 Ad ultimum respondeo r. *fermentum* ad titulos transmissum fuisse Eulogias, non Eucharistiam, & consequenter nihil hinc inferri adversus antiquum usum azymi. Ita sentit Varonius ad annum 316. num. 49. Severinus Binius in notis ad decretum Melchiadis, & ad Epistolam Innocentii I. noster Franciscus Macedo disquisit. de Ritu azymi cap. 11. & alii plurimi. Sed quia veritati valde consona est sententia doctissimorum virorum, qui *fermentum* illud interpretantur Eucharistiam, inter quos Cardinalis Thomasius, Mavilionius, & alii, qui de hoc argumento accuratè tractarunt, & quorum sententiam sequitur Benedictus XIV. de Sacrificio Missæ: eò quòd in lib. Pontificali de Melchiade legitur: *Hinc fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum*: quibus verbis innuitur, non quamcumque oblationem ad Ecclesias fuisse directam, sed partem ejus, quam Episcopus consecraverat; quod ex pristina disciplina à Melchiade iterum præscriptum fuit circa annum 312. ut eadem participatione *Sacramenti* plebs Christiana cum Presbyteris, & hi cum Romano Pontifice custodirent fidei unitatem.

245 Quia hoc igitur valde verisimile est, respondeo secundò, inter *fermentum, & fermentum* magnum esse discrimen. Unde perperam aliqui viri, alioquin perspicacissimi, argumentum desumunt ab illa voce, *quod declaratur fermentum*, ad suadendum, Eucharistiam antiquitus confectam esse in Ecclesia in pane fermentato. Aptissimum itaque est fermenti nomen ad significandam Eucharistiam, etsi in azymo confectam: quia sicut fermentum farinæ commixtum totam conglutinat, ita Eucharistia est vin-

cu-

culum unionis, & communionis Ecclesiarum, ut scribit Benedictus IV. citatus, & alii permulti: atque hanc unitatem intendebant antiqui Pontifices significare, nomine *fermenti*, Eucharistiæ applicati. Quamobrem Jacobus Sirmondus, author eruditissimus, disquisitione de azymo cap. 5. hæc habet: „ Quid hoc tandem ad nos, „ si Eucharistiam hic constat fermentum ex eo dictam, non quod „ ex pane esset fermentato, sed quod „ ipsa quocumque ex pane fieret, Ecclesiis, ad quas mittebatur, fermenti vicem præstaret, eisque unionis inter se vinculum esset, sicut „ fermentum massæ, cui commiscetur.“ Eadem doctrina solvit argumentum præcitatus Cardinalis Thomasius.

DUBIUM PERUTILE.

An Latini apud Græcos commorantes possint in fermentato consecrare, & e converso, Græci in azymo?

246 **D**iana resol. 99. Miscel. N. Macedo de clav. Petri lib. 4. cap. 5. Henno de Eucharistia quæst. 2. conclus. 2. cum aliis Theologis, censent, Græcis apud Latinos commorantibus, aut peregrinantibus, fas esse consecrare azymum, & e contra Latinis apud Græcos commorantibus, aut peregrinantibus, fas esse consecrare fermentatum. His adhæsit N. Arbiol in disp. selectis disp. 3. de Eucharistia art. 2. in fine dub. 2. quamvis limitet resolutionem ad casum, quo aliter commodè fieri non posset. Verùm Doctores isti falluntur meo videri. Quare cum communiore, & vera sententia, quam etiam N. Gonzalez Matheo docet in Summa Morali Tract. de Eucharistia.

247 Dicendum est; nec Sacerdos Latinus in fermentato, nec Græcus in azymo consecrare potest ullo prætextu, aut ratione. Sic decernit Concilium Florentinum in Bulla unio-

nis. Constat etiam ex motu propria S. Pii V. emanato anno 1566. qui incipit: *Providentia Romani Pontificis*, ubi revocans omnes licentias, vel facultates celebrandi, Græcos more Latino, & Latinos more Græco, subdit: „ Quibusvis Presbyteris, tam Græcis, quam Latinis „ præcipimus in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac perpetuæ suspensionis à divinis, ut deinceps Presbyteri Græci (*præsertim Morati*) Latinorum more; & Latini Græco ritu, hujusmodi licentiarum, aut facultatum, aut aliquovis prætextu, Missas, & alia divina officia, celebrare, vel celebrari facere, non „ præsumant.“ Decretum hoc renovavit Benedictus XIV. constitutione super ritibus Græcorum §. 6. num. 10. his verbis: „ Cùm in Sacro Florentino Concilio præscriptum sit, „ ut unusquisque Sacerdos Eucharistiam juxta Ecclesiæ suæ ritum, sive Latinæ, sive Græcæ in azymo, seu fermentato conficere debeat, vetitumque à Summis Pontificibus prædecessoribus nostris, ne Latinus Sacerdos Græco ritu, aut Græcus Latino utatur, districtius „ inhibemus &c.“ In quibus Pontifices expressè jubent, nullum Sacerdotem mutare posse in Missas celebrando ritum suæ Ecclesiæ, & si quæ erat licentia, aut facultas aliquibus concessa, ab eis sub gravibus pœnis revocatur, & præcipitur, quod sub quovis prætextu, Latinus non præsumat consecrare in fermentato, nec Græcus in azymo; ergo certissima est nostra resolutio. Et præsertim cùm hoc Sacramentum non sit simpliciter necessarium, ex quo evincitur, nullam adesse posse rationem, aut necessitatem ad decreta Apostolica aliter interpretanda.

248 Arg. 1. commune, & per vulgatum proloquium: *cùm fueris Romæ, Romano vivito mare*. Quod confirmat Epist. 54. Augustini ad Bonifacium, ubi traditur, servandam esse

esse Ecclesiarum, ad quas proficiscimur, consuetudinem: ergo. Arg. 2. Scotus 4. dist. 11. quæst. 6. dicit, Græcos peccare graviter, utendo fermentato: ergo ex Scoto Græcis non licet consecrare in fermentato, & consequenter quoad hanc partem falsa est nostra resolutio. Antecedens patet: nam loco citato ait Subt. Doct. „ fortè etiam graviter peccant Græci, qui non se conformant Ecclesiæ Petri, cùm hic habeatur fundamentum solidum, quod sic Christus instituit hoc Sacramentum, ad minus licet non necessariò, quin „ aliter fieri posset, tamen sic magis congruè celebratur.“ Si igitur Græci peccant, non se conformando cum Ecclesia Petri, quæ in azymo pane consecrat, & semper consecravit, certum est, quod Græcis consecrare in fermentato licere non potest; aliàs liceret eis peccare, quod asserere absurdissimum est.

249 Respondeo proloquium illud, & Epistolam Augustini, intelligendum esse, non de ritu Sacrificii, quem fideles omnes norunt in utraque Ecclesia esse diversum, & ad quem servandum Sacerdotes Sacramento Ordinis initiantur: sed esse intelligendum de consuetudinibus variabilibus in Ecclesiis, cujusmodi sunt dies festi, & jejunia Sabbati, de quo in illa Epistola loquuntur Ambrosius, atque August. Hinc Benedictus XIV. in præcitata Constitut. præcipit, ut Italo Græci servent Kalendarium Gregorianum, festos dies, quadragesimale jejunium, & quæcumque à fidelibus in Diœcesi, ubi habitant, sine ullo personarum, ac rituum discrimine, juxta sacros Canones, servari, nempe consuetudines, de quibus Augustiniana Epist. & proloquium intelliguntur. At verò de Sacrificii ritu aliter idem Pontifex decernit, sicut videri est num. antecedenti, & in probatione conclusionis ex Florentino, & S. Pio V. Ad secundum ex N. Subtil. Doct. respondeo negandò antecedens; quia id absolutè non di-

cit, sed dubitanter, ut expressè apparet ex ejus verbis: & id dubitative dicit propter non conformitatem cum Latinis. Dubitatio hæc, quæ tunc erat, ablata est postea in Concilio Florentino, ante quod scripsit Scotus, præcipiente, & statuente, quemlibet Sacerdotem sacrificium conficere juxta suæ Ecclesiæ consuetudinem.

250 Ex dictis inferitur, morem Græcorum, pane fermentato utentium, non esse improbandum, nec dicteris rejiciendum, uti Græci contra Latinos, patientissimè opprobria inimicorum sustinentes, juxta Domini præceptum, consueverunt. Non igitur est improbandum: Tum; quia id decernit Concil. Florentinum, & expressè monet Leo IX. Epist. 1. ad Melchiam Constantinopolitanum, in qua inter cætera alia de Græcorum sevitia in Latinos, sic conqueritur. „ Ut fertur, omnes Latinorum Basilicas penes vos clausistis, Monachis Monasteria, & Abbatibus tulistis, donec vestris viverent institutis. Ecce in hac parte Romana Ecclesia quanto discretior, & clementior vobis: siquidem cùm intra, & extra Romam, plurimæ Græcorum reperiantur Monasteria, sive Ecclesiæ, nullum eorum adhuc turbatur, vel prohibetur à paterna traditione, sive consuetudine. Quin potius suadet, & admonetur, eam servare.“ Tum; quia ille mos Græcorum celebrandi in fermentato pane suis congruentiis non caret, estò pro azymo sint fortiores, & veriores. Panis enim fermentatus quamdam habet elevationem, qua significat, Christum esse panem vivum, qui de Cælo descendit, quo fideles vegetati promoventur ad celestia. Deinde: ideò Latini in azymo celebrant, ut designent, Verbum sine ulla commixtione carnem suscepisse: Græci verò fermentatum offerunt, quia Verbum carne est indutum, estque verus Deus, & verus homo. Denique; sic sancitum est ab Ecclesia,

sia, ut quilibet Sacerdos juxta suæ Ecclesiæ consuetudinem Eucharistiam conficiat.

QUÆSTIO III.

An, & quo jure, seu præcepto, aqua miscenda sit vino consecrando?

251 **D**emonstravimus quæst. 1. hujus disput. concl. 1. vinum de vite esse materiam consecrationis Eucharistiæ sub specie sanguinis. Ad finem præcitatæ quæstionis damnavimus errorem illorum, qui in sacris Mysteriis aqua sola utebantur, *Aquarii* propterea dicti, sive *Hydroparastatae*, qui fuerunt Hæretici Ebionæi, de quibus Epiphanius hæresi 30. num. 26. scribit: *ad alteram mysterii partem meram aquam adhibent.* Nunc pro prima quæst. parte resolvenda, sciendum est, Armenos nolle aquam vino consecrando admiscere; quia inficiuntur hæresi Eutythiana, duarum in Christo naturarum unionem negante, ut notat Nicephorus lib. 18. cap. 53. dicens: *Vinum aqua non temperatum adhibent in divina re faciendâ, unam in Christo naturam designantes: neque sicuti nos calicem miscent, per quam mixtionem duarum in Christo naturarum, & unionem declaramus.* Ad hunc errorem primò adduxit Armenos sententia quædam S. Chrysostomi ab eis intellecta perversissimè. Tribuunt etiam eundem errorem Græcis Innocentius III. Magister Sententiarum, Durandus, & alii: quod verum est, non de Græcis absolutè, sed sump-tis pro *Orientalibus*, inter quos numerantur Armeni. Novatores hujus temporis errorem hunc damnatum, & sepultum ab inferis suscitaverunt, & restaurarunt. Etenim Lutherus scripto primo contra Regem Angliæ, fatuos, & stolidos putat eos, qui sine aquæ mixtione celebrare, putant esse peccatum. Nonnulli cum Calvino gravius exorbitantes, sacrilegos, &

falsarios esse, ac blasphemos hæreticos pronuntiant eos, qui vinum cœnæ miscent aqua, eò quòd ad Evangelii puritatem sua adjiciant commenta. Verum contra hos errores reclamant omnes Catholici.

252 Pro secunda quæst. parte notandum est, quòd etsi DD. Catholici invicem consentiant, & conveniant de necessitate miscendi aquam vino consecrando; tamen circa rationem hujus necessitatis adstruendæ, nec conveniunt, nec omnes consentiunt. Tempore siquidem S. Bernardi non pauci contendebant, mixtionem illam necessariam esse necessitate Sacramenti, modo quo panis, & vinum. Ita refert ipse D. Bernardus, scribens ad Huidonem Abbatem, sic dicens: *Ajunt, sensisse alium scriptorem, non posse absque tribus, id est, pane, vino, & aqua, hoc sacrificium esse: ita ut si quodlibet eorum deesse contingerit, reliqua non sanctificentur.* Hanc sententiam non videtur improbare S. Bernardus; nam subdit: *Sed de hujusmodi unusquisque in suo sensu abundat.* Eam expressè tuetur Armacanus lib. 9. de quæstionibus Armenorum cap. 9. ubi docet mixtionem illam ita esse necessariam, ut si Sacerdos, vel incuria, vel oblivione, vel alia de causa, aquam in calice non admisceat, consecratio sit irrita, & prorsus invalida. Contra Armacanus reclamant cæteri Theologi, affirmantes, hanc aquæ cum vino consecrando admixtionem non esse necessariam necessitate Sacramenti, sed tantum necessitate præcepti. Verum licet in hoc conveniant Theologi, dissentiant tamen in qualitate præcepti: utrum, scilicet, præceptum istud sit divinum, an dumtaxat Ecclesiasticum? Denique est advertendum, duplicem esse significationem Eucharistiæ, nempe, significationem sacramentalis, & mysticæ, seu moralis. Hęc duplex Eucharistiæ significationis est respectivè ad duplex Christi Domini corpus, videlicet, naturale, & mysticum. Primò enim ordi-

dinatur ad representandum Christi corpus, & sanguinem, quæ realiter, & substantialiter continet, & hęc est significationis sacramentalis. Secundò ordinatur Eucharistia, seu species consecratæ, ad representandum Christi Domini corpus mysticum; quo sensu dixit Apostolus 1. ad Corinth. 12. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus.* Et immediatè antea dixerat: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Hęc autem significationis tantum est moralis, & mystica. His statutis, duo hic sunt firmanda. Primum: utrum fieri debeat admixtio aquæ cum vino consecrando? Secundum: quo jure id debeat adimpleri?

Prima Conclusio.

253 *Vino consecrando necessarium est aqua permiscenda.* Conclusio est omnium Catholicorum contra errorem Armenorum, ac Protestantium. Demonstratur conclusio 1. ab exemplo Christi Domini, qui vinum aqua mixtum consecravit. Sic colligitur ex Liturgiis S. Jacobi: *Similiter postquam cœnavit, accipiens calicem, & permiscens ex vino, & aqua.* Et S. Marci: *Similiter & calicem, postquam cœnavit, accipiens, factaque vini, & aquæ commixtione.* Et S. Basilii: *Similiter, & cum calicem ex gemmine vitis accepisset, & miscuisset.* &c. Probatur item ex Concilio Carthaginense can. 24. inquit: *In Sacramentis Corporis, & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum, aqua mixtum.* Concilium Trullanum celebratum an. 692. sic decernit: „ Si quis „ ergo Episcopus, vel Presbyter, „ non secundum ordinem ab Apostolis traditum facit, & aquam vino miscens, sic immaculatum offert Sacrificium, deponatur, ut imperfectè mysticam equantians, „ Tom. II.

„ & quæ tradita sunt, innovans. „ Idem decernit Concil. Florent. & renovat Tridentinum sess. 22. cap. 7. ubi rationes hujus mixtionis afferens, hęc verba profert: *Monet inde Sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesiâ Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo, miscerent: Tum, quòd Christum Dominum ita fecisse credatur: Tum etiam, quia è latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cum aquæ in Apocalip. B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christum unio representatur.*

254 Probatur secunda conclusio ex continuata Ecclesiæ praxi, quæ numquam aquæ mixtionem omisit; ob quod Florentinum monet Armenis, ut se in tali mixtione conformet cum Ecclesiâ universali. Unde Hirenæus lib. 4. ita dicit: *quia ex traditione Apostolica, perpetuoque Ecclesiæ usu vinum consecrandum aqua miscetur.* Ex PP. nullus est, sive Græcus, sive Latinus, qui hanc veritatem non expresserit. Sic Justinus Martyr Apologia 2. commemorans oblationes, ex quibus consecrabatur Eucharistia, inquit: *Deinde, ei, qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ, & vini.* Cyprianus Epist. 63. ad Cecilium ait: *invenimus calicem mixtum fuisse, quem Dominus obtulit.* Et infra clarissimè explicat rationem hujus mixtionis, dicens: *Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs, ei, in quem credidit, copulatur, & conjungitur &c.* Ambrosius de Sacramentis lib. 4. cap. 4. num. 19. ait: *Ergo didicisti, quòd ex pane corpus fiat Christi, & quòd vinum, & aqua in calicem mittitur; sed fit sanguis consecratione Verbi cœlestis.* S. Aug. lib. 4. de doctrina Christiana c. 21. loquens de præcitata Epistola Cypriani ad Cecilium, inquit: *Solvitur ibi quæstio, in qua quæritur: utrum calix Dominicus aquam solam, an eam vino mixtam, debeat habere? Et Tract.*

120. in Joannem pertractans de aqua à Christi latere fluente, ait: *aqua illa salutare temperat poculum*. Deum eadem veritas constat ex antiquis Ecclesiae ritibus, ut refert Benedictus XIV. de Sacrificio Missae sect. 1. num. 90.

255 Ultimò probatur conclusio ex mysticis significationibus, & repræsentationibus, quas talis mixtio aquæ cum vino ostendat. Primùm igitur repræsentat Sacramentum Dominicæ passionis, sanguinem, nempe, & aquam, quæ ex Christi Domini pectore transfixo fluxerunt. Ita Alexander I. Epist. 1. cap. 4. dicens: „ In Sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solemnias Domino offeruntur, passio Domini miscenda est... ita ut repulsis opinionibus superstitionum, panis tantum, & vinum aqua permixtum, in sacrificium offerantur. Non enim debet (ut à PP. accepimus, & ipsa ratio docet) in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere ejus in passione sua profluxisse legitur. Secundò probatur à PP. ex significatione unionis fidelium cum capite Christo. Cum enim Sacramentum Eucharistiæ repræsentet unionem Christi cum Ecclesia, vinum, & aqua aptissimè id significant: vinum namque ex Zachariae 9. *vinum germinans virgines*, significat Christum. Seu ut inquit S. Hieronymus: „ Vinum boni odoris ad virgines intelligimus Dominum Salvatorem: ipse enim est vinum, quod lætificat cor hominis, & bibit ab his virginibus, quæ sunt sanctæ corpore, & spiritu, ut inebriatæ, & gaudentes sequantur Ecclesiam. Aqua autem populos significat. Ita enim expressè præcæteris Julius II. Epistola ad Episcopos per Egiptum, ut refertur de consecratione dist. 2. cap. *cum omne crimen*, ubi ait: *Cum in calice aqua vino miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs et, in quem*

credidit, copulatur, & coniungitur. &c. Idem exprimit Tridenti in prima probat. conclusionis adductum

Secunda Conclusio.

256 *Mixtio aquæ cum vino ad consecrationem calicis non est necessaria necessitate Sacramenti: nec obligat ex divino præcepto, sed dumtaxat ex Ecclesiastico.* Conclusio est valde communis quoad omnes ejus partes. Constat ex N. Subt. Doct. in 4. dist. 11. quæst. 7. num. 2. ubi ait: *Græci (Armeni intelliguntur) non apponunt aquam, ut dicit Innocentius de officio Missæ: est tamen de necessitate Ministri propter præceptum Ecclesiae: & etiam Christus vinum, cum quo fuit aqua mixta, consecravit.* Quibus in verbis docet, aquæ cum vino mixtionem nec esse necessariam necessitate Sacramenti, nec præcepti divini, sed tantum Ecclesiastici. Doct. Subt. sequuntur celebriores Scotistæ, & ex alienis ferè omnes Theologi, contra Armacanum, asserentem, esse necessariam necessitate Sacramenti, & contra Valentiam tom. 4. disp. 6. quæst. 2. & Hosium, cum aliis non paucis, docentes, obligare ex divino præcepto. Probatur quoad primam, & secundam partem 1. ex Conciliis; nam Florentinum in litteris unionis docet: *admiscendam modicam aquam, & hoc debere facere Armenos, ut se Ecclesiae conformentur*: ergo non ex necessitate Sacramenti, sed solius præcepti, & hoc quidem Ecclesiastici. Idem colligitur ex Trident. sess. 22. cap. 7. ubi ait: *Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent &c.* ergo expressè asserit Concilium, hanc mixtionem non esse ex præcepto divino, sed solum esse ex Ecclesiastico: aliàs non diceret, esse ab Ecclesia Sacerdotibus præceptum, sed esse præceptum à Domino.

257 Probatur secunda conclusio: Tum

Tum ex D. Cypriano Epistola prælaudata ad Cecilium, ubi ait: *Esse sanguinem Christi, si vinum sine aqua consecratum sit.* Et in eadem Epistola ait Cyprianus, veniam concedendam esse simplicitati eorum, qui ignoranter aquam vino non miscuerant; sed non existimasset, condonandum esse simplicitati Presbiterorum, si absque mixtione aquæ non consisteret Sacramentum, ut benè infert Estius: ergo talis mixtio non est necessaria necessitate Sacramenti. Tum: si quis post consecrationem advertat, se non miscuisse aquam vino, non debet, consecrato calice, infundere aquam, ex Rubricis Missalis, titulo *de defectu vini* num. 7. ergo aqua non spectat ad materiam essentialem; aliàs post consecrationem foret apponenda, & consecranda; quemadmodum apponendum, & consecrandum est vinum, si Sacerdos post verba consecrationis advertat, vinum non fuisse positum, sed aquam, ex eisdem Rubricis, & titulo num. 4. ergo aqua solum est necessaria in calice necessitate præcepti. Nunc sic: sed tale præceptum non est divinum: ergo est purè Ecclesiasticum. Prob. minor. subsum. Tum; quia nullibi constat, nec in Evangelio, nec in Apostolicis Epistolis, de tali divino præcepto. Tum; quia si hæc mixtio esset de præcepto divino, sine illa invalidè consecraretur, & Ecclesia numquam illam mixtionem omitteret, sicut illam omittit, dum vinum sine mixtione jam est consecratum: ergo. Confirmatur: Christus instituit consecrationem calicis in vino usuali, ut constat ex Scriptura, & PP. & ex à nobis dictis; sed vinum, sive lymphatum, sive merum, est vinum usuale: ergo. Deinde: ex eo, quod Christus Dominus in pane triticeo usuali consecravit, non adstruitur præceptum divinum circa id, quod talis panis debeat esse azymus, vel fermentatus: aliàs aut Græci, aut Latini transgredierentur in consecrationem panis præceptum divinum, cum

Tom. II.

Græci conficiant in fermentato, & Latini in azymo, & hoc ex dispositione, & præcepto Ecclesiae: ergo similiter, ex eo, quod Christus consecraverit in vino aqua mixto, non adstruitur præceptum divinum circa hoc, quod tale vinum debeat esse purum, aut aequaliter aquatum. Unde Castro lib. 6. contra hæreses verbo *Eucharistia* latè probat contra Hosium, aliàs doctissimum, hanc mixtionem aquæ non esse ex præcepto divino. Et Ledesma in Summa morali quæst. 75. expressè docet, quod urgente necessitate, potest sine dispensatione talis mixtio omitti, quod signum est, non esse necessariam ex divino præcepto; aliàs dispensari non posset. Ex quo evidenter sequitur, & probata remanet tertia conclusionis pars.

Solvuntur Argumenta.

258 Arg. 1. si fieri deberet mixtio aquæ in calice, maximè, vel propter exemplum Christi Domini, vel propter significationem aquæ illius, quæ ex ejus perforato latere fluxit; sed neutrum rectè asseritur: ergo fieri non debet talis mixtio, & consequenter vera non est prima conclusio. Prob. minor: Tum; quia non constat, Christum miscuisse, & bibisse aquam: imò Chrysostomus id apertè negat; nam expendens illa verba Christi: *non bibam de hoc genimine vitis*, hom. 83. in Matthæum sic scribit: „ Cujus rei gratia non aquam, sed vinum post Resurrectionem bibit, perniciosam quamdam hæresim radicitus evertere voluit: quandoquidem enim sunt nonnulli, qui aqua in Mysteriis utantur, ut ostenderet, quia, & quando hoc Mysterium tradidit, & quando post Resurrectionem sine Mysteriis nudam mensam apposuit, vino usus est. Ex genimine, ait, vitis, quæ certè vinum, non aquam, producit: ergo. Tum; quia Innocentius III. ut refertur Can. *in quadam*

P 2 dam

dam nostra, de celebratione Missarum, negat, posse vero argumento probari, quod in Sacramento Eucharistiae admiscenda sit aqua vino, ex eo, quod aqua de latere Christi fluxerit: quia non aqua, sed plegma inde manavit: ergo non ita est faciendum. Confirmatur: Si consecratio fieret in solo vino, non minus repraesentaret illam mysticam unionem nobiscum cum Christo: nam eo modo, quo dicimur ab Apostolo, *unus panis, unum corpus*, etiam possemus dici, *unus calix*, unitate incorporationis cum capite, & unitate vitae à capite ad nos emanantis: ergo ob eam unionem significandam non est necessaria mixtio aquae cum vino.

259 Respondeo negando minor. Ad S. Chrysostomum dico cum PP. Concilii Trullani Can. 32. eum ibi reprobare Hydroparostatas, seu aquarios Hereticos, qui, ut diximus initio questionis; & refert Theodoretus lib. 1. hereticarum fabularum cap. 20. puram aquam in Sacrificium offerrebant. Hos enim reprobant in praesertim verbis, in quibus malè intellectis fundabantur illi Heretici ad sustinendum suum errorem. Unde non vetuit aquae mixtionem cum vino, cum Ecclesiae suae Constantiopolitanae tradiderit, id esse faciendum. Ad Innocentium dico, concedere quidem, quod ex hoc solo argumento ea veritas evidenter probari non possit: non autem denegat, aliis rationibus suaderi posse, & maximè ex continua praxi totius Ecclesiae, ut constat praesertim ex secunda prob. conclusionis. Ad confirmationem distinguo anteced. repraesentaret simpliciter, concedo: aquae propriae, & secundum Christi exemplum, & intentionem, nego antecedens; & in eodem sensu consequentiam. Ut enim inquit S. Cyprianus, „ aqua significat populum, vinum autem Christum, hanc unionem perfectissimè significat utriusque commixtis. Quod etiam constat ex ceteris Patribus, &

ex Trident. pro conclusione adductis.

260 Arg. 2. Veritas debet respondere figuræ; sed in Sacrificio Melchisedech, quod fuit figura Eucharistiae, tantum fuit panis, & vinum, & non aqua: ergo aqua admisceri non debet in Sacramento Eucharistiae. Confirmatur: Sacra Scriptura damnat, & reprobant mixtionem aquae cum vino; nam Isaia 11. Deus Judæis exprobat, quod aquam vino miscerent, inquit: *vinum tuum mixtum est aqua*: ergo hæc aquae mixtio in calice improbanda est. Respondeo disting. major.: Veritas debet respondere figuræ aliqua ex parte, concedo: omnimodè, seu omni ex parte, nego major., & consequent. Quod enim mysteria novæ legis non debeant omnimodè respondere figuris, præterquamquod discurrendo per plura, apertè claret, explicatur à D. Ambrosio luculenter lib. 4. de Sacramentis cap. 1. quærens: *quare in calice mittatur aqua?* Ad confirmationem dico: Scripturam Sacram improbare mixtionem aquae, quæ fit in fraudem ab eis, qui purum vinum se vendere professi, decipiunt ementes ea mixtione: nam Prophetæ per ejusmodi mixtionem exprobat Judæis corruptam animæ sinceritatem, & eorum fraudem, ut interpretatur S. Hieronymus. Non autem improbat mixtionem, quæ fit ad sobrietatem ab eis, qui bibunt: nam hoc est opus temperantiæ, quod multa bona efficere, & significare potest: ideoque Sapientia divina Proverb. 9. dicit: *bibite vinum, quod miscui vobis*. Et credendum est, Christum Dominum in illa mixtione voluisse etiam virtutem temperantiæ admonere. Per hanc doctrinam potest distingui antecedens confirmationis.

261 Arg. 3. Quod est præceptum à Christo Domino, est præceptum divinum; sed hæc aquae mixtio cum vino est à Christo instituta, & tradita sub præcepto: ergo mixtio aquae

aque cum vino in calice est de jure divino, & non tantum de jure Ecclesiastico. Prob. major. 1. ex regula S. August. lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 7. & lib. 4. cap. 34., ea, quæ communiter, & „ perpetuò in Ecclesia servantur, „ nec probantur primitus constituta „ ab aliquo Concilio, aut Ecclesiae „ præcepto ordinata, credendum à „ Christo fuisse instituta, & ordinata; sed admixtio aquae cum vino ejusmodi est; nam Alexander I. qui V. fuit Pontifex à Petro, ait: *se accepisse à PP. hanc mixtionem esse faciendam*: ergo 2. Quia idem affirmant Concilia; nam Carthaginense III. Can. 24. & Africanum Can. 4. appellant hoc præceptum divinum, & dominicam traditionem, sic: *in Sacramentis corporis, & Sanguinis Domini, nihil ampliùs offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit: & hoc est panis, & vinum aqua mixtum*. Concilium Aurelianense 4. cap. 4. id evidentius aperit; nam postquam dixit, vinum miscendum esse aqua in calice, rationem hujus reddens, ait: *quia Sacrilegium judicamus aliud offerri, quàm quod in mandatis sacratissimis Salvator instituit*. Eadem aquae ac vini necessitatem insinuat Concil. Ubormacense Can. 4. dicens: *non potest in calice Domini esse aqua adsum, aut vinum solum, nisi utrumque misceatur*.

262 Respondeo concedendo maj. & negando min. Ad 1. probationem ex Augustino, & Alexandro, dicendum est, talem mixtionem à Christo fuisse institutam, & ordinatam, in quantum Christus usus est illa; non verò ex hoc sequitur, esse præceptam, ut ampliùs dicetur argum. 4. Nec licet Alexander dicat, se hunc ritum accepisse à Patribus, probat, non fuisse ab Ecclesia institutam, sed solum denotatur, hanc institutionem antiquissimam esse. Quamplurimi enim scribunt, Alexandrum, qui Pontifex creatus est ann. 109. & juxta Baronium ann.

121. fuisse Pontificem primum, quæ mandavit, ut in calicis consecratione admisceretur parum aquae. Nos autem fatemur, id antea à Christo, & Apostolis fuisse traditum, ut Eminent. Bona ostendit lib. 1. de rebus liturgicis §. 3. Non ita tamen, ut id Christus expressè præceperit faciendum, sed quia hoc Christus fecisse creditur, ut ait Tridentinum, & Apostoli servarunt exemplum Christi, & ideò Ecclesia jure optimo custodiendum esse decrevit. Concilium Carthaginense, & Africanum eis in canonibus eos damnant, qui simul cum vino consecrabant *mel, & lac*, definiens, hæc quidem benedicenda esse, sed non consecranda, sic: *nec ampliùs in Sacrificiis offerendum, quàm de visis, & frumentis*. Et dum dicunt, esse dominicam traditionem, non referunt verbum hoc eadem prorsus ratione ad vinum, & aquam, sed unum, nempe, *vinum*, præscribunt tamquam essenziale, & absolutè necessarium; alterum commendant retinendum ex exemplo Christi, & ob mysticam rei significationem: Unde dum Concilia dicunt, *sicut Dominus tradidit*, non loquuntur de mixtione aquae cum vino, sed de oblatione vini in calice: ita quod non aliud quàm vinum liceat offerre, nec aliquid loco vini supplere, etsi liceat aquam vino miscere. Colligitur hoc expressè ex Concilio Antisiodorensi anno 590. celebrato: ubi alludens ad ea, quæ decreta fuerant in prioribus Conciliis cap. 8. hæc habet: „ Non licet „ in Altario in sacrificio divino mel- „ litum, nec ullum aliud poculum „ extra vinum cum aqua mixtum „ offerre; quia ad grandem reatum, „ & peccatum pertinet Presbytero „ illi, quicumque aliud poculum extra „ vinum in consecratione Sanguinis Christi offerre præsumperit. Ad Concilium Ubormacense dico, calicem Domini in vino solo non posse licitè consecrari propter præceptum Ecclesiae; posse verò validè. Unde

de esset peccatum, & esset sacrilegium; sed tamen Sacramentum esset validum.

263 Arg. 4. D. Cyprianus Epistola prælaudata de Aquariis ait: „ Non hoc faciunt, quod Jesus Christus Dominus noster Sacrificii hujus author fecit, & docuit. Et paucis interpositis: Sed quando aliquid Deo inspirante, & mandante præcipitur, necesse est Domino Servus fideliter obtemperet. “ Et circa medium illius Epistolæ ait: „ Invenimus non observari à nobis, quod mandatum est, nisi ea, quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus, & calicem Domini pari ratione miscentes à divino magisterio non recedendum &c. “ Quid ergo evidentius ad judicandum divinum præceptum? Confirmatur ex eodem S. Cypriano; qui dicit, *Sacramentum spirituale, & cæleste perficit, quando utrumque, scilicet, vinum, & aqua miscetur.* Et addit: *populum non adunari Christo, si hæc mixtio omittatur*: ergo mixtio hæc ad substantiam Sacramenti pertinet. Præterea adducit hanc comparationem: *Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque misceatur; quomodo corpus Domini nequit farina esse sola, aut aqua sola*: Nunc sic: sed farina sola validè non consecratur: ergo nec vinum sine aqua validè consecratur. Vel sic: eo modo mixtio vini, & aquæ sese habet ad consecrandum calicem, juxta Cyprianum, quo farina triticea, & aqua se habent ad componendum panem consecrandum in corpus Christi; sed hæc sunt necessaria, ut dictum est: ergo.

264 Respondeo, Cyprianum, dum dicit, nos esse admonitos, & edocutos à Christo, non intelligere præceptum, sed exemplum. Dum verò id esse mandatum, & à Christo traditum, loquitur non de mixtione aquæ, sed de vino. Unde, quando vinum, & aqua miscentur, perficitur Sacramentum quantum ad mysticam

significationem unionis, & copulationis fidelium cum Christo: non verò quantum ad significandum; continendumque corpus, & sanguinem Domini sub speciebus panis, & vini, in quibus stat ratio essentialis hujus Sacramenti. Cyprianus igitur loquitur contra illos, qui in sacrificiis matutinis solam aquam adhibebant. Postquam verò demonstravit ex Traditione Dominica, vinum esse consecrandum ad significandum Christi sanguinem, pertransit ad exponendum aquæ mysterium. Utraque igitur significatio adest in hoc Sacramento. Species enim panis, & vini sunt signum corporis, & sanguinis Domini, quatenus sunt cibus, & potus, sive spirituale animarum nostrarum nutrimentum. At verò aquæ, & vini permixtio significat unionem Christi, & fidelium. Primum est de essentia Sacramenti: alterum est quid ei accidentale. Quapropter, dum Cyprianus ibidem ait: *in sanctificando Christi Domini calice offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest*; non censet, aquam esse paræ necessitatis, ac vinum, sed intelligendus est secundum aliquam comparationem: ita quòd aqua sola non possit offerri sine peccato; sicut nec vinum solum: non autem vult, quòd in solo vino consecratio foret irrita, sicut si fieret in aqua sola. Unde non subdit: *si offeratur vinum solum, non erit sanguis Christi*; imò ait: *si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis*: ergo supponit, sanguinem Christi posse esse in solo vino, quod non dicit de sola aqua, sed solum dicit: *si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo.*

265 Ad confirmationem distinguo antecedens: Sacramentum perficitur accidentaliter, & quoad significationem speculativam unionis fidelium cum suo capite, concedo: essentialiter, & in ratione Sacramenti, veraciter Christum continentis, nego antecedens, & consequentiam. Vinum

num igitur, etsi aqua desit, verè convertitur in sanguinem Christi. Unde S. Cyprianus Sacramentum non accipit, sed strictè pro signo gratiæ practico, quæta in Evangelica lege septem numerantur: sed universim, & latè, pro signo cujuscumque rei spiritualis, etiam speculativæ. Ita quòd, Sacramentum spirituale, & mystica significatio perficiatur, cum aqua miscetur vino. Et quòd hic sit sensus Cypriani, & non alius, claret ex ipso, ibidem sic explicans suum sentire: „ Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur, & sacrificium verum, & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si incipiat offerri, secundum quòd ipsum Christum videat obtulisse: si vinum est solum, & non aqua, tunc sacrificium est verum, at non plenum; quia non habet significationis, & representationis plenitudinem: si sola sit aqua sine vino, neque plenum est sacrificium, neque verum: si vinum est cum aqua, sacrificium est verum, & plenum; quia sacrificii naturam habet, & omnem effectum, atque significationem. “ Quibus in verbis clarissimè explicat suam mentem, & verissimam reddit doctram solutionem.

266 Ad ultimum concedo minor. subsump. & nego consequentiam. Pro altero modo, quo argumentum reformatur, distinguo majorem: eo modo &c. quantum ad mysticam significationem unionis, & copulationis fidelium cum Christo, concedo: quantum ad significandum, continendumque corpus, & sanguinem Christi Domini sub speciebus panis, & vini, nego majorem. Eodem pacto dico, quòd si desit aqua, tam in farina, quam in vino consecrando, utrobique deest significatio mystica illius unionis. Hoc igitur unum, & solum vult Cyprianus ea comparatione: quæquam alia ex parte sit discrimen maximum inter farinam, & vinum: Siquidem farina sine aqua

non est panis, ideòque nec idonea materia Sacramenti: è contra, cum vinum absque permixtione aquæ sit vinum, & communis potio, consequenter est materia valida ad consecrandum. Consimili ratione affirmandum est, & occurritur alteri argumento, non esse de essentia Sacramenti, (imò nec sacrificii) significare aquam, quæ exiit de perforato Christi latere; quia nec ipsa aqua necessaria omnino fuit ad passionem, & ad sacrificium cruentum crucis, quod intelligitur perfectum effusio sanguinis. Hujus enim symbolum, & significatio est consecratio *speciei vini*, utique necessaria ad sacrificium.

262 Arg. 5. Christus Dominus adhibuit aquam simul cum vino ad consecrandum; sed Apostolis præcepit, ut idem facerent & ipsi: ergo divinum præceptum posuit de hujusmodi mixtione. Minor patet: Tum; quia immediatè dixit: *hoc facite in meam commemorationem.* Tum; quia S. Cyprianus Epistola 63. disertè tradit, Christum aqua calicem temperasse, & Apostolis præcepisse, ut idem facerent. Confirmatur: Non licet recedere à Christi exemplo, sed vinum miscuit in calice: ergo & nos miscere debemus. Sed quod Christus fecit, præcepit, ut à Sacerdotibus novæ legis idem fieret: ergo adest præceptum divinum de tali mixtione. Respondeo negando minorem. Istud enim argumentum: *Christus consecravit calicem aqua temperatum, tradiditque Apostolis, ut idem facerent; ergo permixtio aquæ est de præcepto divino, non est invidium, imò est falsum, sicut & istud aliud, per quod etiam instatur: Christus consecravit panem azymum, & mandavit Apostolis, ut hoc facerent: ergo ex præcepto divino azymus est consecrandus.* Hæc consequentia nullatenus sequitur. Distinguenda enim sunt, quæ spectant ad Sacramenti, vel sacrificii, *substantiam*, ut panis triticeus, vinum, certa verborum pro-

latio; & quæ sunt accidentaria, ac pro loci, temporis, rituumque circumstantiis usurpata, ut quod cœna instituta sit Jerosolymis, facta vespere, existentibus tantum azymis, & calice apposito mensæ aqua temperato. Unde, in mandato Christi: *hoc facite in meam commemorationem*, intelliguntur præscripta ea, quæ sunt primi generis, & referuntur verba Christi ad illa; non verò ad alia; quippè non ait: *hoc facite, adhibito hoc tantum pane, vino sic temperato, servato hoc tempore*: sed tantummodo: *hoc facite*, nempe, quod à me factum cernitis; id est, *consecrate panem, & vinum, comedite, distribuite*. Quare præceptum illud *hoc facite* refertur ad peractam actionem, non ad singulas omnino, nec accidentarias circumstantias illius actionis. Per hanc doctrinam patet ad confirmationem. Concedo enim totum syllogismum, & distingo minorem subsump. sed quod Christus fecit, præcepit, ut idem à Sacerdotibus fieret, quoad substantialia Sacramenti, nempe, materiam, & formam, concedo: præcepit, tam quoad substantialia, quam quoad accidentalia, & cœremonialia, nego minorem; alias priusquam fieret consecratio, lavandi essent pedes, ut fecit Christus, Agnus paschalis esset comedendus &c. Patet etiam retorsione panis azymi, quæ clarissima est, & convincens.

Dubiola aliqua resolvuntur.

268 Dubium 1. *in qua quantitate vino consecrando aqua sit miscenda?* Respondeo: *aquam calici infundi debere in modica quantitate*. Probatur ex antiquissima Ecclesiæ praxi; nam in antiquissimo ordine Romano apud Mabilonium, ubi agitur de Missa celebrata à Summo Pontifice, habetur: *post aquæ benedictionem apponit cum cochleari tres guttas aquæ*. Ritus communis celebrandi Missam num. 4. præcipit Sacerdoti,

ut parum aquæ infundat in calice. Et num. 9. de Subdiacono in Missa solemni ministrante, inquit: *infundit paululum aquæ in calice*. Concilium Triburiense anno 895. Can. 19. præcipit, ut saltem duæ partes sint vini, & aqua partem tertiam non excedat, hac producta ratione, nempe; *quia major est majestas sanguinis Christi, quàm fragilitas populi*. Honorius III. in litteris ad Archiepiscopum Vpsalensem in Suecia, pernitiosum, & contrarium consuetudini Universalis Ecclesiæ appellat abusum quorundam Septemtrionalium, qui ob vini penuriam in Sacrificio ponebant in majori quantitate de aqua, quàm de vino. Postremò Eugenius IV. in instructione Armenorum declarans materiam consecrationis esse panem triticeum, & vinum de vite, addit: *cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet*. Etiam ratione suadet: Tum; quia si tantum aquæ poneretur, ut species vini solveretur, non fieret Sacramentum, cum ejus materia necessaria sit vinum. Tum; quia parva quantitas aquæ sufficiens, & conveniens est, ad mysticas significationes, ob quas fit hæc mixtio aquæ. Primò; quia per excessum supra quantitatem aquæ, designatur excessus dignitatis personæ, & naturæ Christi divinæ supra ejus naturam humanam. Secundò, quia per excessum vini super aquam explicatur meritorum Christi excessus supra peccata hominum.

269 Dubium 2. *Quanta judicabitur aqua exigua, & modica?* An sufficiat una gutta ad præceptum implendum? & an istud sub lethali sit obligatorium? Triplex in uno venit dubium resolvendum. Ad primum dico: „aquam debere esse in ea quantitate, quòd respectu vini, cui infunditur, modica prudenter reputetur.“ Quare sexta pars aquæ respectu vini consecrandi, dicitur aqua modicissima, & exigua prudentialiter, Neque nimis scrupulosè, numeran-

randæ sunt guttæ aquæ, ut faciunt aliqui; quia hoc commissum est iudicio prudentis Sacerdotis. Ita tamen, ut aqua in tali sit parva quantitate, ut in vinum queat ante consecrationem converti. Ex quo ad tollendos timoratorum scrupulos, dico resolvendo secundam dubii partem: *unicam guttam aquæ ad præceptum adimplendum sufficere, dummodo sit pars sensibilis*. Ad tertiam dicendum; *talem aquæ mixtionem obligari sub mortali*. Ratio est; quia licet aqua miscenda debeat esse modica, & secundum se videatur levis materia, tamen ejus significatio gravis est, & gravissima. Quare existimo cum N. Arbiol, quòd si non adesset aqua, ut misceri posset, omittendum est Sacrificium Missæ, etiamsi dies festus foret, & populus absque Missa remaneret. Fortius enim videtur mihi propter significationem præceptum de mixtione aquæ, quàm de auditione Missæ. Sed verò, ut dictum manet in secunda conclusione, si oblitus fuit Sacerdos de tali mixtione, fieri non debet, postquam consecravit, ut dicitur in Rubricis.

270 Dubium 3. *An illa aqua debeat esse naturalis?* Respondeo affirmativè. Tum; quia creditur, Christum talem aquam miscuisse vino. Tum; quia Concilia, & Patres aquam calici miscendam appellant aquam simpliciter, qualis sola est naturalis, & elementaris. Tum; quia hæc aquæ mixtio fit, ut significet unionem populi fidelis cum Christo suo capite, & aquam, quæ è latere perforato Christi emanavit; sed aqua, quæ in Apocalypsi repræsentat populum, est naturalis; & similiter, quæ fluxit è latere Christi, fuit vera, elementaris, & naturalis, ut Innocentius III. lib. 3. Constitutionum const. 134. docet, improbens ibi sententiam illius, quæ asserebat, in Eucharistia aquam converti in phlegma, docetque, quòd sicut fuit verus spiritus, & verus Sanguis in Christo, ita vera fuit aqua, quæ è latere ejus exiit, dicente Joann-

Tom. II.

ne: „tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, Sanguis, & aqua: ergo. Addit, quòd si non fuisset aqua, sed phlegma, non dixisset Joannes: quod vidit aquam exivisse, sed phlegma.“ An denique, aqua vino consecrando permiscenda debeat relinqui in sua naturali frigida conditione; an verò calefieri? Apud Latinos in sua frigida naturali conditione relinquitur: apud Græcos verò calefit, ut fervorem Spiritus Sancti significet. In Concil. Florent. approbatur consuetudo utriusque Ecclesiæ, ob quod neutra pars debet improbari à Theologis.

QUÆSTIO IV.

An aqua in calice mixta vino immediate in Sanguinem Christi convertatur?

271 **I**N hac celebri controversia, quæ temporibus his valde est agitata, plures fuerunt olim opiniones, quarum aliquæ jam sunt nunc ab Scholis relegate, damnatæ, & abolitæ. Et in primis damnata est ut erronea, & hæreticalis sententia illa aliquorum Armenorum, qui unam tantum in Christo naturam agnoscentes, ob hoc negarunt, aquam in Eucharistia miscendam esse vino: Errorem hunc, ut quæstionis antecedentis initio diximus, amplexi sunt Lutherus, & Calvinus. Deinde Innocentius III. cap. *Cum Martæ de celebratione Missarum*, tres in hac re refert opiniones Scholasticorum. Primam aliquorum, asserentium, vinum, & aquam, quæ in hoc Sacramento miscentur, virtute divina mutari in sanguinem, & aquam, quæ de latere Christi fluxerunt. Secundam affirmantem, aquam vino mixtam transubstantiari in sanguinem, prius in vinum conversam. Tertiam docentem, aquam remanere cum accidentibus vini non conversam in sanguinem. Ex his tribus sententiis secundam definit ten-

Q

nen

nendam esse, tamquam probabilio-
rem, aliis duabus rejectis. Quare duæ
extremæ opiniones fere jam nullum
habent sequacem. Sed inventa est pos-
tea alia opinio, & quidem adeo fa-
mosa his temporibus, ut post se tra-
hat Doctores plurimos. Ista senten-
tia asserit, aquam vino mixtam im-
mediatè in sanguinem Christi con-
verti. Ita Cardinalis de Lugo, Cas-
pensis, Leiman, Bernal, Aresius,
& alii plures ex Recentioribus, qui-
bus ex parte ex nostris adheret Pon-
cius, qui ait, quòd si autoritas stet,
probabilius est, aquam vino mixtam
non converti in sanguinem. Si ve-
rò ratio spectetur, æquè probabile
est, dicit, quòd cum vino imme-
diatè convertatur in sanguinem sine
conversione in vinum. Hanc eandem
sententiam sequitur Eruditus Floren-
tinus Berti, illamque vocat proba-
biliorem. Secunda opinio docet, aquam
vino mixtam immediatè in sangui-
nem Christi non converti, sed tan-
tùm mediatè, quatenus prius con-
vertitur in vinum per virtutem ip-
sius vini, ex quo sequitur ejus con-
versio in sanguinem. Hanc senten-
tiam docuerunt Scholarum Antesi-
nani, Alensis, D. Thom. D. Bonav.
Scotus, cum omnibus suis discipu-
lis, quos sequuntur plurimi extran-
ei. Unde utraque sententia, quæ
nunc sola in Scholasticis palestris vi-
get, in hoc convenit, quòd aqua
mixta convertitur in sanguinem Chris-
ti, & solùm ad invicem se opponit
in modo conversionis: an nempe me-
diatè, quatenus prius in vinum de-
beat converti: an immediatè, quin
aqua in vinum convertatur.

Sit nostra Conclusio.

272 *Aqua vino mixta non con-
vertitur immediatè in sanguinem Chris-
ti, sed tantùm mediatè.* Est dicere,
quòd prius convertitur in vinum, cui
infunditur, exinde in sanguinem
Christi. Conclusio est communis in
Schola Scotistarum, & Thomistarum,

contra Authores jam relatos. Prob.
1. ex N. Subt. Doct. in 4. dist. 11.
quæst. 7. in fine, ubi ait: „ quan-
do aqua apposita est, non con-
vertitur in sanguinem, nisi prius
sit conversa in vinum: & ita mo-
dica est apponenda, & ita tem-
pestivè, quòd ante consecrationem
possit conversa fuisse in vinum.“
Prob. 2. ex ritu Ecclesiastico, qua
ratione utitur Concil. Florent. in de-
creto de unione Armenorum, & Ca-
techismus Romanus de Sacramento
Eucharistiæ num. 16. Ideo Ecclesia
jubet, ut tam modica aqua infun-
datur vino, ut, nempe, facilè eo
brevis tempore converti possit in vi-
num, & sic convertatur in sangui-
nem: ergo. Antec. patet; quia si
alioquin apta esset converti imme-
diatè in sanguinem, non oportuis-
set tam sollicitè de tanta parvitate
aquæ curare, quæ etiam fuit ratio
nostri Subt. Doct. Patet hoc etiam
ex citato Catechismo Romano jussu
Concilii Tridentini edito, & à Pio
V. confirmato, ubi dicitur: „ Ec-
clesiasticorum Scriptorum senten-
tia, & iudicio, aqua illa in vi-
num convertitur: idèdque docet,
aquam illam modicam debere esse,
ut facilè in vinum convertatur.
Confirmatur autoritate Innocentii III.
loco citato, ubi postquam istam sen-
tentiam simul cum aliis retulit, hanc
nostram dixit, ac commendavit, pro-
babilio-rem. Sic ait: *Verùm inter opi-
niones prædictas illa probabilior ju-
dicatur, quæ asserit, aquam cum
vino in sanguinem transmutari:* quo
in loco proculdubidè loquitur de aqua
in vinum conversa; nam paulò su-
pra opinionem istam exponens, in-
quit: cum in vinum transeat, mix-
to vino; ac eadem prorsus scribit
lib. 4. de *Mysterio Missæ*, cap.
29.

273 Respondebis, non ideò mo-
dicissimam aquam à Conciliis, & Pa-
tribus, doceri, apponendam esse, ut
aqua facilè in vinum possit conver-
ti: aliàs si Patres hoc necessarium
existi-

existimasset, etiam addidissent,
hanc mixtionem fieri debere multò
ante consecrationem, & vinum ge-
nerosum adhiberi, ut facilè posset
aquam in se convertere. Sed contra:
Tum; quia ut constat ex Conc. Flo-
rent. idèd statutum fuit, aquam de-
bere esse modicissimam, quia Con-
cilium, & Pontifex corrigere volue-
runt, quòd Concilium Provinciale
Triburiense sect. 19. statuerat, nem-
pe, tertiam aquæ partem esse omni-
no admiscendam; sed nulla alia cau-
sa potuit movere generale Concilium,
& Pontificem ad talem correctionem,
nisi quia judicaverunt, aquam esse
prius in vinum convertendam, quàm
in sanguinem, ac proinde præcep-
tum esse, modicissimam admiscen-
dam esse, cum facilè, certiusque
sit, modicissimam, quam tertiam
aquæ partem, in vinum converti: er-
go. Tum, Sacerdotale tot Summorum
Pontificum autoritate approbatum,
& juxta Concilii Tridentini Sanctio-
nes actum, & emendatum, Tracta-
tu 10. primæ partis de Sacramento
Eucharistiæ cap. 2. hoc expressè de-
clarat his verbis: *aqua verò, quæ
in calice vino miscetur, debet esse
in modica quantitate, quia eam in
vinum converti oportet:* ergo propter
relatum motivum jubetur, modicis-
simam esse. Tandem: ad hunc finem
præcipit Ecclesia, ut aliquo notabili
temporis spatio hæc mixtio fiat in of-
fertorio Missæ; item non alia ratio-
ne Cirtercienses, Cartusiani, & Pa-
tres Dominicani aquam, vinumque
in calicem ponunt statim, ac ad al-
tare perveniunt, ut, scilicet, lon-
giori temporis intervallo talis aquæ
in vinum conversio facilè perficia-
tur: ergo.

274 Ad confirmationem ex Inno-
centio III. respondet P. Berti cum
aliis suæ opinionis, Pontificem po-
tius pro sua sententiâ stare, & illam
vocare probabilio-rem: nam ait: *Ve-
rùm inter opiniones prædictas illa
probabilior judicatur, quæ asserit,
aquam cum vino in sanguinem trans-
mutari.*
Tom. II.

mutari, & hoc est, inquit, quod
ipse asserit. Sed contra: Tum; quia
tres opiniones ab Innocentio relatae
distinctæ sunt ab hac nova opinione,
quæ multò postea inventa fuit in
Scholis: ergo dum Innocentius dicit,
mediam sententiam esse probabilio-
rem, loquitur de sententiâ asseren-
te, aquam converti in sanguinem,
si per prius in vinum conversa sit,
ut dictum manet in probatione con-
clusionis. Tum; quia falsum est, Pon-
tificem non approbasse rationem il-
lius secundæ sententiæ, ut à nobis
intelligitur: eam enim sufficienter ap-
probat lib. 4. *Myst. Missæ*, dum in-
quit: *Quòd aqua per admixtionem
transit in vinum, & vinum post con-
secrationem transit in sanguinem, quis
enim ambigat, cum multo vino modi-
cum infunditur aquæ?* Quibus ultimis
verbis expressè approbat illius sen-
tentiæ rationem. Tum denique; quia
Innocentius ibi apertè loquitur con-
tra sensum hujus novæ opinionis. Di-
cunt enim ejus Sectatores, quòd dum
Pontifex approbat sententiam, *quòd
aqua cum vino transubstantietur in
sanguinem, cum aqua in vinum tran-
seat mixta vino, non significat his
verbis transitum substantialem aquæ
in substantiam vini, sed solùm tran-
situm moralem, juxta communem es-
timationem, & modum loquendi, eò
quòd particula aquæ vino permixtæ
non possunt discerni; & idèd totus
potus dicitur vinum vitis: at verò in
re semper ibi aqua remanet sine con-
versione. Loquitur igitur Pontifex ex-
pressè contra hunc sensum: siquidem
loquitur de illo transitu in vinum,
quem aliqui Philosophorum negarunt,
esse possibilem, & idèd immediatè
subdit: *Licet Physici contrarium as-
seruerint, qui, aquam in vino per
artificium posse, asserunt, separari:*
Sed nullus Philosophorum nega-
bit, aquæ particulas vino infusas mo-
raliter, & juxta sensum humanum
transire in vinum; quia tales parti-
culæ per sensum discerni non pos-
sunt: ergo loquitur de transitu subs-
tan-*

tantiali, & naturali aquæ in substantiam vini. Ex quo sic: ergo cum hæc sententia moderna eadem sit omnino, ac illa perantiqua à Pontifice memorata, & rejecta, hæc eodem modo manet ab Ecclesia reprobata.

275 Probatæ conclusio ratione: Id solum convertitur immediatè in sanguinem Christi, quod institutum est ab eo pro legitima materia consecrationis calicis; sed Christus non instituit aquam, tamquam materiam consecrationis calicis, & transubstantiationis: ergo. Major certissima est; quia solus Christus instituit materias Sacramentorum novæ legis. Minor etiam est certa; quia aqua ex Conciliis, & Canonibus solum miscetur vino, non ex Christi mandato, sed ex Ecclesiæ præcepto, & per modum cujusdam cæremonie ad mysticam significationem, tum aquæ ex latere Christi profluentis, tum unionis populi cum Christo. Confirmatur: Id solum immediatè convertitur in sanguinem Christi, sub cujus accidentibus, aut speciebus, sanguis Christi consecratus continetur, & substantialiter in calice conservatur; sed sanguis Christi solum continetur, & conservatur sub speciebus vini, non sub speciebus aquæ: ergo. Major constat ex Concilio Florentino in decreto Eugenii, ubi dicitur, *materiam Eucharistiæ ad transubstantiationem, & consecrationem sanguinis esse vinum ex vite, cui modicissima aqua admisceri debet.* Nunc sic: sed particule aquæ in vinum infusæ, antequam amittant naturam aquæ, & convertantur in substantiam vini, non sunt vinum ex vite: ergo tunc hujusmodi particule non sunt materia Eucharistiæ, & consequenter nec possunt transubstantiari in sanguinem Christi. Minor est indubia; quia sanguis Christi solum continetur, & conservatur sub speciebus illius substantiæ, quæ instituta est à Domino pro materia consecrationis. Urgetur: Si sub speciebus aquæ posset esse in

calice sanguis Christi, demus, quod istæ aquæ species à vino, vixque speciebus, separantur; hoc enim in sententia Adversariorum non est impossibile; imò ipsi asserunt, quod aqua vino mixta potest ab eo separari per artem chemicam. Ex quo sic: vel sub his aquæ speciebus in calice consecratis, & postea à vino separatis, contineretur, & servaretur sanguis Christi, vel non. Si primum? Manifestè est contra Concilium Tridentinum, & SS. PP. asserentes, sanguinem Christi solum remanere, & conservari sub accidentibus vini. Si secundum? ergo signum evidens est, quod aqua numquam fuit immediatè in sanguinem Christi conversa. Prob. consequentiam. Ideò sanguis Christi remanet sub accidentibus vini, etiam ab aqua separatis, quia vinum immediatè fuit in sanguinem Christi conversum: ergo si non remanet sanguis in accidentibus aquæ à vino consecrato separatis, signum est, quod ista accidentia aquæ non fuerunt immediatè conversa in sanguinem. Demum: Si species aquæ, seorsim à vini speciebus, in se retinerent Christi sanguinem, aqua seorsim à vino consecrari posset: quod non solum est absurdum, sed etiam hæreticum.

276 Respondent, materiam per se consecrationis esse quidem vinum de vite: materiam autem per accidens, & ratione alterius esse etiam particulas aquæ vino permixtas: nam ex ipsis, & vino fit potus aptus ad nutrimentum. Quare dum Concilia, & SS. PP. dicunt, vinum de vite dumtaxat esse materiam Sacramenti, loquantur de materia per se consecrationis, non verò de materia per accidens. Ad urgentiam respondent cum Coninchio, probabile esse, quod sub illis speciebus aquæ à vino separatis maneat sanguis Christi, sicut manet sub speciebus vini, quamvis aqua à vino separata non sit materia apta consecrationis; quia plura interdum requiruntur ad rei ef-

fec-

fectionem, quàm ad illius conservationem.

277 Verùm solutiones istæ minime satisfaciunt. Contra primam contra 1. Sicut Sacramentum Eucharistiæ non solum est per se in toto sensibili, sed etiam in singulis partibus, seu particulis materiæ consecratæ, ita ratio materiæ idoneæ ad hoc Sacramentum debet consistere non solum in toto sensibili vini, sed etiam in singulis ejus partibus, ut per consecrationem possint converti in sanguinem Christi: ergo cum hoc de aqua nequeat verificari, nec per se, nec per accidens potest esse materia consecrationis, manente sub substantia, & specie aquæ. Contra secundò Concil. Trident. sess. 13. definit, facta consecratione, & conversione panis in corpus, & vini in sanguinem, manere solas species panis, & vini, nulla facta mentione aquæ, & specierum ejus: ergo vult Concilium, rationem materiæ consecrationis sanguinis solum convenire vino. Deinde: eadem sessione Can. 3. definit, in Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, facta separatione, esse corpus, & sanguinem Christi; sed sub illis particulis, in quibus non sunt qualitates, & proprietates vini (in illis namque non fuit substantia vini) si separantur ab aliis, non potest esse sanguis Christi, cum non habeant proprietates vini: ergo particule aquæ vino admixtæ, quæ in substantiam vini non sunt conversæ, non sunt partes aliquæ speciei consecratæ: ergo nec ullo modo materia consecrationis.

278 Secunda responsio necdum militat contra Concilium Tridentinum, docens, non nisi sub speciebus panis, & vini, conservari corpus, & sanguinem Christi; sed etiam militat contra rationem. Primò: nam solæ illæ species possunt Christum continere, ex quarum substantia Sacramentum potest confici; sed ex sola aquæ substantia Sacramentum

confici non potest: ergo neque sub solis speciebus aquæ conservari poterit. Secundò; quia Patres, & Concilia eodem modo asserunt, vinum esse materiam sanguinis conficiendi, & conservandi, sicut panis triticeus est materia conficiendi, & servandi corporis Christi; sed si hostiæ consecrandæ admisceatur aliqua pars farinæ hordeaceæ, aut alterius generis, illa nullo modo convertitur in corpus Christi, neque si separatur à partibus panis triticei consecrati, conservaret præsentiam corporis Christi: etenim sicut antequam uniretur panis triticeo, non erat materia apta ad consecrationem, ita neque talis fiet, eò quod panis triticeo uniatur, nisi in ipsum panem substantialiter convertatur: ergo à simili, aqua vino permixta, aut ab eo consecrato separata, non potest esse materia apta ad consecrationem, & conservationem sanguinis: etenim sicut antequam uniretur non erat materia ad consecrationem sanguinis idonea, ita neque talis fieri potest per solam cum vino unionem, & juxtapositionem, sed per solam conversionem in substantiam vini. Hæc validissima impugnatione efficax est etiam nostræ conclusionis probatio.

279 Si ad hoc respondeant, magnum esse discrimen inter utramque juxtapositionem; quia illa non confundit partes, & atomos panis hordeacii cum partibus, & atomis panis triticei: at verò mixtio aquæ in vinum hoc facit; quia in minutissimas partes, & atomos dividitur, & minutissimis vini partibus conjungitur: ex quo fit, quod ipsa sit materia apta cum vino, & non sic mica panis hordeacii cum triticeo: hæc responsio urgetur impugnatur. Tum; quia si hæc mixtio vini cum aqua ita indifferenter fit, ut aqua per totum vinum in minutissimas partes distribuatur, cum partes vini supponantur esse multò majores partibus aquæ, & qualitates vini longè activiores qualitatibus aquæ, non est neganda

ta-

talis aquæ destructio, & ejus conversio in vinum. Tum; quia si talis conversio substantialis negetur, reddit argumentum factum, nempe, quod adhuc esset materia inepta consecrationis: nam adhuc divisa in minutissimas partes, & sic per vinum distributa, remanet aqua essentialiter, quæ non est materia calicis. Et quidem frustra recurritur ad unionem cum vino; quia materia à Christo in hoc Sacramento assumpta, ut convertibilis in sanguinem per consecrationem, non est talis, quia unita, vel separata, sed talis est ex institutione divina. Opus enim bonum, vel indifferens, quia ex se non sunt materia absolutionis, quomodoquæ misceantur cum peccatis, numquam erunt materia Sacramenti Pœnitentiæ. Similiter, quia oleum non est assumptum in materiam Baptismi, etiam si misceatur aquæ, non ob id evadit materia apta Baptismi: ergo pariter.

Solvuntur Argumenta.

280 Arg. 1. varias SS. PP. & Conciliorum auctoritates, asserentes, vinum aqua permixtum esse materiam calicis consecrandi. Ita Alexander I. *Epist. ad Orthodoxos*, & habetur de consecratione dist. 2. cap. 1. inquit: *Non debet in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri: sed utrumque permixtum offeratur; quia utrumque ex latere ejus in passione profuxisse legitur.* Ubi æquè dicitur aqua offerri, ac vinum; sed vinum non offertur, nisi per consecrationem: ergo æquè aqua in sua substantia ante consecrationem, eodemque modo, ac vinum, offertur. Urget S. Cyprianus supra citatus *Epist. 3.* qui ait: *Tunc Sacramentum cœleste efficitur, quando aqua, & vinum, confusa admixtione, copulantur;* sed hoc non fit, nisi utrumque in sua substantia maneat: ergo aqua manens aqua usque ad consecrationem, convertitur in Christi

sanguinem. Item cap. 4. de consecratione dist. 2. quod sumptum est ex Consilio Martini Papæ, dicitur: *vinum, & aqua, dicuntur offerri, & benedici;* sed hoc nequit fieri, nisi aqua maneat in substantia sua ante consecrationem: ergo. Deinde S. Ambros. lib. 4. de Sacramentis cap. 5. dicit: *ante verba Christi calix est vino, & aqua plenus: Ubi verba Christi operata fuerint, sanguis efficitur.* August. 4. de Trinit. cap. 14. *aqua mittitur in calicem, & fit sanguis conversione verbi cœlestis.* Ex quibus sic: Aqua dicitur à PP. & Ecclesiis benedici, offerri, consecrari, converti in sanguinem Christi, nullæ mentione facta de ejus conversione in vinum: ergo remanet in sua substantia, donec convertatur in sanguinem immediatè: aliàs frustra id dicerent de aqua, sed deberent dicere de solo vino: ergo ex sententiâ PP. aqua immediatè in sanguinem convertitur. Explicatur, & confirmatur: Si aqua non converteretur immediatè in sanguinem Christi, & quin prius converteretur in vinum, non esset bona locutio Patrum, absolutè asserentium, aquam converti in sanguinem Christi; quin potius esset locutio inepta, & ridicula; modo quo ineptè, & ridiculè diceretur, quis convertere herbam in propriam substantiam; quia manducat agnum, in cujus substantiam conversa fuit herba, quam ipse agnus comedit: igitur Patres intelligendi sunt de conversione immediata. Demum Concil. Triburiense, cap. 19. præcipit, ut in calice apponantur duæ partes vini, & tertia pars aquæ; sed dum tanta aqua apponitur, facilè non potest ante consecrationem converti in vinum: ergo ex mente Concilii necessarium non est, quod aqua prius in vinum convertatur, quam fiat consecratio: ergo potest immediatè consecrari, & in sanguinem Christi converti.

281 Respondeo, Patres longa serie à Recentioribus relatos, numquam

quam dixisse, aquam immediatè in sanguinem converti, sed tantum dixisse simpliciter, & absolutè converti, supponentes, prius esse in vinum conversam, ut constat ex probationibus conclusionis, & apertè demonstrat N. Hiquzus in Commentario quæst. 7. dist. 11. omnes, & singulas auctoritates relatas, & alias plures adducens, & ad mentem illorum Patrum explicans. Et si Patres nullam expressam mentionem fecerunt hujus præconversionis aquæ in vinum, hoc idèd fuit; quia totum intentum illorum erat docere exemplo, & facto Christi, vinum aqua mixtum esse consecrandum, nulloque modo aquam in sua substantia permanere, nec converti in phlegmam, vel in aquam, quæ fluxit ex latere Christi, ut putabant nonnulli ab Innocentio relati cap. *Cum Martæ*, ab initio quæstionis citati; sed converti cum vino in sanguinem Christi. Quare cum juxta Tridentinum, & universam Ecclesiam, vinum unicè sit materia consecrationis calicis, & mixtio aquæ unicè sit ex præcepto Ecclesiastico, & propter significationem unionis fidelium cum Christo, & aquæ, quæ ex latere Christi fluxit, ut quæst. anteced. & ex dubiis ad ejus calcem solutis, demonstratum manet, hinc est, quod Patres, aquam mixtam necessariam esse, dicunt, ad tales significationes, & supponunt per prius conversam esse in vinum, & hac mediante conversione, in Christi Domini sanguinem. Ex quo ad argumentum ex auctoritatibus formatum, concessio antecedenti, nego utramque consequentiam.

282 Ad explicationem, & confirmationem, nego antecedens, & pariter nego, locutiones illas, *aquam benedici, offerri, & consecrari*, esse ineptas, aut improprias. Conversio enim mediata rectè, & legitime cœnseri potest vera, quamvis res, quæ dicitur converti, non existat in sua substantia, dum fit illa conversio.

Panis enim, & vinum rectè dicuntur in carnem, & sanguinem hominis mutari, quamquam hæc non subsistant in sua substantia, dum fit illa conversio in carnem, sed per stomachi decoctionem in chilum transierint, & per hujus conversionem in sanguinem, & sanguinis in carnem. Sic etiam communi modo loquendi potest dici, aquam manere, etiamsi in vinum conversa sit, eò quod ipsa aqua, in vinum conversa, adhuc appellationem aquæ retineat, ut constat ex illo Evangelii: *postquam gustavit aquam Architeclonus vinum factam.* Et etiam, sicut elementa dicuntur manere in mixto, in quod convertuntur, licet non manent secundum propriam formam, ita eadem proprietate dici potest, aquam mutari in sanguinem, quamvis prius fiat vinum. At verò non cum tanta proprietate potest dici, me convertere in propriam substantiam herbam, quam agnus à me comestus jam manducavit; quia talis conversio est nimis remota, & pluribus anterioribus conversionibus intermixta. Hac eadem ratione solvendus est S. Justinus Martyr *Apologia 2.* ubi circa finem ait: *Dari fidelibus post consecrationem panem, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt.* Intelligendus est enim, non litteraliter, quasi species aquæ remaneant post consecrationem, sicut manent species vini: sed præparatoriè, quatenus, scilicet, calix consecrandus debet esse aqua, & vino permixtus. Ad Concil. Triburiense citatum communiter dicitur, illud Concilium dumtaxat fuisse Provinciale, & ad corrigendam illius Provincie consuetudinem, Concil. Florentinum, quod fuit generale, totum Ecclesie præcepit, ut modicissima aqua vino consecrando apponeretur. Unde ex illo Concilio colligere non licet universam Ecclesie consuetudinem. Præterquamquod, Concilium illud in suo decreto non attendit ad conversionem aquæ, sed solum ad ti-

tinendam mysticam significationem unionis populi cum Christo, ad quam retinendam voluit, ut major, quam tertia pars aquæ, non misceretur, ut apertè patet ex ipsius verbis quæst. antecedenti relatis. Quòd autem ad illum finem ab Ecclesia intentum, ut, nempe, aqua priùs in vinum convertatur, quam in sanguinem, multò minor portio aquæ sit admiscenda, patet ex Florentino citato pro conclusione, quod propter hanc rationem præcipit, ut admisceatur modicissima aqua.

283 Arg. 2. ex facto Christi Domini: In prima calicis consecratione aqua conversa fuit immediatè in sanguinem Christi: ergo credendum est ita etiam nunc fieri. Prob. antecedens: Quia indubium est, Christum Dominum tantam aquæ portionem apposuisse in calice, quantam homines sobri, ac temperati solent; sed aqua in tanta quantitate non potuit in vinum converti; nam tam modico tempore talis aqua, largiter super vinum infusa, non potuit converti in vinum: ergo immediatè conversa est in sanguinem. Minor videtur certa; nam refert Evangelista, quòd accipiens calicem, benedixit, & dedit Discipulis suis, dicens: *accipite, & bibite ex hoc omnes.* Unde videtur, quòd Christus statim ante consecrationem vinum, & aquam in calice miscuit: ergo cum Christus ita instituerit, & incredibile sit, aquam posse tam cito in naturam vini substantialiter transmutari, dicendum est, aquam immediatè converti in sanguinem Christi. Respondeo negando antecedens, & cætera argumenti, quæ intendunt suadere, aquam in prima consecratione admixtam, vel fuisse in tanta quantitate, quòd non potuerit in vinum converti ante consecrationem, vel non intercessisse tempus sufficiens ad talem conversionem. Itaque, ut colligitur ex doctrina Ecclesiæ, & Conciliorum, adducta pro conclusione, & docet Div. Bonaventura in 4. dist.

11. part. 2. art. 1. quæst. 3. *Christus non antea consecravit, quam aqua in vinum conversa fuerit.* Et quamvis credibile sit, Christum regulariter vinum satis limphatum bibisse, tamen in eo facto credendum est, modicam tantum apposuisse aquam, & tempore antecedenti sufficienti, ut posset converti in vinum, antequam consecraretur. Ratio est; quia Christus in institutione hujus Sacramenti non est usus vino mixto modo usuali, & solius temperantiæ causa, nec ut communem potum præpararet, sed aquam infudit propter mysterium, & mysticam significationem. Quapropter ex facto Christi inferri non licet, aquam non fuisse tunc priùs in vinum conversam, antequam in sanguinem. Præterquamquod, ut colligitur ex Liturgia S. Jacobi, Christus Dominus post mixtionem aquæ multas interposuit actiones ante consecrationem, *benedicendi, sanctificandi, gratias agendi, &c.* ac subinde sat temporis effluxit inter mixtionem, & consecrationem, ut aqua illa posset in vinum transmutari. Unde etiam Ecclesia ad imitationem Christi statuit, ut modica aqua vino consecrando admisceatur, non immediatè ante consecrationem, sed tali mora interposita, quanta sufficere possit ad ipsius aquæ in vinum conversionem.

284 Replicabis: Ex hoc sequitur, quòd semper debeat interponi tempus, & intervallum sufficiens, ut fiat conversio aquæ in vinum ante consecrationem ad imitationem Christi: neque in ullo casu posset Ecclesia obligare Sacerdotem ad consecrandum antequam talis aquæ in vinum conversio facta sit probabiliter; sed Ecclesia in aliquo casu, non expectando tempus aptum ad hujusmodi conversionem, Sacerdotem obligat ad consecrandum, nimirum, quando Sacerdos paulò ante consecrationem advertit, non fuisse appositam aquam calici tempore oblationis: & etiam quando in ipsa sumptione advertit,

loco

loco vini fuisse appositam puram aquam: etenim in utroque casu præcipit Ecclesia, ut Sacerdos debitam mixtionem aquæ cum vino faciat, & statim consecret: ergo. Prob. maj. Quia Ecclesia contra factum, & intentionem Christi non posset apponere cum vino materiam non consecrabilem: ergo potius in prædictis casibus admixtione aquæ deberet abstinere: ergo cum hoc non faciat, signum evidens est, quòd, exemplo Christi edocta, non miscet aquam vino ea intentione, ut priùs aqua convertatur in vinum, sed ut simul cum vino immediatè in sanguinem convertatur. Respondeo 1. negando, Ecclesiam non posse in aliquo casu Sacerdotem obligare ad conficiendum hoc Sacramentum, etiam antequam aqua sit in vinum conversa; quia cum hæc cæremonia de aqua vino consecrando miscendo sit certa ex traditione Patrum ob factum Christi; non autem sit ita certum, aquam priùs convertendam esse in vinum, quam in sanguinem, sed utrumque adhuc versetur sub probabili Doctorum opinione, potest Ecclesia Sacerdotem obligare ad id, quod est certum, relinquendo disputationi Doctorum id, quod apud ipsos est dubium, & controversum. Modo quo eadem Ecclesia obligat Sacerdotem ad impendendam absolutionem moribundo, qui signa tantum dedit doloris, est inter Doctores sit controversum: *an talis confessio facta per signa sit sufficiens materia absolutionis.* Sicut igitur in hoc Sacramento potuit Ecclesia in favorem pœnitentis obligare Sacerdotem ad dandam absolutionem super materiam controversam inter Doctores: ita pariter potuit in Sacramento Eucharistiæ obligare Sacerdotem ad consecrandum vinum aqua temperatum, etiam in casu, in quo probabiliter aqua in vinum conversa non esset, ut se cum Christo conformaret, qui vino aqua temperato usus est in hujus Sacramenti institutione. Respondeo 2. negando

Tom. II.

gando minorem argumenti; quia etiam in illis casibus, si Sacerdos advertat errorem multò ante consecrationem calicis, dubium non est, intercedere sufficiens tempus ad præconversionem aquæ in vinum. Si verò advertat immediatè ante consecrationem calicis debet aliquantulum morari ad proferendam consecrationem. Et quando Rubrica inquit, in his casibus *post aquæ appositionem, statim consecrandum esse*, verbum illud *statim* ita intelligendum est, ut non sit opus recurrere ad verba, & cæremonias præcedentes ad Canonem, & solam prolationem consecrationis sufficere: non tamen importat subitam actionem. Huic solutioni acquiescunt Gavatus, & Branchatus ex nostris, cum pluribus aliis: primæ verò responsioni adhæret Mastrius, videturque ipsi verior.

285 Noster Arbiol aliam respondendi excogitavit viam. Dicit enim, quòd in casu, quòd aqua ob temporis brevitate non sit in vinum conversa, ut in exemplis apposis, tunc virtute verborum consecrationis convertitur in vinum, & deinde in sanguinem, cum aqua non sit ex se materia consecrabilis: hanc enim virtutem, dicit, Christum dedisse verbis consecrationis. Si instes, hoc esse liberè dictum, respondet: potius videri liberè dictum, aquam ibi remanere in propria substantia, vel transire in sanguinem, cum impropria substantia consecrabilis non sit. Si iterum apponas: hoc esse multiplicare miracula sine necessitate: respondet, hoc non fore novum miraculum, supposito, quòd verba debent verificari; sicut non esset novum miraculum reproducere corpus Christi ex vi verborum, casu quo esset in cineres redactum. Si deinde instes: grana hordei mixta cum tritico, si ante consecrationem non sunt conversa in panem triticeum, ex vi verborum nec convertuntur, nec consecrantur: ergo similiter. Negat consequentiam, & paritatem;

R

quia

quia mixtio hordei cum tritico nec facta fuit à Christo Domino, nec obligat ex præcepto, sicut mixtio aquæ modicæ cum vino consecrando. Demum si opponas: si ex vi verborum aqua convertitur in vinum, vel convertitur ante prolationem primi verbi formæ consecrationis, vel post primum verbum? Non ante primum verbum: aliás non esset conversio ex vi verborum. Neque post primum verbum: aliter sequeretur, aliquod verbum essentielle formæ consecrationis dictum esse super aquam, quando non erat materia apta consecrationis: ergo dici non potest, aquam converti in vinum ex vi verborum consecrationis. Responderet conversionem aquæ in vinum fieri in eodem tempore, quo profertur primum verbum *hic*. Quapropter nec fit ante primum verbum, nec post primum, nec post ultimum. Et totam hanc virtutem refundit in omnipotentiam instituentis. Hanc hujus Doctoris responsionem, nec approbamus, nec reprobamus, sed solùm illam retulimus.

286 Arg. 3. Forma consecrationis calicis, scilicet, *hic est calix sanguinis mei*, designat, totum liquorem in calice contentum transire in sanguinem Christi; sed sapius accidit, vel accidere potest, quòd dum hæc verba proferuntur, aqua nondum sit conversa in vinum, ut eveniret, si infusa fuerit in majori copia, vel si vinum sit minus generosum, & valdè debile: ergo aut illa aqua remaneret secundùm substantiam in calicé, aut immediatè convertitur in sanguinem Christi. Nunc sic: sed nequit dici, quòd remaneret secundùm substantiam: ergo dicendum est, quòd immediatè convertitur in sanguinem. Prob. minor. subsump. Tum; quia daretur fidelibus occasio idolatrando; nam eis adorandum proponitur omne id, quod est in calice: atque adeo, si aqua remaneret secundùm substantiam, fideles adorantes id, quòd est in ca-

lice, idolatriam committerent; nam puram creaturam, nempe, aquam, adorarent. Tum; quia Sacettos bibens liquorem calicis, in quo esset illa aqua, jam non remaneret jejunus: ergo non posset illo die aliam Missam celebrare, quando id conceditur aliquo privilegio, aut jure, ut in die Natalis Domini, & in die omnium Defunctorum. Respondeo negando majorem, in sensu quo procedit. Forma itaque consecrationis calicis solùm indicat, vinum, & non alium liquorem, transire in Christi sanguinem: Calix enim supponit pro vera, & necessaria materia consecrationis, quale solùm est vinum de vite. Unde si musca, aut gutta mellis, vel aquæ rosacæ caderet in calicem paulò ante consecrationem, illa continerentur in calice, non verò transirent in sanguinem Christi, cum non sint materiæ consecrabiles. Idem igitur est dicendum de aqua nondum in vinum conversa, cum hæc non sit materia necessaria calicis, sed tantùm miscenda necessitate præcepti. Ex quo nego minorem subsumptam, & primam ejus probationem. Non itaque sequitur inde ullam idolatriam committi; quia populo non offertur adorandum, nisi quod est adorationis capax, nempe, sanguis Christi. Neque fideles adorando calicem, feruntur suo cultu in aliud objectum, quàm in Christi sanguinem, & ea, quæ ipsi per se connectuntur: non verò adorant, nec feruntur suo cultu in ea, quæ ei per accidens conjunguntur. Unde si musca, vel aliquod aliud, cadat in calicem consecratum, non adoratur à populo, neque ibi est ulla idolatria, calicem adorando. Patet à simili de hostia consecrata, si aliqua particula panis hordeacæ esset mixta. Ad secundam probationem minor. dico, quòd in eo casu solveretur, quidem jejunium naturale, quòd consistit in omnimoda abstinentia cujusvis potus, & cibi; non verò solveretur jejunium Ecclesiasticum, seu Canonicum, id

id est, ab Ecclesiæ canonibus præceptum. Ea siquidem aquæ bibitio conjuncta cum Sacramento non prohibetur ab Ecclesia ante iteratum sacrificium in diebus ab ipsa Ecclesia concessis; quia hæc mixtio aquæ tanti momenti est ob ejus mysticas significationes, ut Ecclesia non prohibeat iterari sacrificium à Sacerdote, qui naturale jejunium potu aquæ, Sacramento mixtæ, solvit. Si verò teneatur cum P. Arbiol, quòd ex vi verborum illa aqua mixta in vinum sit conversa divina virtute, argumentum nullius erit roboris.

287 Arg. 4. In his, quæ ex divina revelatione pendent, ea asserenda potius sunt, quæ certiora videntur; sed certius est, totum contentum in calice ex vino, & aqua mixtum, per consecrationem converti in sanguinem; quàm aquam, priusquam in sanguinem, in vinum converti; nam primum est de fide, & secundum stat in opinione: ergo illud asserendum est absolutè. Respondeo negando minorem; quia ex suppositione, quòd aqua contenta in calice in vinum non transierit, certius est, non converti in sanguinem, cum hoc defensetur à majori, & graviori Theologorum parte, & urgentiori ratione. Nec illa propositio: totum contentum in calice convertitur per consecrationem in Christi sanguinem, est de fide. Tum; quia si aqua esset in majori, aut equali quantitate cum vino, non est de fide, quòd totum contentum in calice converteretur. Tum; quia si cum vino misceretur alius liquor, aut aliqua terræ particula, certum est, quòd in sanguinem Christi non esset conversa. Solùm igitur erit de fide illa propositio, si sic moderetur: totum contentum in calice ex vino, & aqua mixtum, per consecrationem in sanguinem convertitur, si mixtio taliter facta sit, quòd totum maneat apta materia consecrationis, qualis solùm est vinum, juxta dicta pluries.

Tom. II.

288 Replicabis: Ideò inculcamus in doctrina toties repetita; quia materia calicis debet esse vinum; sed hoc minimè obstat, ut simul cum vino, tamquam essentiali materia, sit etiam aqua: ergo. Prob. min. Concilia non solùm dicunt, materiam esse vinum, sed dicunt, vinum de vite, sed de uvis expressum; sed si aqua converteretur in vinum, adhuc non esset vinum de vite, & de uvis expressum; sed alio modo genitum, & tamen propter conjunctionem cum toto vino de vite, venit sub illo nomine, & recipit consecrationem: ergo similiter ipsa aqua adhuc converteretur in sanguinem, licet non esset in vinum conversa. Respondeo negando minorem, & minorem probationis. Siquidem aqua in vinum de vite conversa est verè vinum de vite, sicut aër conversus in ignem, est verè ignis. Vinum itaque ex aqua productum, seu aqua conversa in vinum, media nativa virtute vini ex vite geniti, habet veram naturam vini, estque materia apta calicis. Aliás vinum miraculosè productum, cujusmodi fuit vinum ex aqua genitum in Cana Galileæ, non fuisset apta materia calicis. Unde si illa vini portio conversa separaretur ab alio vino, utique erit per se materia apta consecrationis: at verò aqua in vinum non conversa, quamvis sit pars componens illud poculum in calice, non potest dici verè vinum, ideòque diversa erit ratio de aqua in vinum conversa, ac de ipsa in vinum non conversa. Dum autem Concilia docent, materiam calicis esse vinum de vite, nolunt excludere aliud vinum, quod habeat veram naturam vini, sed solùm volunt excludere omnem alium liquorem, qui non habet veram naturam vini potabilis. Unde illa pars aquæ conversa in vinum, licet non sit vinum ex vite productum; quia tamen conversa est in vinum de vite, dicitur vinum de vite absolutè.

289 Arg. denique: Aqua est corpus

R 2

pus

pus simplex; sed juxta Arist. lib. de gener. cap. 10. corpus simplex nequit transire in mixtum, nisi concurrentibus aliis tribus elementis: ergo aqua in calice non convertitur in vinum. Confirmatur multipliciter ratione philosophica 1. Quia ut constat experientia, aqua a vino consecrato potest separari, & extrahi per artem chemicam quibusdam instrumentis: ergo non est in vinum conversa: ergo converti debet immediate in sanguinem Christi. 2. Quia etiam si paucissima aqua misceatur, suas vires amittit vinum, & si diu quis durat immittere vino paulatim guttam aquæ, tandem deprehenditur, non esse jam vinum; sed hoc ita non esset, si aqua in vinum converteretur, ut patet a simili de igne, qui, quod magis in se ignem convertit, majorem vim habet: ergo. 3. Quia vinum non habet vim convertendi totam aquam in se: saltem enim aliqua partem crasse manent in vinum non conversæ, ut constat, tum in viventibus, quæ, quamvis habeant vim convertendi alimentum in se, tamen numquam totum illud in se convertunt, quin semper remaneant aliqua partes excrementicia. Tum etiam de igne, qui quamvis sit omnium Elementorum activissimus, numquam totam materiam combustibilem in se absumit, ut patet de cineribus, & fuliginibus, quæ post combustionem remanent: ergo numquam tota aqua potest in vinum converti: ergo semper in calice aliquid remanere debet aquæ, & consequenter &c.

290 Respondeo, gratis permissa majori, nego minorem. Falsum enim est, quod quamvis aqua sit elementum, ex Elemento non possit fieri mixtum; nam ut docet Doct. Subt. in 2. dist. 25. pisces formantur ab aquis. Nec Aristoteles negat, aquam converti posse in corpus mixtum, maxime in vinum: quin potius ibi asserit contrarium: nam agit de distinctione augmenti, quæ fit per nutritionem, & mixtionem vini in aquam,

& dicit: *Cum in hac quoque mixtione, id quod impenat, id est, predominatur: ut si id vinum fuerit, excrevisse dicatur; omnes enim istius mixtionis congestæ partes, non aquæ, sed vini naturam retinent, & illius opera efficiunt: ergo censet Arist. vinum in se convertere aquam, cum ejus naturam, & efficaciam retineat. Ad primam confirmationem, licet non credendum sit chimico instrumento clausis oculis, ut faciunt Philosophi moderni, dico, quod aqua, quæ ex vino posset elici, non esset aqua substantialis, & elementaris, sed esset quidam humor aqueus, quem etiam vinum depuratum quandoque continet, estque ipsius vini pars tenuior, & subtilior, quæ licet præseferat colorem aquæ, tamen saporem, & alias vini affectiones redolet. Unde si extractio fiat statim, ac mixtio facta est, concedimus tunc posse aquam vino immissam extrahi secundum substantiam suam; quia tam brevi temporis spatio non potuit fieri conversio aquæ in vinum. At verò post tempus sufficiens ad conversionem non amplius potest extrahi aqua in sua substantia, sed solum humor quidam aqueus specie ab aqua elementari distinctus, qui vino est connaturalis, & illud substantialiter integrans: sicut etiam in aliis mixtis, & viventibus varii humores reperiuntur elementis similes. Unde humor ille aqueus non tantum extrahi potest a vino diluto, sed etiam a vino puro. Quare ex tali experientia concludi non potest, modicam aquam non esse in vinum conversam.*

291 Ad secundam confirmationem, admissa antecedente, nego minorem, & consequentiam. Siquidem, ut notat N. Subt. Doct. in 2. dist. 19. quæst. un. cum omne agens physicum in agendo debilitetur; quia a contrario repetitur, quanto magis agit convertendo, debilitatur semper, atque tandem deficit. Patet de calore naturali animalis, qui quanto ma-

magis cibum in alii substantiam convertit, tanto plus ejus virtus debilitatur, & tandem deficit. Affert ibi Doctor ex Arist. 1. de generat. 42. exemplum de aqua vino mixta. Vinum namque primo convertit aquam in se: tamen toties potest aqua apponi, quod in convertendo deficiat virtus vini. Unde virtus vini pro vice secunda minus fortiter, & efficaciter operatur, quam in prima. Ratio autem, cur vinum ad continuam, & iteratam aquæ mixtionem debilitatur, est: Tum; quia continuo agendo, repetitur a contrariis qualitatibus aquæ, quæ paulatim refrangunt qualitates vini. Tum; quia vinum agendo amittit subtiliores, activioresque spiritus, quibus amissis, nequit se in pristinum statum reducere, ut se reducant alia quedam agentia naturalia, quæ agendo vim activam non amittunt, ut est de igne. Ad 3. confirmationem, respondeo 1. falsum esse, quod non omnes partes aquæ possunt in vinum converti. Nec est eadem ratio de aliis corporibus, quæ secundum omnes suas partes in substantiam agentis non convertuntur: nam alia corpora constant ex pluribus partibus crassis, & heterogeneis, quæ difficile convertuntur in alterius corporis substantiam: at verò aqua cum constet ex partibus tenuibus, & homogeneis, facile est convertibilis in substantiam alterius corporis. Respondeo 2. gratis concedendo, aquam vino mixtam regulariter non converti in vinum, ita perfecte, quin aliqua ejus partícula impuriore, & crassiores remaneant, eo tamen minores, quod vinum est activius. Cum hoc verò stat adhuc, quod secundum partes puriores, & subtiliores convertatur in vinum.

292 Uterque iste modus dicendi solvari potest ex doctrina N. Subt. Doct. allata num. antecedenti, dicendo, nempe, quod pro prima vice, & quando aqua infunditur vino in modica quantitate, tunc totam

aquam, secundum omnes sui partes, tam puriores, quam impuriore, vinum in se convertit, ob ejus activitatem maximam, non adhuc debilitatam. At verò secunda, & tertia vice; quia debilitatur virtus vini, non convertit aquam secundum omnes sui partes, sed remanet aqua secundum impuriore. Sic videtur dicere Aristoteles cap. 1. de gener. tex. 42. ubi inquit: *quod dum aqua infunditur vino, talis mixtio in principio facit vinum; in fine verò aquaticum.* Rationes aliæ, quæ contra possibilitatem conversionis aquæ in vinum adduci solent, solvuntur præcipue a nostro Mastrio lib. de gener. & corrupt. disput. 7. de mixtione, quæst. 5. Alia argumenta petita a Theologis modernis, proclamantibus, sententiam de conversione aquæ in vinum priusquam in sanguinem, esse recens commentum, excogitatum a Theologis Scholasticis; nam ante ipsorum tempora, communis erat Ecclesiæ sententia, aquam in calice, sicut & vinum, immediate converti in sanguinem Christi: solvuntur clarissime a nostro Hiquizo in Commentario dist. 11. quæst. 7. ubi satis erudite ostendit oppositum. Pro quo etiam videri potest Grassenius Tractat. 2. de Sacram. disp. 1. art. 1. sect. 2. q. 3. vide etiam dubiola quæst. antecedenti.

Solvitur duplex dubium.

293 Dubium 1. *Utrum, si aqua convertatur in vinum, saltem in ultimo instanti prolationis verborum, tunc maneat consecrata, & in sanguinem conversa?* Affirmat Vazquez cum aliis, quorum fundamentum est; quia ab initio prolationis verborum adest aqua proximè disposita ad formam vini, & in fine prolationis jam est vinum; & verba consecrationis referuntur ad ultimum prolationis instantis. Negat Suarez, & Lugo cum aliis, loquendo in sententia, negante conversionem immediatam aquam in

in sanguinem. Ratio est; quia verba sacramentalia ab initio cadunt super materiam aptam. Quare si tunc materia apta non sit, nihil efficient. Sic etiam ab initio cadunt super materiam præsentem, quæ si tunc non sit præsens, sed interim prolationis adducatur, non valet ad Sacramentum. Modo quo, si Minister inciperet baptizare, vel ungere hominem mortuum, qui interim per miraculum revivisceret, non per hoc Sacramentum valeret. Nec sufficit, verba consecrationis referri ad ultimum instans prolationis: quia adhuc debent ab initio proferri super materiam aptam, & præsentem. Noster Gavatus disp. 6. quæst. 6. media graditur via. Inquit enim, quod si contingat, aquam converti in vinum in illo eodem instanti, in quo vinum in sanguinem convertitur, in tali casu, aqua in sanguinem non converteretur: at verò si convertitur in vinum post inchoationem consecrationis, & ante ultimum illius instans, tunc verè in sanguinem convertitur. Ratio est, inquit, quia verba consecrationis non operantur suum effectum, nisi pro ultimo instanti prolationis: nam illorum practica significatio ad illud ultimum instans refertur. Et quamvis materia illa, quam Sacerdos habet præsentem in instanti, in quo incipit proferre verba consecrationis, secundum se totam non sit materia apta consecrationi, tamen probabiliter putatur talis à Sacerdote: ergo cum in illo instanti ultimo, pro quo intendit illam consecrare, sit vera materia apta, & valida consecrationis, tota consecrabitur verè, & realiter.

294 Dico tamen: *In nullo ex prædictis casibus aquam, ex vi consecrationis in sanguinem converti.* Non in primo casu; quia implicat, eandem rem simul, & semel incipere, & desinere in eodem instanti. Si enim aqua in instanti consecrationis converteretur in vinum, tunc inciperet esse vinum; & si in eodem

instanti converteretur in sanguinem, tunc desineret esse vinum; quia inciperet esse sanguis. Nec etiam in secundo casu; quia licet forma non operetur effectum transubstantiandi vinum in sanguinem, nisi in ultimo instanti, quando est completa ipsius significatio, requirit tamen materiam præsentem toto tempore, quo forma profertur. Tum; quia aliàs non verificaretur ipsius significatio, in qua per pronomen *hic* materia præsens exprimitur. Tum; quia tota forma indivisibiliter sumpta est causa moralis conversiva, dummodo tota proferatur super materiam: quod utique non eveniret in hoc casu, cum materia noviter accederet inter consecrandum. Quod autem Sacerdos ab initio consecrationis probabiliter putet, aquam jam esse conversam in vinum, parum refert ad intentum, quia aptitudo, & sufficientia materiæ non pendet ex opinione, & existimatione consecrantis, sed ex natura rei, nempe, ex eo, quod à parte rei sit talis, qualis à Christo Domino instituta fuit.

295 Dices: Sufficit præsentia moralis inter materiam, & formam Sacramentorum; sed vinum ex aqua conversum in fine verborum consecrationis esset moraliter præsens formæ consecrationis; quia simul esset cum aliqua parte formæ, quod sufficit ad Sacramentum conficiendum: ergo vi illius posset converti in sanguinem. Major patet in materia, & forma Baptismi, ac etiam aliorum Sacramentorum, quæ non oportet esse simul physicè præsentem, sed tantum moraliter. Respondeo, præsentiam moralem inter materiam, & formam Sacramentorum sufficere, quando materia ipsa non debet à forma transmutari, ut patet in Sacramento Baptismi, & Confirmationis; etenim aqua non debet à forma Baptismi transmutari, nec chrisma à forma Confirmationis, sed tantum debet transmutari subjectum, hoc est, homo baptizandus, vel confirmandus.

At

At verò falsa est major, quando materia debet à forma transmutari, ut contingit in Sacramento Eucharistiæ, in quo vinum à forma consecrationis transmutari debet in sanguinem Christi. Cum autem forma indivisibiliter sumpta sit causa moralis talis conversionis, tota debet proferri super materiam, quæ proinde debet ei physicè coexistere cum alia ejus comparte, & non tantum moraliter.

296 Dubium 2. *An si aqua convertatur in vinum post calicis consecrationem, consecrata maneret?* Noster Arbiol asserit, se satis diligenter quævisse hujus dubii resolutionem, & non potuisse invenire. Et resolvit, quod hoc evenire non potest; quia cum in vino jam consecrato solum remaneant accidentia, ista non possunt in vinum convertere aquam. Unde negat suppositum dubii. Sed hoc mihi videtur absque fundamento dictum; nam accidentia vini, & panis in Eucharistiæ existentia, Deo miraculosè operante, faciunt in recipiente quoad nutritionem, quicquid substantia panis, & vini faceret, si ibi adesset, ad quod Deus tenetur ex priori miraculo, ut ipse Arbiol fatetur. Dico igitur: quod illa aquæ gutta posset ab accidentibus vini in vinum converti: nullatenus tamen converteretur in sanguinem Christi, nec mediatè, nec immediatè; eo quod non erat præsens, quando prolata fuerunt verba consecrationis. Ratio satis apertè claret, & etiam ex antecedentis dubii resolutione.

QUÆSTIO IV.

Quomodo sit necessaria consecratio sub utraque specie?

297 **Q**uæritur, qualis, & quanta sit necessitas non consecrandi unam partem materiæ, nempe, panis sine alia, nempe, vini? *An, scilicet, hoc*

sit de necessitate Sacramenti, an præcepti? Et rursus: *an sit de necessitate præcepti tantum Ecclesiastici, an etiam Divini?* Innocentius III. lib. 4. de Officio Missæ cap. 23. refert opinionem quorundam, qui dixerunt, ambas species ad hoc Sacramentum ita necessariò requiri, ut si una absque altera consecratur, omninò irritum, atque invalidum erit Sacramentum. Unde putaverunt, consecrationem utriusque speciei necessariam esse necessitate Sacramenti. Alensis, Adrianus, Mayor, & alii opinati sunt, id solum esse necessarium necessitate præcepti Ecclesiastici. Communior, ac verior Theologorum opinio fert, esse necessarium necessitate, nedum præcepti Ecclesiastici, sed etiam Divini.

Prima Conclusio.

298 *Utriusque speciei, scilicet, panis, & vini consecratio non est de necessitate Sacramenti Eucharistiæ: ac proinde, si in una tantum specie fieret consecratio, validum esset Sacramentum.* Conclusio, quæ est valde communis, docetur à Subtil. Doct. in 4. dist. 8. quæst. 2. §. *Respondendo*, ubi in fine inquit, in hoc Sacramento plures concurrere consecrationes, non quidem totales, sed partiales, ita ut una tantum sit forma consecrationis unitate integritatis, non verò indivisibilitatis, cum in se contineat plures formas partiales: *Distinctio autem, ait Doctor, formatum illarum partialium, patet; quia una est efficax sine alia, quod manifestum est; alioquin fideles corpus adorantes ante consecrationem sanguinis, essent idolatræ, quod falsum est.* Hæc eadem fuit ratio Div. Bernard. Epist. 69. ubi hoc idem probat ex eo, quod communiter una pars materiæ, scilicet, panis consecratur ante vinum, & statim à populo adoratur, tamquam Eucharistiæ Sacramentum, antequam vinum consecratur. Probatur iterum conclusio, &

& præcedens ratio confirmatur. Tum, quia hoc significant ipsa verba consecrationis *hoc est, &c.* quæ cum verissima sint, antequam vinum consecratur, necessarió sub accidentibus panis constituunt corpus Christi, antequam sub accidentibus vini sit sanguis. Hoc idem esset, si prius consecraretur vinum, quàm panis, quia una consecratio essentialiter ab alia non pendet, cum effectus unius formæ non sit per se, & necessarió connexus cum effectu alterius. Unde corpus ex se potest esse separatum à sanguine, & é contra, ut fuit in triduo mortis Christi. Tum; quia hoc est proprium debitæ formæ sacramentalis, quòd si proferatur super debitam materiam à Ministro cum sufficienti intentione, infallibiliter faciat, quod significat. Tandem; quia species vini consecratæ conservari possunt, etiam speciebus panis non manentibus, ac proinde potest esse Sacramentum sanguinis sine Sacramento corporis, & é converso eodem modo discurrendum est de Sacramento corporis: ergo etiam in fieri species vini possunt fieri Sacramentum independentè à consecratione specierum panis; & pariter species panis fieri possunt Sacramentum independentè à consecratione specierum vini.

299 Arg. 1. Sacramentum Eucharistiæ institutum est sub ratione integri convivii; sed sub una tantum specie non est integrum convivium; quia sub una habet rationem cibi tantum, sub alia rationem potus: ergo sub una tantum specie non est Sacramentum, atque adeo ex ratione Sacramenti petit, quòd conficiatur ex utraque specie. Major constat ex dictis; quia hoc Sacramentum est institutum per modum convivii, & refectionis spiritualis. Minor certissima est. Confirmatur: Confectio sub utraque specie est de essentia Missæ, quatenus Sacrificium est: ergo Eucharistia nequit validè confici sub una tantum specie. Prob. consequentiam;

Confectio Sacramenti Eucharistiæ, quatenus Sacramentum est, non est quid diversum à ratione sacrificii legis Evangelicæ, sed non habet rationem sacrificii nisi sub utraque specie: ergo. Respondeo, concessa majori, disting. minorem: Sub una specie non est integrum convivium quoad modum significandi, concedo; quoad rem significatam, & quoad substantiam convivii, nego minorem, & consequentiam. Vide dicta disp. 1. quæst. 8. & præcipuè argum. 2. contra 2. conclusionem. Unde ut Eucharistia possit validè confici sub una tantum specie, sufficit, ut unaqueque seorsim sit integrum convivium quoad substantiam, & rem significatam, licet non quoad modum significandi. Ad confirmationem quidquid sit de antecedente, de quo suo loco dicetur, nego consequentiam, & majorem probationis. In Eucharistia enim alia est ratio Sacramenti, & alia ratio Sacrificii. Quare infectio Eucharistiæ in ratione Sacramenti non convertitur adæquatè cum ratione Sacrificii. Quapropter potest confici sub una tantum specie, ut Sacramentum, licet non ut spectat ad rationem Sacrificii.

300 Arg. 2. Nulla res effici potest sine rationibus sibi essentialibus; sed utraque species panis, & vini spectat ad essentiam Eucharistiæ, quælibet ut pars ejus essentialis: ergo nequit sub una tantum confici. Confirmatur, & occurrit solutio: In Sacramento Extremæ-Uctionis sunt etiam diversæ formæ partiales, sicut in Eucharistia; sed hoc non obstante, nulla earum seorsim habet effectum, quoad usque ultima ponatur, & tunc omnes formæ simultatè morali causant: ergo pariter in Eucharistia, forma consecrationis panis non causat, quoad usque ponatur forma consecrationis vini. Respondeo concedendo maj. negando minor. quia ut constat ex dictis disp. 1. quæst. 8. de unitate hujus Sacramenti, panis, & vinum sunt partes integrales

Eu-

Eucharistiæ, non verò essentielles. Unde solum sequitur, non posse confici sub una tantum specie integrum Sacramentum quoad modum significandi, ut dictum est; benè verò quoad substantiam, & rem significatam, quoad tantum sensu hinc asserimus, validè, & integrè confici posse sub una tantum specie hoc Sacramentum. Ex quo educitur, non esse parem rationem de partibus essentialibus alicujus Sacramenti, ac de speciebus panis, & vini in Eucharistia, quæ tantum sunt partes integrales. Sed ad hanc integritatem intelligendam perlege, ne æquivocationem patiaris, præcitatum quæst. 8. immediatè post tertiam conclusionem. Ubi etsi dixerimus, partes hujus Sacramenti esse integrales, non solum integritate perfectionali, sicut pes, & manus integrant hominem, sed etiam essentiali, jam ibi declaratum est in solutione ad 2. argum. adversus secundam conclusionem, id intelligi debere, quantum ad modum significandi spectat, non quoad rem significatam.

301 Ad confirmationem respondeo, nimium probare, ideòque ab omnibus solvendam esse. Probat enim, hostiam non esse consecratam ante consecrationem calicis; sicut pariter non haberi effectum in Extrema-Uctione, nisi prolata ultima forma. Unde malè Ecclesia offert hostiam adorandam ante calicis consecrationem. Potest igitur concedi, vel negari paritas de Sacramento Extremæ-Uctionis, & Eucharistiæ. Si concedatur cum Subt. Doct. in 4. dist. 23. dicendum est cum ipso, quòd Sacramentum Extremæ-Uctionis non est cum unitate indivisibilitatis, sed integritatis; nam integratur ex pluribus partialibus materiis, & formis, quibus correspondent propria, & peculiaris significata, ut ex ipsis formarum verbis colligitur. Quare unaquæque forma, quando profertur, suum significatum habet, nec est necessarium, ut positionem aliarum formarum expectet. Ex qua doctrina

Tom. II.

neganda est minor. Si verò cum pluribus Theologis negetur paritas, dicendum est, disparitatem inter Sacramentum Extremæ-Uctionis, & Eucharistiæ, in eo stare, quòd cum formæ Extremæ-Uctionis sint deprecativæ, & non indicativæ, ideò ex vi suæ significationis, & veritatis, non postulant, ut subito, & statim conficiant validum Sacramentum, sed solum, ut illud efficiant pro eo tempore, quo fuerit completum in ultima unctione: atque ita cum una forma partiali, & una unctione partiali non conficitur verum Sacramentum Uctionis. At verò in nostro casu de Eucharistia quælibet forma ex vi Sacramenti producit effectum diversum, & suum proprium; & cum sit forma non deprecativa tantum, ut in Extrema-Uctione, sed indicativa pro tunc prolotionis, ut contineat veritatem, nequit in causando una ab alia pendere.

Secunda Conclusio.

302 Consecrare utramque materiam Eucharistiæ est de necessitate præcepti, non solum Ecclesiastici, sed etiam Divini. Hæc conclusio, quæ est contra Authores citatos ab initio quæstionis, docetur à Subt. Doct. in 4. dist. 8. quæst. 3. Ubi sub littera *D* ponit casum, quòd Minister parans calicem Sacerdoti ex aliqua negligentia pro vino ponit aquam, & Sacerdos non advertens, & supponens, Ministrum ritè omnia fecisse, procedit usque ad perceptionem, seu communionem, & percipiens liquorem de calice, advertit, esse aquam. Ad hunc ergo casum respondet Doctor, quòd tunc tenetur consecrare calicem de novo, & consecratum percipere. Quod probat: quia quando sunt duo præcepta ordinata, præceptum Superioris magis ligat; nunc autem præceptum Christi, & Ecclesiæ est, quòd Sacramentum, quando conficitur, conficiatur integrum, & ista integritas servanda est juxta districtam

S

trictam

trictam Ecclesie obligationem, de consec. dist. 2. cap. *Comperimus*. Et addit: *divisionem prohiberi à Christo ex prima institutione hujus Sacramenti*: ergo juxta Subt. Doct. consecrare utramque speciem est de necessitate præcepti, nedum Ecclesiastici, sed etiam divini. Deinde probatur de præcepto Ecclesiastico ex cit. cap. *comperimus*, ubi hoc præcipitur, ac dicitur, non posse à Sacerdote absque grandi sacrilegio dividi mysterium, & non sumi utramque speciem hujus Sacramenti. Quod autem non sit tantum de jure Ecclesiastico, in quo non potest esse dubium, sed etiam ex Christi institutione; & jure divino, probatur tum ex Subt. Doct. ubi supra, dicente de Sacerdote: *Iste necessarius tenetur, ex institutione Christi, & propter integritatem Sacramenti, conficere sanguinem &c.* Tum ex Trident. sess. 22. cap. 1. sic decernente: *Corpus, & sanguinem, sub speciebus panis, & vini, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque successoribus in Sacerdotio, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite &c.* Ergo de mente Concilii consecratio in utraque specie est de necessitate præcepti divini. Tum ex eodem Concilio, sess. 21. cap. 1. ubi docet, Laicos, & Clericos non conficientes hoc Sacramentum, nullo Christi præcepto obligari ad illud sub utraque specie sumendum: ergo aperte indicat, Sacerdotes, hoc Sacramentum conficientes, teneri ex præcepto Christi illud sumere, & per consequens consecrare sub utraque specie.

303 Arg. Juxta sæpius dicta, Sacramentum Eucharistie in quavis parte materiae est integrum quoad substantiam Sacramenti, & rem significatam, licet non quoad modum significandi: ergo quoad substantiam Sacramenti non est de jure divino consecrare in utraque specie. Co-

firmatur; quia juxta aliquos SS. PP. & Expositores, dum Lucæ 24. dicitur, quod Christus agnitus fuit discipulis euntibus in castellum in fractione panis, consecravit panem sine vino: ergo non est credendum Ecclesie imposuisse tale præceptum, cuius oppositum fecit Christus. Respondeo, verum esse in quavis materie parte confici totum, & integrum Sacramentum, modo jam explicato: non tamen confici verum, & integrum convivium, nec sacrificium. Cum autem à Christo præceptum sit, ut hoc Sacramentum fiat per modum cibi, & potus, in quo stat integrum convivium, & quod absque Sacrificio non conficiatur, ex hoc præcepto oritur necessitas non conficiendi hoc Sacramentum, nisi in utraque parte materiae. Ad confirmationem dico, panem illum, quem Christus duobus discipulis in castellum dedit, non fuisse consecratum, ut major pars Patrum, & Expositorum ad eum locum docet, & satis probatum est mihi. Præterea dico, quod si tunc Christus corpus consecravit, vel etiam, quamvis hoc taceatur, calicem consecravit: vel id fecit per potestatem excellentiæ, & ut Author legis; quæ duo in aliis Sacerdotibus non reperiuntur; nec constat communicatum esse illis hoc privilegium.

Tertia Conclusio.

304 *Neque Summus Pontifex dispensare potest, ut consecratio fiat in una sola specie.* Est communis in Scholis contra nonnullos apud P. Berti lib. 33. de Theologicis disciplinis ad finem cap. 6. ubi asserit, quod quidam vir, fama sanctitatis conspicuus, scripsit, posse à Pontifice concedi, ut absque vino conficiatur Eucharistia in regionibus, in quibus nequit haberi vinum. Nec doctrina hæc ullum attulit impedimentum causæ beatificationis ejus, ut prodit Benedictus XIV. lib. 2. de Servorum Dei

Dei Beatificatione cap. 31. pag. 333. Nomen hujus viri retinet Benedictus, sed ipsemet respondet, nulla animadversione sententiam illius servi Dei fuisse notatam; quia scripsit tunc temporis, *quando Breve quoddam Innocentii VIII. habebatur, tamquam legitimum, & quod ab ipso forte putatum fuit verum.* Ex quo infertur, sententiam asserentem oppositum nostræ conclusionis omnino falsam ab hoc Pontifice reputari.

305 Probatur ergo conclusio 1. Ecclesia nequit dispensare in his, quæ sunt juris divini; sed conficere sub utraque specie est juris divini, ut constat ex dictis: ergo Pontifex in hoc dispensare non potest. Major constat ex eo, quod inferior non potest dispensare in lege Superioris, ut ajebat Scotus conclus. 2. citatus, & statutum fuit ab Urbano II. quæst. 1. cap. *sunt quidam*. Probatur 2. Non minus est de jure divino integritas hujus Sacramenti, quam illius materia; sed Pontifex dispensare nequit supra materiam Sacramentorum: ergo dispensare non potest, ut vino deficiente, in solo pane consecratio fiat, vel è contra. Patet minor; quia dispensare non potest, ut deficiente vino, sufficiat alius liquor; & deficiente pane triticeo, satis sit hordeaceus. 3. Si Pontifex posset dispensare circa Sacramentum Eucharistie in his, quæ Christus circa illud instituit, nulla ratio posset assignari, cur pariter dispensare non posset in sigillo confessionis, in Matrimonio consummato, in materia Baptismi, aliorumque Sacramentorum: ergo cum in his dispensare non possit, neque in Sacramento Eucharistie. Tandem: Concil. Trident. sess. 21. cap. 2. docet, potestatem, quam Ecclesia habet circa Sacramenta, esse solum mutandi illa, quæ ad Sacramentorum dispensationem pertinent, salva illorum substantia; sed consecratio Eucharistie non pertinet ad ipsius dispensationem, sed ad modum constituendi hoc Sacramen-

Tom. II.

tum, et ad Christi institutionem: ergo. Unde licet consecrare in una tantum specie non sit simpliciter contra substantiam Eucharistie, ut Sacramentum est, est tamen contra ipsius substantiam, ut est Sacrificium, sub qua institutum est à Christo, & per consequens, contra rationem illam individualement, quæ expressiorem significationem habet in utraque specie, & quæ significatio in una sola specie non reperitur: ergo cum Ecclesia dispensare non possit in tali significatione, nec in consecratione in una tantum specie.

306 Arg. 1. Tridentinum nuper laudatum ait: *In Ecclesia esse potestatem, ut in Sacramentorum dispensatione, salva ipsorum substantia, statuat, aut mutet, quæ suscipientium utilitati, pro locorum varietate, magis expedire judicaverit*: ergo docet, Ecclesiam dispensare posse, ut consecratio fiat in una sola specie. Prob. conseq. Quia cum consecratio in una tantum specie, seu parte materiae non destruat substantiam hujus Sacramenti, videtur pertinere ad solam illius dispensationem: ergo cum Ecclesia potestatem habeat circa ea, quæ ad dispensationem Sacramentorum pertinent, debemus dicere, posse dispensare in hoc præcepto, nempe, ut consecratio fiat sub utraque specie. Confirmatur ex Conciliis Trullano, & Laodicensi, in quibus prohibebatur consecratio certis diebus Quadragesimæ; sed sumebatur panis antea consecratus, atque ita in illa sola specie fiebat Sacrificium: ergo vel non est de jure divino consecratio in utraque specie, vel in hoc dispensari potest. Respondeo negando conseq. & antecedens probationis: nam consecratio Sacramenti Eucharistie, potius quam ad dispensationem, pertinet ad substantiam, & modum constituendi, & instituendi ipsum, ut in conclusione est declaratum, quin ex Tridentino suaderi possit oppositum. Ad confirmationem nego, Canones illos loqui de

S 2

pa-

pane Eucharistico, sed de pane benedicto, quem vocabant *presanctificatum*. Vel prohibebatur aliquibus diebus fieri Sacrificium, & permittebatur *communio*. Sic de facto evenit feria 6. Parasceves, in qua Sacerdos, licet dicat: *Orate, frates, ut meum, ac vestrum Sacrificium &c.* propriè non sacrificat, sed sumit panem pridè consecratum, quæ sumptio dicitur Sacrificium; non verò est propriè sumptum, de quo Tract. seq. de Missæ Sacrificio.

307 Arg. 2. Adhuc dato, quòd hoc præceptum sit juris divini, non ob id negandum est, Papam in illo dispensare posse: ergo ratio probativa conclusionis nullius est roboris. Prob. ant. Pontifex de facto sæpe dispensat in jure divino, ut in voto, juramento, & aliis, quorum obligatio est de divino jure: ergo. Nego antecedens, & paritatem. Dispar enim est ratio de dispensatione voti, Matrimonii rati, & similium, & de substantiali ritu Sacramentorum, ac eorum institutione. Ista namque sunt de jure divino absoluto, & à Christi dispositione unicè pendente, illa verò non, sed de jure divino *secundùm quid*, fundato in actionibus humanis, & dependenter ab humana voluntate, quæ cum suis actibus subdita est supremo Legislatore, & Prælo Ecclesiæ. Unde Pontifex dispensare non potest in his, quæ sunt de jure divino absoluto, & independenti à voluntate humanum: bene verò in jure divino, non absoluto, sed in actionibus humanis, & hominum voluntate fundato, ut sunt *vota, juramenta, Matrimonium*, tales actus ordinando in bonum animarum. Sic respondent famosissimi Theologi, inter quos N. Gonzalez Tract. de Legibus, ad quem spectat argumentum.

308 Arg. 3. Papa de facto dispensavit, ut Sacramentum hoc conficeretur sub una tantum specie: ergo. Prob. ant. Nam Volaterranus lib. 7. Geographiæ cap. 4. refert, ab In-

nocentio VIII. dispensatum fuisse cum Norvagiis, ut possent in sola panis specie consecrare, eò quòd in illa Provincia, vel non reperiretur vinum, vel aliunde allatum, brevi tempore, ob summum frigus, transiret in acetum. Ad eandem dispensationem concedendam primum fuisse Alaxandum VI. successorem Innocentii, scribit in Summa Bartholomæus Phumus: ergo vel non est præceptum divinum, vel si est, Pontifex potest in illo dispensare. Respondeo, falsam esse historicam narrationem Volaterrani, nullamque fidem adhibendam esse ei, nec simili, quod jam est tactum, quæst. 1. in solutione ad 2. Itaque numquam Pontifices dispensarunt, ut absque vino Sacrificium Missæ perageretur. Et quidem de Innocentio constat, improbos quosdam homines, nempe, Dominicum Viterviensem, & Franciscum Maldensem sacrilegè litteras, quas ipsius Innocentii nomine conscribebant, vitiassè, falsaque privilegia vendidisse; & propterea Sacerdotio fuisse exutos, ac supremo addictos supplicio. Hi homines ementitum hoc privilegium Norvagiis obtulerunt, & aliud conjugii permissi Gallo cuidam Sacerdoti, atque excivæ alia hujus generis, ut refert prælaudatus P. Berti ex Authoribus magni nominis.

QUÆSTIO VI.

Quænam requirantur conditiones ex parte materiæ ad consecrationem?

309 **D**ifficultas hæc, de qua N. Gavatus integram conficit disputationem, plurima, & quidem scitu digna continet. 1. *An materia consecranda debeat esse à Ministro determinata?* Et non loquimur de determinatione materiæ, ut consecratio sit licita; quia in hoc Ecclesiæ consuetudo est servanda, sed solum ad hoc, quòd consecratio sit valida. 2. *An debeat esse illi præsens?* Quod etiam intelligitur ad validam con-

consecrationem. 3. *An quæcumque materia quantitas, sive minima, sive maxima, sit apta consecrationis materia?* Est idem, ac inquirere: An in materia Eucharistiæ dentur termini magnitudinis, & parvitatibus? Terminus magnitudinis appellatur *maximum quod sit*, & terminus parvitatibus *minimum quod non*, id est, quod in alia minori parvitate requiritur quantitas conservari. De hac difficultate non egit Scotus, ut in 4. dist. 11. quæst. 6. à num. 29. notat Hiquæus.

310 Dico 1. *Materia consecranda debet esse certa, ac determinata ex intentione consecrantis ad validitatem consecrationis.* Unde illa solum materia validè consecratur à Sacerdote, quam determinatè consecrare intendit. Est communis, & probatur; quia intentio Ministri adeo necessaria est ad fieri cujusque Sacramenti, ut si illa desit, Sacramentum nullo modo conficiatur, ut constat ex Florentino, & Tridentino; sed intentio est circa singulare, & determinatum: nam ex 1. Metaph. actiones sunt singularium, & erga singularia: ergo. Unde non sufficit, quòd materia consecranda sit localiter præsens Sacerdoti, sed etiam debet determinari, ut sit hæc, vel illa, per ejus intentionem. Quapropter, si Sacerdos manutens decem hostias, intendat novem tantum consecrare, non determinando quam, tunc nihil conficeret, etiamsi tota illa materia esset localiter illi præsens. Ratio est; quia intentio consecrantis debet esse practica, & non tantum speculativa: talis autem non potest esse nisi circa determinatam materiam. Patet hoc in aliis Sacramentis, quæ consistunt in usu, in quibus necesse est, ut subjectum per ipsa sanctificandum ex Ministri intentione sit certum, & determinatum. Unde si quis intenderet baptizare hominem, & non hunc hominem, nihil efficeret.

311 Oppones: Ex hoc sequitur,

quòd si Sacerdos consecret, existimans unam tantum consecrare hostiam, & postea reperiat duas, quia una erat alteri conjuncta, nulla erit consecrata. Respondeo, quòd si Sacerdos intentionem coarctavit ad unam tantum hostiam, ita ut omnem aliam positivè excluderet, tunc nulla erit consecrata. Si verò intentionem sic coarctatam non habuerit, utraque consecrata maneret. Ratio est, quia intentio Ministri moraliter semper supponitur esse consecrandi omnem materiam sibi præsentem, & quam ad consecrandum fert. Unde nisi positivè excludat omnem aliam materiam, præter eam, quam existimat se solam detulisse, omnem absolutè consecrat. Nec obstat illa falsa existimatio, quòd sit una tantum hostia, quam secum detulit ad Altare; quia talis existimatio censetur speculativa, & privata, quæ non nocet intentioni practicæ, & generali Sacerdotis, quam semper habet consecrandi totam materiam, quam habet præsentem, & à qua generali intentione tota illa materia præsens determinationem accipit in ordine ad consecrationem. Advertant Sacerdotes hanc doctrinam, ut scrupulos in hac re tollant, dum similis casus illis occurrat.

312 Dico 2. *Materia consecrationis debet esse Ministro sufficienter præsens, ad hoc ut consecratio valida sit.* Est communis, & expressè docetur à Subt. Doct. 4. dist. 7. num. 44. Ratio ipsius est; quia illæ particulæ demonstrativæ *hoc*, & *hic*, quæ adhibentur in consecratione panis, & vini, juxta propriam significationem, & acceptionem denotant præsentiam rei, quæ per tales particulas ostenditur: nam quæ præsentia non sunt, sed à longè videmus, non signamus pronomine *hoc*, sed pronomine *illud*. Quare materia consecranda requirit notitiam aliquam sensus, ut consecrantes certum reddat de qualitate materiæ, & simul debitam loci propinquitatem, quæ sit con-

consecrantis præsens. Unde præsens materia hinc sumitur, non pro sola rei existentia in loco, sed pro relatione ejusdem ad Ministri cognitionem: ita ut illa materia dicatur Ministro præsens, quæ ab ipso percipitur aliqua cognitione. Neque sufficit sola cognitio intellectualis, vel imaginaria, sed requiritur, quod percipiatur aliqua notitia sensus. Ratio; quia, ut ait Doct. Sacramentum hoc perficitur in materia sensibili per pronomen demonstrativum *hoc*, quod ex sua natura requirit materiam alicui sensui præsentem, ut vera sit forma consecrationis.

313 Sed advertendum, necessarium non esse, ut materia in se percipiatur; nam sufficit, quod percipiatur in suo continente, ut panis in pyxide, vinum in calice, etiam cooperto: nam demonstratio per particulas *hoc*, & *hic*, juxta communem, & proprium usum etiam refertur ad res præsentes, non solum discoopertas, sed etiam opertas. At verò hoc est intelligendum, quoties operimentum se habet per modum *proximi continentis*, seu cooperentis materiam consecrandam, quod non tollit sufficientem præsentiā: secus autem esset, si corpus, quæ materia celatur, non haberet talem habitudinem ad illam, ut accideret, si inter materiam, & consecrantem intercederet paries, aut quid simile. Tunc itaque consecratio non teneret, ut omnes Casuistæ docent; quia tunc non esset præsentiā ad hoc Sacramentum requisita, & necessaria.

314 Dico 3. *Quæcumque minima quantitas sensibilis, in qua substantia panis, & vini conservari potest, est materia apta consecrationis.* Ratio est; quia talis particula est præsens localiter, & designabilis per particulam demonstrativam *hoc*, vel *hic*; sed hoc sufficit ad hoc, ut possit converti in corpus, & sanguinem Christi: talis namque particula habet omnes conditiones ad

consecrationem requisitas: nam est sensibilis, & sub ea conservatur substantia panis, & vini, quæ est materia remota hujus Sacramenti: ergo. Unde nihil refert, quod sit minima, dummodo sit sensibilis; nam Christus de facto existit sub quacumque minima parte hostiæ consecratæ.

315 Arg. 1. Quæcumque minima aquæ quantitas non sufficit ad Baptismum, nec modicissima panis mica potest manducari, nec modica vini gutta poteri: ergo non quæcumque minima quantitas est materia apta consecrationis. Nego consequentiam, & paritatem. Diversa enim est ratio de Sacramento Baptismi, & Eucharistiæ: nam per guttam aquæ non fit ablutio, quæ est materia necessaria Baptismi. At verò gutta vini verè est vinum, quod est materia Eucharistiæ: & satis est per se, panem, & vinum esse materiam cibi, & potus, licet per accidens, tam parva quantitas non possit applicari ad usum. Sequitur ergo, quod si panis, vel vinum sit in tam exigua quantitate, ut naturaliter, & modo humano non sit sensibilis, consecrari validè non potest. Ratio; quia ex institutione divina quodcumque Sacramentum habet, quod sit signum sensibilis, atque adeo requirit materiam, quæ sit sensibilis. Unde quod actu non est sensibilis, non potest consecrari validè.

316 Arg. 2. Quælibet minima pars panis, aut vini, conjuncta aliis partibus, consecrabilis est, & de facto consecratur cum aliis: ergo quælibet talis seorsim sumpta, etiamsi non sit sensibilis, absolutè poterit consecrari. Patet hoc; quia adhuc ab aliis partibus separata eandem habet entitatem, & quantitatem, quam habebat illis conjuncta, & unita. Confirmatur: Christus conservaretur in quavis parte, etiam insensibili, hostiæ consecratæ, si à toto divideretur: ergo etiam posset in ea per consecrationem poni: nam eadem dis-

dispositio requiritur ad conservandum, ac ad hoc Sacramentum perficiendum. Prob. antecedens: Quia in Florent. & Tridentino, absolutè, & sine ulla limitatione definitur, corpus Christi contineri sub singulis specierum particulis, etiam facta separatione: & sicut in toto conservatur Christus sub quacumque parte, etiam insensibili, ita etiam à toto separata; quia separatio naturam panis non variat.

317 Respondeo, negando consequentiam. Ratio disparitatis est; quia quod ex se est insensibile, in toto tamen fit sensibilis, tamquam ejus pars. Unde per se, & separatè existens, nequit immutare sensum, quod immutare potest, ut unitum alteri, eò quod cooperatur aliis partibus; quia virtus unita fortior. At verò seorsim sumptum non potest sensum immutare, & per consequens nec consecrari, quia non potest designari sensibiliter per pronomen *hoc*, quod ad consecrationis materiam necessarium est. Ad confirmationem respondeo dupliciter. 1. Admisso antec. negando consequentiam, quia aliqua requiruntur ad fieri rei, quæ ad conservationem non sunt necessaria. Unde licet Christus, facta separatione, conservari possit sub qualibet particula, non tamen consecrari potest sub particula qualibet. Ratio est; quia in fieri est necesse, materiam posse demonstrari, ut consecratur: id verò non est necessarium, ut Christus post consecrationem conservetur. Respondeo 2. negando antecedens; quia in parte insensibili separata à toto non conservatur forma panis usualis, qui debet esse sensibilis, [quidquid sit, an in ea conservetur panis simpliciter.] Unde Christus conservaretur sub accidentibus panis, quamdiu panis usualis conservatur sub illis. Et cum in toto quælibet pars sit sensibilis, & fiat talis ratione totius, cum quo continuatur, & separata variatur quoad sensibilitatem, hinc est, quod Christus conservatur in to-

to sub qualibet parte, quantumvis minima, non tamen separata. Quare quando Concilia dicunt, Christum manere sub qualibet particula, etiam separata, hoc intelligunt de particula sensibili: non enim conservari potest naturaliter particula tam parva, quæ aliquo sensu percipi non possit. Utraque solutio fundata est, & probabilis.

318 Dico IV. *Quæcumque magna quantitas est materia apta consecrationis, dummodo sit moraliter præsens, & demonstrabilis per pronomen Hoc, vel Hic.* Non desunt, qui negent, posse à Sacerdote consecrari quamcumque panis quantitatem, puta, quam in foro adinveniret. Oppositum tamen est tenendum; quia abusus, aut perversitas consecrantis, non tollit veritatem Sacramenti, dummodo adsint cætera, quibus perficitur, nempe, materia præsens, forma, & intentio. Nec major, aut minor quantitas inducit substantialiter immutationem materiæ. Sicut nec opus est, quod quantitas determinata sit ad usum fidelium, qui nunc occurrunt, ut aliqui imperitè voluerunt; sed ad usum fidelium absolutè: alioquin Sacerdos habens paucos parochianos non posset consecrare multas hostias. Nec denique quidquam urgent argumenta N. Macedo lib. 4. de Clavis Petri, cap. 4. laudantis D. Bonaventuram, dist. 10. art. 3. quæst. 3. D. Thomam in Oppusc. 59. cap. 5. & quosdam alios antiquorum Scholasticorum, pro quibus.

319 Arg. Tum; quia Eucharistia instituta est ad usum sacrum, id eoque in ea requiritur moralis usus. Tum; quia consecrare totum panem existentem v. g. in foro, aut vinum in apotheca, res est omnino indecorosa. Tum; quia potestas consecrandi collata est Sacerdoti ad prudentem usum, non ad abusum. Verum hæc, & similia explicantur quamoptimè de licita, non de valida consecratione. Quare ipse Macedo confitetur, se opinioni illius adstruere pro-

probabilitatem dumtaxat *gratia disputationis*. Pro aliis, quæ obijciuntur à N. Brancato, advertendum est, quòd ut materia sit consecrabilis, requiritur, quòd moraliter loquendo, & secundum prudentum estimationem, materia illa dicatur sensibilis, & præsens, & quidem tali præsentia, quæ in stricto modo loquendi sufficiat ad demonstrandum aliquid per illud pronomen *hoc*. Quando autem objectum cernitur à longè, & in notabili distantia, in communi modo loquendi tunc non designatur per pronomen *hoc*, sed per pronomen *illud*. Quanta autem esse debeat hæc propinquitas, quæ sufficiat ad faciendum rem moraliter præsentem, nulla certa regula præscribi potest, sed juxta sensum, & proprietatem loquendi dijudicari debet.

QUÆSTIO VII.

Quæ sit forma Consecrationis sub speciebus panis?

320 **D**iximus disp. 1. quæst. 7. verba sacramentalia esse formam consecrationis, sed non intrinsecam Sacramenti Eucharistiæ, eò quòd istud permaneat, & illa transeant. In præsentia igitur solum inquiritur de forma quoad fieri corporis Christi sub speciebus panis. Quia verò in consecratione pluræ verba proferuntur à Sacerdote: nam accipiens panem, dicit: *Qui pridie, quam pateretur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit, accipite, & manducate, hoc est enim Corpus meum*; exurgit ex hoc duplex difficultas, quarum quælibet satis est implexa. Prima est: Quænam verba ex prædictis sint essentialis forma consecrationis panis? Secunda est: An verba præcedentia formæ substantiali, illa, nempe, *qui pridie, quam pateretur*, usque ad *accipite, & manducate*, adeo necessaria sint consecrationi, ut sine illis Sacramentum

non fieret? Has solvendo difficultates.

321 **I.** Conclusio. Forma essentialis consecrationis corporis Christi præcisè stat in illis verbis: *hoc est Corpus meum*. Est omnium Catholicorum contra Calvinistas, qui putant, talia verba non esse consecratoria, sed fidelium instructiva. Et contra Lutheranos, protervientes, omnes actiones, quas Evangeliste referunt, & Christus utique fecit, ut *elevatio oculorum in caelos, acceptio, & fractio panis, calicis percussio &c.* esse formam essentialem hujus Sacramenti. Alia Novatorum deliramenta erga Sacramenti Eucharistiæ essentialiam, videnda sunt disp. 1. quæst. 6. Denique est contra Græcos aliquos, asserentes, quòd illa verba, *quod pro vobis tradetum*, quæ ipsi addunt, & à D. Paulo narrantur, rationem essentialem formæ ingrediuntur. Contra hos omnes militant Catholici Doctores, inter quos Subtilis 4. dist. 8. q. 2. n. 4. id expressè docens.

322 Veritas conclusionis constat ex Apost. 1. Corinth. 11. ubi recitans, & docens formam, qua Christus consecravit, eam dicit esse: *hoc est corpus meum*. Idem docuit Florentinum decreto Eugenii IV. ubi de Eucharistiæ Sacramento loquens, docet, formam ejus esse verba illa Salvatoris: *hoc est Corpus meum*, quibus hoc Sacramentum conficitur à Sacerdote in persona Christi loquente: quod etiam docuit Trident. ses. 13. Probatur jam ratione: Illa verba sunt forma essentialis consecrationis, quæ sufficienter significant positionem corporis Christi sub speciebus panis, ut per se patet; sed hoc sufficienter significatur per supradicta verba: ergo. Prob. minor. Talia verba expressè significant, ibi esse corpus Christi, ut est innegabile; sed in Sacramentis verba efficaciter faciunt, quidquid significant; quia ex institutione divina sunt practica: ergo.

323 Arg. 1. Consecratio ex Patribus, imò ex Evangelio, fit benedictione; sed in illis verbis nulla apparet benedictio: ergo ad consecrationem non sufficiunt. Prob. maj. Christus sumens panem, *benedixit*: & quando dixit, *hoc est corpus meum*, jam existebat sub speciebus panis, quod quidem ipse Dominus significavit, dicens: *accipite, & manducate, hoc est &c.* ergo Christus benedictione consecravit, & insimul usus est pluribus aliis verbis, quàm illis quatuor in sui corporis consecratione, consequenterque consecratio illis verbis præcisè fieri non potest. Urgetur ex D. Thoma quæst. 78. art. 1. Alensi 4. part. quæst. 10. Lyrano in illud 1. Corinth. *Gratias agens*, Catechismo Pii V. tit. de Euchar. Hugone de S. Caro, & aliis DD. qui videntur docere, consecrationem fieri benedictione, juxta illud 1. ad Corinth. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* ergo.

324 Respondeo, negando maj. Ad ejus probationem dico, Christum usum fuisse utique in istius Sacramenti institutione aliis verbis, & actionibus, ut *cum accepit panem, gratias egit, & benedixit: & elevatis oculis in caelum &c.* At verò nec verba ista, nec actiones, fuerunt consecratoria, sed solum præparationes quædam, & circumstantiæ sacre præambulæ ad hujus Sacramenti consecrationem, sicut etiam usus est Dominus respectivè in aliorum Sacramentorum institutione. Ad id de consecratione jam peracta ante illa verba: *Hoc est Corpus meum*, respondeo negando anteced. & consequ. Plura itaque, quæ ab Evangelistis narrantur, intelligenda non sunt eo ordine, quo referuntur, sed eo ordine, quo peracta sunt, & quo verba in actu consecrationis pronuntiata fuerunt à Christo. Pro hujus veritatis intelligentia clarissimam invenies doctrinam contra Hæreticos disp. 1.

quæst. 6. §. *uni ex Hæreticis*, & seq. Scriptores enim Sacri pluries loquuntur per *Prolepsim*, de quo videas quæso meum opus Prolog. in univ. Sac. Script. num. 262. fol. 264. & præsertim pro argumento hoc num. 266. Ad urgentiam dico, omnes illos PP. & DD. nomine *benedictionis* intelligere ipsam consecrationem, eò quòd verba illa consecratoria, *Hoc est corpus meum* possunt dici *benedictio*, sicut etiam vocantur à Ricardo, & Cajetano, *gratiarum actio*: non verò de benedictione, aut gratiarum actione, in sensu, & acceptione Hæreticorum intelliguntur, nec illi DD. intellexerunt.

325 Arg. 2. Forma consecrationis consistit, juxta SS. Patres, in precibus, & orationibus, vel saltem non consistit in illis verbis solis, sine oratione, & precibus: ergo illa sola non sunt essentialis forma. Prob. antec. ex Liturgiis SS. Jacobi, & Marci, in quibus illis verbis adduntur istæ preces, & orationes: *Mitte spiritum tuum sanctissimum in nos, & in hæc dona & efficiat hunc panem Corpus sanctum Christi tui: ergo. Præterea, PP. Græci in suis Liturgiis, ac scriptis videntur tenere, consecrationem nedum in assignatis verbis, sed in deprecationibus aliquibus, simul etiam consistere: nam Justinus Martyr dicit: per precem Eucharistiæ factum cibum sumimus. Nissenus Catec. 17. Hic panis per Verbum Dei, & orationem sanctificatur. Idem scribit Cyrillus, & alii apud Berti. Respondeo, negando antecedens, & consequentiam probationis. Si enim Patrum dicta intelligerentur, ut sonant, multum quidem probarent: nam sequeretur, omnes preces, quæ sunt in Liturgiis, & Canone Missæ, esse de essentiali formæ hujus Sacramenti, quod absurdissimum est. Intelligendi igitur sunt illi PP. sicut dictum est ad preces, actiones, & orationes, quibus Christus usus est in ejus institutione. Loquuntur deinde de invocationibus, quæ fiunt ante, & post*

consecrationem; non quidem ex Sacramento necessitate, sed ex ejus majori reverentia, & necessitate præcepti. Petitur enim in illis, ut consecratio recte fiat, & ad salutem nostram succedat. Unde ad illas preces Liturgiarum, populus, ut significet, se ita credere, & sperare, respondet: Amen.

326 Pro secundæ difficultatis resolutione, nempe: an verba illa: *Qui pridie, quàm pateretur &c.* præcedentia verbis consecratoriis, scilicet *Hoc est corpus meum*, necessariò debeant præmitti, ad hoc ut consecratio valida sit; & Minister loquatur nomine, & persona Christi, ut in hoc Sacramento requiritur: nec est unanimis DD. consensus, nec omnes recte difficultatem intelligunt. Subt. Doct. 4. dist. 8. quæst. 2. §. *ad tertium*, validissimis suadet rationibus, verba illa: *Qui pridie &c.* aut alia æquivalentia, necessariò esse præmittenda, ut consecratio certò, & absolute sit valida. Ex quo aliqui finxerunt, Scotum opinasse, verba illa: *Qui pridie* ingredi rationem essentialem formæ consecrationis. Hoc autem falsissimum est, & manifestè contra ipsum Scotum, qui loco nuper citato num. 4. sic de essentiali forma consecrationis resolvit. *Dico, quòd verba consecrationis sunt quatuor, scilicet, pronomen hoc, verbum est, & corpus meum.* Et explanans sensum, quo intendit, talia verba: *Qui pridie*, aut similia necessariò præmittenda esse ad consecrationem, inquit sub littera Y. *Sed hoc non est intelligendum, tamquam sint essentialiter pertinentia ad consecrationis necessitatem, sed tamquam necessariò præmittenda.* Unde unicè, ac expressè vult Doct. Subt. verba illa præmittenda esse, ut ostendatur, verba consecrationis proferri in persona Christi. Alii imponunt ipsi Scoto, id docuisse absolute, & omnino certa assertione, ac sine dubitatione, quod est etiam absolute falsum, ut infra manifestè apparebit. Alia via

procedit Mastrius cum aliquibus Scotistis, sequentibus Tatarætum. Dicunt enim, Subt. Doct. non docuisse id ex sua mente, sed præcisè disputandi gratia. At verò Scotum ita sensisse, non absolute, & simpliciter adhærendo opinioni, sed sub dubio de ejus veritate, demonstrat resolutio sequens.

327 Sit II. Conclusio: *Verba antecedentia formæ consecrationis: Qui pridie, quàm pateretur &c. aut æquivalentia, seu similia necessaria sunt, ut certò, & infallibiliter, fiat consecratio.* Vel ita, & clariùs: *Probabile est, quòd illa verba præmittenda sunt, ut consecratio sit valida, & sine dubitatione de illa.* Hæc est expressa mens Subt. Doct. & ut talis sequitur à fere omnibus recentioribus Scotistis, contra Mastrium, & alios ab ipso citatos. Sensus conclusionis est, quòd verba illa præcedentia non sunt necessaria necessitate præcepti tantum, quod apud omnes est indubium: sed ita ut, si Sacerdos consecraret, illis prætermisissis, vel nihil efficeret, vel saltem dubium esset: an consecraret? Eò quòd illa verba necessariò sunt præmittenda, non tamquam formam, nec illius pars, sed tamquam conditio determinans modo sensibili prolationem formæ fieri in persona Christi. Quòd autem non omnino certa assertione, sed tantum probabiliter, & sub dubitatione hanc conclusionem statuatur Subt. Doct. patet ex his, quæ dicit num. 10. sic: *Si quis Sacerdos inciperet sic loqui: Hoc est corpus meum, non prædicens verba præmissa... non est adorandum, nisi sub conditione, si verè consecratum est.* Et dist. 13. quæst. 2. num. 18. ait: *Nec fortè absolute quis officeret, ut tactum est dist. 8. nisi prætermitteret ad minus verba illa, per quæ significat, se proferre verba consecrationis in persona Christi, non in persona Sacerdotis.*

328 Et quidem incertum esse: *An consecratio sine præcedentibus*

verbis esset valida? docuit etiam Angelus in Sum. verbo *Eucharistia*. Ad hanc sententiam revocari debent, quotquot asseruerunt, formam consecrationis materialiter, & recitative tantum, proferri à Sacerdote. Sic dici, tenet Innocentius III. lib. 4. de hoc Myst. cap. 17. Durandus 4. dist. & quæst. 2. Major, Ocham, Catherinus, Gabriël, Ledesma, & alii; de quo videndus est Hiquæus in Comment. in 4. cit. Et denique Cajetanus veram asserit in hac sententiam Doctoris. Unde satis liberè erroneam illam appellat Gonetus disp. 7. de Euch. art. 4. Sic accepto sensu conclusionis.

329 Probat 1. doctrina expressa Subt. Doct. dist. 8. quæst. 2. §. *ad tertium*, sub num. 26. ad hanc formam reducta: Verba Sacramentorum ex vi verborum significare debent illud, quod efficitur ex vi Sacramento; sed ex vi hujus Sacramenti efficitur, ibi esse verum Christi corpus: ergo verba consecrationis ex vi propria significare debent, illud ibi contineri. Nunc sic: sed hæc verba: *Hoc est Corpus meum*, sine præcedentibus prolata, hoc absolute non significant: ergo. Major, quæ negatur ab Adversariis, dicentibus, necessarium non esse, verba sacramentalia ex vi sua significare id, quod efficitur ex vi Sacramento, sed sufficere, quòd Minister intendat illa proferre nomine Christi, probatur sic: Verba sacramentalia ex se significare debent juxta Christi institutionem, & non ad arbitrium intentionis Ministri, effectum insensibilem Sacramento; sed in Eucharistia, nisi præmittantur illa verba, verba consecrationis id non significant: ergo. Prob. minor. Nisi præmittantur illa verba consecratoria, verba non significant Ministrum loqui nomine, & in persona Christi, sed nomine proprio; sed si intelligitur loqui nomine proprio, verba consecrationis non significant effectum Sacramento, nempe, positionem corporis Christi:

Tom. II.

ergo. Minor est indubia. Prob. maj. Verba hæc: *Hoc est Corpus meum*, prolata à Ministro absolute, & sine aliquibus præcedentibus, quibus denotetur, se non loqui nomine proprio, sed nomine Christi, denotant audienti, & ex vi sua, quòd loquitur nomine proprio, & de suo corpore, atque ita talia verba essent omnino falsa: ergo. Prob. anteced. Si quis absolute, & sine ulla Christi mentione, proferret illa verba ipsius Domini: *tempus meum nondum advenit*: vel illa: *Doctrina mea non est mea*, nemo audientium esset, qui non putaret, eum loqui de suo tempore, & de sua doctrina, & hoc quidem significant illa verba: ergo pariter; nam Christus non minus illa dixit, quàm ista: *Hoc est corpus meum.*

330 Confirmatur, & ampliùs explicatur hæc ratio, atque insimul minor subsumpta illa ostenditur: Verba consecrationis proferri debent in persona Christi ex vi sermonis, & practicè significare, ibi poni, & esse corpus Christi, ut in hoc Sacramento videtur innegabile; sed omisiss illis verbis: *Qui pridie &c.* aut æquivalentibus, non proferuntur in persona Christi ex vi sermonis, nec ex vi sermonis practicè significant, ibi esse, ac poni corpus Christi: ergo. Prob. minor. Verba ista: *Hoc est corpus meum*, ex vi sermonis solum significant id, ad quod significandum instituta sunt; sed non sunt instituta, nisi ad significandum corpus proferentis: aliàs semper ac à quovis proferrentur, intelligerentur prolata in persona Christi, quod est absurdissimum: ergo. Urgetur: Verba consecrationis proferri debent in persona Christi, & corpus Christi determinatè significare: ergo dum sic non proferuntur, & significant, per ea non efficitur Eucharistiæ Sacramentum. Nunc sic: sed dum Sacerdos absolute diceret: *Hoc est corpus meum*, si non præmisisset illa verba: *qui pridie &c.* aut similia, quibus

T 2

bus ex vi sermonis denotet, & intelligatur, se non loqui in propria persona, sed in persona Christi, verba secundum se non referuntur ad Christi personam, sed ad personam proferentis: ergo. Prob. min. Si ego dicerem: *hoc est brachium meum*, nisi superaddatur aliud, quo intelligi possit, me non loqui de brachio meo, sed de brachio alterius personae, certum est, quod ex vi sermonis intelligitur de brachio meo: ergo similiter, me dicente, *hoc est corpus meum*, nisi aliquid superaddatur, quo intelligi possit, me non loqui de meo corpore, sed de corpore Christi, ex vi sermonis intelligitur de meo corpore. Hanc eandem doctrinam expendit Doct. Subt. 4. Report. dist. 8. quæst. 2. num. 4. quam amplius declarat sub numer. 18.

331 Probat 2. Subt. Doct. Tum ex autoritate D. Ambrosii lib. 4. de Sacram. ubi dicit: *Consecratio quibus verbis fit? Attendite que sint verba: accipite, & edite ex hoc omnes: Hoc est corpus meum.* Tum: Ecclesia adjecit in Canone verba antecedentia, ut consecrationis forma sensum sacramentalem faceret: ergo ad hoc necessaria sunt. Prob. anteced. Ecclesia non adjecit talia verba, ut essentialia formæ, ut supponitur; nec ad orationem, cum nihil petatur in illis: ergo ad narrationem, quæ proponi debet, ut forma proferatur in sensu sacramentali, & in persona Christi. Tum; quia juxta Ecclesiæ præscriptum, semper ac *Hostia*, aut *Calix*, propter aliquem materiæ defectum de novo consecrari debent, in omni eventu, & urgentia, incipere debet Sacerdos in consecratione corporis ab illis verbis: *qui pridie quam pateretur &c.* Et in consecratione sanguinis ab illis: *simili modo &c.* sed non alia ratione, nisi quia illa sunt requisita, ut forma proferatur sacramentaliter, & in persona Christi: aliàs non tantam curaret de talium verborum re-

petitione: ergo optimè interpretari licet, mentem esse Ecclesiæ, illorum verborum prolationem necessariam esse ad effectum valoris formæ. Ex hucusque dictis convincitur, consecrationem dubiam esse, & ambiguum, nisi præmittantur illa, vel æquivalentia verba, quod unicè intendit, & suadet Doct. quia ulla Ecclesiæ inveniatur declaratio ad oppositum: imò ex relata Ecclesiæ praxi, ac determinatione, magis consecrationis nullitas, quam ejus veritas, videtur probari.

332 Arg. 1. Si verba antecedentia necessaria essent ad validam consecrationem, maximè ad significandum, Sacerdotem loqui, & operari in persona Christi; sed per talia verba hoc non indicatur: ergo. Major est certa. Prob. min. Verba, quæ solum referunt factum alterius, non indicant, referentem operari in persona illius: nam sunt aliud, & aliud valde diversum; sed verba antecedentia: *Qui pridie &c.* solum referunt, quæ Christus dixit, & fecit: nam sunt verba Evangelistarum, non verba Christi: ergo ex vi talium verborum Sacerdos non induit personam Christi, nec in ejus persona operatur. Confirmatur 1. Consecratio fit verbis Domini; sed verba, quibus Christus consecravit, ea sunt tantum: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*: ergo eis solum fit consecratio, sine verbis præcedentibus. 2. Nihil aliud essentialiter requiritur ad quodlibet Sacramentum, nisi materia, forma, & Ministri intentio; sed verba præcedentia nihil horum sunt: ergo nec necessaria ad validè consecrandum. 3. Quia in Ecclesiæ initio illa verba non dicebantur, & tamen valida fiebat consecratio: ergo & nunc sine illis fieret. Hoc est præcipuum fundamentum P. Berthi.

333 Respondeo negando min. & distingo majorem probationis: verba &c. non indicant, referentem operari in persona illius, si talia verba

ba solum maneat in pura relatione facti alterius, concedo: Si dirigantur ad alia verba, significantiæ, operationem fieri in persona Christi, vel ut hoc significant, nego maj. & min. Verba igitur illa: *Qui pridie &c.* non manent in præcisa, & nuda relatione de eo, quod Christus fecit, & dixit, sed potius apponuntur, & simul cum aliis actionibus diriguntur ad significandum, Sacerdotem operari, & proferre verba consecrationis in persona Christi, sine quibus illa verba: *Hoc est corpus meum* non habent significare Corpus Christi, sed corpus Sacerdotis, ut dictum jam manet. Unde illa verba à Sacerdote prolata non sunt verba Domini sine præcedentibus. Et quamvis verissimum sit, quod Sacerdos consecrat verbis Domini; sed dicimus, quod ut talia sint, dum à Sacerdote proferuntur, & ita significantur, necesse est, quod illa: *Qui pridie &c.* præcedant. Nec est ad rem, quod verba illa sint Evangelistarum: nam verba illa: *accipite, & manducate* sunt ipsius Domini, & tamen non sunt forma consecrationis, sed ad summum necessaria, ut fiat consecratio in ejus nomine, & persona. Per quod respondetur ad 1. Confirmationem. Ad 2. distingo maj. nihil aliud requiritur, tamquam forma, materia, aut intentio, concedo: tamquam quid necessarium præviè requisitum, nego maj. Ad valorem consecrationis requiritur, quod Minister sit homo, baptizatus, & Sacerdos: & tamen nec esse hominem, nec esse baptizatum, nec esse Sacerdotem requiritur, tamquam materia, forma, aut intentio, sed tamquam conditio sine qua non fit valida consecratio. Pariter ergo. Ad 3. gratis dato, quod verba illa non dicebantur, æquivalentia ad minus dicebantur: nam omni tempore promittebantur in Ecclesia verba aliqua, quibus intelligeretur, Sacerdotem in sua propria persona non loqui, sed in persona Christi.

334 Arg. 2. Verbum *absolvo* in

Sacramento Pœnitentiæ tam indifferens est ad peccata, & censuras, sicut ista: *Hoc est corpus meum* ad significandum corpus Christi, & Sacerdotis, ea proferentis; sed hoc non obstante, non requiritur, quod supra verbum *absolvo* aliud superaddatur, quo peccata significantur: ergo nec requiruntur alia verba, præter illa: *Hoc est corpus meum*, ut ad corpus Christi referatur, & per illa significetur. Confirm. 1. Ut Confessarius absolvat autoritate Christi, non requiritur, quod per verba antecedentia declaret, se absolvere tali autoritate: ergo nec ut Sacerdos consecret, necessarium est, quod per antecedentia verba id manifestet. 2. Sufficit ad valorem Sacramenti in Pœnitentiæ, & Baptismo, quod dicatur: *Ego te absolvo: Ego te baptizo*: ergo similiter sufficit in Eucharistia, quod dicat Sacerdos: *Hoc est corpus meum*.

335 Respondeo, negando majorem, vel illius suppositum. Dato, quod hæc verba: *te absolvo*, sint totalis forma in Sacramento Pœnitentiæ, dicendum est, quod verbum *absolvo*, sic est indifferens ad peccata, & censuras, ut simul utrumque significet, & juxta pœnitentis indigentiam, & Sacerdotis intentionem, tam peccata, quam censuræ absoluta manent. Hæc verò verba: *Hoc est corpus meum* indifferentia non sunt, sed ita determinatè corpus proferentis significant, ut alterius corpus excludant. Unde verbum *absolvo* ex vi sermonis, seu ex natura ipsius vocis refertur ad censuras, & peccata, si à proferente non limitatur; quia ex se absolvit omne debitum. Cum autem ex sæpè dictis, verba hæc: *Hoc est corpus meum* ex natura sermonis, seu ex vi verborum solum referatur ad corpus proferentis, manifesta est disparitas utrorumque verborum. Ad primam confirmationem negatur consequentia, & paritas: quia semel accepta à Christo autoritate ad peccata dimitt-

mittenda, cum verba absolutionis non debeant proferri historicè, sed solum significativè, non est opus declarare per antecedentia verba, se absolvere autoritate Christi. At verò cum verba consecrationis à Sacerdote proferantur, non solum significativè, sed etiam historicè, ut q. 9. manifestum fiet, non percipitur, quomodo intelligi possit historicè prolatum: *Hoc est Corpus meum*, si prius non dicitur, quòd Christus id dixit per illud: *qui pridie &c.* vel per aliud simile. Ad secundam confirmationem negatur etiam consequentia. Disparitas est, quòd in Baptismo, & Pœnitentia Sacerdos se gerit, ut persona particularis, & ut Christi Minister. Unde dum dicit: *te absolvo: te baptizo*, loquitur nomine proprio. At verò in consecratione ne dum induit rationem Ministri, verum etiam rationem personæ ipsius Christi, ut est indubium, & constat ex Florentino in decreto unionis, dicente: *Sacerdos namque in persona Christi hoc conficit Sacramentum.*

336 Hæc dicta sint probabiliter, & dubitativè, non absolutè, & assertivè, modo quo illam adstruit Doct. Subt. qui posquam in hoc sensu suam mentem expressit, eadem dist. 8. sub num. 25. communio rem sententiam videtur sequi, dicens, sufficere, Ministrum proferre formam ea intentione, qua Christus instituit proferendam, ad validam consecrationem, & ad effectum causandum, per hæc verba: *sufficit Ministro intendere proferre istam orationem (verba consecrationis) eo modo, quo Christus instituit eam proferendam &c.* Ex quo Scotistæ famosi asserunt, Doctorem pro communi opinione stare. Nunc sit

337 III. Conclusio: *Probabilius est, Eucharistiæ Sacramentum validum esse, per hoc præcisè, quòd absolutè, & nullis aliis prætermis- sis, proferantur hæc verba: Hoc est Corpus meum.* Ita D. Bonaventura,

Alensis, fere omnis Thomistarum Schola, Mastrius cum pluribus Scotistis, in illam adducentibus Doct. Subt. Prob. 1. Ut verba constituantia formam hujus Sacramenti suum sortiantur effectum, seu ut ex vi verborum corpus Christi sub speciebus panis ponatur, sufficit, quòd in persona Christi proferantur; sed quòd ita proferantur, non pendet ex verbis antecedentibus in Canone, sed ex intentione Ministri: ergo. Prob. minor. Quamvis Sacerdos verba præcedentia præmittat, si tamen intentionem non habet ea proferendi eo modo, quo Christus instituit, & efficiendi, quòd Christus effecit, Sacramentum non conficitur: ergo ex intentione ea sic proferendi provenit, quòd proferantur nomine Christi, & consequenter non pendet hoc ex antecedentibus verbis. Patet autem ea proferendosine tali intentione, ea tantum proferret materialiter, & recitativè, sicut quando in Evangelio, vel in Epistola Pauli legit verba consecrationis; non verò formaliter, & significativè, ut necessarium est ad effectum Sacramenti. Prob. consequentiam: Eo ipso quòd proferantur ex intentione faciendi, quòd Christus fecit, sufficienter intelligitur ea proferre non tantum materialiter, & recitativè, sed etiam formaliter, & significativè; sed eo ipso loqueretur in persona Christi, ut videtur innegabile: ergo ex tali intentione provenit, & pendet, quòd proferantur nomine Christi: ergo cum talis intentio haberi possit sine prolacione præcedentium verborum, consequenter sine illis effici potest Sacramentum. Prob. secunda conclusio argumentis, & rationibus adversus præcedentem objectis.

338 Arg. adducendo omnes rationes, quibus probata est conclusio præcedens. Quibus respondeo, opus non esse, quòd verba sacramentalia ex vi propria, seu ex proprietate sermonis significant id, quòd consecratione efficitur, sed satis esse,

se, ut ex divina institutione id significant. Debet igitur forma sacramentalis esse sensibilis, non autem exigitur, quòd sensibili modo declaratur, esse prolata in persona Christi, dummodo Minister intentionem habeat ita illa proferendi. Unde licet verba consecrationis nudè, & absolutè prolata, abstrahenda ab institutione Christi, non significant ejus corpus, sed corpus proferentis: tamen si accipiantur, quatenus à Christo ad hunc effectum instituta fuerunt, corpus Christi, & non Sacerdotis significant; quia tunc Sacerdos loquitur non in sua, sed in Christi persona. Nec est par ratio de exemplo adducto de doctrina Christi: nam verba illa, *doctrina mea &c.* non sunt à Deo instituta, ut quoties proferantur, ut vera, proferantur in ejus persona, sicut instituta sunt verba sacramentalia. Patet hoc exemplo: si Rex statueret aliqua verba, quæ, quoties à Regio Senatu dicerentur, personam Regis representarent; hoc ipso, si postea verba illa à Senatu proferrentur absque aliis verbis, quibus significaret, se loqui in persona Regis, Senatus talia proferens verba eo ipso in actu exercito personam Regis representaret ex vi præcedentis institutionis. Ad locum D. Ambrosii dicitur, quòd licet illa præcedentia verba adducere, non sit de necessitate consecrationis, tamen est de necessitate præcepti, ut ipse Subt. Doct. alibi exponit. Neque Ecclesia, dum de defunctis Missæ docet, quòd semper ac fiat consecratio ad evitandum defectum in eodem Sacrificio, rursus incipitur ab illis verbis: *qui pridie &c.* intendit significare, quòd sine illis præcedentibus verbis Sacerdos non proferret verba consecrationis in persona Christi: sed id præcipit, ut servetur ritus, quo Ecclesia representat actionem Christi, & ea, quæ in ultima Cœna à Christo peracta sunt in consecratione, & institutione hujus Sacramenti. Unde licet ta-

lia verba non concurrant ad Sacramenti consecrationem, adhuc tamen omitti non possunt sine peccato mortali. Ad verba Subt. Doct. dicendum est, loqui tantum probabiliter dubitativè, non absolutè assertivè, ut manifestum apparet ex jam dictis.

339 Nunc dubitabis 1. *An verbum est debeat necessariè exprimi ad consecrationem?* Respondeo assertivè cum communi sententia contra Bernal disp. 39. de Euchar. sect. 2. Probatur: Deficiente verbo *est* non satis significatur actualis consecratio: ergo. Prob. anteced. Ablato verbo *est*, solum remanent illa verba: *hoc Corpus meum*; sed per talia verba non satis significatur actualis consecratio: ergo. Prob. min. Talia verba indifferentia sunt, ut sub illis intelligatur verbum *erat*, vel *erit*, vel *fuit*: non enim potius continetur sub illis verbum *est* de præsentis, quàm *fuit*, vel *erit* de præterito, & futuro, quidquid Bernal dicat; sed solum cum verbo de præsentis habetur actualis consecratio: ergo. Confirmatur: In indifferenti æqualiter ad duplicem partem una pars non continetur virtualiter potius, quàm alia; aliter non esset æqualiter indifferens; sed talia verba, ut ex eis liquet, æqualiter indifferentia sunt: ergo.

340 Arguit Bernal: Tunc sufficienter profertur forma consecrationis, quando juxta receptum loquendi modum satis explicatur, Sacerdotem loqui de præsentis; sed hæc verba: *Hoc Corpus meum* absque expresso verbo *est*, juxta communem loquendi modum Sacræ Scripturæ, & linguæ Latinæ sufficienter explicant; Sacerdotem loqui de præsentis, & non de præterito, nec futuro: ergo particula *est* non debet necessariè exprimi in forma consecrationis. Probo minor. quia in his locis Psal. 45. *Deus noster refugium, & virtus... Dominus virtutum nobiscum*, & in aliis similibus, verbum *est* supponitur, & subintelligitur, atque hic fit sensus.

sensus: *Deus est nostrum refugium, & virtus: Dominus virtutum est nobiscum*: ergo similiter in illis verbis: *Hoc corpus meum*, sensus est: *Hoc est corpus meum*, & consequenter, ablato ab illis verbo *est*, salvatur essentialis forma consecrationis.

341 Respondeo, negando minorem, & ad probationem nego consequentiam, & paritatem. Etenim in relatis Sacrae Scripturae verbis, & in aliis similibus locis suppleri potest particula non expressa, & non ita in consecrationis forma. Ratio est manifesta; quia verba in consecratione ita proferri debent, & esse de tempore presente, ut ex institutione Christi, & ex vi verborum formalium significetur actualis transubstantiatio. At verò in aliis locis parum refert, quòd verba intelligantur de praterito, vel futuro; quia in quocumque tempore vera sunt. Quin potius oportet, supradicta sacra loca in omni tempore intelligere: atque adeo sic mysteriosè posita sunt, ut intelligatur de presenti, praterito, & futuro, *Deum esse, fuisse, & futurum esse, nostrum refugium, & nostram virtutem*.

342 Dub. 2. *Quomodo particula enim necessaria sit?* Respondeo, necessariam non esse essentialiter, sed tantum necessitate præcepti Ecclesie. Prob. 1. pars; Talis particula prætermissa fuit ab Evangelistis, solusque Matthæus illam apposuit referendo consecrationem calicis; sed credendum non est, sacros Scriptores, historiam consecrationis referentes, aliquid essentialis omisisse; ergo. Deinde: Hæc verba: *Hoc est corpus meum* sufficienter significant, corpus Christi poni sub speciebus panis, ut dictum est: ergo. Secunda pars sententia est communis apud Theologos ex perpetua, & universali Ecclesie consuetudine. Unde, qui scienter particulam enim in consecratione omittet, proculdubio gravissimè peccaret: Tum; quia procederet contra Ecclesie universalem consuetudinem;

Tum; quia non se conformaret cum facto Christi, qui illa usus est, saltem in calicis consecratione, ut Matthæus refert: Tum; propter significationem illius, & rationem ad quam ponitur.

343 Petes: Ad quid ponitur particula enim in consecratione? Respondet Subt. Doct. 4. dist. 8. quæst. 2. num. 4. quòd ponitur, tanquam conjunctio continuans formam cum verbis antecedentibus: qui pridem, quàm pateretur. Angel. Doct. dicit, talem particulam poni, ut designetur, panem esse consecratum ad usum nostrum, nempe, ut illum accipiamus, & sumamus. Bernal dicit, poni in sensu affirmativo, quasi æquivalenter his adverbis *certè, verè, profecto*. Ego sentio, quòd propter istas omnes simul rationes ponitur particula enim.

344 Arg. Particula enim prolata fuit à Christo, & intermixta verbis essentialibus consecrationis: ergo necessaria est essentialiter, & non tantum necessitate præcepti Ecclesiastici. Antecedens constat ex Matthæo, qui in calicis consecratione illam à Domino prolatam refert. Nego consequentiam. Etenim non omnia verba, quæ Christus protulit, quando consecravit, sunt forma essentialis consecrationis, sed posita sunt propter immediatè supra expressum, & ad majorem explanationem verborum essentialium. Unde sic instatur opposita ratio: ex nullo Evangelista constat, Christum in panis consecratione talem apposuisse particulam; sed non est, nec esse potest, major ratio, cur sit essentialis forma in consecratione calicis, aut sanguinis, quàm in consecratione corporis: ergo si in consecratione panis non ingreditur essentialiter, pariter nec in consecratione calicis.

QUES.

QUÆSTIO VIII.

Quam sit forma essentialis consecrationis Calicis?

345 **N**on levem aggredimur controversiam. Pro ejus clariori examine advertendum est 1. quòd necessariò, ad minus necessitate præcepti gravis, in Ecclesia Latina proferenda sunt in consecratione Calicis cum debita intentione omnia verba hæc: *Hic est enim Calix sanguinis mei, novi, & æterni Testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Ubi ly *calix* usurpatur metonymicè, seu per figuram metonymiam, nempe, prore in calice contenta, eo modo, quo dicitur: *Bibe calicem vini*, id est, *vinum contentum in calice*. Advertendum est secundò eodem modo discurrendum esse de illis verbis antecedentibus: *simili modo postquam &c.* ac de illis: *qui pridem &c.* ante consecrationem panis, juxta dicta quæst. antecedenti. Advertendum est 3. extra dubium esse, quòd verba hæc: *Hic est calix sanguinis mei*, vel eis æquivalentia, nempe, *hic est sanguis meus*, sunt simpliciter de essentia calicis, sicut sunt de essentia consecrationis panis illa verba: *Hoc est corpus meum*. Quapropter, illis omissis, estò omnia alia proferantur, nullum erit Sacramentum: illis enim verbis fit, & significatur, vinum esse in Christi sanguinem conversum, sicut his verbis: *Hoc est corpus meum*, fit, & significatur, panem in Christi corpus esse conversum. Unde solùm de sequentibus illis verbis: *novi, & æterni Testamenti &c.* remanet dubium: an, nempe, adeo essentialia sint consecrationi calicis, ut sine illis calicis consecratio non fieret?

346 Circa hæc difficultatem plures sunt opiniones. Ex quibus una asserit, verba illa, *qui pro vobis, & Tom. II.*

pro multis effundetur in remissionem peccatorum, esse essentialia: non verò alia intermedia, nempe; *novi, & æterni Testamenti*, sed ea ad majorem mysterii explanationem proferri. Ita Amicus, cui adhæret Pasqualigus. Alia opinio sustinet, solùm quatuor priora verba ad essentiam consecrationis pertinere: alia verò esse de ejus substantia, & integritate. Distinguit hæc opinio inter substantiam, & essentiam; atque adeo dicunt, multa esse substantialia, quæ non sunt essentialia. V. g. partes hominem integrantes, ut brachium, nasus &c. sunt de ejus substantia, & non sunt de ejus essentia. Sic Cajetanus cum aliis Thomistis apud Gonetum. Altera opinio fatetur, omnia verba, quibus utimur in consecratione calicis esse de essentia ipsius consecrationis: ita ut aliquo omnium verborum illorum omisso, non conficeretur Sacramentum. Sic frequenter sentiunt Thomistæ, Gonetus asserente, hanc sententiam conformiorem esse menti D. Thomæ. Contra omnes hos dicendi modos.

Sit Conclusio.

347 *Forma consecrationis calicis essentialiter consistit in solis illis verbis*: *Hic est calix sanguinis mei; vel in æquivalentibus*: *Hic est sanguis meus*. Sequitur, quòd sequentia verba tantum sunt necessaria necessitate præcepti in Ecclesia Latina. Ita Subt. Doct. 4. dist. 8. quæst. 2. quem sequuntur Scotistæ, quibus adhæret P. Berti, lib. 33. de Theologicis disciplinis cap. 7. ubi addit, D. Thomam adduci posse pro utraque parte, discipulosque ejus præstantissimos illum trahere ad nostrum sentire. Hæc etiam fuit sententia Alensis, D. Bonaventuræ, & est communior apud Doctores antiquos, & modernos, cum Antoine cap. 1. de forma Eucharistie. Et quidem D. Thomas pro nobis videtur expressè stare, dum pertractans de forma consecrationis artic.



uc. 3. sic ait : *cum dicitur : Hic est calix sanguinis mei , significatur ipsa conversio vini in sanguinem , sicut in forma consecrationis .* Nec facile Adversarii nostrae sententiae adhaerere poterunt , D. Thom. in suum sentise.

348 Probatur jam nostra conclusio 1. auctoritate SS. PP. qui nulla alia verba pro forma assignant: nam D. Ambros. lib. 4. de Sacram. cap. 6. & apud Cyprianum Serm. de Coena Domini aperte docet, quod solum his verbis : *Hoc est corpus meum , & illis : Hic est calix sanguinis mei consecratur panis , & vinum , & in corpus , & sanguinem Domini convertuntur .* Idem ferè eisdem verbis repetit Justinus Apologia 2. ad Antoninum Imperatorem , & Innocent. III. lib. 4. de Myst. Missae , cap. 6. Confirmatur ex Lyturgiis Græcorum ; nam Arcudius refert lib. 3. cap. 26. quod forma consecrationis apud Græcos sunt hæc certa , determinata , eaque sola verba : *Hoc est corpus meum ; & Hic est sanguis meus ,* quæ , inquit , sunt verba Salvatoris . Idem asserit Lugo disp. 11. sect. 4. num. 6. ubi loquens de Lyturgiis Maronitarum , inquit , quod istæ formæ : *Hoc est corpus meum : Hic est sanguis meus ,* expressè sunt in Missali quodam Maronitarum , à monte Lybano Romam misso , ipsique tradito à perdocto viro , Victorio Abbate S. Gregorii , natione Maronita , & in Roma à multis annis linguarum publico interprete . Ex quo sic : ergo verba omnia , quæ in calicis consecratione proferuntur à Sacerdotibus Ecclesie Latine , non sunt de essentia formæ . Patet evidenter : aliàs nec Græci , nec Maronitæ sanguinem Christi consecrarent , quod dicere absurdum esset .

349 Prob. secundò ratione valde efficaci : Non est credibile , Evangelistas omisisse formam debitam ad valorem hujus Sacramenti , diu de illius loquuntur institutione : imò oppositum est censendum ; sed ea ver-

ba , quæ diximus , esse de essentia consecrationis , ab omnibus ponuntur : alia verò , quæ sequuntur , vel à nullo , vel saltem non ab omnibus : ergo . Prob. minor . Nam Matth. cap. 26. refert , Christum dixisse : *Hic est enim sanguis meus novi Testamenti , qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum .* Marc. cap. 14. *Hic est sanguis meus novi Testamenti , qui pro multis effundetur .* Lucas cap. 22. *Hic est calix novum Testamentum , qui pro vobis fundetur .* Ubì perspicuum est , omnes convenire in substantia hujus formæ : *Hic est sanguis meus : vel , hic est calix sanguinis mei ,* sed non omnes in aliis convenire : nam Matthæus omittit , *pro vobis* : Marcus , & Lucas omittunt enim : Lucas omittit : *qui pro multis effundetur : & omnes omittunt : eterni , & Mysterium fidei* : ergo solum verba , in quibus conveniunt omnes , erunt de essentia formæ , & non alia : vel Evangelistæ defecerunt in traditione formæ , quod dicendum non est .

350 Confirmatur , tum : sensus perfectus , & substantialis consecrationis calicis ita consistit in his verbis : *Hic est sanguis meus ,* sicut in consecratione corporis in illis : *Hoc est corpus meum ;* sed solum hæc verba essentialiter constituunt consecrationem panis : ergo & illa sola consecrationem sanguinis . Tum , & specialiter contra asserentes , illa verba : *qui pro vobis effundetur ,* essentialia esse : In panis consecratione solum sunt necessaria ea verba : *Hoc est corpus meum ,* & non illa : *quod pro vobis tradetur* : ergo neque in forma consecrationis calicis necessaria sunt ea verba : *qui pro vobis effundetur .* Patet consequens ex pari , & identica ratione : nam æquè Christus ea verba usurpavit in utriusque speciei consecratione . Explicatur : non alia de causa in panis consecratione verba illa necessaria non sunt , quamvis in Ecclesia Græca addantur , nisi quia à Sacerdote proferuntur merè re-

recitativè : siquidem corpus Christi verè non tradetur amplius , sed jam fuit traditum : at verò essentialia verba consecrationis significativè præsertim proferri debent à Sacerdote , nempe , ita ut verificentur de præsentia , & non tantum recitativè , seu referendo , quod fuit dictum , vel factum , ut dicemus ; sed omnino par est ratio in calicis consecratione de illis verbis : *qui pro vobis effundetur ,* quæ solum recitativè dicuntur : nam Christi sanguis verè non effundetur , sed jam fuit effusus : ergo .

351 Probatur 3. urgenter : Sola illa verba sunt de essentia consecrationis calicis , quæ sufficienter significant præsentiam sanguinis Christi sub speciebus vini , ut est innegabile ; sed sola illa verba : *Hic est calix sanguinis mei ,* vel : *Hic est sanguis meus ,* id sufficienter significant : ergo . Prob. minor . Illa verba significant , quod sub vini speciebus continetur sanguis Christi ; sed in tali significatione tota Sacramenti essentia consistit : ergo . Prob. maj. Quia verba illa sunt vera , & ex divina institutione efficiunt , quod significant . Explicatur : non sunt minoris efficaciam in consecratione calicis verba illa : *Hic est sanguis meus ,* quam in consecratione panis ista : *Hoc est Corpus meum :* ergo sicut hæc sufficienter ad conversionem panis in corpus Christi , quin illa sequentia : *quod pro vobis tradetur* sint ad hoc necessaria essentialiter , pariter ad conversionem vini in sanguinem necessaria non sunt sequentia verba : *qui pro vobis effundetur &c .*

352 Ad has rationes , quæ , dubitante nemine , validissimæ sunt , ac efficacissimæ , plures , & varias adducunt Adversarii solutiones , quas Authores nostri , & etiam extranei referunt , ac rejiciunt sigillatim . Censeo tamen , omnes illas facile ex probationibus , & paritatibus pro conclusione nostra exaratis , posse refelli : ob quod , & quia etiam infrat-

Tom. II.

gentur argumentorum solutione , non amplius in earum particulari impugnatione moror .

Solvuntur Argumenta .

353 Arg. 1. Omnia illa verba , quæ , salva Sacramentorum essentia , non possunt prætermitti , censenda sunt de essentia formæ consecrationis calicis ; sed Ecclesia Latina censet , nihil eorum posse prætermitti ad salvandam essentiam Sacramenti ergo . Major constat : nam quæ de essentia formæ non sunt , prætermitti possunt , quin essentialiter deficiat Sacramentum . Prob. min. Tum ; quia Ecclesia vult omnia illa verba à Sacerdote proferri eodem modo , & eodem ritu , calicem in manu tenente , & omne hoc antequam calix ostendatur adorandus populo : ergo censet , ea omnia verba esse de essentia consecrationis calicis . Tum ; quia omnia illa verba notantur in Missali characteribus majusculis . Tum , Ecclesia jubet , quod si aliquid ex illis verbis fuerit omissum , ex integro forma repetatur : ergo .

354 Respondeo , negando minorem , & consequentiam probationis . Ex quo enim omnia verba formæ calicis eodem ritu proferantur , in Missali notis majusculis imprimantur , & postea omnibus eis verbis prolatis , & non antea , calix exponatur adorandus populo , non convincitur , ea omnia esse de essentia formæ , sed tantum convincitur , sub præcepto sic , & non aliter proferenda esse . Patet manifestè ; quia particula *enim* eisdem litteris majusculis notatur , & eodem ritu proferitur ; & tamen sentiunt omnes , non esse de essentia formæ . Item , in forma absolutionis eodem tenore , & ritu proferuntur illa verba : *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris &c .* & tamen particula *ego* , & ultima verba essentialia non sunt . Nec quod Ecclesia præcipiat , quod si aliquid fuerit omissum , forma ex integro repetatur ,

V 2

pro-

probat ea omnia verba necessaria esse necessitate Sacramenti, sed tantum necessitate præcepti juxta Ecclesie consuetudinem. Ostendit utique hoc sollicitudinem, & cautelam Ecclesie in Sacramentis conficiendis securiora sequentis, & dubium omne repellentis. Unde cum multi DD. doceant, omnia illa verba, & præsertim, quæ sanguinis effusionem significant, necessaria esse essentialiter ad calicis consecrationem, prudentissimè studet, ut in re omnium maxima, qualis est Eucharistia, nullum prorsus dubium supersit. Propter hoc etiam præcipit, quod si, consecratione facta, Sacerdos inveniat, formam non esse prolatam supra debitam materiam, eodem ritu, & actionibus incipiat ab illis verbis: *qui pridie, quàm pateretur &c.* ad consecrandam hostiam, & ab illis: *simili modo &c.* in calicis consecratione: & tamen, juxta Adversarios, illa præcedentia verba non sunt essentialia formæ. Ex quo argumentum validè potest instari.

355 Replicabis: Quia in Concilio Coloniensi part. 7. 6. 14. Omnia verba, quæ sunt in Missali, ponuntur pro forma calicis, & docetur, quod ex omnibus illis verbis conficitur Sacramentum. Idem docetur in Florentino. Accedit Catechismus Romanus, jussu S. Pii V. editus, in quo ea omnia verba simul assignantur pro forma consecrationis calicis. Unde idem Pontifex jussit expungi illam Cajetani Commentariorum partem art. 3. quæst. 78. qua deserens sententiam D. Thomæ, affirmabat veram nostram opinionem: ergo censuit hic Pontifex, omnia ea verba esse de essentia calicis.

356 Respondeo, in Concilio Coloniensi, quod utique non est generale, non affirmari, omnia illa verba esse de essentia formæ, sed tantum, quod in eis contineatur forma, quæ à Christo fuit instituta: & quod ex consuetudine, & præcepto Ecclesie omnia sunt præferenda. Stat

enim Ecclesia Latina in possessione illius formæ, & ideò eam retinere prudentissimè statuit. In Florentino solum dicitur, formam hujus Sacramenti esse verba, quibus Salvator noster illud confecit: non tamen decernit, quæ, & quot sint de essentia Sacramenti. Idem, & non aliud asseritur in Catechismo Romano. Præterea, plures DD. asserunt, quod in hac parte Catechismus compositus fuit à Thomistis illius opinionis, & quod Pontifex illam, ut probabilem, approbavit. Et dum dicitur, quod Pontifex jussit expungi à libris Cajetani dissensionem à doctrina S. Thomæ, non fuit quidem, quoad punctum hujus controversiæ; sed quia non satis reverenter scripsit de mente D. Thomæ: aliàs etiam jussisset corrigi tot alios insignes Theologos, qui nostram docuerant, & docebant opinionem, inter quos etiam ipse Thomas numeratur à pluribus, etiam Thomistis, ut dictum est in conclusione, cujus primam probationem videbis pro ampliori captu, & solutione.

357 Arg. 2. In Baptismo illa verba: *Ego te baptizo*, significant totum effectum Sacramenti, qui est ablutio spiritualis; sed hoc non obstante, ante prolationem illorum verborum: *in nomine Patris &c.* non fit ablutio Sacramentalis, ob quod sunt de essentia Sacramenti Baptismi: ergo quamvis illa verba: *Hic est Calix sanguinis mei* habeant perfectum sensum; tamen ad causalitatem, & essentiam formæ consecrationis sanguinis requiruntur alia verba sequentia, quibus passionis Christi beneficium explicetur. Confirmatur: Illa vox *Calix* non est simpliciter necessaria: nam potest dici: *Hic est sanguis meus*; sed hoc non obstante, concurrunt de facto, ut essentialiter necessaria: ergo similiter illa verba essentialiter concurrunt, quamvis non compleant perfectum sensum verborum. Urgetur: Lucæ 22. verba posteriora interponuntur prioribus, hoc modo: *Hic calix novum testamentum*.

est in meo sanguine, quod etiam legitur apud Paulum: ergo signum est, quod omnia illa verba pertinent ad essentiam formæ, cum interponantur verbis significantibus conversionem sanguinis.

358 Respondeo, negando absolute majorem. Nobis itaque constat, Christum illam formam instituisse in Sacramento Baptismi, in qua, juxta omnes, fiat expressa invocatio personarum SS. Trinitatis, hocque esse essentialia formæ Baptismi. Quare hoc voluerit Dominus? dictum est, dum de Baptismo egimus. Cum autem effectus Sacramenti, etiam juxta omnes, non habeatur, quin tota ejus forma perfectè proferatur, hinc est, quod per illa præcisè verba: *Ego te baptizo*, non fit Baptismi Sacramentum, nec ejus consequitur effectus. In nostro autem casu est ab opposito: nam nobis certitudinaliter non constat, Christum omnia illa verba instituisse pro essentiali forma consecrationis calicis: & aliunde illa sola à nobis assignata adæquatè significant conversionem sanguinis, sine sequentibus verbis. Ex quo magno cum fundamento deducimus, talia verba necessaria non esse ad essentiam Sacramenti, quod in tali conversione consistit.

359 Ad confirmationem neg. consequentiam. Quamvis enim illa vox *calix* absolute necessaria non sit; quia posset dici: *Hic est sanguis meus*: de facto tamen, & semel quod forma sic proferatur, concurrunt ut essentialiter requisita. Ratio est; quia verba consecratoria facere debent sensum conversivum, qui sensus sine illa sufficienter non explicaretur cum illo genitivo: *Sanguinis mei*, ut per se est constans. Unde essentialiter requiritur, vel quod ponatur *sanguis meus* in recto, vel aliud rectum cum *sanguine*, dum hic ponitur in obliquo. Ex quo ad urgentiam dico, quod si illa verba: *Hic calix est in meo sanguine*, generant perfectum sensum conversionis vini in sangui-

nem, tunc in prædicta forma Lucæ, & Pauli verbum illud: *novum Testamentum*, non est pars essentialis formæ: erit verò, si perfectum sensum non generet. Et si roges: an talem perfectum sensum generent, necne? non est consensus Theologorum unanimes. Alii, & quidem magno nominis, affirmant, & dicunt, quod etiam sine illis verbis: *novum Testamentum*, significatur præsentia sanguinis, si dicatur: *Hic est calix in sanguine meo*: nam perinde est, ac si diceretur: *Hic est calix sanguinis mei*. Nec magis significativa sanguinis sunt hæc verba: *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine*, quam ista alia: *Hic calix est in meo sanguine*: nam *ly novum Testamentum*, nec est sanguinis significativum, nec ad hoc significandum est impositum. Verba igitur, quæ sanguinem sacramentaliter significant, sunt illa: *Hic est calix in meo sanguine*, super quæ præcisè fundatur significatio Sacramentalis. Nec refert, quod Lucas, & Paulus illa referant, ut asseratur, essentialiter pertinere ad rationem formæ: quia etiam Matthæus cum verbis prioribus interponit particulam *enim*, quæ tamen in omnium sententia non est de essentia formæ. Alii, inter quos Mastrius, negant, & respondent per doctrinam præstitam ad confirmationem. Dicunt enim, quod quamvis illud, *novum Testamentum*, non sit essentialiter requisitum, si *sanguis* diceretur in recto: tamen in illis verbis: *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine*, concurrunt, ut essentialiter; quia sine illo sufficienter non explicatur prædictus sensus, posito *sanguine* in ablativo. Unde in qualibet forma illæ particulæ sunt essentielles, sine quibus sensus formæ non subsistit, qui sensus colligendus est ex modo, quo una particula construitur cum alia, quam determinat. Et sicut diversimodè posita potest ad aliud, & aliud referri, ita facit ad aliam, & aliam significationem.

Utraque doctrina tuta est, ac sumdata.

360 Arg. 3. Verba illa: *novi, & æterni Testamenti*, & illa: *qui pro vobis effundetur* &c. pertinent ad eandem orationem cum præcedentibus, & cum illis unam complent propositionem: ergo pertinent ad eandem formam Sacramenti: nam hoc ipso ad integrandum unum sensum pertinent. Prob. anteced. & 1. de illis verbis: *novi, & æterni Testamenti*, quæ quidem sunt determinationes illius prædicati, *sanguinis mei*; sed determinatio, & determinabile ad eandem orationem pertinent: ergo. Minor constat; quia sine illis sensus præcedentium verborum, nempe, *hic est calix sanguinis mei*, incompletus est, & suspensus, quoadusque alia verba proferantur: igitur sicut illa verba: *Calix sanguinis mei* sunt de essentia formæ, illa pariter: *novi, & æterni Testamenti*. Prob. illud antecedens de illis verbis: *qui pro vobis effundetur*: nam ratione illius relativi *qui*, ad eandem pertinent orationem, ad quam spectat antecedens, scilicet: *calicis sanguinis mei*; sed illud antecedens est de forma essentiali consecrationis calicis: ergo & illud consequens: *qui pro vobis effundetur*.

361 Respondeo, negando, omnia verba, quæ determinant prædicatum, & ad eandem orationem pertinent, esse de essentia formæ, aut ad ejus rationem formalem pertinere: alioquin in sacramentali absolute verba illa: *in nomine Patris* &c. quæ determinant prædicatum formæ hujus Sacramenti, essent de ejus essentia, quod falsum est. Sola igitur verba, quæ determinant prædicatum ad conversionem vini in sanguinem, sunt de essentia formæ calicis. Quare sicut in consecratione panis illa verba: *quod pro vobis tradetur*, (quæ verba in forma à Paulo tradita inveniuntur, & quibus Græci in panis consecratione utuntur) determinant

illud prædicatum: *corpus meum*, quia propter hoc pertineant ad integritatem, & essentiam formæ; ita pariter dicendum est de illis verbis: *novi, & æterni Testamenti*, & de illis: *qui pro vobis effundetur* &c. Et cum dicitur, propositionem, & ejus sensum manere suspensum, donec verba omnia in propositione contenta proferantur; intelligendum est hoc de verbis eam determinantibus ad aliquid essenziale, non ad aliquid accidentale. Ratio est; quia quando verba sequentia sensum essentialem propositionis non variant, sed solum deserviant ad illum magis explicandum, tunc priora verba suam habent veritatem ante posteriorum prolationem. Ut si quis baptizans adderet: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, præcedentia ab utroque*, tunc effectus Baptismi haberetur ante prolationem illius vocis: *procedentis ab utroque*. Sic in proposito est dicendum.

362 Instant Adversarii, quod præter verba significantia conversionem vini in sanguinem, necessaria sunt alia, quæ determinant formam consecrationis ad significandum sanguinis effusionem, & quod illa conversio, & effusio sint in peccatorum remissionem. Ratio est, inquit; quia natura Eucharistiæ nedum constat ex ratione Sacramenti, sed etiam ex ratione Sacrificii, cujus natura exprimi non potest, nisi per sanguinis effusionem, sicut nec natura Sacramenti, nisi per sanguinis præsentiam: Igitur utraque verba erunt de essentia formæ calicis, & quæ sanguinis præsentiam sub speciebus, & quæ sanguinis effusionem significant, & hoc in peccatorum remissionem.

363 Respondeo, negari posse quamoptimè, naturam Eucharistiæ essentialiter constare ex ratione Sacramenti, & simul ex ratione Sacrificii: nam licet de facto ex divina institutione, Eucharistiæ Sacramentum, & Sacrificium Missæ, simul con-

conjungantur: hoc tamen non est de intrinsicæ illius ratione, sed possunt separari, ut est evidens, cum vera sit ratio Sacramenti sub una tantum specie. Unde non requiritur essentialiter, quod in consecrationis forma hoc mysterium explicetur, ut representans Sacrificium cruentum, & hoc fieri; tamquam ejus effectum in remissionem peccatorum: alioquin nec in consecratione panis debuissent omitti verba, quibus Christus suam expressit passionem, dicens: *quod pro vobis tradetur*, & quidem ejus corpus traditum est in remissionem peccatorum, non minus, quam ejus sanguis fuit effusus. Ergo sufficit ad Sacramenti valorem, quod sub speciebus panis, & vini explicetur præsentia corporis, & sanguinis Domini, quod utique fit sine præteritis verbis.

364 Deinde, gratis permittendo, rationem Sacrificii necessariò conjunctam esse Sacramento Eucharistiæ, respondeo, negando, præter consecrationis verba, necessaria esse alia significantia effusionis sanguinis: talis namque significatio ponitur sufficienter, eo ipso, quod sanguis ex vi verborum ponitur sub speciebus vini separatus à corpore. Ratio est; quia hoc ipso, quod ex vi verborum significetur separatio sanguinis à corpore, sanguinis effusio significatur, ac proinde adest Sacrificii cruenti representatio. Quapropter in hoc Sacramento ratio sacrificii, & representatio passionis Domini exprimitur per sacramentalem separationem corporis à sanguine, & sanguinis à corpore, quæ significatio est major, & expressior, quam per verba: eo vel maximè, quia non consistit, nec constat ex verbis, sed ex rebus. Unde ad illud exprimendum verba necessaria non sunt, sed res sufficienter.

365 Petes: cur verba illa: *qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum* exprimentur in consecratione calicis, & non exprimentur talia, aut similia in consecratione cor-

poris, quod pro nobis traditum est, & in quo Christus passus est in redemptionem, & remissionem nostrorum peccatorum? Respondeo, hoc non esse, quia verba passionem significantia necessaria sint, sed solum propter aliquas congruentias. Ex pluribus, quæ adduci solent à Patribus, & Doctoribus, prima ratio congruentiæ, & mihi principalior, *cur Ecclesia præcipiat, in consecratione calicis proferri omnia ea verba passionem significantia, & sanguinis effusionem in remissionem peccatorum?* assignata est supra in solutione primi argumenti. Secunda est; quia in consecratione calicis fecit Christus memoriam novi Testamenti. Testamentum autem sanguine confirmari debuit: atque ideò oportuit, sanguinem effusum explicari. Tertia est; quia aptior est sanguis effusus ad passionem, & necem representandam, quam corpus: & ideò SS. Martyrum passio rubro, ac sanguineo colore celebratur. Quarta, quia mors Christi nondum completè representatur, donec corpus seorsim ex vi verborum, & sanguis seorsim etiam proponantur: tunc enim separatio unius ab alio completè exprimitur. Cum igitur satis esset, passionem Christi commemorare, magis congruum fuit hoc facere in consecratione calicis, quando jam corpus, & sanguis posita, & proposita sunt seorsim ex vi verborum, quam in corporis consecratione, quando, & in qua illa separatio nondum exprimebatur completè.

QUÆSTIO IX.

Quomodo verba consecrationis proferri debeant à Sacerdote?

366 **T**ripliciter possunt consecrationis verba proferri, nempe, *materialiter tantum*, & *recitativè*; *formaliter tantum*, & *significativè*; & *materialiter*, & *simul formaliter*, aut *recitativè simul*, & sig-

significativé. Tunc proferuntur verba recitativé, seu materialiter, quando proferens non intendit asserere, vel negare, quod illa asserunt, vel negant, sed solum intendit illa referre, ut ab alio enuntiata. Ut dum quis ait: *Aristoteles dixit, mundum esse ab æterno*. Vel dum in Evangelio legit illa Christi verba ad Petrum: *tu es Petrus, & super hanc petram &c.* Ubi, qui talia verba recitat, nihil significat, vel nihil asserit, sed solum illa profert, ut dicta ab aliis. Proferuntur verba formaliter, significativé, & enuntiativé, quando proferens intendit asserere, vel negare, quod verba asserunt, vel negant vi suæ significationis: ut dum quis enuntiat assertivé: *Deus est omnipotens*. Utroque modo verba proferuntur, quando proferens, & illa recitat, & per illa significat, juxta explicationem datam. Et supponendum est, omnes Theologos in eo convenire, quod verba antecedentia consecrationi, scilicet: *Accipite, & manducate: & bibite ex eo omnes*: pariter verba illa consequentia: *Hec quotiescumque feceritis &c.* recitativé tantum, seu historicé, proferri à Sacerdote. Unde solum de verbis consecrationis excitatur controversia præsens.

367 Circa quam triplex est sententia. Asserit prima, talia verba recitativé solum, & materialiter à Sacerdote proferri. Pro hac sententia citantur plures Doctores antiqui, inter quos Gonetus enumerat Innocentium III. lib. 4. de Eucharistia. Secunda sententia per oppositum docet, talia verba proferri à Sacerdote formaliter tantum, & significativé: Sic Marsilius cum Amicō, & aliis. Tertia medians inter has duas extremas, sustinet, utroque modo proferri, formaliter, nempe, & recitativé. Est dicere, quod Sacerdos nedum narrat in consecratione, qualiter verba à Christo Domino dicta sunt, sed simul intendit ea proferre, ut vera, atque eadem intentio-

ne, & efficacia, qua Christus protulit illa: & hoc est talia verba proferre recitativé simul, & formaliter. Hæc est sententia communior inter Theologos, quam docuerunt Doct. Angel. Seraph. & Subtil. cum suis discipulis. Hos sequendo Magistros:

368 Sit conclusio: *Verba consecrationis proferri debent à Sacerdote recitativé simul, & significativé*. Ita Angel. Doct. super cap. 26. Math. inquit: *dicendum, quod recitativé dicuntur, & simul significativé*. Subt. Doct. postquam desseruit de sensu formæ consecrationis in 4. dist. 8. quæst. 2. docet sub num. 25. *Quod Minister debet proferre verba consecrationis eo modo, quo Christus instituit eam proferendam, & sic habetur intentio debita: ergo juxta Doctorem verba illa proferuntur, non tantum recitativé, ut à Christo dicta, sed etiam significativé cum eadem intentione, cum qua Christus illa protulit, & voluit à Sacerdotibus proferri*. Prob. prima conclusionis pars: verbum illud, *dicens*, ponitur in Canone immediatè ante verba consecrationis: ergo verba hæc proferri debent à Sacerdote recitativé. Patet, quia Sacerdos expressè narrat, verba illa fuisse à Christo prolata, cum dicit: *Benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, & manducate; hoc est corpus meum*: aliquid namque recitativé proferri aliud non est, quam proferri, ut ab alio dictum.

369 Dices: Verba præcedentia recitativé solum proferuntur: sed forma ipsa tantum enuntiativé, & in persona Christi. Contra; quia hoc sine fundamento dicitur, & contra Canonis tenorem asseritur: nam per participium: *dicens*, eodem modo continuantur verba antecedentia cum verbis formæ consecrationis, cum eodem modo, idemque Christus referatur protulisse antecedentia verba, ac ipsa verba formæ. Hoc idem patet, ex consequentibus verbis, que

sub-

subjunguntur post consecrationem sanguinis: *hic est pro vobis, et pro multis, effundetur &c.* quæ verba, cum intelligantur de effusione reali, quæ facta est jam, & faciendâ erat in passione, solum referuntur, prout tunc dicta à Christo. Nec congruum videtur, sensum illius narrationis, & recitationis ita abrumpi, ut verba antecedentia, & consequentia referantur, tamquam dicta à Christo, & verba illa intermedia: *Hoc est enim corpus meum: Hic est enim calix sanguinis mei*, veluti præcedantur à narratione, & non referantur, tamquam dicta à Christo: ergo verè omnia illa narrantur, & referuntur, atque ita recitantur, seu recitativé dicuntur.

370 Probatur secunda conclusionis pars, nempe, verba consecrationis proferri à Sacerdote non tantum recitativé, & historicé, sed etiam formaliter, & significativé, aut enuntiativé: tum; quia Sacerdos, quando consecrat, de illa re, quam in manibus tenet, seriò affirmat, *esse corpus Christi, esse sanguinem Christi*; sed hoc est, formam significativé proferre: ergo. Tum; quia ex mera verborum recitatione non colligitur præsentia corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia, quod omnino necessarium est: ergo ut hoc colligatur, proferri debent significativé. Antecedens constat: nam verba recitativé præcisè, & historicè prolata solum referunt Christi factum, & solum significant id, quod Christus in manibus habuit, post eorum prolationem esse corpus, & sanguinem suum; non autem id, quod Sacerdos habet in manibus suis, esse corpus, & sanguinem Christi. Tum; quia in Concil. Florentin. & Trident. dicitur, quod Sacerdos in Christi persona loquens hoc conficit Sacramentum. Si verò hæc verba recitativé tantum proferat, utique hoc Sacramentum non conficeret, loquens in persona Christi, sed in propria persona. Patet hoc: nam qui

Tom. II.

tantum recitat verba alterius, non loquitur in persona illius, cujus verba recitat, sed in propria persona. Ratio est; quia recitatio est actus ipsius recitantis, & non ejus, cujus verba recitantur. Quamvis enim verba, vel gesta, quæ narrantur, & referuntur, sint alterius actus, tamen actus, quo illa narrantur, & referuntur, recitantis, & narrantis est proprius.

371 Respondent, dupliciter dici posse, aliquem loqui in persona alterius: vel ut in se eam repræsentet, & in ea loquatur: sicut qui in scena repræsentat personam Principis, & in ea loquitur, ac si Princeps ipse loqueretur. Vel ita ut locutione alterius loquatur, & per eam efficiat, quidquid alter efficeret, loquendo, scilicet, per virtutem sibi ab eo communicatam. Hoc secundo modo, inquit, loquitur Sacerdos in persona Christi, dum hoc Sacramentum conficit per sibi communicatam potestatem, sicut etiam conficit alia Sacramenta per potestatem sibi communicatam, ad quod sufficit, quod verba recitativé tantum proferat. Sed contra: Juxta Concilia, & PP. Sacerdos peculiari modo loquitur in persona Christi, dum hoc conficit Sacramentum, ac dum reliqua conficit, ut est extra dubium, & jam pluries manet stabilitum: ergo cum certum sit, Sacerdotem alia Sacramenta conficere nomine Christi, hoc est, virtute, & potestate sibi à Christo communicata, consequens est, ut Sacerdos peculiari nomine, ac titulo, loquatur in persona Christi in hoc Sacramento conficiendo, quo in conficiendis reliquis non loquitur: ergo loqui debet in persona Christi primo modo, nempe, exprimendo, & repræsentando illius personam: non autem secundo modo tantum: sic enim etiam in aliis conficiendis Sacramentis loquitur in persona Christi. Et quidem, si Sacerdos non loquatur in persona Christi primo modo, ita ut eam repræ-

X

sen-

sentet, & induat eo modo, quo quis in trágedia personam Principis representat, & in ea loquitur, sed tantum secundo modo, sicut Minister dicitur, loqui verbum Regis per potestatem ab eo sibi communicatam, plané sequitur, quód Sacerdote dicente: *Hoc est corpus meum*, ly *meum*, non ad Christi, sed ad loquentis corpus referretur. Et est ratio; quia quamvis loquatur virtute, & potestate à Christo communicata, adhuc censetur, ea verba proferre in propria persona, sicut profert aliorum Sacramentorum formas: ut quando dicit: *Ego te absolvo: Ego te baptizo*; tunc reverá ipse est, qui absolvit, & qui baptizat, licet auctoritate à Christo accepta, & communicata. Est ergo magnum discrimen inter hoc, & alia Sacramenta.

372 Arg. 1. pro prima sententia: Si verba consecrationis significativé proferantur à Sacerdote, sequeretur, quód dum diceret: *Hoc est corpus meum*, significaret, illud esse corpus suum, quod quidem falsissimum est: & pariter forma sanguinis etiam esset falsa, dicendo illa verba: *Qui pro vobis effundetur*; quia cum ibi sermo sit de effusione cruenta, ut communiter intelligunt Patres, talis effusio jam facta est in Christi passione: ergo ut illa verba verificari possint, recitativé solum debent proferri. Confirmatur: Alia verba, tam antecedentia formam, videlicet: *accipite, & manducate; bibite ex eo omnes*, quam consequentia, nempe; *qui pro vobis effundetur*, juxta omnes, recitativé solum, & non significativé dicuntur: ergo verba intermedia sic, & non aliter proferuntur. Probo consequentiam: quia verisimile non est, Sacerdotem in eodem orationis contextu quandoque materialiter tantum, & recitativé, quandoque formaliter, & significativé loqui, ut dictum est à simili in probatione primæ partis conclusionis; nec assignari potest facile ulla ratio disparitatis: ergo Ur-

getur: Non est verisimile, Authores, sequentes primam opinionem, numquam consecrasset, dum non intendunt proferre formam, nisi recitativé; sed hoc necessarió sequeretur: ergo signum est, quód illa sic dicere sufficit ad validam consecrationem. Hoc est illorum princeps fundamentum.

373 Respondeo, quód, si verba præcedentia: *qui pridie quám pateretur &c.* necessaria sint, ut Sacerdos nomine Christi loquatur, tunc Sacerdos incipiendo absoluté ab his verbis: *Hoc est corpus meum*, significaret Corpus suum, juxta dicta quæst. 7. Conc. 2. Si veró ad hoc necessaria non sint, ut conclus. 3. docuimus eadem quæstione cum communiori sententia Theologorum, nego assumptum argumenti. Etenim quamvis Sacerdos verba illa proferat, non tantum recitativé, sed etiam significativé, non illa profert in persona propria, sed in persona Christi: Et ideó, quando profert illa verba: *Hoc est corpus meum: Hic est Calix sanguinis mei*, referenda non sunt ad corpus, & sanguinem loquentis, sed ad corpus, & sanguinem Domini. At veró verba illa in calicis consecratione: *qui pro vobis effundetur*, cum non sint de essentia consecrationis, solum recitativé dicuntur. Ad confirmationem nego consequentiam, & antecedens probationis. Quamvis enim alia verba, tam antecedentia, quam consequentia, recitativé solum dicantur: tamen verba consecrationis etiam significativé proferri debent supra materiam præsentem ad hoc, ut ex vi suæ significacionis illam convertant in corpus, & sanguinem Christi, & propter dicta in probatione conclusionis. Et hæc est ratio disparitatis, cur verba hæc, & non illa, debeant proferri significativé. Nec inconvenit, variationem hanc contingere in eodem contextu orationis, hoc est, quód verba Sacramentalia dicantur significativé, & quæ de consecrationis

nis essentia non sunt, tantum recitativé: nam Sacerdos verba hæc, ut persona privata, profert: illa veró ut induens personam Christi, ut dictum est sepé. Ad urgentiam dico, quód si aliquis Sacerdos, illi adhærens sententiæ, verba consecrationis proferret solum recitativé, veré consecraret, dummodo simul haberet intentionem generalem consecrandi, seu faciendi, quod Ecclesia facit, & Christus instituit, quam utique quisque Sacramentorum Minister habere debet, & quæ sufficit ad Sacramenta conficienda, juxta dicta Tract. de Sacram. loquendo de Ministri necessaria intentione. Licet enim privato errore putaret, consecrationem fieri per solum recitationem, hic privatus error validitati Sacramenti, & veré consecrationis non officit, cum suppleatur per intentionem illam generalem.

374 Arg. 2. pro 2. sententia: Dum quis verba alterius dicit recitativé, significat id, quod alius voluit per ea significare; sed consecrationis verba modó à Sacerdote prolata illud omnino non significant, quod Christus significavit: ergo non dicit illa recitativé, sed tantum significativé. Prob. min. Forma à Christo prolata significabat, corpus ipsius esse sub speciebus panis, quem in manibus habebat, & distribuebat discipulis; sed forma à Sacerdote prolata hoc non significat, sed esse sub speciebus distinctis, illius, nempe, panis, quem ipse præsentem habet: ergo. Deinde: Sacerdos conficit Sacramentum hoc loquens in persona Christi: ergo illa verba dicit tantum significativé. Patet: nam si illa diceret, etiam recitativé, non loqueretur nomine Christi tantum, sed etiam nomine proprio, ut manet dictum, ac propterea non conficeret Sacramentum.

375 Respondeo, distinguendo maj. Quando solum recitativé dicit, concedo: quando simul significativé, nego maj. & min. in sensu prætenso. Dico igitur, quód verba à Sacerdote prolata, ut recitativé dicta, ni-

Tom. II.

hil aliud denotant, quam quód Christus dixit de pane, quem in manibus habuit. At veró quatenus etiam significativé dicuntur, tunc ly *hoc* determinatur ad panem, quem Sacerdos in suis manibus tenet, & cum illo facere vult id ipsum, quod Christus fecit cum illo, quem in suis habuit manibus. Unde solum adest materia numero diversa, sicut etiam verba sunt numero diversa: Sed tamen specie tam verba Christi, quam Sacerdotis, atque etiam materia Sacramenti eadem omnino sunt. Ad ultimum dico, verba consecrationis Sacramentum conficere, ut proferantur significativé: Sed hoc minimé probat, quin etiam proferantur recitativé: nec pariter, quód prout proferuntur significativé, simul & recitativé, non proferantur nomine, & in persona Christi, ut constat ex rationibus conclusionis: & ideó argumentum nihil convincit.

376 Arg. 3. Idem non potest dici recitativé, & simul significativé: ergo alterum eorum solum asserendum est. Probat antecedens Vazquez, & Amicus, sic: Qui recitat alterius dictum, vel factum, nihil per eam propositionem affirmat, vel negat; qui veró propositionem dicit significativé, aliquid per eam affirmat vel negat: sed implicat, per eandem propositionem aliquid affirmare, & non affirmare, negare, & non negare: ergo hæc duo copulari nequeunt, & consequenter solum unum eorum est tenendum. Confirmatur 1. Quod recitativé dicitur, nec affirmatur, nec negatur, atque adeo sine assensu, aut dissensu dicitur: quod veró significativé profertur, cum assensu, vel dissensu dicitur; sed dicere cum assensu, & dissensu sunt contradictoria: ergo idem, quod antea. 2. Si consecrationis verba recitativé, & simul significativé dicuntur, illud *Hoc*, ut recitativé dictum, refertur ad accidentia, seu ad materiam à Christo consecratam; ut significativé prolatum refertur ad mate-

X 2

te-

teriam, quae nunc consecratur a Sacerdote, ut ex dictis certum apparet; sed illud *Hoc* non potest ad duo tam diversa referri: ergo non possunt recitativè simul & significativè proferri.

377 Nego antecedens, cum experientia constet, eadem verba de facto, & multoties, utroque modo proferri. Sic utique argumentum aliquod solventes ex doctrina D. Thomae, aut Subt. Doct. dicimus: respondeo cum D. Thoma, vel cum Scoto, in tali, vel tali loco; per hoc intendentes, qui illorum doctrinam sequimur, nedum eorum dicta referre, sed simul affirmare, quod ipsi affirmant, vel negare, quod negant. Neque in hoc sensu implicat, aliquid affirmare, & non affirmare, negare, & non negare; quia contradictio attenditur, & est ejusdem, & eodem modo, seu eodem respectu, & motivo, quae conditio deficit in eo casu, & consequenter deficit contradictio. Etenim licet per eandem propositionem aliquid affirmaret, & non affirmaret, sed non per eam eodem modo sumptam: nam per illam, ut recitativè prolatam, nihil affirmat, nec negat: & ut enuntiativè prolatam, aliquid negat, vel affirmat. Unde quando aliquid narramus, purè ab alio dictum, non affirmamus, nisi factum: sed quando narramus, ut ab alio dictum, & ut verum, & cum intentione, ut id fiat, aut credatur; tunc dicimus cum assensu. Aliud est enim narrare, quod Aristoteles dicebat, & aliud est narrare, verum esse, quod dicebat. Ex quo ad primam confirmationem nego minor. Ad 2. dico, illud *Hoc* optimè referri ad utramque materiam, sed diverso modo consideratam. Pro ut loquitur recitativè, verba indicant id, quod Christus in ultima Coena fecit, & significatio protrahitur ad illud tempus: ut verò significativè, & in persona Christi loquitur, demonstrat, quod tenet in manu, & cum illo id velle facere,

quod Christus cum illo, quod in manibus habuit, fecit. Ac si expressè diceret: Christus dixit super illum panem, quem tenebat manibus, & nunc ego in persona illius dico super hunc, quem in manibus teneo: *Hoc est corpus meum.*

QUAESTIO X.

Quomodo verba consecrationis sint vera? Et quomodo efficacia?

378 **A**D veritatem verborum consecrationis explanandam, quae est prima pars quaestionis, varii modi dicendi sunt excogitati. Nec levioris difficultatis pondus viget in secunda quaestionis parte, cujus sensus est: an verba consecrationis suum operentur effectum, quatenus vera, adeo ut veritas formae sit causa conversionis panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi? vel potius è converso: an conversio sit totalis causa veritatis? Thomistae fere omnes judicant primum: Scotistae verò, quos frequenter sequuntur extranei Doctores, existimant secundum. Pro difficultatis resolutione:

Sit prima Conclusio.

379 *Verba consecrationis propriae, & in rigore sermonis, sunt vera, quando proferuntur: at verò non nisi in ultimo instanti prolationis earum corpus, & sanguis Christi sub speciebus panis, & vini reperiuntur.* Conclusio est contra Haereticos Modernos, qui cum negent in Eucharistia realiter esse corpus Christi, ita & formas consecrationis, negant, veras esse. Inter Catholicos solùm est aliqualis dissensio quoad veritatis qualitatem. Noster Subtil. Doct. in 4. dist. 8. quaest. 2. per tredecim conclusiones valde subtiliter demonstrat in rigore logica praedictam veritatem. Probatur: Verba consecrationis sunt verba Christi loquentis per os Sacerdotis, & affirmantis, illud esse suum corpus, & suum sanguinem

Sa-

Sacerdos enim, ut pluries est dictum, loquitur in persona Christi conficiendo hoc Sacramentum; sed verba Christi loquentis necessariò debent esse vera, cum ipse sit prima veritas, quae nec fallere potest, nec falli: ergo. Confirmatur, & insimul secunda pars conclusionis suadetur. Veritas propositionis non regulatur pro tempore, quo copula proferitur, sed pro tempore, quo tota propositio absolvitur; sed in ultimo instanti prolationis verborum, quod est primum non esse illorum, in quo praecise instanti verborum Sacramentalium completa intelligitur significatio, res per illa significatæ a parte rei existunt, scilicet, corpus, & sanguis Christi, sub speciebus panis, & vini, ut compertum est de fide: ergo formae illae secundum omnem rigorem, & verborum proprietatem sunt verae: at verò non reperiuntur corpus, & sanguis Christi sub speciebus, nisi in ultimo instanti prolationis verborum. Prob. maj. Conceptus per orationem prolatam causatus non habetur, nisi in ultimo instanti prolationis ejusdem: ergo ut aliqua propositio vocalis de rigore sermonis sit vera, satis est, quod in ultimo instanti illo, in quo conceptus illius completur, a parte rei existat significatum per eam. Explicatur: hæc oratio: *Hoc est corpus meum*: non sortitur veritatem, & significationem formalem, nisi omnino sit finita, & secundum omnes suas partes completa. Patet hoc: nam si quis hanc orationem proferret: *Hoc est corpus*, & non proferret *meum*, sed diceret, *Petri*, certè talis oratio referretur tota ad Petri corpus: ergo ejus sensus nondum est determinatus, nisi ultima quoque particula proferatur, per quam tam termini priores, quam eorundem copula, determinantur, atque ita faciunt sensum verum.

380 Arg. 1. Pro eo tunc oratio est vera, pro quo ipse est, & existit; sed solùm pro tempore, pro

quo proferitur, existit: ergo pro eo tantùm est vera. Confirmatur: Quando oratio est completa, tunc jam non est; sed dum non est, non potest subjectare veritatem: ergo tunc non est vera. Prob. minor. Quia completur in ultimo instanti prolationis verborum, quod est primum non esse eorum: nam ut in physica dicitur, successiva desinunt esse per ultimum instans extrinsecum: ergo. Confirmatur 2. Quaelibet dictio, si significativa est, significat, dum proferitur: sed in propositione *ly est* significat unionem praedicti cum subiecto: ergo consecratio vera, vel falsa debet esse, quando particula *est* proferitur. Respondeo distinguendo majorem: Oratio est vera pro eo tunc, quo existit, & est in ore loquentis, seu illam proferentis, nego: pro eo tunc, quo existit in phantasia, & in intellectu, seu in aliquo effectu ab ipsa in phantasia audientis; & etiam proferentis, causato, concedo major. & distinguo minor. solùm pro tempore, pro quo proferitur existit in se, concedo; in suo effectu, nego minorem, & consequentiam. Ad primam confirmationem, concedo majorem, & distinguo minor. non potest subjectare veritatem in se ipsa, concedo: in suo effectu, nego minorem, & consequentiam. Ad secundam confirmationem, concessa majori in sensu explicato, distinguo minorem: *ly est* significat unionem praedicti cum subiecto in fine orationis, seu dum completa est oratio, concedo: in principio, vel in progressu prolationis, nego minorem, & pariter consequentiam.

381 Quamvis argumentum hoc appareat difficile, re tamen bene inspecta, facilis est solutionis. Pro ejus intelligentia, & captu, percipere oportet hanc subtilem doctrinam Nostri Doctoris, quam loco citato ferè in terminis docet. Igitur dum aliqua dictio, aut oratio proferitur, causat in phantasia aliquam sui speciem,

ciem, qua mediante intellectus causat in se conceptum illius dictionis: atque ita per aliquas species derelictas à singulis dictionibus, dum proferantur, intellectus in ultimo instanti format conceptum totius propositionis, quem antea nullatenus potest formare. Quare, orationem vocalem verificari, quando non est, dupliciter intelligi potest: aut quando in se non est formaliter, aut quando non est in aliquo effectu sibi proprio. Primo modo oratio verificatur, quando non est: non autem secundo modo: quia in phantasia audientis, & loquentis causatur aliquid ex prolatione singularum partium orationis, nempe, species, ad quas se intellectus convertit, & ex eis format conceptum illius orationis. Unde licet oratio in se formaliter non existat, nisi pro tempore prolationis, adhuc tamen in fine prolationis dicitur existere, & remanere in aliquo effectu à se causato, scilicet, in speciebus causatis; inter quas, & rem expressam insurgit relatio veritatis, & conformitatis actus cum objecto, quae relatio subiectari non potest in oratione vocali, quae, utpote successiva, tota cum prolatione pertransiit. Ex quo sequitur, quod ut copula suum munus copulandi exercent, intelligi debet cum ordine inter praedicatum, & subiectum, qui ordo nec in principio, nec in progressu intelligitur, sed in fine tantum, quando completa est oratio: ubi enim unita non concipiuntur, nec intelligi potest unio.

382 Arg. 2. Significatum totius orationis constat ex significatis partium; sed partes significant, quando proferantur: ergo oratio suum habet significatum ante terminum totalis prolationis. Confirmatur: Dicitio idem habet significatum, sive in se prolata, sive in oratione inserta; sed si per se proferatur, facta prolatione, ejus significatum habetur statim: ergo similiter in oratione, quamvis aliae nondum sint prolatae. Res-

pondeo distinguendo min. Significant, seu habent significatum absolutum, & discretum, concedo; relativum, & compositum, ut partes componentes; nego minorem, & consequentiam. Ait N. Subt. Doctor, quod illa significatio partium orationis non est ratio formalis causandi conceptum totius orationis, quin omnes partes orationis proferantur: sed tantum est quaedam praebula dispositio, ad quam sequitur per collationem intellectus causatio totius conceptus, ex conceptibus per partes causatis. Doctrinam datam percipies sic: cum pronuntias *hoc*, tantum intelligis eas praesens: cum dicis *est corpus*, intelligis, illud ens praesens esse substantiam aliquam corpoream, sive hominis, sive bestiae: sed cum dicis *meum*, intelligis ens, quod est corpus tuum, & non alterius. En differentiam significati partium à significato totius orationis, & quod aliter significant seorsim, & sigillatim, & aliter in composito, seu in tota oratione. Per hoc patet ad confirmationem: siquidem ad summum significat idem absolutum, & incomplexum: non verò complexum, & ut pars orationis.

383 Arg. 3. Pronomen demonstrativum in omni oratione statim, ac pronuntiat, significat, & demonstrat id, in quod cadit; sed formae consecrationis sunt demonstrativae: nam dicunt: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*: ergo statim ac pronuntiantur, & ante finem totius orationis demonstrant suum significatum, vel earum sensus in rigore non est verus. Respondeo distinguendo majorem. Significat, & demonstrat imperfecte, incompletè, & confuse, concedo: perfecte, completè, & expressè, nego major. & consequentiam in eodem sensu. Pronomen demonstrativum non semper habet perfectam, & completam significationem statim, ac profertur, sed interdum illam habet in fine completae orationis, & hoc ex vi conjunctio-

tionis cum praedicato ad supponendum pro hac, vel pro illa re: Ita est in proposito: nam si quis diceret: *Hoc est corpus*, & non proferret *meum*, tunc talis oratio indifferens esset ad quodlibet corpus significandum; et si adderet, *Petri*, tunc tota illa oratio ad corpus Petri referretur. Unde significatio illius pronomina determinata non est, nec sensus totius propositionis, nisi ultima particula proferatur, per quam termini priores, et eorundem copula determinantur.

384 Pro dictionum faciliori intelligentia, & aliis solvendis semper est negandum, utpote falsum, veritatem propositionis regulari pro tempore, quo copula de praesenti profertur, quod est fundamentum Adversantium: nam potius regulatur pro tempore, vel instanti, quo absolvi-tur tota propositio. Quare licet quodlibet propositio (sive categorica, sive hypothetica) ex terminis, vel simplicibus, vel complexis componatur, & hi termini successivè profertur, atque ut sic prolata, etiam significant: tamen veritas, & falsitas consequens talem significationem, non censetur consistere, neque intellectus assentitur illi, quousque tota propositio sit prolata. Tunc enim, & non antea, integra propositio dicitur existere. Hoc maxime in proposito est asserendum; quia id longè verius est in propositionibus practicis, & operativis, quales sunt formae consecrationis. Siquidem id, quod producant, non producant per partes, & successivè, sicut successivè profertur, sed producant totum simul. Unde earum veritatem referunt ad ultimum instans, in quo operantur. Alia plurima subtilissimè docet Doctor loco citato.

Secunda Conclusio.

385 Forma consecrationis est conversiva, seu causat corporis, & sanguinis Christi praesentiam, in quan-

tum significativa, non in quantum vera. Est dicere, quod verba consecrationis, licet verissima sint in fine prolationis, non tamen sunt conversiva, quatenus vera, sed quatenus praecedentia veritatem, saltem natura, quod dici solet, quatenus neutra. Sic expressè Scotus loco in prima conclusione laudato, §. *Et si quæras*, ubi dicit: *Si quæras, qualis, aut ut vera, aut ut falsa, est propositio conversiva? Dico, quod neque sic, neque sic, sed tantum, ut est propositio neutra, & prior naturaliter, & fortè tempore, sua veritate*: ergo ex Subt. Doct. veritas illarum formarum non est causa conversionis panis in corpus, & vini in sanguinem Christi, sed potius è converso, causatio conversionis est causa veritatis. Est enim prius conversiva, quam vera; nam ideò illa propositio est vera, quia pro aliquo priori est conversiva. Subt. Doctorem sequuntur omnes Scotistae cum extraneis ab initio quaestionis citatis, contra Thomistas, sed non contra omnes. Hinc meritò valde reprehensibilis resultat Vazquez, qui non capiens subtilitatem Doctoris, imponit ipsi dixisse, quod verba consecrationis, licet ex Christi institutione, & Sacerdotis intentione sint vera, ex prima tamen verborum significatione sunt falsa. Fallitur Author iste, sicut non semel assolet: Scotus namque solum docet, ut illum intelligunt, quotquot benè intelligunt, verba consecrationis in illo primo instanti ante effectum verborum esse neutra, hoc est, nec formaliter vera, nec formaliter falsa, ex eo quod objectum, ex cuius conformitate, vel non conformitate veritas, aut falsitas desumitur, debeat esse pro priori sub speciebus positum. Numquam autem dixit, verba consecrationis falsa esse, ut legenti constabit.

386 Probatur igitur conclusio quoad primam partem: De ratione Sacramenti est, quod sit signum effectum, & sensibile effectus invisibilis: ergo

ergo Sacramentum significando operatur : ergo verba sacramentalia operantur in Eucharistia , ut signa , seu ut significativa : nempe , ut significant positionem infallibilem corporis , & sanguinis Christi , sub speciebus panis , & vini . Nec in hac parte potest esse aliqua difficultas , cum omnia Sacramenta suos causent effectus , quatenus sunt quædam signa sensibilia à Deo assumpta , & instituta , ut ad eorum positionem Deus ipse assistens ponat effectus cujuslibet proprios : ergo causant , quatenus significant , & consequenter , causant , quatenus sunt significativa . Solum igitur est difficultas in secunda conclusionis parte , qua asseritur , verba consecrationis non causare , seu non esse conversiva , quatenus vera . Sed advertendum , intelligi hoc , quatenus vera formaliter , & reduplicativè .

387 Probatur igitur quoad hanc partem ratione efficacissima Subtil. Doct. In ultimo instanti , in quo verba consecratoria proferuntur , panis , & vini substantia in corpus , & sanguinem Christi convertuntur ; non enim fit , nec intelligitur conversio , usque dum ultimum verbum formæ consecrationis est prolatum : sed in illo priori naturæ ante conversionem talis oratio non habet veritatem formalem , nec formalem falsitatem : ergo non est conversiva , ut formaliter vera , nec ut formaliter falsa , sed ut neutra , hoc est , ut abstrahens pro illo priori ante conversionem à formali veritate , & falsitate . Prob. minor. Veritas formalis , adhuc juxta Adversarios , est relatio conformitatis actus cum objecto , videlicet , relatio conformitatis fundata in propositione , & terminata ad objectum propositionis ; sed in illo priori naturæ , in quo intelligitur prolata propositio consecratoria , non intelligitur factum ejus objectum , sed in instanti , seu signo sequenti : quippe omnis causa , saltem natura , præcedit suum effectum ; ergo in illo

priori naturæ , quo propositio consecratoria suum præcedit objectum , non est formaliter conformis , nec difformis cum suo objecto : ergo pro illo priori nec veritatem habet formalem , nec falsitatem : igitur abstrahit pro tunc à veritate , & falsitate : ergo non est conversiva , ut vera formaliter , cum , quatenus conversiva , prior sit veritate formali . Confirmatur , & explicatur hæc ratio : Propositio consecratoria non est vera , donec conversio sit facta : nam tunc , & non antea , conformatur cum suo objecto : ergo prius debet fieri conversio , quam propositio conversiva sit vera , vel falsa . Patet consequens : nam cum ab eo , quod res sit in re , vel non sit , propositio dicitur vera , vel falsa , ut ab omnibus cum Philosopho docetur in Logica , prius est , quod id , quod affirmat propositio , sit in re , prout in ipsa affirmatur , quam quod resultat relatio conformitatis actus cum objecto , in quo veritas formalis propositionis consistit : siquidem relatio supponit pro aliquo priori fundamentum , & terminum . Nunc sic : sed fundamentum hujus relationis conformitatis sunt verba consecratoria , & terminus conversionis Eucharisticæ est corpus Christi sub speciebus panis , & sanguinis sub speciebus vini ; ergo relatio conformitatis supponit corpus Christi sub speciebus panis , tamquam terminum , à quo , & ex fundamento , resultat : ergo est pro posteriori naturæ ad conversionem : ergo cum in tali conformitate stet veritas formæ consecrationis , talis forma non potest esse conversiva , quatenus formaliter vera , sed potius , & necessario , è contra : est formaliter vera , quatenus est conversiva .

388 Arg. 1. Omnis propositio , eo ipso , quod est significativa , est vera , vel falsa : nam vel significat rem , sicuti est , & ita est vera , vel aliter , quam sit , & sic est falsa : ergo si formæ consecrationis non efficiunt conversionem , ut veræ , illam efficiunt ,

cient , ut falsæ : ergo non ut neutre . Patet consequens ; quia esse veram , vel falsam , sunt contradictoria , inter quæ non datur medium per abnegationem extremorum . Confirmatur : Concilium Trid. ses. 13. cap. 4. ex veritate verborum consecrationis deducit conversionem panis , & vini in corpus , & sanguinem Christi , quod idem faciunt pluries contra Hæreticos SS. Patres : ergo propositio consecratoria , ut vera , est conversiva . Pro solutione notandum est 1. cum Subt. Doct. quod absolute loquendo , Deus potuisset instituisse aliquam orationem non significativam pro forma , ad cujus prolationem à Ministro ipse Deus assisteret ad causandum effectum in fine prolationis : quamvis ergo de facto , & convenientissime , voluerit instituire orationem significativam præsentiae sui corporis , ipsique propositioni sic significativæ tribuere virtutem efficiendi tandem præsentiam significatam , dicendum tamen est , hanc virtutem communicatam fuisse illi in se consideratæ , prout à veritate , vel falsitate præscindit : ita ut talis virtus præcisè conveniat ei ratione significationis , & non ratione veritatis . Notandum est 2. veritatem , vel falsitatem formalem non esse de essentia propositionis , quod patet in propositionibus contingentibus : nam potest talis propositio , eandem retinens significationem , modo esse vera , modo falsa , ut si dicatur : *Petrus currit* , quæ semper idem significat , nempe , cursum Petri , & est vera , Petro currente , & non currente , est falsa . Notandum 3. veritatem propositionis posse intelligi radicaliter , & virtualiter , ac formaliter , & hoc loquendo de propositione , practica , seu effectiva . Vera virtualiter , & radicaliter dicitur practica propositio , quando ex virtute Christi , qui essentialis veritas est , infallibiliter efficit , quod significat : & ita est de formis sacramentorum . Tunc dicitur vera formaliter , quæ

Tom. II.

do adest conformitas illius ad objectum , quod causat , quæ conformitas intelligi non potest ante objecti ab illa causati existentiam , cum ex illo , tamquam à suo termino , resultat : de qua veritate , & non de radicali , est præsens quæstio , ac propterea illam , ut Adversarii impugnent , extrahunt à proprio , & genuino sensu , in quo disputatur : vel eam quæstionem de nomine faciunt , ut ex eorum solutionibus colligo . Denique est notandum : aliud esse propositionem *specificativè* veram aliquid causare , & aliud valde diversum , causare , ut veram *reduplicativè* . Primum est , propositionem veram habere virtutem causativam alicujus : secundum est , veritatem esse rationem , & virtutem talis causationis . His scitis :

389 Respondeo ad argumentum ex Subt. Doct. distinguendo claritatis gratia antecedens : Omnis propositio , eo ipso , quod est significativa , est vera , vel falsa , fundamentaliter , aut virtualiter , concedo : formaliter , subdistinguo : pro signo , pro quo formalis veritas , aut falsitas illi correspondere potest , concedo : in anteriori signo , nego antecedens , & consequentias inde illatas . Pariter nego , quod pro signo illo priori ad existentiam objecti significati non præscindat à veritate formali , & falsitate , ob quod nulla contradictio inveniri potest , quod evidens fit pluribus exemplis . Dico igitur , veritatem , & falsitatem formalem non esse de essentia propositionis , sed esse ejus passionem . Unde in illo priori naturæ , antequam fundet conformitatem , vel difformitatem ad objectum , oratio significat , sed non verè , vel falsò : idèque oratio secundum suam essentiam considerata abstrahit à veritate , & falsitate . Sicut enim homo in illo priori signo naturæ , in quo consideratur præcisè secundum sua prædicata essentialia , non intelligitur , nec risibilis , nec non risibilis ; quia risibilitas ei tantum con-

X

ve-

venit in secundo signo naturæ, in quo ei conveniunt prædicata secundæ modi dicendi per se: ita pariter, propositio secundum sua prædicata essentialia considerata, nec intelligitur vera, nec falsa, sed ab utroque abstrahit, & solum concipitur neutra, eo quod talia prædicata non conveniunt ei, nisi in posteriori signo naturæ, in quo prædicata secundæ modi tribuuntur ei. Ex quo constat, quod licet inter contradictoria nudè, & absolutè sumpta, non detur medium: datur tamen quando sumuntur cum aliquo sincategoremate, seu cum aliquo addito. Unde homo per se in primo dicendi modo nec est risibilis, nec non risibilis; nec per se est albus, nec per se non albus; quia in tali signo naturæ ab huiusmodi prædicatis omnino præscindit, & abstrahit. Ad confirmationem dico, Concilia, & Patres à posteriori, & ex effectu conversionis deducere realem præsentiam corporis Christi. Quare ex efficacia verborum, orta ex divino decreto, fit conversio, & ex conversione resultat veritas formalis. Tunc enim est formaliter vera hæc propositio: *Hoc est corpus meum*, quando corpus Christi est sub accidentibus; sed corpus Christi est sub accidentibus, ex vi conversionis: ergo ex conversione resultat veritas formalis illius propositionis. Deinde Tridentinum lococitato, quando ex veritate formæ dicitur præsentiam corporis Christi sub speciebus, potius loqui videtur de veritate practica in actu primo, & virtuali, aut radicali, desumpta ex infallibili promissione Christi, quam de veritate formali, & actuali, de qua est questio præsens: nam colligit conversionem panis in corpus Christi, quia Christus verè dixit, esse corpus suum id, quod offerebat sub speciebus panis.

390 Arg. 2. Formæ consecrationis in tantum operantur suum effectum, in quantum sunt verba primæ veritatis: ergo quatenus necessariò

veræ efficiunt conversionem. Confirmatur: formæ aliorum Sacramentorum efficiunt suum significatum, in quantum veræ: ergo multò magis formæ huius Sacramenti. Urgetur: forma sacramentalis ex pacto, et promissione Dei, habet omnimodam infallibilitatem ad causandum effectum, quem significat; sed hæc infallibilitas causandi effectum præcedit, scilicet naturam, ipsam productionem effectus: ergo forma sacramentalis causat suum effectum, ut vera, veritate sibi communicata ex infallibili promissione Dei. Respondeo, argumentum ad summum probare de veritate radicali, & in actu primo, ut est dictum: non tamen de veritate formali, & in actu secundo, de qua tantum est questio. Deinde nego consequentiam: nam aliud est, verba consecrationis causare conversionem, quia sunt verba primæ veritatis, aliud verò, quod causent ut vera, ita ut ipsorum veritas sit causa conversionis. Primum quidem est verum: id eo enim conversionem causant, quia dicta sunt à Deo, qui est prima veritas, atque instituta ad conversionem efficiendam. Secundum verò negatur: quia, ut supra dictum est, æquè benè potuisset Deus instituire aliquam orationem non significativam, ad cuius prolationem à Ministro factam, ipse Deus assisteret ad causandum effectum in fine prolationis: tunc autem adhuc esset verum dicere, quod illa verba conversionem causarent, quia sunt verba primæ veritatis: nec tamen hinc sequeretur, quod causarent ut vera. Ad confirmationem concedo antecedens specificativè, & nego reduplicativè: nam formæ Sacramentorum efficiunt reduplicativè, in quantum significant, hoc est, in quantum continent virtute suum effectum, ut colligitur ex Tridentino sess. 7. & veritas eorum fundatur in hac significativè practica, seu in ipsa efficacia formæ. Ad urgentiam nego consequentiam: quia cum eadem infalli-

libilitate suum effectum produceret oratio non significativa, si ad tale munus fuisset à Deo assumpta, & tamen non produceret, ut vera. Unde argumentum, vel non concludit, vel solum probat de veritate virtuali, & radicali, non verò de formali, & actuali, de qua est questio.

391 Arg. 3. Sacerdos ante consecrationem iudicat, propositionem consecratoriam esse veram: ergo talis propositio prius est vera, quam causet conversionem. Confirmatur: propositio de præsentia necessariò est vera, vel falsa: sed oratio consecratoria est propositio de præsentia, quia de præsentia dicit: *Hoc est corpus meum*: ergo vera, vel falsa est necessariò. Denique in ultimo instanti, in quo profertur ultimum verbum huius propositionis consecratoriae: *Hoc est corpus meum*, jam Corpus Christi sub accidentibus consecratis positum est: ergo talis propositio in nullo instanti abstrahit à veritate: ergo in omni instanti est vera: ergo ut vera, est conversiva. Respondeo, aliud esse iudicare, propositionem esse infallibilem, & aliud esse veram: ex infallibilitate utique sequitur, quod numquam erit falsa, & semper erit vera; non autem quod est formaliter, & actu, usque dum ponatur ejus objectum. Unde Sacerdos solum iudicat, aut iudicare debet conversionis infallibilitatem ex divina promissione: atque adeo potius iudicat, talem propositionem consecratoriam futuram esse veram ex tali promissione, & pacto infallibili. Ad confirmationem, distinguo majorem: propositio de præsentia, que suum objectum supponit existens, concedo: que est effectiva sui objecti, subdistinguo: est vera, vel falsa, in instanti naturæ antecedenti ad eum objectum, nego: in instanti posteriori ad ejus existentiam, concedo majorem. Nulla propositio habere potest formalem veritatem, nisi actu conformetur cum suo objecto, & non potest cum illo conformari

actu, si actu non est existens suum objectum. Ad ultimum concedo consequentias, præter ultimam. Sed intelligendum est hoc, loquendo de instanti temporis, in quo clauduntur plura instantia naturæ secundum diversas causalitates, & effectus. Primò quidem profertur ultimum consecrationis verbum: deinde, ut effectus verborum, fit conversio: adducitur Corpus Christi: & fit propositio formaliter vera. Totum hoc fit in eodem instanti temporis, sed in diverso instanti naturæ. Quare licet in eodem instanti temporis conversio fiat, & propositio sit vera, tamen non est conversiva, ut vera, sed potius è converso, est vera, quia conversiva. Ratio est, quia formaliter non est vera, nisi ex conformitate cum objecto producto per ipsam propositionem conversivam.

QUÆSTIO XI.

Quid pronomina *Hoc*, & *Hic* significant in consecratione panis, & vini?

392 **D**ifficilis valde facta est hæc questio propter Authorum varios, confusosque dicendi modos. Dubium est, an pronomina *hoc*, & *hic* in consecratione hostiæ, & calicis, sumantur adjectivè, vel substantivè? Tunc pronomina demonstrativa *hic*, *hæc*, *hoc*, adjectivè sumuntur, quando actu alicui subjecto copulantur, ut *hic calamus est obtusus: hæc pagina est alba: Hoc attramentum est nigrum*. Substantivè verò, quando per se ponuntur nulli substantivo copulata, ut *hic est calamus, hæc est pagina; hoc est attramentum*. Queritur igitur: an pronomen *hoc* sumatur adjectivè, scilicet, pro corpore Christi sibi adjecto, vel pro substantia panis, vel pro speciebus ejusdem panis. Idem intelligitur de demonstrativo *hic* respectu sanguinis. Circa quod multæ sunt sententiæ Theologorum. Prima docet,

pronomen *hoc* demonstrare substantiam panis, quam Sacerdos in manibus habet: & per verbum *est* significari conversionem panis in corpus Christi; ita ut sensus sit: *hoc quod ego habeo in manibus, convertitur in corpus Christi*. Pro hac citantur Alensis, Seraph. Doct. & alii plures. Secunda asserit, per pronomen *hoc* significari ipsum corpus Christi, seu intelligi illi adjectum, & pariter in consecratione calicis, pronomine *hic* adicitur sanguis. Ita Nominales, & Lugo cum pluribus aliis. Tertia defendit, per pronomen *hoc* significari aliquid commune tam corpori Christi, quam substantiæ panis per modum individui vagi: sicut, qui dicit: *hoc animal*, significat aliquid bruto, & homini commune. Quarta sententia sustinet, pronomina illa significare species sensibiles panis, & vini. Sic sentit Ricardus. Quinta demum sententia, his omnibus relatis opposita, est nost. Subtil. Doct. in 4. dist. 8. quæst. 2. conclusione 8. & 9. ubi asserit, *ly hoc* sumi substantivè, & non adjectivè, sicut et pronomen *hic*. Doctorem sequuntur omnes sui Discipuli cum aliis.

Prima Conclusio.

393. *Pronomen hoc non demonstrat in forma consecrationis in recto substantiam panis: nec accidentia panis: nec aliquid commune substantiæ panis, & corporis Christi: nec demum demonstrat in recto ipsum corpus Domini expressè. Conclusio plures habet partes, & probatur quoad primam: Id, quod in forma consecrationis demonstrat pronomen hoc identificatur cum corpore Christi: nam prædicatum in ea ratione, in qua dicitur de subjecto, debet esse idem cum subjecto; sed substantia panis non identificatur cum corpore Christi: ergo. Confirmatur: de eo, quod demonstratur per pronomen *hoc*, dixit Christus, verè esse suum cor-*

pus: ergo quod demonstratur per pronomen *hoc*, identificatur cum corpore Christi. Sed substantia panis non identificatur cum corpore Christi, nec de illa corpus Christi potest verè prædicari: ergo substantia panis non significatur in recto per tale pronomen. Eadem ratione probatur secunda pars, scilicet, quod, nec in recto demonstrantur accidentia per pronomen *hoc*: nam quod per tale pronomen demonstratur, est id, de quo prædicatur corpus Christi; sed non prædicatur de accidentibus, cum quibus non est identificatum; ergo accidentia per tale pronomen non significantur in recto, sed in obliquo. Probatur tertia pars conclusionis, nempe, quod non demonstratur per pronomen *hoc*, aliquid commune substantiæ panis, & corporis Christi: Inferius nequit verè prædicari de superiori in bona logica: homo enim nequit prædicari de animali, sic: *animal est homo*, quia animal, utpote superius, potest esse brutum: atque adeo illa est falsa propositio; sed corpus Christi est inferius respectu illius, quod sit commune illi, & substantiæ panis, sicut homo est inferior respectu animalis, quod est commune homini, & bruto: ergo vel pronomen *hoc* non significat aliquid commune substantiæ panis, & corpori Christi, vel corpus Christi verè non prædicatur de eo, quod per pronomen *hoc* significatur, quod dicit nemo. Denique probatur quarta pars, videlicet, quod nec demonstrat in recto corpus Christi expressè: aliàs propositio consecratoria esset identica, seu faceret sensum identicum, & nugatorium: nam idem esset, ac si diceretur, *hoc corpus meum est corpus meum*: ergo propriè, & rigorosè *ly hoc*, non significat corpus, sed aliquid, de quo corpus prædicatur.

Secunda Conclusio.

394. *In forma consecrationis pronomen hoc non sumitur adjectivè, sed*

substantivè, scilicet, pro re, vel ente singulari, quod est corpus Christi. Est dicere, quod significatum primariò, & in recto per pronomen *hoc*, est individuum determinatum entis, quod realiter est corpus Christi: non sub expresso conceptu corporis, sed entis. Memintelligendum est de pronomine *hic* in consecratione calicis. Conclusio est Scoti loco laudato, quem omnes sui, & alii plures, sequuntur. Probatur 1. pars, asserens, pronomen *hoc* non sumi adjectivè: Pronomen *hoc*, vel *hic* tunc sumitur adjectivè, quando copulatur alicui substantivo, ut si dicatur: *Hoc corpus est meum: Hic sanguis est meus*; sed in forma consecrationis panis *ly hoc* non copulatur, saltem explicitè, ullo substantivo, sed potius in illa propositione se habet, ut subjectum, & corpus se habet, ut prædicatum: ergo. Major ex notabilibus quæstionis claret exemplis. Minor ex probationibus antecedentis conclusionis: quia illi substantivo, cui copularetur, vel esset substantia panis, & vini; vel eorum accidentia, vel ipsam Christi Domini corpus, vel aliquid commune corpori Christi, & substantiæ panis, quorum quodlibet impugnatum est in particulari, probando per partes antecedentem conclusionem.

395. Probatur jam sumi substantivè pronomen *hoc*, id est, pro individuo singulari entis, quod realiter est corpus Christi: Tum ex modo loquendi Concilii Tridentini sess. 13. cap. 4. ubi ait: *Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit*. Sensus horum verborum iste est: *verè dixit, id, quod sub specie panis offerebat, esse corpus suum*. Ubi *ly id* sumitur substantivè pro aliqua re singulari, quæ est corpus Christi. Tum; quia *ly hoc* in propositione consecratoria debet supponere pro aliquo, de quo verè possit prædicari corpus Christi prædicatione formali: sed corpus Christi potest prædicari de al-

individuo entis determinato, quod cum Christi corpore est identificatum: ergo. Si igitur tale individuum entis esset indifferens, & indeterminatum, prout sic, non esset cum corpore Christi identificatum, ac propterea oratio consecratoria esset falsa. Quod autem non sit tale ens corpori Christi identificatum, quod per pronomen *hoc* significatur sub ratione, & conceptu expresso corporis, sed entis, quæ est ultima pars conclusionis, constat: Tum, quia aliter talis propositio esset identica: nam faceret hunc sensum: *Hoc corpus meum est corpus meum*: sed hoc non est dicendum: ergo. Tum: quia id significatur expressè, quod expressè intelligitur, audito tali pronomine; sed audito tali pronomine secundum explicitum illius, solum intelligitur individuum determinatum entis, & non corpus Christi: ergo non sub expresso conceptu corporis, sed entis, significatur corpus Christi per tale pronomen.

Solvuntur Argumenta.

396. Arg. 1. Si pronomen *Hoc* significaret singulare aliquod entis, forma consecrationis vel esset falsa, vel non esset conversiva panis in corpus Christi: sed neutrum dici potest: ergo pronomen *Hoc* non supponit pro individuo entis. Prob. maj. Illa res singularis esset, vel substantia panis, & sic falsò dicitur, quod est corpus Christi: vel essent accidentia, quæ immediatè tangit, & videt Sacerdos, & sic etiam falsò diceretur, quod essent Christi corpus: vel esset ipsum corpus Christi: & sic propositio non esset conversiva panis in illud, sed esset identica, & nugatoria, ut si diceres: *Corpus meum est Corpus meum*, quod quidem verum esset speculativè, absque conversione: ergo. Confirmatur: Significatum formæ Sacramentalis debet esse certum, & determinatum; sed si per talem formam significaretur in-

individuum entis, tale significatum non esset determinatum, nec certum: ergo. Prob. min. Individuum entis æqualiter potest dici, & prædicari, tam de substantia, quam de accidente: imò potius in consecratione diceretur de accidente, quod cadit sub sensum: ergo.

397 Respondeo negando maj. quoad utramque partem. Ad probationem nego antecedens quoad duas primas partes, & distinguo quoad tertiam: vel esset corpus Christi sub conceptu expresso corporis Christi; nego: esset corpus Christi tantum identice, seu sub conceptu expresso, & formali entis, quod in re est identificatum cum Christi corpore; concedo antecedens, & nego sequelam præintendam. Solutio satis clara apparet ex ipsa conclusione, & ejus probationibus. Itaque *ly Hoc* expressè significat illud ens, quod reverè est corpus Christi, non verò ipsum corpus pro explicito, sed ponitur explicitè in prædicato talis propositionis, nempe, *hoc est corpus meum*. Nec talis propositio est identica, & nugatoria, sed formalis, in qua, ut omnes Logici docent, idem distinctè, & explicitè significatum rectè prædicari potest de seipso confusè cognito, vel significato. Patet in hac prædicatione, quæ formalissima est: *homo est animal rationale*, in qua prædicatum, & subjectum solim distinguuntur penes implicitum, & explicitum, juxta majorem partem Philosophorum. Idem dici debet de hac, *hæc res, vel hoc ens est corpus meum*. Ad confirmationem nego minorem, & distinguo probationem: individuum entis in abstracto, extra omnem orationem, & adjectivè equaliter &c. concedo: in oratione, & substantivè, nego antecedens. In oratione consecratoria *ly hoc* demonstrat id, quod determinatur per prædicatum, quod jam diximus, non esse ens vagè sumptum, sed determinatum. Et patet: quia dum dicitur: *hoc ens est lapis*: *hæc res est corpus Christi*, *ly*

hoc ens, & *hæc res*, non est quid vagum, & indeterminatum, sed est lapis, vel Christi corpus.

398 Arg. 2. Hæc oratio consecratoria: *Hoc est corpus meum*, est conversiva substantiæ panis in corpus Christi: ergo pronomen *hoc* determinatè significat panis substantiam, & non Christi corpus, adhuc modo explicato. Confirmatur, & prævenitur solutio: quando illud pronomen *hoc* profertur, adhuc conversio non est falsa, nec ibi est corpus Christi: ergo nequit corpus Christi demonstrare, nec sub expresso conceptu entis. Probo consequentiam: quod nondum est, sub nullo conceptu demonstrari valet; sed quando pronomen *hoc* profertur, nondum est ibi Christi corpus: ergo sub nullo conceptu demonstrari valet per pronomen *hoc*. Respondeo distinguendo antecedens: est conversiva solim, nego: conversiva, & simul significativa conversionis factæ, insimulque quatenus significativa, est conversiva, concedo antecedens, & nego consequentiam. Vide dicta quæst. antecedenti. Ad confirmationem distinguo antecedens: quando pronomen *hoc* profertur absque ejus perfecta significatione, seu quin adhuc sit forma consecrationis, non est facta conversio, concedo: quando profertur cum sua perfecta significatione, & ut est forma consecrationis, nego antecedens. Tale pronomen *hoc* non est actu forma consecrationis, nec significationem perfectam habet, usque dum cætera consecrationis verba sunt prolata, cum quibus unitum, & simul sumptum in ultimo instanti prolationis verborum, in quo forma consecratoria finitur, & constituitur, suum habet significatum perfectum, & non antea, ut ex antecedenti quæstione satis patet, & explicat noster Doct. Subt. dist. 8. citata, quæst. 2. §. *Ex istis tridecim conclusionibus*, & §. *Ad primum argumentum*.

399 Arg. 3. Si vox *hoc*, vel *hic* sumeretur substantivè, in consecra-

tionem calicis diceretur: *hoc est calix*, & non *hic est calix*: ergo cum ita non sit, dicendum est, quod saltem in consecratione calicis pronomen *hic* sumitur adjectivè, ut scilicet, conveniat substantivo sanguinis. Prob. antecedens: Quando voces illæ usurpantur substantivè, ponuntur in genere neutro, quin curetur de illarum concordantiæ cum prædicato. Unde quærenti; *Quid est hoc?* respondetur, *est panis, vel vinum*: ergo cum in calicis consecratione non dicatur *hoc*, sed *hic est sanguis*, non sumitur substantivè, sed adjectivè. Confirmatur: Pronomina illa debent sumi in consecratione, prout sumuntur communiter in similibus: sed in similibus propositionibus sumuntur adjectivè: ergo & ibi. Prob. minor. Cum dicitur: *hic est Pater meus*: *hæc est Mater mea*: *hoc est vestimentum meum*, pronomina *hic, hæc, hoc* sumuntur adjectivè: ergo. Sequitur ergo, quod cum pronomen *hic* sit de genere masculino, & ens, sive individuum entis de genere neutro, saltem in calicis consecratione non significatur in recto individuum entis, ac propterea sumitur adjectivè, & non substantivè.

400 Ad argumentum, quod videtur difficile, respondeo faciliter, negando utrumque antecedens. Ex dictis patet, quod pronomina *hic, hæc, hoc*, adjectivè sumuntur, quando actu, & expressè alicui substantivo copulantur: substantivè verò, quando per se sumuntur. Nec semper, quando voces illæ usurpantur substantivè, ponuntur in genere neutro, sed sæpius articulus masculinus absolute prolatus importat nomen substantivum. Ad confirmationem exempla apposita non urgent; quia etiam ibi pronomina illa ponuntur substantivè, & supponunt pro subjecto talium prædicatorum, quantum grammaticaliter dicatur concordare in genere cum suis prædicatis, quasi adjectiva cum substantivis. Unde licet pronomen *hic* sit de genere masculino for-

maliter in se, & merè grammaticaliter sumptum; tamen in forma consecrationis, logicè loquendo, est æquivalenter de genere neutro: quia ibi supponit, & æquivalenter pronomini *hoc*. Ideoque ait S. Cyprianus Epist. 63. idem est dicere: *hic est sanguis meus*; ac dicere: *hoc est sanguis meus*. Ex dictis inferes 1. quod hæc propositio: *Hoc est corpus meum*: æquivaleret huic: *hoc ens, quod continetur sub speciebus sacramentalibus panis, est corpus meum*. Et illa: *Hic est calix sanguinis mei, vel hic est sanguis meus*, æquivaleret huic: *hoc ens, quod continetur sub speciebus vini, est sanguis meus*. Vel ita: *hic potus, qui continetur sub speciebus &c.* Inferes 2. quod in formis consecrationis *ly est* significat veritatem verborum, & convenientiam prædicati cum subjecto. *Ly corpus meum, & sanguis meus*, significat corpus Christi esse idem numero, quod fuit in utero Virginis, & pariter idem sanguis corporis Christi. Illa verba: *novi, & æterni Testamenti &c.* significant instrumentum promissorum æternæ hereditatis, sanguine Christi firmatum.

QUÆSTIO XII.

An Christus in consecratione usus fuerit verbis? Et an verba, quibus Sacerdos Sacramentum conficit, sint eadem cum illis, quibus Christus Dominus consecravit?

401 **C**hristum Dominum, dum hoc Sacramentum instituit, plura fecisse, constat planè ex Evangeliiis: nam accepit panem in manibus suis: gratias egit: benedixit: fregit, & dedit Discipulis, & dixit, accipite, & comedite: *hoc est corpus meum*. Unde tam Scripturarii, quam Theologi, uniformiter observant, Christum, juxta morem Judæorum, nullum cibum, vel potum sumere, nisi præmissa benedic-

tione, & gratiarum actione Deo, tamquam conditori, Dohatorique omni boni. Ista gratiarum actio, quæ à Judæis dicebatur *benedictio*, pro eodem etiam ab eis usurpabatur, ac *oratio*, & *sanctificatio*. Talis dicebatur; quoniam nisi ea præcessisset, cibus pro profano habebatur, ea verò adhibita, dicebatur *Sanctus*, seu *sanctificatus*. Sic annotat Josephus. Hunc morem commendat Paulus, docens, nullum cibum recipiendum, quæ *panem gratiarum* actione sumatur. Formula communis *benedictionis, orationis, sive gratiarum actionis*, apud Hebræos, hæc erat: *Benedictus Deus noster, Dominus mundi, qui produxit panem de terra*. De vino similiter dicebant: *Benedictus Deus noster, Dominus mundi, qui creavit germen vitis*. Diebus insuper festis accedebat mentio beneficii, cujus memoria tunc celebrabatur, ut in Paschate, liberationis ex Ægypto. Unde Christus in Eucharistiæ institutione, nedum pro creatione panis gratias egit, sed etiam pro redemptione generis humani, cujus memoriam hoc Sacramento designabat. Christiani hac in re Dominum secuti in peragenda Eucharistiæ formulis conjungunt gratiarum actiones, tam pro beneficio creationis rerum ad usum hominis spectabilem, quam pro liberatione à peccato adeptâ per Christi mortem. Sic in Missa dicunt: *Per Christum Dominum nostrum, per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedixisti, & præstas nobis.*

402 Nunc jam ad sensum questionis accedendo, supponendum est, ut omnino certum. Christum potuisse consecrare panem sine verbis per actum purè internum suæ voluntatis: ac etiam potuisse consecrare per ipsam benedictionem, aut verbis benedictionis, priusquam illa proferret: *Hoc est corpus meum*. Queritur ergo. *Utrum Christus ad consecrandum usus fuerit verbis? Et quibus?* Circa hanc difficultatem Innocentius III. lib. 4.

de Myst. Missæ cap. 6. expressè docuit, Christum Dominum ratione potestatis excellentiæ absque omni verborum forma consecrasse: verba tamen postmodum protulisse, quibus futuris temporibus in Ecclesia consecraretur Eucharistia à Sacerdotibus novæ legis. Ita ait præcit. cap. *Sanctè dici potest, quod Christus divina virtute confecit, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent. Ipse namque per se virtute propria benedixit: nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis*. Hanc eandem sententiam amplexati fuerunt gravissimi Theologi. Archidiaconus, seu Guido Bononiensis, Franciscus Maironius in 4. dist. 8. quæst. 1. Catherinus, Guillelmus Durandus, & alii antiqui. Alii sunt, qui existiment, Christum Dominum consecrasse oratione, & verbis, nobis verò ignotis. Sic Erasmus, qui in annotationibus in Epist. 1. ad Corinth. cap. 11. dicit: *Utinam Paulus traderet nobis illa verba, quibus consecratus est panis iste à Christo: nam illa, hoc est corpus meum, potius sunt persequentis, quam consecrantis*. His præhabitis, difficultas resolvenda est per plures conclusiones.

Prima Conclusio.

403 *Christus Dominus reverè usus est verbis in consecratione: fueruntque ista in consecratione panis: Hoc est Corpus meum: & ista in consecratione vini: Hic est Calix Sanguinis mei*. Conclusio adeo communis est jam inter DD. Catholicos, ut oppositum tenere censeatur periculosum. Hanc docuerunt Principes Scholarum, Alensis, D. Thomas, D. Bonaventura, & N. Subt. Doct. qui in 4. dist. 8. quæst. 2. num. 11. §. *Sed contra*, contra opinantes, quod Christus, quando dixit illa verba, non consecravit, sed quando benedixit panem, sic argumentatur: *Aut Christus confecit sine verbis, quod non est probabile, aut cum verbis istis,*

is, aut aliis; non cum aliis à prædictis, quia non est probabile, quod alia forma utatur Auctor, & Ministri, quibus commisit formam. Similia habet in Reportatis. Probatur 1. Conclusio ex Concilio Trid. ses. 13. cap. 4. dicente: „ Quoniam autem Christus Redemptor noster „ Corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideò persuasum semper fuit „ in Ecclesia Dei, idque nunc de novo Sancta Synodus declarat, per „ consecrationem panis, & vini commensuram fieri totius substantiæ panis, & vini in substantiam Corporis Christi &c. “ Nunc sic: sed Christus per id consecravit, ex quo Ecclesia colligit factam fuisse, & fieri transubstantiationem: ergo cum hæc fiat per prædicta verba, etiam Christus ad consecrandum usus est illis. Id etiam clarè docuerat idem Concilium cap. 1. dicens: „ Quot „ quot in vera Ecclesia Christi fuerunt, qui de Sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima Cœna Christum instituisse, cum post panis, vini que benedictionem, se suum ipsius Corpus illis præbere.... „ disertis, ac perspicuis verbis testatus est, quæ à Sanctis Evangelistis commemorata &c. “ Sed non legimus in Evangelio alia verba clariora, quibus id præstiterit, quam ista: *Hoc est corpus meum &c.* ergo per illa instituit, & confecit hoc Sacramentum.

404 Probatur eadem veritas ex Patribus: Tertullianus lib. 4. contra Martionem cap. 40. ait: *acceptum panem, & distributum Discipulis, corpus suum illud effecit; hoc est corpus meum, dicendo*. Chrysostomus homil. 60. ad Populum Antiochenum, loquens de consecratione à Christo in Cœna facta, ait: *Qui namque dixit, hoc est corpus meum, & verbo factum confirmavit*. Ambrosius lib. 40. de Sacramentis cap. 17. *cum panem*

Tom. II.

accipiens diceret: Hoc est corpus meum, planè monstratur verbum illud operatorium fuisse. Damascenus lib. 40. de fide cap. 15. dicit: *sicut Deus dicendo fiat lux, fecit lucem: ita dicendo, hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, perfecit hoc Sacramentum*. Cyprianus serm. de Cœna Domini: *ante illa verba cibus erat communis, sed ex quo à Domino dictum est, hoc est corpus meum, corpus cepit esse Christi*. Clarissimum igitur est ex Sanctis Patribus, quod verbis illis consecravit Christus Dominus: quod etiam insinuat Apostolus 1. ad Corinth. dicens: *accepit Jesus panem, & fregit, ac dixit: Hoc est corpus meum*.

Secunda Conclusio.

405 *Sacerdotes novæ legis iisdem omnino verbis consecrant corpus, & sanguinem Christi, quibus ipsemet consecravit*. Intelligitur conclusio, non de iisdem numero verbis, quæ Christus protulit: nam certum est, quod illa Christi verba præterita sunt, & quod statim ac illa protulit, effluerint. Sed tantum intelligitur de repetitione eorumdem verborum à Sacerdote facta in hoc Sacramento conficiendo. Veritas hujus conclusionis constat ex Concilio Florentino, ubi in decreto Eugenii docet Pontifex, consecrationem fieri verbis Salvatoris, quibus Sacerdos in persona Christi loquens Sacramentum hoc conficit. Definit etiam: *formam hujus Sacramenti esse verba, quæ Christus protulit, quibus confecit &c.* Sed hæc verba: *Hoc est corpus meum*, sunt verba Christi, nec legitur alia protulisse, quam ista, eaque Sacerdos in persona Christi pronuntiat: ergo censet Concilium, formam consecrationis in Sacerdote esse eammet, quam Christus protulit. Probari poterat hæc veritas ex SS. Patribus, maxime Græcis, qui omnes, præter Patres Latinos, in hanc conspirant veritatem. Sed illos omitto apud Au-

Z

tho-

thores, præsertim in Frassenio Tract. de Euchar. disp. 1. art. 1. sect. 3. quæst. 2. videndos. Suadet denique ratione theologica: tum, quia Sacerdotes loquuntur in consecratione nomine, & persona Christi: ergo uti debent, non aliis verbis, quàm his, quibus Christus usus est, & quæ instituit. Tum: quia ideò nedum Græci, sed etiam Hæretici, colligunt hæc verba: *Ego te baptizo*; esse formam Baptismi, quia Christus dixit: *baptizantes eos in nomine Patris &c.* sed ipsemet Christus hoc Sacramentum instituendo, dixit: *Hoc est corpus meum*: ergo hæc verba obinent rationem formæ.

Tertia Conclusio.

406 „ Quamvis verissimum sit, „ juxta primam conclusionem, Christum verbis consecrasse, nihilominus nullo Ecclesiæ decreto hucusque est definitum, Christum Dominicum in Eucharistiæ consecratione verba quædam adhibuisse. Probatur: aut enim id demonstraretur præcitatæ Tridentini verbis, aut Florentini in decreto unionis hæc asserentis: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum: Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum*: at quamquam reverâ conclusionem primam videantur adstruere hæc sacrosancta Concilia, nihilominus sua staret autoritas, si diceretur, Dominum Jesum benedictione sua consecrasse, ac statim formam præscripsisse, qua Presbyteri consecrarent: adeo ut constituere, ac conficere Sacramentum, utrumque designet, id est, consecrationem tunc à Christo benedictione peractam, & determinationem formæ ab aliis in consecratione adhibendæ: ergo. Nec credibile est: Sacrosanctum Concilium quoadnatura ad hæreses extirpandas voluisse censuram inturre sententiæ, quam Viri celebres tenuerunt, & quæ quàmfacilè eli-

dit cavillationes Hæreticorum, negantium necessitatem formæ præferendam ex Christi institutione. Sicut enim potuit Christus absque verbis peccata dimittere, & Spiritum Sanctum dare, quæ duo Ministri solum præstant instrumentis, & verbis ab eo præstitutis: ita potuit panem, & vinum convertere in corpus, & sanguinem suum, quam conversionem decebat à nobis fieri sub ordinatione Ministerii, & modo Instituto ipsius autoritate, quod fuit per verborum ab ipso Domino Institutorum prolationem. Quapropter dicitur, Concilium noluisse rem hanc definire, sed tantum mentem suam tradere verbis pro prima conclusionem allegatis. Atque adeo, nihil de hac quæstione ab Ecclesia esse definitum, testantur Ambrosius Cathemerin in fine opusculi 2. Alfonsus Salmeron, & alii Theologi. Hoc dictum sit ad retundendam facilitatem aliquorum, qui absque maturo examine notam hæresis sententiis impo-

Argumentorum solutio.

407 Arg. 1. adversus 1. conclusionem: Tum ex Innocent. III. expressè asserente, Christum sine verbis consecrasse, ut videri est in notabilibus hujus quæstionis. Tum, quia multi putant, Dominum in castello Emmaus panem consecrasse, & tamen ex Evangelio non constat, tunc verba aliqua protulisse: ergo neque in ejus prima institutione. Tum, quia juxta Tridentinum: *cum Christus dixit: Hoc est corpus meum, solum testatus est, se suum corpus illis præbere*: ergo per illa verba non consecravimus, sed declaravit consecrationem factam per benedictionem. Tum, quia panis erat consecratus, quando Christus illum fregit, & dedit Discipulis, dicens, *accipite &c.* sed tunc nondum dixerat *hoc est corpus meum*: ergo per hæc verba non consecravimus. Prob. major. ex ipso textu, ubi Mat-

thæus

thæus dicit, *accipiens panem, & gratias agens, benedixit, deditque &c.* ergo vel consecravimus, dum gratias egit, vel quando benedixit, & per ipsam benedictionem. Tum denique de calice, quia Marcus scribit, Apostolos jam bibisse, quando Christus dixit: *Hic est sanguis meus*; sed consecratio calicis præcessit ejus bibitionem: ergo & verborum illorum prolationem, & consequenter per illa non consecravimus.

408 Respondeo ad primum cum D. Thoma 3. parte quæst. 78. Innocentium non locutum definitivè, sed tantum opinativè: præsertim, quoniam tunc non erat Papa, sed Doctor particularis. Unde opinativè locutus est, dicens: *potest dici*. Ad secundam jam dictum est quæst. 5. ad argumenta adversus secundam conclusionem, ut videri est ibi, Christum in Emmaus, dum panem benedixit, ac fregit, non consecrasse, ut observant Liranus noster, Maldonatus, Calmet, & alii quamplurimi Expositores ad illum locum ex cap. 24. Lucæ. Et si tunc Eucharistiam confecit, ut Augustinus videtur affirmare lib. 3. de consensu Evangel. cap. 25. & serm. 87. de diversis, ex hoc non probatur, Christum non protulisse verba consecrationis, quamvis Scriptura silentio celet talem prolationem. Ultraquod, quia ut apparet argumento sequenti, Viri docti benedictionem, & prolationem verborum idem esse contendunt. Ad tertium nego consequentiam. Nec talis est Concilii mens, sed potius oppositum: siquidem post benedictionem, adhuc ibi agnoscit panem, apertissimeque ostendit, ejus conversionem in corpus Christi factam esse iisdem verbis, quibus eam testatus est, sicut docet, quod cum ab Evangelistis commemorata, & à D. Paulo repetita, propriam, & apertissimam significationem præferant, secundum quam à Patribus intellecta sunt, nempe, ut consecrativa, ut est dictum. Ad quartum nego majores

Tom. II.

rem, & consequentiam probationis. Nam ut ex D. Augustino docet D. Thomas, „ Evangelistæ non semper „ eundem ordinem in recitando ser- „ vaverunt, quo res gestæ sunt. Un- „ de intelligendum est, ordinem rei „ gestæ sic exprimi posse: Acci- „ piens panem, benedixit, dicens, „ hoc est corpus meum, & deinde „ fregit &c. & verus sensus rei gestæ est, quod dum Jesus benedixit, ceret, frangeret, & daret Discipulis suis, hæc verba dixit, accipite &c. & per illa consecravimus. Hanc solutionem approbat Catechismus Romanus. Per quod patet ad quintum, cujus major neganda est; quia Evangelista id non intendit per suam narrationem. Ad pleniorum horum intelligentiam, vide dicta disp. 1. quæst. 6. contra Hæreticos, ubi textus Marci declaratur.

409 Arg. 2. ex SS. Patribus, qui docere videntur, Christum consecrasse benedicens. Chrysost. homil. 26. dicit: *Cum benedictionem dico, Eucharistiam dico*. Ambrosius: *hic est panis, quem benedictio consecravit &c.* Cyprianus: *calix benedictione Domini sacratus, & sic de aliis Patribus*: ergo per benedictionem consecravimus. Confirmatur ratio: quando Christus instituit alia Sacramenta, ipse non protulit illorum formas ergo nec istius, licet illam præscripserit Sacerdotibus. Antecedens patet: nam dum Christus materiam, & formam Sacramenti Baptismi, & Penitentia (& sic de cæteris) Ministris præscripsit, non baptizavit, dicendo, *ego te baptizo &c.* nec peccata remisit, dicendo: *ego te absolvo &c.* sed illa Sacramenta instituit dicens: *baptizantes eos in nomine &c.* quorum remiseritis peccata &c. pariter ergo est dicendum in hoc Eucharistiæ Sacramento.

410 Pro solutione scire oportet, eximios esse Theologos, qui existimant, benedictionem, & consecrationem idem, & pro eodem à Patribus usurpari. A qua sententia ait Augustinus

Z 2

gus-

gustinianus Berti, non videntur aliepi S. Thom. 3. part. quæst. 78. Joan. à Sancto Thoma, disp. 29. de Euchar. Bellarminus lib. 4. cap. 8. & alii. Unde Ecclesiæ Patres sæpenu-merò consecrationem, & mysticam benedictionem indiscriminatim accipiunt. Et reverà, quod consecratur, cælesti benedictione repletur. Unde si benedictio sumatur strictè, & prout communiter sumitur, per illam in hoc sensu Christus non consecravit, sed præcessit ad consecrationem: alioquin quoties legimus, Christum benedixisse panem, (quod multoties, aut semper fecit, juxta morem Judæorum, antequam comederent, & hiberant, ut, annotatum est ab initio quæstionis) deberet dici panem consecrasse, quod falsissimum est. In deserto enim panes benedixit, & illos non consecravit. Si verò benedictio sumatur largè, tam pro consecratione, quàm pro alia pia pre- catione, aut mysticè, quatenus mystica dona immutat, redditque sancta, benedicta, vivifica, proculdubio idem sunt verba consecrationis, & benedictio; quia per consecrationem verè benedicitur, & est cælestis verbi benedictio. Per quod clarissimè satisficit argumento.

411 Ad confirmationem concessio antecedenti, nego consequentiam, & paritatem. Ratio discriminis est: quia quando Salvator dixit: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, tunc certè Christus illis verbis neminem baptizavit, sed instituit, quomodo Apostoli, & cæteri Ministri Baptismum exercere deberent. Similiter quando dixit: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis*, materiam, saltem remotam hujus Sacramenti designavit, nempe, peccata, & formam, scilicet, verba, quæ hanc remissionem explicarent. Cùm enim Dominus hæc diceret, nullum tunc remisit peccatum. Et idem est dicendum de cæteris materiis, ac formis Sacramentorum. At

verò quando dixit, *hoc est corpus meum*, non solum præscripsit formam, qua illius adorandum corpus confici posset, sed reverà etiam panem propositum consecravit, & suum corpus effecit. Unde firmiter credunt omnes Catholici, Christum verè consecrasse, quando hoc Sacramentum instituit, quamvis inter illos disputetur: an per verba confecerit Sacramentum? Nos sine dubitatione aliqua ita censemus: nam attenda autoritate Conciliorum, & SS. Patrum, non videtur nobis aliter sentiendum. Quapropter, ut D. Bonaventura ait: Christus sine verbis non consecravit: *quia faciendo, & docendo, instruebat Ecclesiam*, & non erat conveniens, quòd in præsentem separaret duo ista. Et si consecravit verbis, non aliis usus est; quàm istis: nam ut Scotus dixit: *non contulit virtutem, nisi verbis suis*, & Ecclesia non imitaretur authorem hujus Sacramenti, illud efficiendo, nisi iisdem verbis.

412 Arg. 3. præcipuè adversus secundam conclusionem: Plures SS. Patres docent, Eucharistiam confici, ac panem, & vinum consecrari oratione Sacerdotum: ergo verba non sunt Sacerdotibus necessaria, ut consecrent. Probo aut. Tum ex Patribus Græcis: nam Justinus Martyr Apolog. 2. dicit: *Oratione conficitur Eucharistiam*. Irenæus libro 4. contra hæreses cap. 34. docet: *Eucharistiam fieri invocatione Domini*. Idem docet Eusebius Emisenus serm. 5. de Paschate. Origenes in cap. 5. Matthei *Eucharistiam appellat cibum, qui per verbum Dei, & orationem sanctificatur*. Similiter Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 37. S. Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 3. videtur opinari, consecrationem fieri per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, atque adeo per sequentes orationes: ergo. Tum ex Patribus Latinis: siquidem Hieronymus Epist. 85. ad Evagrium ait: *ad quorum preces Christi corpus, sanguisque efficitur*. D. August. lib. 3. de

de Trinit. cap. 4. dicit: *id, quod prece mystica consecratum sumimus ad salutem*. Et Epist. 59. ad Paulinum: *orationes appellat ipsam benedictionem, & consecrationem Eucharistiae*. Et lib. 1. de Baptismo contra Donatistas, ait cap. 20. *Deum exaudire homicidam deprecantem super Eucharistiam*. Denique S. Gregor. lib. 7. Epist. 63. scribit: *Eucharistiam conficit per Dominicam orationem*: ergo.

413 Respondeo ad omnia hæc, idcirco Patres appellare preces, aut orationes formam consecrationis propter preces, quæ Ecclesia præmittere solet in Canone Missæ, quibus Sacerdos Deum, ut panem in corpus, & vinum in sanguinem dignetur convertere, his deprecatur verbis: „ Hanc igitur oblationem, tu Deus, „ in omnibus quæsumus, benedic- „ tam, adscriptam, ratam, ratio- „ nabilem, acceptabilemque facere „ digneris, ut nobis corpus, & san- „ guis fiat Domini nostri Jesu Chris- „ ti. „ Propter has, & alias preces solitas præmitti, dixerunt, Eucharistia Sacramentum orationibus Sacerdotum confici: quod non est intelligendum, ita ut Eucharistia illis precibus formaliter conficiatur, sed quod preces illæ immediatè præcedant ipsam consecrationem. Vel dicendum, Patres per preces, & orationes verba, seu formam ipsam consecratiivam intelligere, & illam pre- cem, & invocationem appellare, quia per illa consecratoria verba divina virtus ad sanctificationem, & consecrationem panis, & vini evocatur. Deusque interpellatur, ut meminerit sui pacti cum hominibus inniti, de conferendo suo corpore, & sanguine sub sensibilibus signis. Hac ratione Mag. Par. August. lib. 5. cap. 20. contra Donatistas: *omnium Sacramentorum formas deprecationes vocat*. Item Theophylactus in cap. 26. Matthei verba consecrationis appellat preces, dicens: *id, quod etiam nos facimus preces adjungendo, hoc est*

corpus meum. Quod idem habet oratione catechetica Gregorius Nissenus. Unde verba Salvatoris sunt oratio Dominica, & nihil convincit argumentum ex Patribus desumptum.

414 Arg. 3. ex Liturgiis SS. Marci, Jacobi, Basili, & Chrysostomi, in quibus postquam Sacerdos profert verba: *Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus*, in hæc verba precatur: „ Rogamus te, Sancte Pater, „ ut mittas Spiritum Sanctum tuum „ super nos, & super hæc apposita munera: & fac panem istum „ pretiosum corpus filii tui, & quod „ est in calice Sancto, pretiosum „ sanguinem Christi tui &c. „ ergo illi censent per prædicta verba corpus Christi non fieri præsens. Respondeo omissis aliquorum solutionibus, quòd Græci, rectè conficientes Eucharistia Sacramentum, non dijudicare per verba sequentia fieri consecrationem, sed solum per illa verba *hoc est corpus meum: hic est sanguis meus*. Constat hoc ex illis Græcis, qui rogati ab Eugenio Papa in Concilio Florentino, cui interfuerunt, cur hanc orationem postponerent verbis consecratoriis? Dixerunt, se profiteri, ac firmiter credere, Eucharistia Sacramentum confici illis verbis: *Hoc est corpus meum*. Sed quemadmodum Latini, Sacramento confecto, utuntur hac oratione: *Fiat commixtio, & consecratio corporis, & sanguinis Domini nostri Jesu Christi accipientibus nobis in vitam æternam &c.* ita ipsi orant, ut Sanctissimum Christi corpus fiat in salutem animarum: nihilque aliud per tales preces, dixerunt, se intendere. Confirmatur ex eo, quòd in eisdem Liturgiis Sacerdos communicaturus orat in hunc modum: *Fiat mihi, Domine Jesu Christe corpus tuum in remissionem peccatorum meorum, & sanguis tuus pretiosus in vitam æternam*. Et in Ecclesia Latina dicimus: *Corpus Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus, &c.* Ua-
de

de nego consequentiam argumenti.

415 Pro complemento huius disputationis dubitabis: *An Græci existimantes, verba Christi non sufficere ad consecrationem, reverâ consecrent?* Pro resolutione sciendum est, eam esse quorundam Græcorum recentiorum peculiarē sententiam, quod sola illa verba, quæ diximus, formam esse Eucharistiæ, & quibus Christus consecravit, non sufficiant ad consecrationem, nisi adjiciantur preces quædam, & orationes, quibus postulatur à Deo, ut panis convertatur in corpus Christi, & vinum in ejus sanguinem. Hunc errorem docuerunt Nicolaus Cabasilas, & quidam Marcus Episcopus Ephesiorum. Idem docuit Jeremias, Patriarcha Constantinopolitanus, in censura confessionis Augustanæ cap. 10. Nunc ad dubium:

416 Respondeo, quod quamvis Græci opinentur, verba Christi non sufficere ad consecrationem; tamen quando celebrant, si illa proferunt cum intentione faciendi, quod Christus jussit, & non habent contrariam intentionem, verè consecrant. Ratio est; quia illorum universalis intentio, quæ est veluti formalis, corrigat particularem errorem, & intentionem, quæ est materialis. Hęc enim intentio particularis alteri universali se subjicit. Secus dicendum est, si hanc universalem intentionem non habent. Nemo verò adeo erit te-

merarius, qui directè excludat intentionem generalem, si suæ privatæ repugnet, nisi sit, ut quidam Ruthenus Consul Vlnensis, qui cum urgeretur testimoniis Scripturæ in materia genuflexionum, quas Dominus, & Apostoli sæpe in precibus adhibuerunt, & in usu habuerunt; respondit, ita quidem esse: sed tamen nolle genua flectere, ne in hoc conveniat cum Latinis, & eos videatur imitari: atque adeo se habere intentionem non faciendi, quod in consecrando faciunt Latini. Stultitia grandis. Iste enim, aut alius ei similis non consecraret. Pariter, si Græcis, dum celebrat, intendet non consecrare, quando proferit verba illa Christi: *Hoc est corpus meum*, sed tantum, quando dicit hanc orationem, expressam in Canone suæ Ecclesiæ: *fac hunc panem in corpus Christi converti, & vinum in sanguinem &c.* Tunc reverâ non consecraret. Pro aliis adverte, quod dum aliqui Patres Græci dicunt, post verba: *Hoc est corpus meum*, manere ibi *Antitypon*, hoc est, signum, seu symbolum panis, per hoc non intendunt, post illa verba adhuc ibi manere panem, ac per consequens per alia verba posteriora fieri consecrationem; sed tantum loquuntur, quatenus species panis, & vini, quæ, prolatis illis verbis, semper existunt, sub oculorum sensum cadunt.

DIS-

DISPUTATIO III.

DE VERA CHRISTI EXISTENTIA SUB SPECIEBUS consecratis, aliisque effectibus consecrationis, & transubstantiationis.

Signis, ac symbolis Eucharistiæ declaratis, necesse est, ut accedamus ad illorum contentum, & significationem. Mirabilis quidem, ac famosiora divinæ sapientiæ, & omnipotentis Disputatio hæc continet, in qua præsertim disputabimus cum Hæreticis hujus tempestatis. In speculativis verò altercationibus, in quibus Catholici dividuntur, nostras sententias prævalere curabimus.

QUÆSTIO I.

An corpus, & sanguis Christi verè, & realiter sint præsentia speciebus Eucharisticis?

418 **V**ix Christus Dominus hoc ingentissimum sui corporis, & sanguinis beneficium in Eucharistiæ Sacramento hominibus se spondiderat concessurum, Joan. 6. *Panem, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: cum illico Capharnaïtæ murmurabant, atque adversum eum litigabant, dicentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Quibus cum reposuisset Christus: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, multi, etiam ex ejus discipulis, ait Sacer textus, incredulitate laborare ceperunt, & dixerunt: *Darus est hic sermo, & quis potest eum audire? Unde abierunt retrò, & jam non cum illo ambulabant.* Hos desertores Christi discipulos secuti sunt deinde plures Hæretici, qui de errore in errorem miserimè abeuntes, hanc

ausi sunt impugnare Catholicam veritatem. Quare judico abs re non fore, aliquos eorum breviter referre, ut facilius reddatur via illos repellendi.

418 *Referuntur ergo præcipui errores erga Sacramentum Eucharistiæ.* Plurimi fuerunt, qui adversus realem Christi præsentiam sub speciebus eucharisticis perfidiæ suæ contumaciam prodiderint. Primum Idem tenuerunt Capharnaïtæ, ut videri est numero antecedenti, inter quos fuisse Judam, apostatam, & proditorem, suadetur Chrysostomi, & aliorum SS. Patrum autoritate, quam mirificè elucidat illuminata Doctrina Agretensis, loquens de Judæ communionem, & perfida incredulitate. Illos secuti sunt Simoniani, Manichæi, Martionistæ, alique Phantasiastæ, qui negantes, veram Christi carnem, fateri non poterant, hanc in Eucharistia contineri. De his loquitur S. Ignatius Epist. ad Smirneses. Eundem amplexati sunt errorem quotquot circa Verbi divini personam, hypostaticè humanitati Christi vitam, inficientes erraverunt, ut Nestoriani, qui in Sacramento Eucharistiæ non admittunt carnem Christi

ti

ti propriam, eò quòd illorum hèresis in eo sistit, quòd protervient, Christum esse personam à Verbo distinctam, seu non esse personam divinam. Hæc de hèresibus antiquioribus.

419 Surrexit postea quidam *Ioannes*, *Erigena* subnominatus, ex *Hibernia* oriundus. Et quia antiqua *Hibernia* *Scotiam* complectitur, subnominatus est etiam *Scotus*, & legitur obiisse anno 883. vel 84. Ex quo evidentissimè inferes, quàm diversus sit iste *Joannes Scotus* à *Subtilissimo Seraphicæ Religionis Magistro*, cujus scripta numquam, nec in jota, declinaverunt, quin potius semper veritatem Catholicam mirificè propugnarunt. Illum itaque *S. Prudentius* nominavit *sectatorem Pelagii, Cælestii, & Juliani*: & *Ecclēsia Lugdunensis* *hominem inani verbositate, & ventosa loquacitate, perniciosissimè occupatum nuncupavit*. Sunt verò plurimi, qui asserant, hunc *Joannem Scotum* obiisse *Christi Martyrem*, & pro tali numeratum esse in *Martyrologio Antuerpiæ*, typis mandato jussu *Gregorii XIII.* anno 1586. Si hoc ita sit, firmiter est tenendum, suos omnes errores detestasse ad plenum: & de facto ita fecisse *Nicolai III.* admonitu, plures *Authores* sentiunt. Non igitur *Hæretici* fraudulenter hunc *hominem Sanctum, & Martyrem* pro se adducant, & *pœnitentiam*, ac *conversionem* ejus reticeant.

420 Prodiit postea sæculo undecimo hèresis *Berengaria*. Fuit *Berengarius Andegavensis Ecclesiæ Archidiaconus*, de cujus errore erga *Eucharistiam* eruditi omnino non conveniunt. Quare non desunt, qui *Berengario* tribuant assertam à *Lutheranis impanationem*. Illum damnarunt *Leo IX.* in *Romana Synodo*, anno 1050. *Florentina Synodus* sub *Victore II.* anno 1055. & *Romana* sub *Nicolao II.* anno 1059. At verò *Berengarius*, deposita errorum pertinacia, ad sanam reddidit mentem,

hèresimque suam in tribus fidei formulis abjuravit, ac libros suos concremavit. Ejus tertiam fidei formulam, in qua fatetur *transubstantiationem*, & incipit: *Ego Berengarius*, disp. 1. quæst. 7. conclus. 3. edidimus. Unde obiit *Catholicus*, & fere *nonagenarius*, anno 1088. ut narrat *Clarivus Floriacensis Monachus*.

421 Sæculis sequentibus pervicaciores surrexerunt hostes in *Eucharistiæ Sacramentum*, nempe, *Petrus de Bruis*, & *Henricus* ejus discipulus. Deinde *Albigenses*, ex *Manicheorum* reliquiis exorti: *Carlostadius*, *Zuinglius*, & alii ejusdem farinae. Hi omnes fatentur in *Eucharistia figuram, signum, & imaginem* corporis, & *Sanguinis Christi*, non verò ipsum verum corpus, & sanguinem. Illis accessit circa annum 1312. *Joannes Wiclephus*, *Anglus*, qui, ut refertur in *Concilio Constantiensi*, sess. 8. affirmavit, substantiam panis, & vini in *Sacramento Altaris* permanere; *Christum* verò ibi esse, negavit. *Insuper* tradidit, *Sacerdotem* in peccato existentem *Sacramentum* non conficere, neque consecrare. Ejus errorem secutus est *Joannes Hus*, *Boemus*, ut patet ex sess. 57. ejusdem *Concilii*, & ex processibus contra illum factis, & per testes locupletes probatis.

422 Orti sunt denique *Lutherus*, & *Calvinus*, cum suis discipulis. Et quid isti infelicissimi? *Lutherus* primò excogitavit negare realem præsentiam *Christi* in *Eucharistia*, ut fecit in suo libro ad *Waldenses*. Et lib. de *Capt. Babil.* asserit, *Sacramenta novæ legis* nuda signa esse. Ad extremum tamen, cum opinionem suam sæpius mutasset, conclusit, *Christum* realiter esse in *Sacramento*, sed simul cum substantia panis, & vini, ut liquet ex ejus epistola ad *Argentineses*. Nec discipuli ejus eandem doctrinam tenuerunt: nam *Carlostadius* statim ab ipso discessit, quod idem *Zuinglius* fecit, *Berengarii* hèresim amplexantes, quamvis

vis tunc antea *Luthero* adhæsisset. *Calvinus* autem, super omnes pravus, omnium judicem, arbitrumque se constituit, circa ann. 1534. Unde *Lutherum*, & ejus discipulos rotundè damnavit. Sed quidquid asserat iste homo astutus, negans realem *Christi* præsentiam in *Eucharistia*, in falsitatibus cæterorum *Hæreticorum* implicatur. Hactenus de hèresibus. Si alia plura desideras, lege controversistas, qui de hoc puncto diffusè disputant. Contra omnes prædictos, & similes *Hæreticos*.

Sit Catholica Conclusio.

423 *Corpus, & Sanguis Christi verè, realiter, & substantialiter sunt sub speciebus Eucharisticis*. Est de fide. Hanc infallibilem veritatem propugnat adversus *Ecclēsiæ* hostes *N. Doct.* Subt. 4. dist. 10. quæst. 1. num. 3. Conclusio probanda est validissimè contra *Hæreticos*, proterviendo dicentes, *Christum* non esse in hoc *Sacramento*, nisi symbolicè, figurativè, & objectivè, quatenus, nempe, ibi apprehenditur per fidem. Demonstranda est igitur realis existentia *Corporis Christi* in *Eucharistia* 1. ex *Sacra Scriptura*, scilicet, ex verbis *Domini*, tam *Eucharistiæ* promittentis, quàm instituentis. 2. Ex *traditione divina*, & *Apostolica*. 3. Ex *Conciliis Œcumenicis*. 4. Ex *SS. Patribus*. 5. Ex *Theologicis rationibus*. Et denique ex *vita Sanctorum* ab *Ecclēsiæ* initio, ut sic omni ex parte *Sacramentarium Hæreticorum* erronea dogmata trucidentur.

424 Probatur igitur 1. ex verbis *Christi Domini Eucharistiæ* promittentis, sic: Quod *Christus* promittit, se daturum, reverà complevit, & dedit; sed promittit, se daturum verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem suum in cibum, & potum: ergo utrumque reverà dedit. Major etiam ab *Hæreticis* admittitur, cum *Christus*, utpote ipsa

Tom. II.

veritas, & sapientia, nec fallere, nec falli possit. Nunc sic: sed non aliter, nec alibi, promissum implevit, quàm instituendo *Eucharistiam*: ergo hæc verè, & realiter continet corpus, & sanguinem *Christi Domini*. Minor subsumpta clarissimè patet ex illis verbis *Joan. 6.* Ubi cum *Christus* promississet, daturum se suam carnem ad manducandum, & ad invicem litigarent *Judæi*, dicentes: *Quomodo potest hic nobis suam carnem dare ad manducandum?* Statim subdit *Dominus*, confirmans prius assertum: „ Ni-
„ si manducaveritis carnem filii ho-
„ minis, & biberitis ejus sanguinem,
„ non habebitis vitam in vobis. Qui
„ manducat meam carnem, & bibit
„ meum sanguinem, habet vitam
„ æternam ... caro enim mea verè
„ est cibus, & sanguis meus verè est
„ potus. Qui manducat meam carnem,
„ & bibit meum sanguinem, in me
„ manet, & ego in illa &c.

425 Respondent *Hæretici*, ibi *Christum* loqui de manducatione spirituali, quæ fiat, non ore corporis, sed ore mentis, seu per fidem, quæ quis sumendo *Eucharistiam*, credit, se recipere corpus, & sanguinem *Christi*. Ad hanc doctrinam, & solutionem, omnes reducuntur *Hæreticorum* cavillationes. Ad omnia enim *Scripturæ* loca, etiamsi clarissima sint, dicunt, intelligi debere tropicè, & figurativè: non verò physicè de vera, & reali manducatione. Unde semper figuratum obrudunt sensum *Scripturæ*. Ob hoc *S. Epiphanius* illos comparavit fabuloso canini, qui panem, qui in ore tenebat, deposuit, ut in umbram dentes immitteret.

426 Contra ergo multipliciter Tum, quia *Christus* ibi expressè distinguit manducationem suæ carnis à potione sui sanguinis, dicens: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*; sed si loqueretur de manducatione solum figurata, & per fidem, distinctio illa inanis erat, & superflua: nam comestio,

Aa

&

& potio per fidem unum, & idem omnino sunt, eodemque modo fiunt, scilicet, credendo in Christum: ergo ibi non erat sermo de sola manducatione per fidem, sed de physica, & reali. Tum: Dominus ait: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*; sed si caro manducaretur, & sanguis biberetur solum per fidem, caro non est verè cibus, nec sanguis verè potus, sed tantum metaphoricè: ergo manducatio in Eucharistia non solum fit per fidem, sed verè, realiter, & substantialiter sumitur à fidelibus corpus, & sanguis Christi. Minor certissima est, quia sicut fides tantum est gustus, & os animæ metaphoricum, ita ejus cibus, & potus tantum est metaphoricus, & non verus, ac proprius. Tum: præfata Redemptoris verba significabant eam manducationem, & potionem, quæ fuit Judæis litigio, & scandalo: *litigio*; nam ait sacer textus: *his enim auditis, Judæi litigabant ad invicem, dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Scandalo etiam; nam aliqui ex discipulis dixerunt: *Durus est hic sermo, quis potest illum audire?* Sed illi reverà intelligebant realem, & substantialem manducationem, & potionem: ergo de illa loquebatur Dominus. Minor est constans: nam si Christum existimassent locutum de spiritali manducatione sui corporis, nec tenuissimam causam habuissent litigii, scandali, & offensionis. Consequens est certissimum; quia Dominus illorum existimationem confirmat, subjungens: *Amen, amen, dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

427 Deinde, ut tanti Mysteriorum fidem conciliaret, iterum subdit Dominus: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis, ascendentem, ubi erat prius.* Quasi volens rem hanc admirabilem confirmare a lia æquè admirabili, nempe, reali

sui corporis in Cælum ascensione. Et quidem, si Christus unico verbo poterat sedare, ac removeere scandalum, declarando, se dumtaxat loqui de manducatione figurali, & per fidem, sicut fecerat prius: nam ut sedaret eorum murmur, quando dixit: *Ego sum panis vivus, qui de Cælo descendi*, statim addit: *qui credit in me, habet vitam æternam*; cur igitur non removit ab eis existimationem, quam habebant de manducatione vera, & reali, & potione, sui corporis, & sanguinis, quinimò illam existimationem confirmavit? Signum ergo certissimum est, talia verba de vera corporis Christi manducatione intelligenda esse, ac per consequens Hæreticorum intelligentia, & responsio falsissima est.

428 Probatum etiam conclusio ex verbis Christi Eucharistiam instituentis. Matth. 26. Marci 14. & Lucæ 22. Dominus corpus suum tradendo discipulis sub specie panis, ait: *Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum*; & porrigendo sanguinem sub specie vini, dicit: *Bibite ex hoc omnes: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Ex quibus sic arguuntur: illud est verè, & realiter in Sacramento, quod demonstratur per ista pronomina *hoc*, & *hic*, & per ista nomina, *corpus*, et *sanguis*; sed per ista pronomina, *hoc*, & *hic*, & per ista nomina, *corpus*, et *sanguis* intelliguntur, ac demonstrantur verum, ac reale corpus, verus, & realis sanguis Christi: ergo illa verè, & realiter sunt præsentia in Eucharistia. Major est innegabilis. Probo minor. præcludendo Hæreticorum evasionem: Ea verba significant illud corpus, de quo Christus ibidem dicit: *quod pro vobis tradetur*; similiter de eo sanguine, de quo pariter dixit: *qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; sed non figura, et imago corporis, sed verum, ac reale corpus Christi pro nobis traditum, ac

datum est: pariter verus Christi sanguis pro multis effusus est in remissionem peccatorum: ergo corpus, & sanguis, de quibus Christus loquebatur, & quæ Apostolis tradebat, reverà erant ejus reale corpus, & sanguis. Quid evidentius? Verè tenebras quærit in meridie, qui talia Christi verba ad tropologicas locutiones, & figurales interpretationes nititur detorquere.

429 Confirmatur urgenter ex eo, quod ubi non intelligebant Apostoli sermonem figuratum, interrogabant Dominum, ut patet Matthæi 15. *edisserere nobis parabolam istam*; sed in præsentis mysterio nullus eum interrogat: ergo quia talia Domini verba exceperunt secundum naturalem sensum, non autem secundum figuratum. Præterea compertum est, quod ubi aliquis Evangelista Christi oracula obscurioribus verbis expresse- rit, alius hujusmodi verba clariùs enarret, quasi subsidiariam opem conferens. Sic, cum Matthæus scripsisset, Joannem Baptistam à Christo nuncupatum esse Eliam, sine aliquo additamento, Lucas declarat, quo sensu sit nuncupatus, dicens: *venit Joannes in virtute, et spiritu Eliæ.* Et vicissim; quia Lucas scripsit, *Dæmonium ejectum fuisse in digito Dei*, Matthæus exponit, quis sit ille Dei digitus, scribens, *esse Dei spiritum.* Et quia Matthæus, & Marcus scripserant, Christum accusatum, quod dixisset: *solvite templum, et in triduo reedificabo illud*, ne quis existimaret, hoc fuisse dictum de templo Jerosolymitano, ut perperam falsi testes id exceperunt, Joannes addit: *Hoc à Christo dictum fuisse de templo corporis sui.* Et sic de aliis pluribus Scripturæ locis. Nunc sic: sed cum Evangelistæ sermonem faciunt de Eucharistiæ institutione, nullus eorum verba talis institutionis ab aliis scripta, est interpretatus, nec explicat, intelligi in sensu figurato: quid potius unanimi consensu referunt, Christum dixisse: *Hoc est corpus*

meum: ergo efficax argumentum est, verba illa accipienda non esse figurativè, sed litteraliter. Mitto ulterius Hæreticorum cavillationes vanas; quia omnes illæ, ut obscurent solem, laborant.

430 Demonstratur eadem Catholica veritas ex traditione divina, et Apostolica. Pro 1. superest Apostolus, qui 1. Corinth. 11. hanc divinam traditionem nobis dissertè ministrat, dicens: „Ego enim accepi „ à Domino, quod & tradidi vobis „ quoniam Dominus Jesus, in qua „ nocte tradebatur, accepit panem, „ & gratias agens, fregit, & dixit: „ accipite, & manducate: Hoc est „ corpus meum, quod pro vobis tra- „ detur &c.“ Hoc divino oraculo, Apostolus præclara nobis monumenta subministrat ad resciendâ, & frangendam Hæreticorum perfidiâ. Dicit namque 1. se hanc doctrinam accepisse à Domino: quod utique Hæretici dicere non possunt, cum nulli Christi dixerit, se tradidisse discipulis imaginem, & figuram sui corporis, & sanguinis. Quis ergo hoc Hæreticis insufflavit? Pro omnibus illis Lutherus respondet initio libri sui de *de Missa privata abroganda*; ubi fatetur, se omnes ratiunculas, & argumenta, quibus divinum istud Sacramentum impugnat, ac Catholicam doctrinam, audividisse à Dæmone; cum quo se conversatum familiariter, asseverat. Ex quo sic: ergo Hæretici aliter, quàm Paulus loqui debent. Ergo si Paulus dicit: *quod accepi à Domino, hoc tradidi vobis*, ab opposito dicere debent Hæretici, nempe: *quod accepi à Diabolo, hoc tradidi vobis.* 2. Ait Apostolus, Dominum discipulis tradidisse idem corpus, quod Judæis tradendum erat crucifigendum; sed Christi corpus, quod crucifixum est, non fuit imaginarium, sed reale, & verum: ergo non dedit in Eucharistia Apostolis imaginem, & significationem dumtaxat sui corporis, & sanguinis, sed verum corpus, & sanguinem.

431 *Probatur eadem veritas ex Apostolica traditione.* Hæc traditio semper constans fuit in Ecclesia Catholica, testimonio S. Andreæ Apostoli, qui, (ut acta passionis ejus, conscripta à Presbyteris Achajæ, oculatis testibus, referunt) cum suaderetur ab Ægea, ut diis immolaret, Andreas constantissimè respondit. „ Ego Omnipotenti Deo immolatum „ agnum quotidie sacrifico: non tau- „ rorum carnes, nec hircorum san- „ guinem: sed immaculatum agnum „ in Altari, cujus carnem, postquam „ omnis populus manducaverit, ag- „ nus, qui sacrificatus est, integer „ perseverat, & vivus.“ Hæc acta tantæ fidei, & authoritatis sunt, ut in Ecclesia universali recitentur. Laudantur etiam à D. Bernardo, serm. 2. de S. Andrea, à S. Petro Damiano, serm. de eodem Apostolo, à S. Ambrosia, aliisque Patribus. Mitto, quæ referuntur ex Liturgia S. Jacobi, S. Marci, S. Petri, & aliis monumentis, quæ, ut aliqui Catholici Doctores notant, non in omnibus sunt omnino certa: & nolimus cum rebus non omnimodè certis, & perspicuis, Hæreticorum convincere errores.

432 Sed respondent Hæretici, acta illa omnino esse apocrypha. Ad hoc suadendum proferunt monumenta ex Eusebio, qui lib. 3. Hist. c. 25. reponit acta SS. Andreæ, & Joannis, inter libros conscriptos sub nomine Apostolorum. Ex Epiphano, docente, Encratistas, & Originistas solitos fuisse uti actibus Andreæ, Joannis, & Thomæ, ex Augustino, referente lib. 1. de Fide, cap. 4. Manichæos approbasse illa acta. Ex quo Baronius ad ann. 69. num. 34. inter alia, hæc habet: quoniam S. Andreæ acta à Manichæis corrupta, & citari solita fuerunt, remansit illorum in Ecclesia dubia fides. Denique Gelasius Papa in decreto de libris apocryphis, inter illos enumerat acta S. Andreæ: ergo authoritas ex illis actibus desumpta nullius est momenti.

433 Sed respondeo, hanc Hæreticorum illationem falsissimam esse. Dico igitur, Eusebium, Epiphanium, Augustinum, Baronium, & Gelasium, minimè loqui de actis passionis S. Andreæ, conscriptis à Presbyteris Achajæ, sed de actis, quæ ab ipso S. Andrea, veniente de Ponto in Greciam, conscripta fuisse volebant Manichæi, in quibus inserta erant plura Hæreticorum figmenta. Nec aliud voluit Baronius, ut videri est tom. 1. ad ann. 45. ex Philastrio de hæresibus, cap. 89. Omnes igitur præfati Authores improbant illa acta sub nomine S. Andreæ, quorum ipse Author circumferabatur. Vel loquatur de actis peregrinationis, & prædicationis ejus, quæ ab illius discipulis scriptaangebantur. Non itaque loquuntur de Epistola Presbyterorum Achajæ, in qua enarratur passio B. Andreæ: nam ut scribit Bellarminus, *Epistola illa in tota Ecclesia celeberrima est, & ex illa, quæ referuntur, sine dubitatione sumpta sunt.* Idem asserit S. Petrus Damianus serm. 2. de S. Andrea, proclamans verissimam illam historiam, & omnino indubiam.

434 *Probatur etiam Catholica veritas ex Sacris Conciliis.* Sed quia in longum esset abire, si omnia Conciliorum dicta intenderemus adducere, cum nullum sit, quod hanc veritatem non definierit, prout tempus contra Hæreticos exigebat, pro omnibus Tridentinum sufficit. Hoc enim Sacrum Concilium, nedum veritatem Catholicam statuit, sed Hæreticorum, & Satanae impia commenta confundit. Itaque sess. 13. cap. 1. super illa Christi verba: *accipite, et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur &c.* inquit Concilium: „ Cum propriam illam, „ & apertissimam significationem præ- „ seferant, secundum quam à Patri- „ bus intellecta sunt, indignissi- „ mum sapè flagitium est, ex illis „ quibusdam contentiosis, & pravis ho- „ minibus, ad fictitios, & imaginari- „ rios

„ rios tropos, quibus veritas carnis, „ & sanguinis Christi negatur, con- „ tra universum Ecclesie sensum „ detorqueri, quæ tamquam colum- „ na, & firmamentum veritatis, hæc „ ab impiis hominibus excogitata com- „ menta, velut Satanica, detestata „ est, grato semper, & memore ani- „ mo, præstantissimum hoc Chris- „ ti beneficium agnoscens &c.“ Au- „ diant hoc Hæretici, si aures ha- „ bent.

435 *Eadem demonstratur veritas ex SS. Patribus.* Ex SS. Patribus omnium sæculorum elucet egregia monumenta contra Hæreticorum in dies recrudescentia vaniloquia. Sit primus D. Augustinus, quem Hæretici stultissimè suum vocitant Patronum. Explicans S. Doctor Psal. 33. in ea verba tituli, *ferebatur manibus suis,* postquam asserit, illa non intelligi secundum litteram de Davide, sed de Christo Domino, inquit Augustinus: *Ferebatur manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum: ferebatur enim illud corpus in manibus suis.* Ex quo convincitur, verè in sanire, putantes, hæc de figura, de imagine, aut solum objectivè intelligi, aut explicari posse, cum intelligentia hæc nullatenus sit litteralis, & Augustinus prætendat, hoc esse dictum litteraliter. Et alibi ait: *Christus de carne Mariæ carnem accepit, in ipsa carne ambulavit, et ipsam carnem manducandam nobis ad salutem dedit.* Quod etiam ad carnem mysticam sine violentia manifesta detorqueri nequit. Chrysostomus hom. 83. expressè asserit, *suum reale, et non tantum per fidem, reliquisse corpus in Eucharistia.* Idem docet Ambrosius 3. Sacram. Theophrastus in cap. 26. Matthei: Tertullia Apol. 2. de resur. carnis. Nolo esse infinitus in aliorum Patrum relatione, cum omnes unisonè hanc exprimant veritatem. Qui uberiores copiam testimoniorum cupiat, Petronium, Frassenium, ac Berti perlegat.

436 *Probatur realis Christi existentia in Sacramento Theologicis rationibus.* Sic: lex Evangelica præstantior, ac nobilior est lege veteri, & Mosayca: ergo excellentiora debet habere Sacramenta, & majori dignitate prædita. Antecedens constat ex Apostolo ad Galat. & ad Heb. 9. & 10. & à nobis dictum manet Tract. de Sacram. in gen. Nunc sic: sed ita non esset, si Eucharistia dumtaxat esset simplex, et nuda figura corporis, et sanguinis Christi: ergo non est æstimanda talis. Prob. min. In veteri lege præcellentiores longè, ac clariores erant figuræ corporis, ac sanguinis Domini, ejusque passionis, quàm sit Eucharisticus panis, si nihil aliud dignitatis habeat, quàm esse figuram corporis, & passionis Christi: nam Manna, & Agnus Paschalis longè præstantius significabant Christum, ac ejus passionem, quàm nudus panis Eucharistiæ Calvinisticæ. Patet hoc: nam Manna de Cælo pluebat, & habebat in se omnis saporis suavitatem, quæ nequeunt dici de pane cibario, & usuali, qualis est Hæreticorum Eucharisticus panis. Similiter Agnus, quem Judæi macabant, erat animal vivum. Quare per veram ejus carnem, & mortem potius exprimebatur caro, & sanguis Christi, quàm per solum panem: siquidem nec panis potest propriè mori, sicut Agnus, nec præditus est carne, aut sanguine. Ergo si Eucharistia solum esset panis usualis, nec alia præstantia, ac dignitate polleret, quàm quod sit figura, ac representatio corporis, & passionis Christi, sequeretur, veterem legem præstantiorem esse Evangelicam, utpote quæ habebat figuras excellentiores, quod absurdum est cogitare.

437 *Probatur denique, ac roboratur eadem veritas Catholica, 1. ex Sanctorum vita, & 2. ex miraculorum excellentia.* Vita enim inculpabilis, & canonizata Sanctorum illorum, qui in Ecclesia Romana vixerunt, quam vitam Deus potentissimis

mis miraculis illustravit, veritatem hanc manifestandam ad oculos ponit, si non omnino obsecatos illos habeant, ut Hæretici habent. Hujusmodi sunt, quotquot Ecclesia celebrat, ac veneratur Sanctos. In hac constanti fide de reali presentia Christi in Eucharistia vixerunt Apostoli, Martyres, Doctores, Confessores, Heremite, Sacrae Virgines, Viduae, ac Sancti omnes, quorum vitas illustratas comperimus præstantissimis, ac innegabilibus Cœli miraculis. In hac denique fide vixit S. Antonius Paduanus, qui ut convinceret Hæreticum, negantem in Sacramento realem Christi præsentiam, fecit coram testibus ab incredulo electis, ut famelica Bestia cibum relinqueret, & flexis genibus in hostia consecrata suum adoraret Creatorem.

438 Monumenta miraculis eadem veritatem manifestantia, sunt plurima. Inter omnia, & pro omnibus sufficiat unum, & quidem mirabile valde. Cernitur hoc prodigium in *Daroca*, Civitate Regni Aragoniæ, ubi quinque, vel sex asservantur particulae in sanguinem versae, aut sanguine tinctae. Historia in substantia sic se habet. Sacerdos quidam particulas consecraverat, ut Duces Exercitus Christianorum, pugnaturi contra Mauros, communicarent in Missa. Sed inopinato superveniens ante communionem Exercitus Maurorum, tubæ ad pugnam insonuerunt. Qua de causa, relicta communionem, arma sumpserunt Duces Christiani. Sacerdos igitur turbatione possessus, in ipsis corporalibus linteis particulas consecratas involvit, & subtus lapidem absconditas reliquit. Dum autem concluso certamine, cum ducibus rediit, invenit particulas in sanguinem versas, ipsisque corporalibus, ut hodie ab omnibus videntur, cum ipso sanguine affixas. Litigantibus igitur Christianis Ducibus, (quisque enim tam mirandum mysterium desiderabat in suæ Patriæ pignus) decisum est, ut Mulæ caecæ

impositum sacrum illud mysterium, illius esset Civitatis, aut loci, ubi Mula caeca, nullo ducente, gressum dirigeret, & ibi maneret. Sic factum est: atque ad Doracensem Civitatem perveniente Mula, nullo, præter Deum, ducente illam, Ecclesiam ingressa, & coram Altari suapte genuflexa, mysterium tradidit sanctissimum, & simul suam vitam: sic Deo operante, ut ad nihil aliud deserviret, quæ vehicula fuerat sui Creatoris, realiter existentis sub speciebus illis. Alia sunt plurima monumenta hujus generis in orbe Christiano, cujus relationem, ne in longum abeam, omitto.

Argumenta Hæreticorum infringuntur.

Sicut nos armis lucis, & veritatis adversus malignantes Hæreticos pugnavimus, ostendendo clarissime ex Scriptura, & SS. Patribus, ac ex Theologicis rationibus, realem Christi existentiam in Sacramento: ipsi arma sua fuliginosa, tenebrosa, ac mendaciosa vertentes in Catholicos, contendunt contumaciter, suadere ab opposito, Christum realiter non existere in Eucharistia sub speciebus, ex Scriptura Sacra, ex Patribus, ac ex theologicis rationibus. Quare hoc ordine argumenta illorum principalia proponere est necessarium, ut solutionem genuinam præstemus, atque eorum malitiam, ac dolum aperiamus.

439 *Arguunt 1. ex Sacra Scriptura*: Verba illa: *Hoc est corpus meum*, figuratè sumuntur: ergo in Eucharistia corpus Christi solum est figuratè: ergo non verè, realiter, & propriè. Prob. anteced. Illa verba: *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine* figuratè sumuntur: ergo & illa: *Hoc est corpus meum*. Antecedens patet: nam *calix* accipitur pro re in ipso contenta, cui non nisi impropriè tribuitur, quod sit novum Testamentum. Confirmatur 1.

Quia

Quia alia similes Scripturae locutiones figuratè sunt, & non propriè: ergo etiam istæ: *Hoc est corpus meum*: *Hic est calix sanguinis mei*. Probo anteced. Illa locutio Exodi 25. *Agnus hic erit vobis Pascha*, & illa alia 1. Corinth. *Petra autem erat Christus*, sunt locutiones similes his: *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*; sed in Catholicorum sententia illæ sunt figuratè: ergo & istæ: *Hoc est corpus meum* &c. Confirmatur 2. Particula *est* in utraque forma idem sonat, ac significat, ut colligitur ex variis Scripturae locis. Sic Gen. 14. *Septem spicae plene septem anni ubertati sunt*, id est, significant. Et Lucæ 8. *Semen est verbum Dei*, id est, significat verbum Dei. Et ita in similibus pluribus aliis: ergo pariter.

440 Ante horum solutionem Hæreticorum argutia est retundenda, & subtilitas demonstranda. Dico igitur, quod si ita liceret, Scripturae verba in sensum metaphoricum detorque-re, omnino nutaret veritas omnium mysteriorum fidei, maxime *Trinitatis*, & *Inarnationis*. Patet hoc: nam ille dem argumentis Ariani veteres, & novi censebunt, accipienda esse figuratè verba illa Joan. 1. *In principio Deus erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Verbum caro factum est*. Hæc enim non ad Verbum Divinum, & substantiale spectare volunt Hæretici Sociniani, sed ad verbum evangelicum, & accidentale. Similiter ubi Christus dixit: *Ego, & Pater unum sumus*: & Joan. Epist. 1. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*, poterant Ariani asserere, dicta esse figuratè: ita quod illa unitas non esset naturæ, sed affectus, & concordia, modo quo Actor. 4. dicitur: *multitudinis credentium erat cor unum, & anima una*. Atque ita, quamoptime possent de medio tollere mysterium Trinitatis, & Incarnationis: nam ad suadendam prædictam hære-

ticam cavillationem, & falsam interpretationem, multo opportuniora videbantur Scripturarum oracula memorata, quam sunt ea, quibus Calvinistæ abutuntur ad eludendam veritatem illorum verborum: *Hoc est corpus meum*. Ratio potest esse; quia ipse Christus videtur significare, se aliam unitatem non habere cum Patre, quam affectus, & concordia, ut videri est in verbis Joan. 17. Unde illa verba non sunt magis perspicua ad adstruendam fidem Trinitatis, & Incarnationis, quam ista: *Hoc est corpus meum*, ad designandam realem Christi præsentiam in Eucharistia. Ergo, si per vos, hæc accipienda non sunt secundum significationem propriam, nec illa alia. Sed hoc non admittunt Calvinistæ, nec Lutherani; quia contra Arianos verum Trinitatis, & Incarnationis mysterium agnoscunt: ergo certissimum est, quod ex quo verba Scripturae uno loco accipiuntur figuratè, non ex hoc benè arguitur, quod ita in aliis debeant intelligi.

441 Quamvis per hanc validissimam instantiam adæquatè infractum sit argumentum ex ipso Calvino desumptum: ut verò omnis cavillandi ratio eripiat Hæreticis, ad singula respondendo, nego antecedens. Ejus probatio multipliciter solvitur. Primò distinguendo illam: sumuntur verba illa figuratè in principali significato orationis, nego: in minus principali, concedo anteced. & nego consequentiam. Quid valdè diversum est, admittere figuram in parte minus principali orationis, sicut est verbum *calix*, ac admittere illam in principalibus verbis, qualia sunt *corpus*, aut *sanguis*. Unde licet aliquod verbum orationis figuratè sumatur, non inde sequitur, quod figuratè debeat intelligi tota oratio, ut ab omnibus Scripturae Expositoribus asseritur. Unde, quamvis in illis verbis: *calix sanguinis mei* sit aliquid figuratum; quia sumitur continens pro contento: tamen hic tropus facile per

per se patet, & se intelligendum in-
genit. secundum vulgarem modum
loquendi, quo quis dicitur, *bibere
poculum vini*, id est, vinum conten-
tum in vase. Manifestantur itaque
per se verba consecratorij calicis. Res-
pondeo 2. quod etsi talia verba ali-
quam præferant obscuritatem, ex-
plentur Marci, & Matthæi, qui
referunt distincte, & clarè, Chris-
tum, porrigendo calicem, dixisse:
Hic est sanguis meus. Utraque solu-
tio aptissima est, & clara.

442 Ad 1. Confirmationem nego
consequentiam. Ad ejus probationem
seductor est Calvinus in recitatione
loci de Phase: nam Textus non di-
cit: *Agnus erit vobis Phase, sed ita:
comedetis festinanter; est enim Pha-
se, id est transitus Domini*. Ex quo
ly est accipi potest in sensu proprio:
quippe Agnus Paschalis reverà erat
victima à Deo instituta in memoriam
præservationis Primogenitorum Israël
à vastatione Angeli interficientis Pri-
mogenita Ægyptiorum. Est autem
Scripturæ familiare, ut quando lo-
quitur de sacrificio, & victima, no-
men *sacrificii*, & *victimæ* reticeat,
solumque explicetur nomen illius,
propter quod offertur sacrificium, &
victima immolatur. Hoc sensu dicitur,
*Sacerdotes comedere peccata po-
puli*, id est, oblationes factas à po-
pulo pro assequenda remissione pec-
catorum. Sic pariter 2. Cor. *Christus
dicitur pro nobis factus peccatum*,
nempe, sacrificium, & hostia pro
peccato. Quare agnus Paschalis pro-
priè dicitur Phase, id est, *victima
transitus Domini*, ut eum ibidem ap-
pellat Moyses. Ad illud de *petra* di-
co, evidenter apparere, vocabulum
est figuratè accipi, ut constat ex ip-
so Apostolo, qui ibidem declarat, se
dumtaxat figuratè loqui, dicens,
tum: *Omnia in figuris contingebant
illis*: Tum, quia *petra*, de qua ibi
loquitur, appellatur *spiritualis* ab
ipso, dicente: *Bibebant de spiritua-
li, consequente eos petra: petra au-
tem erat Christus*. Quibus Apostolus

significat, se figuras proponere, &
simul explicare; ænigmata exhibere,
& simul eorum sensum detegere.

443 Ex quibus ad 2. Confirma-
tionem, nego consequ. & dico, quod
licet particula *est* illis in locis, atque
aliis interdum sumatur tropologicè,
& figuratè, non tamen sequitur, nec
sequi potest, quod ita semper acci-
pienda sit: aliter nulla prorsus esset
distincta mysteriorum notitia, si quid-
quid affirmatur per verbum *sum, est,
est*, liceret ad sensum tropologicum
detorquere. Nulla autem apparet rã-
tio, cur particula *est* accipienda sit
hic figuratè: nam, ut Augustinus
docet, verba Scripturæ accipienda
semper sunt in sensu proprio, nisi
evidenter appareat aliquis tropus la-
tens, qualis in Sacramento non ap-
paret. Unde ubi agitur de Sacramen-
tis, verba accipienda sunt secundum
naturalem significationem, & citra
omnem obscuritatem. Quare exem-
pla adducta ab Hæreticis nihil offi-
ciunt nostræ assertioni: nam illa lo-
ca: *septem spicæ sunt septem anni:
semen est verbum Dei*, apertè sen-
sum tropologicum redolent, ac proin-
de nulla est difficultas de eis.

444 Arguunt adhuc ex Scriptu-
ra: Christus, postquam vidit disci-
pulos scandalizatos, eò quod dixerat:
caro mea verè est cibus &c. addit:
*spiritus est, qui vivificat, caro non
prodest quidquam: verba, quæ locu-
tus sum vobis, spiritus, & vita sunt*:
ergo verba Domini de manducatio-
ne sui corporis, & potatione sui san-
guinis intelligenda sunt spiritualiter
solum, & non realiter. Confirmant:
Dominus ad removendum scandalum
Capharnaitarum, existimantium, pos-
sibile non fore, ut Christi caro co-
mederetur, subjuxit: *hoc vos scan-
dalizat? Si ergo videritis filium ho-
minis, ascendentem ubi erat prius*,
Quasi diceret, exponunt Hæretici,
tunc certè apparebit, non ita esse,
sicut vos putatis: nam postquam ca-
ro mea in cœlum assumpta fuerit,
non erit simul in terra præsens, ubi

possit comedi: ergo caro ejus realis
non comeditur ore in Sacramento.
Urgent: Christus Matthæi 26. dixit:
*me autem non semper habebitis; quia
vado ad Patrem*: ergo in Eucharis-
tia non manet nobis realiter præsent:
aliàs semper nobiscum præsens reali-
ter esset, quod verbis Domini con-
tradicit. Valde insistunt Hæretici in
hoc argumento, tamquam si peremp-
torium esset ad suum pravum sensum
convincendum.

445 Verum huic difficultati faci-
le obviam ibis, negando consequen-
tiam, quæ ex Christi verbis nulla-
tenus sequitur. Verba enim Domini
directa sunt ad Capharnaitas, existi-
mantes, carnem Christi comedendam
esse more consueto, sicut carnes u-
suales eduntur. Contra hujusmodi co-
gitationem, sic grosam, & carna-
lem, Dominus dicit: *caro non pro-
dest quidquam*. Sensus igitur est: non
prodesse Christi carnem secundum il-
lam Capharnaitarum cogitationem,
neque in Sacramento, nisi accedat
fides, & spiritus, neque ut secun-
dum se caro est, sed ut vivifica fac-
ta est per conjunctam divinitatem, ut
expositum est in Concilio Ephesino
Epist. ad Nestorium. Caro sola, ait
Augustinus, nihil prodest; caro au-
tem cum spiritu multum prodesse va-
let. Ad confirmationem nego, intel-
ligentiam verborum Domini illam esse,
quam intendunt Hæretici. Sen-
sus igitur ex D. Augustino Tractat.
27. in Joan. est iste: cum videritis
me integrum ascendentem in Cœlum,
tunc intelligetis, minimè corpus meum
vescendum esse, tamquam carnes,
quæ in macello (vulgo carniceria)
venduntur ad usum communem. Vel
cum Chrysost. hom. 46. in Joan. di-
cendum, Christum miraculum As-
censionis proposuisse, ut cum illo
miraculum de Eucharistico Sacra-
mento comprobaret. Ad urgentiam
nego consequent. & distingo ejus
probationem: semper nobiscum esset
realiter præsens, modo invisibili in
Sacramento, concedo: modo visibi-

Tom. II.

li, seu præsentia humana, ac fami-
liari conversatione, nego. Hoc modo
dixit Dominus: *me autem non sem-
per habebitis*, ut per se est clarum,
& sic tract. 95. in Joan. exponit Au-
gustinus. Sic igitur componitur anti-
logia inter illas duas Domini senten-
tias: *me autem non semper habebitis*,
& *ecce vobiscum sum, usque ad
consummationem sæculi*: nam 1. lo-
quitur de præsentia visibili, & cir-
cumscriptivæ: 2. vero de sacramen-
tali, & invisibili, quæ nobiscum est,
& erit realiter usque ad sæculi con-
summationem.

446 Arguunt Hæretici ex SS.
Patribus, plures congerendo illorum
authoritates, ac vociferantes, intel-
ligendas esse de præsentia Christi in
Eucharistia, non reali, sed figura-
tiva tantum, & spirituali. Augusti-
nus pluribus in locis dicit, Christum
discipulis dedisse figuram sui corpo-
ris, & sanguinis. Et Psalm. 3. lo-
quendo de Juda, ait: „ Judam ad-
hibuit Dominus ad convivium, in
quo corporis, & sanguinis sui fi-
guram tradidit. Et Tract. 25. in
Joan. dicit: crede, & manducas-
ti... credere in eum, hoc est man-
ducare panem vivum.“ ergo Au-
gustinus sentit, corpus Christi in
Eucharistia solum fide percipi: ergo
non verè, ac substantialiter sub spe-
ciebus contineri. Tertul. lib. 4. con-
tra Martionem, ait: *panem accep-
tum, & distributum discipulis, cor-
pus suum illum fecit, dicendo: Hoc
est corpus meum, id est, figura cor-
poris mei*. Cyprianus Serm. de Cœ-
na Domini: *Hæc quoties agimus,
non dentes ad mordendum acimus, sed
fide sincera panem sanctum frangimus*.
Denique plures alii Patres, tam Gre-
ci, quàm Latini panem, & vinum,
etiam post consecrationem, appellant
*signum, figuram, symbolum, Anty-
tipa, memoriale, & representationem
corporis, & sanguinis Christi*: ergo.
Ante solutionem notare oportet, non-
nullas SS. PP. sententias in hac quæ-
stione de Eucharistia esse satis obvi-

Bb

cu

curas : sicque cautelosé fecerunt, ne mysterium hoc sacrosanctum irridendum exponerent Infidelibus, si nimis claris verbis explicassent illud. Circa quod elegantissimum invenies locum apud S. August. lib. 1. contra Julianum.

447 Respondeo itaque 1. quod dum Patres loquuntur de spiritali manducatione per fidem, minimé hoc pugnat cum reali manducatione, sed potius in ea nititur, tamquam in fundamento. Unde cum aliquando dicunt, quod mali non recipiunt Christum, intelligendi sunt de spiritali manducatione simul cum corporali, nempe, non recipere fructuosé : nam ad hoc requiritur, quod recipiatur etiam spiritaliter, & per fidem : adeo ut manducatio realis solum sit fructuosa, quando conjungitur illi manducatione spiritali : ob quod Ecclesia canit : *sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali, vitæ, vel interitus.* Respond. 2. quod dum Patres videntur asserere, corpus Christi in Eucharistia solum spiritaliter manducari, intelligendi sunt de manducatione naturali, & ordinario modo facta, modo quo comeditur caro ovina, aut vitulina, ut Capharnaitæ, & alii similes existimabant, de quibus dictum est supra. Sic enim non manducatur caro, nec bibitur sanguis Christi in Sacramento, sed alio extraordinarissimo, & miraculoso modo, qui quasi metaphoricé, & improprie significatur per illa verba *manducare, bibere*, prout communiter accipiuntur. Ut igitur inter manducationem puré carnalem, & hanc Eucharisticam distinguerent, dixerunt, istam esse manducationem *per fidem, & spiritualem* : nam hæc caro sumi debet, non ut corpus nutriatur, ut nutritur cum carne usuali, sed ut nutriatur spiritus, et anima, ad quod fides simpliciter necessaria est.

448 Ad Augustini, cæterorumque Patrum adducta loca, dico, quod dum Eucharistiam appellant *signum, figuram, symbolum* corporis Chris-

ti, nullo modo negare intendunt realem præsentiam corporis, et sanguinis Domini. Etenim duplex est figura : una, quæ rem absentem representat : alia, quæ rem præsentem exhibet. Sic ad Hebr. 1. Christus dicitur, *figura substantiæ Patris.* Ad Colos. *Imago Dei.* Ad Philipp. 2. *Ad similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo.* Quæro nunc à Calvinistis : hæc ratio figuræ removet ab eo consubstantialitatem cum Patre? Et ratio similitudinis, negat in eo veram humanitatem? Neutiquam, dicent Calvinistæ, quia fatentur, Christum esse verum Deum, et hominem. Bené : ergo sicut Apollinaristæ ex præfato Pauli oraculo perperam negabant in Christo veram, et realem carnem, et humanitatem : et Ariani, ex eo, quod dicitur figura substantiæ Patris, erroneé negarunt in Filio veram divinitatem : pari ratione, toto Cælo à veritate aberrant Calvinistæ, et Lutherani, dum colligunt, corpus Christi non esse in Eucharistia veré, et realiter, ex eo, quod aliqui ex Patribus Eucharistiam corporis Christi figuram appellant. Ex quo distinguendum est sic : Eucharistia est figura corporis Christi, ibi existentis, concedo : meré representativa corporis Christi absentis, nego. Itaque Augustinus (nec alii PP.) non est intelligendus de figura quadam inani, & meré representativa corporis Domini absentis, sed de figura, et de speciebus sacramentalibus, quæ continent, et demonstrant ipsummet corpus veré præsens, ut pluries dictum est. Doctrina hæc confirmatur ex ipso Augustino de Judæ communionem loquente, & dicente : *Mirandam prædicari patientiam Christi, qui Judam adbibuit ad convivium, in quo corporis, & sanguinis sui figuram tradidit.* Si enim meram, ac nudam sui corporis, et sanguinis figuram tradidisset, non adeo miranda foret patientia Christi. Præterea observandum est ad plura Augustini loca capienda, multoties per corpus

Christi.

Christi manducare intelligere receptionem Sacramenti Baptismi, ac ita membrum corporis Christi fieri, ut ostensum est disp. 1. quæst. 5. Videas ibi intelligentiam sanam doctrinæ Augustini. Item : alia allegantur ex ipso : verum loquitur contra Manicheos, & ex doctrina ipsorum.

449 *Arguunt denique Hæretici ratione.* 1. Implicat, quod idem corpus, indivisum manens, existat in diversis locis eodem tempore : aliás sequeretur, idem simul posse esse ad dextrum, & sinistrum : quiescere, & simul moveri : mori, & simul vivere : ergo corpus Christi non potest esse simul in Cælo, sedens ad dexteram Patris, & in terra in Sacramento Eucharistiæ : ergo multo minus potest simul poni in innumerabilibus per diversam specierum consecrationem. Urgent : Repugnat corpus humanum ita esse inextensum localiter, ut possit existere absque omni extensione in loco omnino indivisibili : ergo Christi corpus intra parvam hostiam contineri non potest ; & multo minus sub qualibet particula hostiæ, ut dicunt Papistæ. Antecedens patet ; quia extensio localis est effectus primarius quantitatis, ac proinde inseparabilis est, sicut ipsa quantitas, ab ipso humano corpore, ipso realiter perseverante. Arguentum hoc satis futile, & puerile, præsertim à Theologis Scotistis, & aliis quamplurimis, opinantibus, idem corpus de potentia Dei absoluta posse esse simul in pluribus locis extensé, & circumscriptivé. Sed ab hoc nunc præscindendo, cum difficultas hæc non sit de existentia ejusdem corporis in duplici loco circumscriptivé.

450 Respondeo, nihil absurdi esse, nec aliquam impossibilitatem afferre, quod unum, idemque corpus simul existat in diversis locis, secundum diversos existendi modos, nempe, in uno circumscriptivé, & in aliis sacramentaliter, ut disserte docet Tridentinum, dicens : „ Post pa-

Tom. II.

„ nis, & vini consecrationem, Christum realiter, ac substantialiter, „ sub speciebus illarum rerum sensibili- „ bilium contineri : nec enim hæc „ inter se pugnant, ut ipse Salva- „ tor noster semper ad dexteram Pa- „ tris in Cælis assideat, juxta mo- „ dum existendi naturalem, & in „ multis nihilominus aliis locis sacra- „ mentaliter præsens, sua substan- „ tia nobis adsit.“ Simile huic videmus in anima rationali, quæ est tota in singulis membris, & movetur localiter in manu, dum in capite quiescit : simul movetur sursum in dextera, & deorsum in sinistra : in illa calorem sentit, & in hac frigus. Si enim hoc naturaliter, & de facto experitur, qua ratione miraculosé, & de potentia absoluta in corpore denegabitur ? Si autem illud corpus posset esse simul vivum, & mortuum, resolvendum est, justa dicta in Physica de corpore vilocato. Ad urgentiam nego anteced. & ejus probationem. Quantitas itaque est accidens absolutum, à materia, & corpore realiter distinctum, & ab utroque separabile divinitus. Et quidem, quod corpus divina virtute denudari possit, ac spoliari sua quantitativa extensione, colligitur ex Scriptura : nam Matth. 19. Marci 10. & Lucæ 18. testatur ipse Dominus, Deum efficere posse, ut camelus transeat per foramen acus : quod fieri non potest, quin tunc camelus occuparet locum modo inextenso. Sequitur ergo, quod corpus sua naturali extensione denudari potest. Nec effectus formalis primarius quantitatis est actualis partium extensio in ordine ad locum, ut in Logica docetur : nam potest unum corpus, quin aliud expellat ab eodem loco, penetrari cum illo. Demonstratur hoc, tum exemplo corporis ejusdem Domini exeuntis ex utero Virginis, ejus virginitate illibata manente : tum ex ingressu Domini in Coenaculo, ubi erant discipuli congregati, januis clausis. Nulla est ergo Hæreticorum doctrina.

Bb 2

451

451 Arguunt denique Hæretici multipliciter: Tum; quia admissa reali præsentia Christi in Eucharistia, quedam sequuntur absurda, & majestati Christi prorsus indigna. Quid enim Christo indignius, quàm ipsum in Eucharistia, non solum in terram dejici, sed etiam aliquando in sordes: dentibus atteri, & à muribus, & aliis animalibus rodi: putrescere cum panis, & vini corruptione: in stomachum trahi, & in secessum ire? Ergo cum omnia hæc Christo indecorosa sint, verisimile non est, sub speciebus Eucharisticis realiter contineri. Tum: Christus dedit Apostolis in ultima cœna, quod ipse comedit; sed ipse suum corpus realiter non comedit, nec proprium bibit sanguinem: aliàs se ipsum comederet: ergo neque Apostoli comederunt illud, & consequenter neque nos comedimus illud. Denique: Fides, & Spiritus Sancti efficacia sufficit, ut Christus spiritualiter percipiatur: nam ejus corpus est spiritualis cibus: ergo non ore corporis, sed animæ manducari debet: ergo cum ad hanc manducationem sufficiat fides, & hæc tantum sit manducatio spiritualis, inutiliter ad illam asseritur Christi præsentia corporalis. Hæc, & similia inconvenientia objecta sunt ab Hæreticis ex malitia, nolentes intelligere, Christum esse in Eucharistia modo impassibili, atque omnem alterationem speciebus Eucharisticis solis obvenire. Illæ enim quantumtaxat dentibus atteruntur, & putrescunt, quin talibus mutationibus corpus Christi sit obnoxium. Sicut ergo radii solis sordibus locorum non inquinantur, sic gloriosum corpus Christi nullis specierum Sacramentalium qualitatibus, nec injuriis afficitur, aut mutatur. Vel ut loquitur Author de cœna Domini apud S. Cyrilianum: *integer erogatur, distributus non demembratur, incorporatur, & non injuriatur, recipitur, & non includitur.* Cui per similia verba concinit Augustinus apud Bedam cap.

10. ad Corinth.

452 Respondeo jam negando antecedens, & quidquid Hæretici ex illo suadere intendunt. Mystera igitur nostræ fidei diviora censentur eo ipso, quo majestati Dei, secundum humanam sapientiam, indigna prorsus videntur. Quapropter D. Gregor. hom. 6. in Evangelia, inquit: *Stultum quippe hominibus visum est, ut pro hominibus Author vita moreretur.... sed tantò Deus ab hominibus honorandus est, quantò pro hominibus, & indigna suscepit.* Sicut ergo Christus factus est homo, ac passus, quæ indigna majestati Dei visa sunt Judæis, & Gentilibus, juxta illud ad Cor. 1. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis autem scandalum, Gentibus stultitiam:* ita ejus erga homines summa charitas, quæ ipsum impellit ad instituentem Eucharistiam, stultis Hæreticis videtur indignitatibus plena. Ad 2. nego min. Plurimi ex SS. PP. ut Hieron. & August. docent, & mihi omnino verum est, Christum suum recepisse corpus. Sic ajunt: *Ipsa Dominus erat conviva, & convivium: ipse comedens, & qui comeditur.* Deinde, licet cum aliquibus aliis diceretur, Christum panem consecratum non comedisse, sed tantum Apostolis dedisse, dicens: *accipite, & comedite &c.* nihil Hæreticis favet, quia hoc nequam probat, quod verè non consecraverit, quod verè Apostolis non dederit, & isti verè non comederint. Ad 3. dico: quod si fides, & efficacia Spiritus Sancti sufficit, ut anima per solam illam gratiam possit à peccatis purgari perperam adhibetur Baptismus ad hunc adsequendum finem, quod non concedent Calvinistæ, necessitatem Baptismi agnoscentes. Itaque realis existentia Christi in Sacramento plurimum confert ad ejus nobis commendandam divinam charitatem, ut nos illa animati, arctius jungamur ipsi per fidem, & charitatem. Nec probatio ultima aliquid valet. Quid enim impe-

pe-

QUÆSTIO II.

An corpus, & sanguis Christi sint in Eucharistia per veram conversionem, ac transubstantiationem substantiæ panis, & vini, in substantiam corporis, & sanguinis Christi?

454 Démonstrata jam adversus Calvinum, ac ejus infelices discipulos, reali præsentia corporis Christi in Eucharistia, sequitur demonstrare conversionem, & transubstantiationem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi adversus Lutheranos. Est enim de fide Catholica, totam substantiam panis, & vini per verba consecrationis ita transmutari in corpus, & sanguinem Christi, ut nihil omnino subsistat substantiæ panis, & vini post consecrationem sub speciebus Eucharisticis. Sed verò, cum nulla sit tam constans, & aperta Catholica veritas, quàm Dæmon impugnare, ac offuscare non tentaverit ministerio sibi famulantium Hæreticorum, hanc convellere nixus est, præcipuè hisce sæculis posterioribus. Pridem enim extinctam jam, ejuratam, ac anathemate fulminatam erroneam Berengarii sententiam, adversus hanc veritatem Catholicam, ab inferis denudò suscitavit Joan. Wiclephus, Anglus, circa annum 1312. qui, ut in Concilio Constantiensi sess. 8. referatur, affirmavit, substantiam panis, & vini in Sacramento Altaris permanere, & accidentia panis sine subjecto non subsistere. Hanc erroneam sententiam, non minori audacia propugnavit Lutherus, qui licet initio disseminatæ suæ hæresis fluctuaret, circa asserendam, vel negandam transubstantiationem: tamen postmodum impudentior factus, anno 1522. Catholicum dogma de transubstantiatione impio calamo blasphemè pronuntiavit, & scripsit libro contra Henricum Angliæ Regem, qui aggress-

pedit, quod accipiatur instrumento corporis id, quod accipitur ad spirituales utilitates animæ? Aqua Baptismi, quæ necessariò suscipitur in corpore, nonne ita recipitur ad spirituales animæ salutem? Utiq. Ergo pariter.

453 Aliæ adhuc sunt Hæreticorum cavillationes, & falsitates, quibus inficiantur Catholicos Doctores. Sic fecerunt cum Ruperto, calumniantes cum Wiclepho, ipsum realem Christi præsentiam in Eucharistia negasse, cujus oppositum ex ipso Ruperto constat manifestè. Eandem imponunt calumniam Gregorio VII. dicentes, privatum fuisse Pontificatu in Concilio Brixiensi anno 1180. quia negavit in Eucharistia præsentiam corporis Christi. O hæretica malitia! Gregorius propter veritatem Catholicam, quam tuemur, damnatus est. Sed à quibus: A quibusdam Episcopis Schismaticis in illo Brixiensi, non Concilio, sed Conciliabulo. Nunc jam adversus Hæreticorum errores concludo jisdem verbis, quibus perdoctus Guilmundus suum Tractatum coronavit adversus Berengarios. Multa, inquit, contra istos jam diximus, multa adhuc dici possunt; sed piis mentibus ista sufficiunt. At verò impiis, quid sufficiat, si doctores saxis, tot argumentorum malleis percussi, credere nolunt? Dæmonum similimi captam semel vecordiam tanta pertinacia diligunt, ut veritatem gratis odio habeant, & à falsitate, vel manifestissima, nunquam respiciant. O miserimos homines, & immenso lacrymarum imbre lugendos! Reddite, quæso, reddite prævaricatores ad cor. Quare moriemini gratis? Falsam enim partem, quam vos sequimur, æterna mors devorat; veram autem, quam nos tenemus, æterna vita coronat. Acqui escite ergo nobis, si vivere feliciter vultis.

aggressus fuerat, extirpare scriptis, & supplicis, impia dogmata hujus novi Hæresiarchæ. Contra hos Hæreticos

Prima Conclusio.

454 *Nihil substantiæ panis, & vini manet in Eucharistia post consecrationem, sed tota convertitur, & transubstantiatur in corpus, & sanguinem Christi Domini.* Est dogma constantissimum apud Catholicos, quod docet Subt. Doct. in 4. dist. 11. q. 3. num. 13. ubi dicit: *Communiter tenetur, quod nec panis remanet... sed convertitur in corpus Christi &c.* quod Doctor probat ex autoritate Ecclesiæ, & validis congruentiis. Veritas hæc tradita est, & definita variis in Conciliis. Primò in eis omnibus, in quibus damnata fuit Berengarii hæresis, maximè verò in Concilio Romano sub Gregorio VII. ubi tandem suum errorem, quo negabat transubstantiationem, ejuravit, ut dictum est quæstio. antecedenti, & alibi. Secundò definita est in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ubi statuitur, *panem, & vinum transubstantiari in corpus, & sanguinem Christi.* Idem in Concilio Constantiensi fuit definitum, & error Wiclephi damnatus. Pariter in Florentino, in decreto Eugenii, ubi disertis in verbis asseritur hæc mutatio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi. Denique in Concilio Tridentino sess. 13. cap. 4. Canone 2. *Si quis dixerit in Sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis, & vini unâ cum corpore, et sanguine Domini nostri, negaveritque mirabilem illam, et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, et vini: quam quidem conversionem Catholica Ecclesia apertissimè transubstantiationem appellat, anathema sit. Et prosequitur*

„ Sancta Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini Nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus.

456 Hæc eadem veritas docetur à SS. Patribus, maximè à D. Ambrosio, cujus plures autoritates habentur in decretis de consecratione, & una est sic dist. 2. cap. 37. „ Sermo, „ qui potuit facere, quæ non erant, „ nonne potest mutare, quæ non, in „ id, quod non erant? *Cyrillus Jerosol.* Quare cum omni certitudine corpus, & sanguinem Christi sumamus: nam sub specie panis datur ibi corpus, & sub specie vini, datur sanguis: „ ergo sentiunt, quod species solæ remanent de pane, & vino, non autem substantia illorum. Cyprianus Epist. ad Deotat. *Panis statim per verbum in corpus transmutatur, sicut dictum est à Verbo: hoc est corpus meum.* Paschasius Radbertus, qui vivebat sæculo IX. & quem, impanationem docuisse, Hæretici fingunt, sic loquitur: *licet figura panis, & vini hinc sit, omnino nihil aliud, quam caro Christi, & sanguis post consecrationem credenda sunt: ergo si nihil aliud, non manet substantia illorum.* Denique Patres omnes, qui loquuntur de reali præsentia corporis Christi in Eucharistia, de totius substantiæ panis, & vini conversione in corpus, & sanguinem Christi loquuntur, si benè intelligantur.

Secunda Conclusio.

457 *Transubstantiatio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, rectè colligitur ex verbis consecrationis, practicè sumptis.* Est communis inter Catholicos, contra Lutheranos. Probat 1. ex nostro Subt. Doct. dicente: *De Sacramentis tenendum est, sicut tenet Sancta Romana Ecclesia, ut habetur extra de Hæ-*

Hæret. cap. ad abolendum; sed Ecclesia Romana tenet, prædictam transubstantiationem colligi ex verbis consecrationis, practicè sumptis: ergo. Prob. minor. ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 4. ubi hæc habet: „ Quoniam Christus Redemptor noster corpus suum, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit: adeo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuò Sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini conversionem fieri totius substantiæ panis, in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini, in substantiam sanguinis ejus. Quibus verbis Concilium significat, semper persuasum esse in Ecclesia, panem, & vinum transubstantiari in corpus, & sanguinem Christi, eò quod ipse Dominus, consecrando panem, & vinum, verè dixerit, esse corpus, & sanguinem suum: ergo constat, transubstantiationem ritè colligi ex verbis consecrationis, practicè sumptis, seu quatenus illa practicè usurpantur; hoc est, quatenus ex Dei voluntate sunt conversiva, et prout reverè efficiunt corpus, et sanguinem Christi, et significant præsentem sub speciebus Eucharisticis. Confirmatur ex SS. Patribus, qui ex ipsis verbis consecrationis colligunt hanc transubstantiationem. S. Cyrillus Jerosolitanus cateches. 4. ait: „ Cùm igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane, hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante, ac dicente: hic est sanguis meus, quis inquam, dubitat, ac dicat, non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum in Casa Galilææ, sola voluntate: et non erit dignus cui credamus, quod vinum sanguinem transmutasset. Simili discursu utitur Guitmundus libro 3. de corporis, et sanguinis Christi veritate, ubi contra Hæreticos

hæc habet: Hos impanatores ipse Dominus verbo oris sui interfecit, cùm accipiens panem, gratiasque agens, ac benedicens, ait: Hoc est corpus meum. Non ait, in hoc latet corpus meum, nec dixit, in hoc vino est sanguis meus, sed dixit: Hic est sanguis meus. Idipsum docent alii Patres.

458 Suadetur etiam eadem veritas ratione theologica: Verba consecrationis verissima sunt in tota, et propria significatione: sed non essent vera, si non esset vera transubstantiatio panis, et vini, in corpus, & sanguinem Christi: ergo ex illis talis transubstantiatio rectè colligitur. Prob. minor. Ut pronomen demonstrativum hoc verè sit demonstrativum corporis, et sanguinis Christi, necessariò indicare debet, omnem substantiam, sub accidentibus latentem, esse corpus Christi: ergo particula hoc nullo modo supponit pro substantia panis, quæ positis verbis consecrationis, ibi non manet: aliàs pronomen hoc non demonstraret, substantiam omnem, sub accidentibus latentem, esse corpus Christi. Antecedens patet: quia omnis vera prædicatio de aliquo supponit identitatem, vel unionem prædicati cum subjecto: *ex eo enim, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa:* panis autem, et corpus Christi sunt res disparatæ omnino, nec inter se ulla identitate, vel unionem copulantur. Confirmatur: Ut propositio constans pronomine demonstrante substantiam sub accidentibus sensibilibus latentem, sit vera, necessarium est, quod ejus pronomen ita demonstrat omnem, et quamlibet substantiam demonstrabilem, ibi contentam, ut removeatur omnis substantia delitescens, tali pronomine non demonstrata, et maximè, si propositio est practica: sed hæc propositio: *Hoc est corpus meum,* est vera, et practica, demonstratque, substantiam latentem sub accidentibus panis esse corpus Christi: ergo ut sit vera,

ra, necessarium est, quod sub speciebus panis, & vini sola sit substantia corporis, & sanguinis Christi.

Solvuntur objectiones.

459. Obijciunt 1. ex quibusdam Scripturae locis: Si in Eucharistia fieret transubstantiatio propria, Eucharistia non diceretur panis; sed dicitur panis post consecrationem: ergo non est transubstantiatio, sed potius consubstantiatio: ergo remanet ibi panis substantia, & consequenter doctrina Catholicorum est falsa. Pro minor. ex Matth. 26. Joan. 1. & 1. Corinth. in quibus Eucharistia dicitur: panis. Et ipse Dominus ait: panis, quem ego dabo, caro mea est: ergo. Confirmatur: Ea ratione, qua Christus Matth. 18. dixit: Hoc est corpus meum, dixit Joann. 15. Ego sum vitis vera; sed non est consequens, quod verè conversus sit invitem: ergo nec quod in ipsius corpus convertatur panis.

460. Respondeo negando utramque consequentiam: Ad probationem, concedo, quod Eucharistia in Scriptura appellatur panis: non verò, quia ulla substantia panis in ea subsistat, sed ex aliis capitibus. Primò; quia ratione specierum apparet panis, quem admodum sèpius Angeli apparentes in specie humana, appellantur homines in Sacra Scriptura. Secundò; quia fit ex pane, tamquam ex præjacente materia, sicut Genes. 2. Eva dicitur: os, ex ossibus Adæ, & Exodi 7. Serpens factus ex virga, dicitur virga: devoravit virga Aaron, virgas eorum, nempe, Magorum. Tertio, quia Eucharistia est panis, sive cibus spiritualis animæ, dicente Domino Joan. 6. Qui manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: etenim juxta Scripturae phrasim, nomine panis, significatur cibus quilibet, ut colligitur ex pluribus locis, maximè ex Gen. 8. ubi cum Abrahamus dixisset tribus Angelis, sibi apparentibus in specie humana: re-

quiescite sub arbore, ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum, per panis buccellam intellexit, non solum panem, sed convivium, quod illis paravit, ex vitulo tenerrimo, & optimo, ac ex butyro, & lacte, ut ex Sacro Textu constat, et totum hoc buccellam panis vocat. Ad confirmationem respondet Subt. Doct. in 4. dist. 10. quæst. 1. num. 3. negando consequentiam. Etenim aliter dicit Christus, se esse vitem, & aliter, panem esse suum corpus. Pro quo discernendo, & intelligendo, sic ait: Universaliter enim intellectus verborum Christi, an loquatur figurativè, an non, colligitur potest ex præcedentibus, vel consequentibus ibidem, vel ex aliis Scripturae locis. Unde cum Christus ait: ego sum vitis vera, subjungit: & vos palmites. Constat autem, quod Discipuli non erant palmites naturales, sed tantum figurales. Sed cum dixit Lucæ 22. Hoc est corpus meum, subdit: quod pro vobis tradetur. Cum etiam dixisset: Hic est calix sanguinis mei, subdit: qui pro vobis fundetur. Hæc Subt. Doct. quibus docet, priora verba Christi, nempe, hoc est corpus meum, accipi debere secundum propriam, & genuinam eorum significationem, non verò secundum figurativam. Quod utique colligitur ex sequentibus, ac proinde non est par utriusque ratio.

461. Obijciunt 2. Ex dictis aliquorum Patrum. S. Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 8. docet: „ panem Eucharistiae post invocationem „ Sancti Spiritus non esse amplius „ panem communem, sed corpus „ Christi, sicut sanctum unguentum, „ postquam consecratum est, non „ est amplius unguentum commune, „ & nudum: sed sanctum chrisma „ Christi, quod adventu Spiritus „ Sancti energiam habet. “ Nunc siet Sed chrisma non amittit per consecrationem substantiam unguentis: ergo pariter, panis Eucharisticus non deperdit suam substantiam per conse-

secrationem. Chrysostomus Epistola ad Cesarium, docet: post consecrationem liberari panem ab appellatione panis, & dignum fieri appellatione Domini corporis etiamsi natura panis in ipso permaneat: ergo natura panis permanet in Eucharistia. Gelasius Papa lib. 2. de duabus in Christo naturis, contra Eutichem, & Nestorium, conferens mysterium Eucharistiae cum mysterio Incarnationis, sic loquitur: Sacramenta, quæ sumimus, corporis, & sanguinis Christi, divina res est, propter quod divina efficiamur consortes naturæ, & tamen esse non desinunt substantia, vel natura panis, & vini: ergo Pontifex censet, non fieri transubstantiationem: Denique Theodoretus dialogo 1. ita ait: Symbola, quæ videntur, appellatione corporis, & sanguinis honoravit: non naturam quidem mutans, sed naturæ gratiam adiciens, scilicet, substantiæ panis addens præsentiam corporis sui. Ergo non fit mutatio substantiæ panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi ex mente Theodoretii.

462. Ad omnia hæc, & alia Patrum oracula, quæ Hæretici congerunt adversus Catholicos, optimè respondetur, mentem illorum fuisse, panem, & vinum manere in Eucharistia, quoad species sensibiles, & apparentias; non verò quoad substantiam: retinereque illam panis denominationem per metaphoram, ex capitibus argumento antecedenti assignatis pro sensu Sacrae Scripturae. Deinde respondendum est per partes. Dico igitur ad Cyrillum, comparisonem positam non esse in eo, quod quemadmodum mutatio unguentis est tantum accidentalis, sic tantum accidentalis sit mutatio panis Eucharistici. Stat ergo in eo, quod sicut unguentum post consecrationem, non amplius est commune; sed sacrum, ita panis post consecrationem non est amplius panis, sed Corpus Christi. Undesignanter non dixit, unguentum post consecrationem esse Spiritum

Tom. II.

Sanctum, sicut dixit: panem esse corpus Christi. Et quod Cyrillus de transubstantiatione non dubitaverit, sed eam propugnavit, aperte constat ex his, quæ ex ipso scriptisimus in 1. Conclus. Ad locum Chrysostomi dico, talem Epistolam perperam citari, cum omnino fictitia sit, nec recenseatur inter opera illius S. Doctoris. Eadem fictionem patitur autoritas quædam S. Ambrosii lib. 4. de Sacramentis cap. 4. ab Adversariis citata, ut observat Labfrancus in codicibus S. Doctoris. Ad Gelasium Pontificem respondeo, opusculum illud falsò adscribi illi Pontifici, ut rectè demonstrat Melchior Canus lib. 6. de locis theologis, cap. ultimo: sed fortè editum fuit ab alio Gelasio Cesariensi, Scriptore Græco. Rationes hujus falsitatis videndæ sunt in Frassenio ex citato Cano. Si autem Gelasius author esset, dicendum, quod scripsit, ut Doctor privatus. Ad Theodoretum dicendum est; loqui in sensu prædicto, nempe, panem, & vinum, manere, ubi prius, quoad experientiam sensuum, & apparentias, quæ sunt ei naturales, & manent in priori substantia, figura, & forma, nempe, accidentium, quæ videri, & tangi possunt. Hoc quidem sufficiebat intentioni Theodoretii, qui volebat probare contra Eutychem, cum quo colloquitur, naturam humanam Christi etiam in Cælo impermixtam, & inconfusam mansisse cum natura divina, sicut accidentia panis, & vini, integra, & impermixta manent cum corpore Christi in Eucharistia. Deinde, non est facienda magna vis in autoritate Theodoretii in hac materia, quia juxta plures, fuit suspectus de Nestorianismo. Unde ipsemet declarat, se obscure locuturum de hoc Mysterio, propter Catechumenos.

463. Replicant 1. Rupertum lib. 2. in Exodum, docuisse impanationem, quod confirmant ex aliis locis ipsius Ruperti. 2. Ex confessione

Cc

Be

Berengarij, quam in Concilio Romano fecit sub Nicolao II. & refertur de consecratione dist. 2. cap. 42. „ Ego Berengarius, fateor, panem, „ & vinum, quæ in Altari ponuntur, post consecrationem, non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu-Christi, & sensualiter non solum in Sacramento, sed veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Ad primam replicam, respondent Bellarminus, & Baronius, Rupertum reverè in eo errore fuisse versatum. Explicari verò potest in sensu jam prædicto aliorum Patrum. Et quidem, quod Rupertus fateatur, panis, & vini substantiam converti in corpus, & sanguinem Christi, colligitur apertè ex ejus lib. 2. de officiis, cap. 2. ubi ait: *Panis, & vinum in verum corpus, & sanguinem Domini transferuntur.* Quæ translatio, nihil aliud sonat, quàm transsubstantiationem.

464 Ad secundam replicam: quid sit de Berengarij mente in hac fidei confessione, respondeo, intentum Concilii, ac Pontificis fuisse, ut Hæresiarca ille palàm profiteretur, Eucharistiam non tantum esse Sacramentum, id est, signum practicum sanctificantis gratiæ, aut signum speculativum corporis, & sanguinis Christi, sed etiam illius esse signum practicum: quia reverè panis, & vinum in corpus, & sanguinem Christi transferuntur. In hac itaque prioris fidei confessione Berengarius reproboavit suum primum errorem, quo docebat, corpus Christi non esse in Eucharistia verè, & realiter: qui quidem error damnatus jam fuerat sub Leone IX. in Concilio Vercellensi, Deinde in Turonensi sub Victore II. ejus Successore, ubi Berengarius primò hunc ejuravit errorem. Sed cum paulò post in ipsum relapsus esset, illum in Concilio Romano sub Nicolao II. iterum reproboavit. Verum cum hoc abjurato errore, in

alium incidisset, quo assererat, integram panis, & vini naturam in Eucharistia remanere, unà cum corpore, & sanguine Domini, hunc tandem errorem abjuravit Berengarius in Concilio Romano, sub Gregorio VII.

465 Objiciunt 3. ratione multipliciter, Primò, panis, & vinum manent eadem quoad sensum post consecrationem: ergo etiam manent quoad substantiam. Antecedens est certissimum. Prob. consequent. Deus, qui est essentialiter veritas, miracula non faceret ad homines fallendos, fallendo sensus: ergo si manent panis, & vinum quoad sensum, nempe, sensus percipiunt panem, & vinum, reverè quoad substantiam manent, qualia sensibus apparent. Confirmatur hæc ratio: Non debent fingi miracula sine necessitate; sed nulla est necessitas fingendi miraculum transsubstantiationis: ergo. Prob. minor. Tum; quia quamoptimè posset adesse Christus simul cum substantia panis: nam hæc consubstantiatio non implicat: & hoc fieret per solum miraculum reproductionis, vel advectionis corporis Christi, sine conversione panis, quæ est aliud grande miraculum: ergo. Tum: si esset aliqua necessitas, maximè, ut veritas Eucharistiæ salvaretur; sed hæc satis salvatur, imò melius salvaretur, si substantiam panis manere diceretur: ergo. Prob. minor. Nam miraculum transsubstantiationis potius auget difficultatem, & incredibilitatem hujus Mysteriorum: siquidem magis superat captum rationis naturalis, cum vix ejus possibilitatem, & maximè annihilationis panis, admittant Philosophi: ergo. Urgetur: Si Deus voluisset destruere in hoc Sacramento substantiam panis, & vini, non conservaret utique illorum accidentia, & species; sed per nos conservat accidentia: ergo & illorum substantias. Prob. major. Si Deus ita voluisset, voluisset etiam quòd ex speciebus argueremus, ibi verè esse substantiam

panis; sed hoc non vult; quia tale argumentum esset fallax, & falsissimum, juxta nostram sententiam: ergo. Prob. sequel. maj. quia in Christo cum substantia humanitatis conservat Deus apparietias, & species omnes hominis, & ex veris speciebus humanitatis arguitur ejus veritas, contra Hæreticos, illam negantes: ergo à pari, ex panis, & vini speciebus eorum substantia debet argui.

466 Respondeo, negando utramque consequentiam: Deus enim per miracula transsubstantiationis non intendit nostros sensus fallere, sed illos elevare, sicut & intellectum in obsequium fidei, ut potius credat verbo Dei, quàm ipsis sensibus. Ad confirmationem, nego minor. Ad ejus primam probationem, admissis antecedentibus de potentia Dei absoluta, non de potentia ordinata, juxtaquam verba consecrationis necessariò sunt conversiva unius substantiæ in aliam, ut ex secunda conclusione apertissimè constat, nego consequentiam. Voluntas siquidem Dei est maxima ratio aliquid faciendi. Cum autem illa voluntas significetur, & nobis innotescat, ex definitionibus Ecclesiæ, cui Deus assistit, & communicat suam infallibilitatem, maxima est necessitas talia miracula faciendi, & credendi. Ad secundam probationem, nego minor. & ejus probationem: quia si Deo placuit per plura miracula commendare suam Omnipotentiam, sapientiam, & charitatem, hoc magis debet excitare nostram charitatem, fidem, reverentiam, & devotionem. Et ideo quamvis Deus posset, aut potuisset aliter facere, non sequitur, quòd ita fecerit, ut patet ex fundamentis hujus veritatis. Ad urgentiam distinguo major. non conservaret, id est, potuisset non conservare accidentia, concedo: de facto non voluit ea conservare, nego major. & major. Probationis, & consequentiam simul cum paritate. Sufficit, quòd Deo placuisset conservare accidentia, & non substantiam. Constat igitur, quòd

Tom. II.

in Eucharistia per consecrationem fit conversio substantialis panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, remanentibus speciebus, id est, accidentibus omnibus sensibilibus eorum: ideoque vocatur, *transsubstantiatio*: quia sola substantia illorum transit in substantiam illorum. Paritas de vera Christi humanitate non est ad rem: etenim vera humanitas in Christo Domino demonstratur contra Hæreticos, qui illam negarunt, non ex accidentibus, aut apparietias humanitatis, sed ex ipsa humanitate reali, & vera, quæ apertissimè pluribus in locis constat ex Sacra Scriptura.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

467 Ex dictis colliges, nullam partem panis manere, sive quoad materiam, sive quoad formam, sive quoad partes, sive quoad extentionem, sive quoad subsistentiam, in conversione ejus in corpus Christi. Unde talis conversio est totalis. Est certissimum contra paucos, quorum alii tenent, remanere materiam, saltem remotam panis, alii formam, alii existentiam, alii subsistentiam, ut notat Dupasquier Tract. de Euchar. disp. 3. quæst. 2. concl. 2. Probatur hæc ratio 1. ex definitione transsubstantiationis, nempe, *quòd sit transitio totalis substantiæ in substantiam.* Si enim aliquid ex his maneret, & maximè materia, aut forma, vel pars integralis, non esset propriè, & absolutè transitio totalis, sed partialis. Probatur 2. ex Tridentino citato, docente: *In Mystero Eucharistiæ fieri conversionem totius substantiæ panis manentibus dumtaxat speciebus*: ergo nihil aliud remanet, nisi species, & consequenter nihil materiæ, vel formæ &c. Probatur 3. per partes: Si remaneret materia panis sub forma corporis Christi, potius esset generatio, quàm transsubstantiatio: nec propriè fieret conversio, sed mutatio ab una forma ad aliam: sed hoc est contra

Cc 2

men.

mentem Conciliorum, & Patrum, qui hanc vocant conversionem, & transubstantiationem: ergo. Probatur de forma: Si forma panis remaneret in Eucharistia post consecrationem, tam diceretur panis, quam corpus Christi, sed hoc est omnino falsum, ut constat ex dictis per totam questionem: ergo. Probatur de partibus omnibus integralibus, seu de toto syncategorematicè: Juxta Concilia, & Patres, nihil substantiæ panis remanet: ergo convertitur quoad omnes partes substantiæ, tam integrales, quam essentielles. Probatur de existentia: Tum; quia panis absolute quoad substantiam, & essentiam convertitur: ergo est quoad existentiam, cum essentia, & existentia realiter non distinguantur. Tum: quod realiter desinit esse quoad substantiam, desinit quoad existentiam; sed panis per consecrationem realiter desinit esse quoad substantiam: ergo & quoad existentiam. Probatur de subsistentia: nam hæc non potest existere sine re, quam supponat, & terminat, licet res possit esse sine illa: sicut humanitas Christi est sine sua propria subsistentia, hæc autem non potest esse sine illa; sed substantia panis desinit esse per consecrationem in Eucharistia: ergo & ejus subsistentia. Major patet: nam subsistentia, vel est pura negatio comunicabilitatis, ut Scotistæ dicunt, vel ut alii tenent, est modus: negatio autem, nec modus conservari potest sine re modificata.

468 Dices: Si panis non maneret quoad existentiam suam propriam, transiret in existentiam divinam: sed hoc est impossibile; quia nihil creatum potest converti in Deum: ergo. Prob. major. transiret in existentiam Christi; sed humanitas Christi existit per existentiam divinam: ergo. Deinde: accidentia panis remanent in Eucharistia: ergo & ejus existentia, & subsistentia. Prob. consequentiam: nam illa existunt, & subsistent per aliquam existentiam, & sub-

sistentiam; sed non existunt, nec subsistent per existentiam, & subsistentiam corporis, & sanguinis Christi: ergo per easdem, per quas antea existebant, & subsistebant, nempe, panis, & vini: ergo &c. Respondeo negando major. & major. probationis. Ad minor. videant Thomistæ, qui dicunt, humanitatem Christi existere formaliter per existentiam Verbi, quod Scotistæ omnes negant, asserentes, existere per existentiam propriam. Deinde est magna æquivocatio in hoc transitu. Propriè enim loquendo, ille transitus, non aliud significat, quam quod panis cesset existere sub speciebus suis, & loco ejus existat corpus Christi per suam propriam existentiam. Ad secundum nego consequentiam. Nam sicut accidentia realiter distinguuntur à substantia panis, & vini, & possunt ab illa separari: ita habent distinctam, & propriam existentiam, et per illam existunt in Eucharistia. Idem dicendum est, de illa subsistentia, cujus sunt capacia.

QUÆSTIO III.

An possibile sit Deo, corpus Christi esse in Eucharistia, ubi perseverante panis substantia?

469 **D**ocuimus jam, tamquam dogma Catholicum transubstantiationem panis in corpus Christi rectè colligi ex verbis consecrationis, practicè sumptis, seu secundum quod habent ex Christi institutione. Nunc queritur: An talis transubstantiatio rectè, & necessario colligatur ex verbis consecrationis purè speculative sumptis? Seu an talia verba in sensu speculativo possent esse vera, etiamsi non esset talis transubstantiatio? Reducitur hæc Theologica controversia ad inquirendum: *An, salva manente substantia panis, Deus potuisset facere, quod corpus Christi in Eucharistia verè*

exis-

existeret? Circa quam plures Thomistæ, id judicant omnino impossibile. Alii possibile esse, absolute docent: non tamen præsentia Christi in Eucharistia tunc foret ejusdem rationis, ac nunc est, deficiente substantia panis. Doctor verò Subt. in 4. dist. 11. quæst. 3. n. 14. cum omnibus suis, censet, absolute non repugnare, substantiam panis, & corporis Christi sub iisdem speciebus simul remanere. Censet etiam, quod, salva veritate verborum consecrationis: non quidem veritate practica, quam modo ex institutione Dei habent, & Christi, cujus voluntate, & virtute ea propositio est de facto conversiva, sed veritate speculativa, quæ est ex instituto humano, & ex se nullius factiva: censet, inquam, corpus Christi, quin detur panis conversio, posse esse in Eucharistia. Quare.

470 **D**icendum 1. *Absolute loquendo, fieri potuit, ut Christus, salva manente substantia panis, haberet præsentiam sacramentalem sub speciebus, & quidem ejusdem rationis, qua nunc est præsens.* Hæc, ait Mastrius, est communior inter Theologos. Et probatur: quia in hoc nulla repugnantia assignari potest, nec ex parte corporis Christi, & substantiæ panis, nec ex parte actionis divinæ Omnipotentis, quæ quidem solam ex terminorum repugnantiam repugnare potest, cum possit efficere, quicquid non includit contradictionem: ergo. Prob. anteced. quoad primam partem, in qua difficultas potest esse: non repugnat, unum corpus fieri alteri præsens in eodem loco per mutuam penetrationem: ergo neque repugnat fieri præsens sacramentaliter. Antecedens est indubium. Prob. consequent. Tum; quia etiam nunc de facto, quantitas corporis Christi est intimè præsens quantitati panis: ergo eodem modo substantia corporis Christi fieri posset sacramentaliter præsens substantiæ panis: non enim est magis incompe-

sibilis substantia substantiæ, quam quantitas quantitati, cum omnis incompossibilitas substantiarum in eodem loco ortum ducat præsertim à quantitate. Tum: quia substantia Angeli per solas naturæ vires, potest fieri indivisibiliter præsens substantiæ panis: ergo etiam substantia corporis Christi per potentiam absolutam ipsius Dei.

471 **Q**uod etiam foret præsentia ejusdem rationis cum ea, quam nunc in Eucharistia habet, deducitur ex eo, quod haberet omnes intrinsecas conditiones, quas nunc habet. Istæ enim tres sunt præcipuè. Una est, quod Christi corpus ita sit præsens in Sacramento, ut non amittat præsentiam in Coelo. Altera, quod sit indivisibiliter præsens, id est, totus in toto, et totus in qualibet parte. Alia tandem, quod intimè, et inseparabiliter sit præsens cum accidentibus panis. Nunc sic: sed has conditiones habere posset tunc casus corpus Christi, panis substantia manente: ergo haberet præsentiam sacramentalem ejusdem rationis. Esset verò hoc discrimen, quod tunc accidentia panis non essent sine subjecto, vel ad minus non distarent ab illo. Hoc autem omnino per accidens se habet ad præsentiam corporis Christi: ac proinde non impediret, quod adhuc esset ejusdem rationis. Sic cum Subt. Doct. probant hanc conclusionem plurimi præclari Theologi à P. Mastrio adducti, qui & infringit Adversariorum varias solutiones.

472 **D**icendum 2. *Transubstantiationem panis, & vini, non necessario colligi ex verbis consecrationis, purè speculative sumptis.* Unde adhuc dato, quod substantia panis maneret, salvaretur veritas propositionis consecratiæ. Sed ne æquivocationem patiaris, advertere debes, sensum hujus difficultatis hunc esse: *An propositio consecratoria, quæ de facto est conversiva, verificari posset, conversione non facta? ita ut oratio esset falsa, nisi conversio fieret, quamvis*

vis

vis Christus esset præsens substantiæ panis, modo quo nunc est speciebus præsens. Vel, an salva ejus speculativa veritate, quam habet ex communi hominum institutione, posset facere corpus Christi præsens, non convertendo in ipsum substantiam panis? Unde sensus est: an possit illa præsentiæ demonstrari de rigore sermonis per illam propositionem, *hoc est corpus meum*, etiamsi non esset practica, sed tantum speculativa: vel si illa forma potuisset ita institui, ut tantum esset adductiva corporis Christi, & non conversiva panis in ipsum? Non igitur sunt confundendæ hæc duæ significationes formæ, quarum altera est speculativa, quæ est ex humano instituto, & nullius factiva: altera verò practica ex institutione Christi, qua propositio hæc est factiva sui termini, eò modo, quo reliquæ formæ sacramentales dicuntur *factivæ*, & *practicæ*; non quidem ex humana, sed ex divina institutione. Totum hoc necessarium censui ad sensum aperriendum hujus controversiæ, cujus difficultas non est levis.

473 Jam declarata nostra resolutione, probatur sic: Dato, quod substantia panis maneret, adhuc salvaretur veritas hujus propositionis: *Hoc est corpus meum*: ergo transubstantiatio panis non colligitur necessario ex verbis consecrationis, speculativè sumptis. Prob. antecedens. *Ly hoc* non demonstraret tunc casus substantiam panis, sed contentum sub pane, sicut modò non demonstrantur accidentia; quia tunc propositio esset falsa: unde sensus est, hoc ens contentum sub isto signò sensibili, est corpus meum: sed hoc esset verum, etiamsi ibi maneret substantia panis: non enim repugnant, nec necessario se excludunt, ut patet ex prima resolutione: ergo. Pro intelligentia majoris vide disp. 2. quæst. 10. per totam, ubi statuitur, quid pronomen *hoc*, & *hic* significant, & demonstrent in consecratione panis, &

vini. Urgetur: Quia certissimum apparet, & plurimi ex Adversariis coguntur fateri, quod illa verba, vi propria, & ex sensu speculativo, ac ex natura sua præcisè, non significant conversionem: ergo sine ista veritas illorum potest stare. Prob. antecedens: Quia Deus, nullo cum fundamento negante, potuisset instituire, ut fieret Christus sacramentaliter præsens speciebus, non quidem converso pane in ipsum, sed vel pane annihilato, vel alibi posito, & conservato, eo instanti, in quo inciperentur proferri verba consecrationis, & antequam completerentur: eo enim casu salvaretur utique, & subsisteret veritas demonstrationis, & sensus integer verborum consecrationis, absque ulla conversione panis in corpus Christi: ergo illa conversio non infertur necessario ex sensu naturali, & speculativo verborum illorum, sed dumtaxat ex sensu practico, quem ex divina institutione habent. Alias rationes valde subtiles adducit Hiquæus in Commentario, & Mastrius disp. 3. de venerabili Eucharistiæ Sacramento quæst. 13.

474 Arg. 1. ex Tridentino, verbis à nobis supra laudatis, ubi Concilium colligit transubstantiationem ex verbis institutionis Christi. *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*; sed hæc illatio non esset legitima, si verba consecrationis possent esse vera, remanente panis substantia, & substantia vini: ergo falsum est, quod sensus illorum verborum, adhuc speculativus, non connotet veram conversionem panis in corpus Christi. Respondeo negando minorem. Concilium siquidem colligit transubstantiationem ex sensu practico tantum, prout Ecclesia ea verba tantum intellexit. Unde Concilium non censet, eundem esse articulum fidei, quod Christus sit realiter præsens in Eucharistia, & quod transubstantiatio fiat: nam præsentiam docet cap. 1. transubstantiationem autem cap. 4. Præsentiam defini-

nit cap. 1. transubstantiationem cap. 2. Deinde docet Concilium, quod Christus suam præsentiam disertis, ac perspicuis verbis testatus est: at verò de transubstantiatione non sic loquitur, sed hoc modo: *Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerrebat, verè esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit &c.* Id est, quia Christus perspicuis verbis testatus est præsentiam sui corporis sub specie panis: ideo semper persuasum fuit in Ecclesia: id est, ideo Ecclesia, edocta ab Spiritu Sancto, verba Christi, tametsi possent esse vera in sensu non conversivo, absolute sumpta, tamen semper intellexit illa in sensu conversivo, & declarat, sic esse intelligenda. Igitur secluso hoc intellectu, & declaratione Ecclesiæ, non habetur nisi ad summum argumentum probabile. Hoc est, quod Subt. Doct. intendit in 4. dist. 19. quæst. 1. num. 9. nempe, *præsentiam disertis, ac perspicuis verbis Christi constare*: conversionem autem ex autoritate Ecclesiæ, verba illa sic interpretantis; quæ interpretatio non fuit à principio ita manifesta, sicut post condemnatum errorem Berengarj.


475 Arg. 2. cum Thomistis: Si substantia panis perseveraret sub speciebus, vel annihilaretur, & non converteretur, verius diceretur: *Hic est corpus*, quàm *hoc est corpus*: ergo ut verba consecrationis sint vera, etiam secundum sensum speculativum, necessario fieri debet transubstantiatio. Confirmatur: Christo in Eucharistia debetur cultus latræ; sed si panis substantia maneret ibi, talis cultus exhiberi non deberet propter idolatriam, adorando creaturam: ergo. Denique: quia tolleretur debitus usus Sacramenti: si enim verè substantia panis maneret, ipsa esset verus cibus corporalis; sed hujus Sacramenti usus est, quod sit cibus spiritualis: ergo.

476 Respondet Subt. Doct. num.

10. utrumque posse dici. Ita inquit: *Verum est enim, quod hoc est corpus meum, & hic est corpus meum. Sed non hoc accidens, sed contentum sub accidente. Eodem modo, si esset panis, non hoc, quod est substantia panis, esset corpus, sed hoc, quod est contentum sub pane, esset corpus. Magis verò exprimitur veritas hujus Mysteriorum per pronomen hoc, quàm per particulam hic; quia *ly hoc* primò demonstrat ipsam rem, quam particula *hic* demonstrat ratione loci. Christus autem non est sub speciebus, ut in loco, quamvis sit in loco specierum, seu ubi sunt species. Quare potius Christus dicit: *Hoc est corpus meum*, quàm, *hic est corpus meum*. Unde Subdit Doct. *maluit autem Salvator uti hoc vocabulo hoc, quàm hic, quia magis exprimitur veritas, licet utrumque dictum esset verum*. Ad confirmationem, quæ est argumentum Angelici Doct. 3. parte quæst. 75. art. 2. respondet Subtilis 4. dist. 11. quæst. 3. num. 9. *Modò non est idolatria, qui adorat Christum in Eucharistia, & tamen non potest negari, quin sit ibi creatura aliqua, scilicet species illa. Sed non est adorandum sensibile continens, sed Christus contentus: & eodem modo tunc dicitur Christum contineri sub pane quanto, & quali, & ita non panem adorari, sed Christum contentum in pane, ut in signo*. Per quæ mirificè argumentum solvit. De adoratione, quæ de facto debeat speciebus consecratis tribui, videbis disp. 1. quæst. 7. præcipue arg. 3. contra secundam conclus. Ad ultimum respondet ipse Doct. Subt. num. 10. *Non valere argumentum: quia modo manifestum est, quod ipse species nutriunt, secundum Apostolum 1. Corinth. 11. & alius quidem exurit, alius autem ebrius est &c. & hoc ex perceptione specierum sacramentalium: & tamen non negatur hic esse cibus animæ: tamen datur ipsum contentum sub nutrimento corporali: & ita si poneretur panis manere, esset ibi nutriti-**

trimentum corporale, & tamen contentum sub illo esset tantum nutrimentum animæ. Hæc Doct. cujus verba adeo sunt aperta, ut nulla explanatione indigeant.

477 Ex dictis sequitur: vocabula ista: *Hoc est corpus meum*, secundum sensum practicum, juxta institutionem divinam, & prout illa usurpat Ecclesia, revera denotare, & demonstrare transubstantiationem. Licet enim alius posset esse sensus eorum, ita quod, aliquis posset dicere, per pronomen *hoc* non demonstrandum panem, si maneret, sicut nec per idem pronomen, nunc demonstrantur accidentia, sed contentum sub pane, scilicet corpus Christi: (etiam hoc pacto ista propositio potuisset esse vera, si Christus decrevisset, panem mansurum cum corpore suo) tamen, inquit Doctor, intellectus ille simpliciter falsus est; non enim sic Christus instituit: nam hoc Sacramentum sic institutum est, ut signatum ejus non esset cum pane, sed solum cum accidentibus. Et quod iste solus intellectus concipitur facile ex ipsis verbis, probat Doctor ex autoritate Ecclesie, dicens notanter, & eleganter: *eo enim Spiritu exposita sunt Scripturae, quod condita. Et ita supponendum est, quod Ecclesia Catholica eo spiritu exposuit, quo tradita est nobis fides: spiritu, scilicet, veritatis edocta, & id eo hunc intellectum elegit, quia solus verus est. Non enim in potestate Ecclesie fuit facere istud verum, vel non verum, sed Dei instituentis: sed intellectum a Deo traditum Ecclesia explicavit, directa in hoc, ut creditur, spiritu veritatis.* Pulcherrima utique verba.



QUESTIO IV.

Quid sint, quæ, & quot, ad veram conversionem, & transubstantiationem requirantur?

378 **Q**uia Mysterium hoc sacratissimum conversione totius substantiæ panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi perficitur, ut quæst. anteced. docuimus contra Calvinistas, & Lutheranos: in præsentia explananda est natura hujus transubstantiationis admirabilis, in quo tota difficultas hujus altissimi Mysterii consistit. Sed quia transubstantiatio est species conversionis, quæ, ut ait Subt. Doct. in 4. dist. 11. quæst. 1. & 2. per totam, est genus ad transubstantiationem; omnis quippe transubstantiatio est conversio, non verò est contra, omnis conversio est transubstantiatio: ideò prius de conversionis natura est aliquid agendum, et de ejus conditionibus tractandum: obiterque difficultates non leves breviter resolvam, quarum resolutione quæstioni sequenti facilius, expeditiorque paretur via. Unde advertendum cum Scoto Quodlib. 10. conversionem in communi dividi 1. in *accidentalem*, & *substantialem*. Illa versatur inter terminos accidentales, & fit transitus de uno in aliud accidens, ut cum frigidum convertitur in calidum, vel est converso. Ista est, quæ versatur inter terminos substantiales, & ex una substantia fit transitus in aliam, ut dum lignum convertitur in ignem, vel cum aqua fit aer. Hæc conversio substantialis est duplex, nempe, *formalis*, aut *partialis*, & *totalis*. Prima est, in qua pars tantum substantiæ convertitur in aliam partem substantiæ, manente subiecto communi in tali transitu, ut cum forma ligni convertitur in formam ignis, quæ & dicitur *transformatio*; quia versatur inter formas, & dicitur *partialis*, quia remanet materia, uti

uti subiectum commune formæ utriusque. Secundà est, in qua tota substantia convertitur secundum omnes suas partes in aliam substantiam. Hæc utique intervenit in Sacramento Eucharistiæ, in quo tota panis substantia in corpus Christi transit, & tota vini substantia in ejus sanguinem. Hæc totalis conversio appellatur proprie *transubstantiatio*, seu unius totius substantiæ in totam aliam substantiam transitus, cujus nullum habere possumus in natura exemplum, cum nullum agens naturale independentem a materia, quæ est pars substantialis compositi, agere possit. Unde totam substantiam, secundum omnes suas partes in aliam substantiam convertere, nullum naturale agens potest: quia tunc ejus actio a materia non dependeret. Solum igitur agenti supernaturali hoc est possibile, & operatur sic de facto in Sacramento Eucharistiæ. De conditionibus autem, & requisitis hujus totalis conversionis hic suo ordine agendum venit.

479 Primò itaque ad veram, & realem conversionem requiritur, quod sit, & versetur, inter duos terminos positivos, quorum unus habeat rationem termini *a quo*, alter rationem termini *ad quem*. Per hanc conditionem, quæ ab omnibus adstruitur, discernunt omnes conversionem a simplici productione, seu creatione, & a simplici desitione, seu annihilatione. Etenim in creatione est terminus positivus, qui incipit, non tamen positivus, qui desinit: est contrario, in annihilatione est terminus positivus, qui desinit, non verò, qui incipit. Uterque autem requiritur in conversione: quod utique patet ex ipsius definitione jam assignata, quod sit transitus unius rei in aliam: & per hoc distinguitur a creatione, quæ habet pro termino a quo negationem: & ab annihilatione, quæ terminus ad quem similiter est negatio. Unde conversio versari debet inter duos terminos po-

Tom. II.

sitivos. Ita ad verbum docet Subt. Doct. in 4. dist. 10. quæst. 3. lit. N. ubi ait, quod ipsa est inter terminos positivos, ita quod nec est creatio, nec tantum destructio. Inquit etiam, transubstantiationem esse inter terminos positivos, qui sint substantiæ, quandoquidem eam definierat, esse transitum substantiæ in substantiam quæst. 1. Ex hac prima conditione sequens excitatur difficultas.

480 *An per conversionem, vel transubstantiationem panis annihilatur in Eucharistia?* Dubium hoc, quod Doctor tractat in 4. dist. 11. quæst. 4. §. *Ad questionem*, oritur ex eo, quod post consecrationem nihil panis manet, neque quoad materiam, neque quoad formam, neque quoad existentiam, nec subsistentiam, ut Doctor docet, & jam dictum, & probatum est a nobis. Totum igitur esse substantiale panis destruitur. At verò, re hæc benè inspecta, & in qua Scholastici tot paginas implent non est præsens difficultas, nisi pura quæstio de nomine. Fundamentum hujus est: quia si per annihilationem panis nihil aliud intelligatur, quam quod ita desinat, ut nihil ejus intrinsecum, nec ulla pars maneat, in hoc sensu utique dici potest annihilari, cum nihil ejus substantiale maneat. Si verò per annihilationem intelligatur, quod ita desinat quoad omnia ad ipsum spectantia, ut neque ejus accidentia maneat: aut ita, ut neque in aliud convertatur, ut nomen annihilationis communiter sumitur: In hoc quidem sensu, quod planè est magis proprius, certum est, panem non annihilari, nedum, quia ejus accidentia maneat, sed potius, & præsertim, quia panis substantia convertitur in corpus Christi, nec desinit in purum nihil. Ex quo, resolvendo difficultatem, dico: *panem in conversione Eucharistica proprie non annihilari.* Ratio est: quia terminus hujus conversionis non est nihil, sed aliquid positivum, nempe, corpus Christi: ergo hæc con-

Dd

ver-

versio non est annihilatio, cujus terminus est nihil. Antecedens certissimum est: talis enim conversio versatur inter terminos positivos, cum sit transitus totalis à substantiâ panis ad substantiam corporis Christi. Igitur non est annihilatio propriè sumpta, quæ talis debet esse, ut in aliud non convertatur. Doctrina hæc non obscure deducitur ex Subt. Doct. loco citato, littera K. ubi inquit: quod licet etiam concederetur, desitionem panis, secundum se consideratam, esse annihilationem: adhuc tamen ista conversio, nullo modo est annihilatio, nec per eam dici potest, panem annihilari, sed in aliud converti, scilicet, in corpus Christi ibi succedens ad ejus desitionem.

481 Ex hac Doctoris doctrina, alia oritur difficultas inter Scotistas, nimirum: *An saltem desitio panis, secundum se considerata, dici possit annihilatio?* In hujus resolutione valde dissentiunt Scotistæ: Verum innegabile videtur mihi, Scotum in hoc problematicum fuisse, cum afferat rationes, & fundamenta pro utraque parte. Dicit enim loco citato, quod si transitus panis ab esse ad non esse consideretur secundum suam naturam, & proprios terminos, est annihilatio; quia transit panis ab esse simpliciter, ad non esse, ita ut nihil ejus maneat: ergo talis desitio secundum se considerata est annihilatio. Deinde littera D. assignat Doctor modum, quo defendi possit, desitionem panis non esse annihilationem, nimirum, quia terminus annihilationis debet esse omnino purum nihil, hoc est, negatio extra genus; scilicet, extra omnem positivum, si ve hoc sit subjectum, quod dicatur privatum secundum illam negationem, sive disparatum, quod includat illam negationem. In proposito autem negatio existentie panis est hic per se terminus desitionis, ut includitur in termino positivo succedente: & ideo desitio panis non potest propriè dici annihilatio, de cujus ratio-

ne est, quod ad negationem extra genus terminetur, hoc est, ad negationem, quæ in nullo positivo salvetur. Quare hanc questionem reducit tandem ad questionem de nomine, & de modo loquendi, & intelligendi nomen *annihilationis*: nempe: quid intelligatur per desitionem aut quid importet desitio rei, quæ dicitur annihilatio? Si enim extendatur ad significandam omnem desitionem totius quoad se, quomodocumque succedat, sic desitio panis in Eucharistia annihilatio dici potest; quia nihil omnino ejus substantie manet. Si verò sumatur pro tali desitione, cujus terminus est purum nihil, & negatio extra genus, hoc est, extra omne positivum, ut in rigore accipienda videtur ex Scoto citato, desitio panis in Eucharistia non dicitur ei annihilatio: quia negatio existentie panis non inducitur per se primo, quin succedat aliquid positivum, sed verè ejus desitioni succedit positivum corporis Christi.

482 Unum fateor, ut verum, nempe, quod in sententia annihilationem panis asserente, salvantur optatè omnia, quæ de hoc Sacramento docet fides. Ratio est: quia licet dicat, panem annihilari, dum desinit, admittit tamen, panem converti in corpus Christi, & vinum in sanguinem, asserens, posse stare annihilationem eum conversione. Considerat etenim hæc sententia duplicem transitum in pane, quia duplex terminus ad quem ei succedit, nempe, unus negativus, & est nihil sui: alius positivus, & est entitas, & positivus corporis, & sanguinis Christi: ratione illius panis annihilatur; ratione istius in corpus, & sanguinem Christi convertitur, & transubstantiatur. Cum autem omnes uno ore fateantur, ita se habere panem post conversionem, ac si omnino annihilatus esset, eo quod nihil omnino substantie ejus maneat: & aliunde in hac sententia annihilatio conversionem non excludat, certè sive dicatur annihilatio, sive non,

Aac

hæc erit pura quæstio de nomine. Unde non est, cur Scotistæ aliqui adeo tenaciter insistant in sua defendenda opinione, unus pro una, alius pro alia parte.

483 Secundò requiritur ad veram, & realem conversionem unius in aliud, ut terminus à quo desinat esse secundum eam rationem, quæ in aliud convertitur. Condicio hæc, quæ ab omnibus communiter admittitur, patet ex ipsa definitione conversionis: nam quod convertitur transit in id, in quod convertitur: ergo opus est, ut secundum illud esse, secundum quod convertitur, desinat; et enim numquam album diceretur converti in nigrum, nisi desineret esse album. Sed est difficultas: An significatio termini à quo, sit differentia ad veram conversionem requiritur de hoc, sitio termini à quo, ita pariter requiratur inceptio termini ad quem secundum suam substantiam? Plures Theologi affirmant: Scotistæ verò cum pluribus aliis, negant. Dico igitur: ad veram, & substantialem conversionem opus non esse, ut semper terminus ad quem incipiat esse simpliciter secundum suum esse substantiale. Est Subt. Doct. in 4. dist. 11. quæst. 3. ad primum principale, & Quodl. 11. litter. H. & J. quibus in locis transubstantiationem totalem, dividit tamquam genus in tres species, scilicet, in *productivam*, *conservativam*, & *adductivam*, seu *translativam*. Explicatur à Subt. Doct. istæ species sic.

484 Transubstantiatio *productiva* est, quæ una substantia totaliter desinit esse, & in aliam sibi succedentem convertitur secundum novum esse simpliciter. *Conservativa* est, quæ una substantia desinit esse, & in aliam convertitur sibi succedentem, non quoad novum esse simpliciter, sed quoad idem esse præhabitu, conservatam tamen ex vi desitionis alterius: modo quo, vermis desinens, verè diceretur in solem substantialiter conversus, & sol verè diceretur illi succedere in esse, si Deus vel-

Tom. II.

let conservare solem ex vi desitionis vermis; aliàs ipsum non conservaturus. Hoc enim modo potest aliquid converti in præexistens, & admitti transubstantiatio in ipsum; non quidem per modum novæ productionis, sed novæ conservationis, sensu explicato. Transubstantiatio *adductiva*, seu *translativa*, ea est, quæ una substantia desinit esse, & convertitur in aliam sibi succedentem, non secundum novam esse simpliciter, sed secundum novam præsentiam, de quo quæst. sequenti per totam. Unde terminus transubstantiationis ut sic est substantia absolutè, & secundum se considerata, quatenus abstrahit ab inceptio simpliciter, à conservatione, & ab adductione: & per hæc rationes diversas determinatur ad hanc, vel illam speciem. Quare, si fuerit productiva requiritur, ut terminus ad quem incipiat esse simpliciter. Si fuerit conservativa, requiritur, quod de novo conservetur per habitudinem ad terminum à quo. Et tandem si fuerit adductiva, vel translativa, requiritur, quod ex vi desitionis termini à quo, incipiat esse de novo, ubi antea non erat. Tota hæc doctrina est Subtil. Doct.

485 Tertiò requiritur ad veram conversionem, ut inter desitionem termini à quo, & positionem termini ad quem, sit aliqua connexio, seu ordo, ita ut una ex altera aliquomodo sequatur. Colligitur ex Scoto dist. 11. cit. quæst. 1. in fine, & ita docent omnes passim. Suadetur ex ipso conversionis nomine: nam transire unum in aliud est, hoc incipere, quando, & quia illud desinit. Si autem non ordinarentur ad invicem hujusmodi partiales mutationes conversionem integrantes, una non haberet rationem termini à quo, & alia rationem termini ad quem: atque ita, quando desinit lapis, vel formica si tunc Angelus crearetur, formica, & lapis possent dici conversi in Angelum, quod est falsissimum. Igitur requiritur, ut res, quæ desinit, &

Dd 2

re

recedit, desinat, & recedat ex vi introductionis, & inceptionis, alterius, & quæ incipit, & accedit, accedat, & incipiat ex vi alterius desitionis.

486 Dubitatur verb: *An connexio hæc debeat esse physica, & ex natura rei? An sufficiat, quod sit tantum moralis?* Primum affirmant plures. Secundum sustinent frequentius Scotistæ. Dico igitur cum Doct. quæst. & quodl. cit. sufficere moralem connexionem. Probatur: quia talis moralis connexio sufficiens est, ut positio unius dicatur causa desitionis alterius, & é converso etiam, si ex natura sua non sint repugnantes. Dato enim, quod agens nolit unam formam introducere, quin alia expellatur, satis stat, ut dicatur, quod positio unius sit causa desitionis alterius. Quod adeo verum est, ut Cardinalis de Lugo, licet asserat, de facto dari connexionem physicam, & ex natura rei inter desitionem panis in Eucharistia, & positionem Corporis Christi, tamen subdit, hanc conditionem non esse necessariam ad quamlibet unius in aliud conversionem, sed sufficere moralem, nempe, illam, quæ ex decreto, & voluntate Dei volentis utrumque conservare, provenit. Sit exemplum. Si Canonicus fiat Monachus, dicitur simpliciter in Monachum converti, & Canonicatum mutari in Monachismum, licet ex natura rei, non repugnent simul in eodem homine Canonicatus, & status regularis, sed solum moraliter, ex decreto, scilicet, Pontificis, volentis Canonicatum in Monacho durare. Sufficit igitur ad veram conversionem moralis oppositio inter terminum a quo, & terminum ad quem.

487 Quartó tandem ad veram conversionem volunt plures Theologi, quod detur aliquid commune utriusque termino a quo, & ad quem, quod cum utroque perseveret, & in ordine ad quod uterque terminus re-

pugnet. Sic forma ligni, & ignis pugnant in ordine ad eandem materiam, quæ sub utraque manet: Calor, & frigus in ordine ad idem subiectum: Corpus Christi, & panis substantia versantur circa eadem accidentia. Hoc tamen ait Doct. Subt. disp. 11. cit. quæst. 5. & quodl. 10. verum est de conversionibus partialibus, in quibus utique manet aliquid commune utriusque termino, non autem de totalibus. Et quamvis in Eucharistica conversione, quæ totalis est, accidentia maneant, hoc merè per accidens, & concomitanter se habet ad rationem conversionis: etenim si cum substantia panis accidentia quoque desinerent, & ex vi talis desitionis corpus Christi succederet, non minus tunc panis diceretur in corpus Christi conversus, quam nunc dicitur. Quare, dico: *ad conversionem totalem substantialem non semper esse necessarium, aliquid utriusque termino commune, succedere se mutuo.* Ratio est; quia non minus esset conversio substantialis, ut patet ex proximè dictis, si cum substantia panis, etiam accidentia converterentur in corpus Christi, quam modò. Quamvis enim modò remaneant in Eucharistia panis accidentia, tamen non ob id dicitur panis in corpus Christi converti: neque est conditio ad hoc necessario requisita, sed omnino de per accidens, & concomitanter se habens ad conversionem.

488 Ex hucusque prælibatis clarissimè colligitur, quid sit transsubstantiatio? Sic igitur definienda est cum Subt. Doct. in 4. dist. 11. *Transsubstantiatio est transitio unius substantiæ, in aliam substantiam.* Et intelligitur transitio totalis substantiæ, sicut termini totaliter desinentis esse, ut Doct. se explicat ibi. Et addit sub littera D. in transsubstantiatione dici non posse, terminum a quo aliter nunc se habere, quam prius, quia terminus a quo non manet, atque adeo non potest nunc aliter, quam prius, se habere. Ex hoc eodem capite

pite probat Doct. quæst. 2. §. *Hæc quæstio*, Deitatem non posse converti in creaturam; quia quidquid est in Deo, est necesse esse: id autem, quod convertitur in aliud, debet quantum ad esse, & non esse subesse virtuti convertentis.

QUÆSTIO V.

Quænam sit actio transsubstantiativa panis in corpus Christi?

489 **S**tatutis jam, atque examinatis, quæ attinent ad veram conversionem, & transsubstantiationem: insimulque statuto, conversionem dividi in *productivam, conservativam, & adductivam*, cujus naturam, & definitionem explicavimus quæst. antecedenti, exurgit nunc examinanda ardua difficultas, nempe, qualis sit actio transsubstantiativa, seu conversiva panis in corpus Christi, & vini in ejus sanguinem in Eucharistica consecratione? An, scilicet, sit *productiva, conservativa, aut adductiva?* Circa quam tres sunt principales sententiæ, ad quas reducuntur alii alique, quas autumant Authores. Prima docet, actionem transsubstantiativam panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi esse productivam. Et reddit rationem, quia etsi corpus Christi ante consecrationem verè, & realiter in Cælo existat, necessaria est productio substantialis nova, ut de novo sub speciebus panis, verè & substantialiter existat: siquidem idem corpus constitui non valet in pluribus locis, nisi per plures, & iteratas sui ipsius reproductiones substantiales. Ita non pauci ex Theologis. Sed alii, cum Lugo, aliter explicant hanc actionem productivam. Defendunt enim transsubstantiationem actionem productivam esse: eo quod, quamvis per eam corpus Christi non producat substantialem: tamen producit unum, quæ est modus substantialis, inter corpus Christi, & species sacramen-

tales. Adhuc aliter explicant alii, & vocant præfatam actionem productivam, scilicet, non quia de facto corpus Christi producat, sed quia de se efficax est ad illud substantialiter producendum, casu quo alibi non existeret productum, vel in cineres esset resolutum. Hic modus dicendi locum habet apud Subt. Doct. in 4. dist. 9. q. 2. §. *Aliter*, de quo & nos sufficienter egimus disp. 1. quæst. 3.

490 Secunda sententia asserit, actionem transsubstantiativam non esse productivam corporis Christi jam existentis, sed solum conservativam. Modus hic dicendi, qui Suario tribuitur, impugnatur ex eo, quod videtur admittere duplicem actionem totalem conservativam respectu ejusdem corporis. Unde, inquit Mastrius, defendi commodè non potest in hoc sensu, & sub hoc modo, quo asseritur: benè verò defendi potest modo quo à Subt. Magistro insinuatur quodlib. 10. litt. C. ubi ad unicam reducit actionem conservativam corporis Christi in Cælo, & in Altari, à Deo provenientes, quamvis formaliter, seu potius secundum diversas habitudines, appareant diversæ. Tertia, & principalior sententia propugnat, quod actio transsubstantiativa, prout de facto applicatur, non est productiva, nec in sensu immediatè expresso conservativa, sed solum est actio adductiva. Dixi, *prout de facto applicatur*; quia talis actio secundum se est productiva, habetque vim, & efficaciam producendi corpus Christi, casu quo productum non esset, vel si aliàs ad nihilum reductum foret, ut diximus sæpè. His benè inspectis:

Sit Conclusio.

491 *Actio transsubstantiativa panis in corpus Christi solum est actio adductiva, non productiva, nec reproductiva.* Ita inter antiquos N. Serap. Doct. Div. Bonaventura cum pluri-

bus. Eam docet Subt. expressé, in 4. dist. 11. quæst. 3. §. *Si dicas* num. 23. Probatur conclusio ratione 1. Actio terminata ad terminum, præhabentem esse simpliciter, non est productiva illius termini, ut videtur evidens, sed actio transubstantiativa terminatur de facto ad corpus Christi, quod præhabet esse simpliciter, ut est innegabile: ergo de facto talis actio non est productiva: ergo de facto solum est adductiva. Prima consequentia apparet omnino certa. Probatur secunda: Illa actio est adductiva, quæ habet pro termino ad quem substantiam existentem, ut adductam sub aliqua præsentia; sed actio transubstantiativa terminatur ad corpus Christi verè existens, ut adductum sub præsentia sacramentali: ergo talis actio &c. Prob. minor. Terminus formalis ad quem actionis transubstantiativæ non est corpus Christi absolute, sed prout fit præsens speciebus consecratis: ergo præsentia sub speciebus est terminus formalis illius actionis, & consequenter actio transubstantiativa terminatur &c. Antecedens est evidens: quia si terminus ad quem actionis transubstantiativæ esset corpus Christi absolute, per illam acciperet esse substantiale, & per consequens supponeret, non præhabere tale esse, quod est falsissimum absolute. Explicatur hæc ratio: Tunc res substantialiter producitur, quando transit de non esse simpliciter substantiæ ad esse substantiæ: sed corpus Christi ex vi verborum consecrationis non transit de non esse simpliciter substantiæ, ad esse substantiæ, cum jam prius habeat in Cælo esse substantiale: ergo in Eucharistia non producitur de novo quoad esse substantiale, consequenterque actio illa dumtaxat adductiva esse potest. Major est doctrina philosophica. Minor absdubia: quippe fide profitemur, quod Christus ascendit in Cælum, sedetque ad dexteram Patris: quod verum esse non potest, quia dum ponitur in Eucharistia,

habeat extra illam esse substantiale.

492 Probatur secundó, & præcavetur solutio aliquorum, nolentium talem actionem vocare productionem, sed reproductionem: Implicat rem existentem produci, nisi prout de non existente fit existens, uti vera philosophia docet: sed Christus ante consecrationem perfectissime existit, & illam primam existentiam semper retinet: ergo non potest produci, nec reproduci. Probo consequentiam quoad secundam partem: Sicut dicitur, id produci simpliciter, & absolute, quod accipit primum esse post non esse, ita illud dicitur reproduci, quod accipit secundó esse, post amissum primum esse, seu primam existentiam; sed Christus numquam amittit primam existentiam: ergo non potest reproduci. Urgetur: Si Christus in Eucharistia de novo produceretur, aut reproduceretur, sequeretur, ipsum Christum, prout in hostia, non esse filium Virginis Mariæ; sed hoc est absurdissimum: ergo. Probo sequelam major. In tantum BB. Virgo est Mater Christi, in quantum concurrat ad producendam ejus humanitatem, quæ est unita Verbo, ut Tractatu de Incarnatione ab omnibus docetur; sed ad productionem corporis Christi, reduplicativè, prout juxta Adversarios producitur in Eucharistia, non concurrat BB. Virgo ergo. Deinde: Christus in Eucharistia nihil habet substantiale, & productum, quod non produxerit B. Virgo: ergo per consecrationem nihil substantiale in corpore Christi producitur: alioquin prout in Eucharistia, non esset filius ejus, quod nullus admittet Catholicorum.

493 Denique probatur: Juxta receptum commune proloquium, non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed ad veram, & substantialem conversionem Eucharisticam necessariam non est actio productiva corporis Christi: ergo ut superflua rejicienda est talis actio. Prob. min.

Per

Per actionem adductivam faciliter salvantur, & componuntur omnia, quæ pertinent ad conversionem Eucharisticam: siquidem quæcumque à Theologis cum tanto labore quærantur, quia potius finguntur, eò tendunt, ut rectè explicetur, quid, & qualis sit terminus hujus actionis conversivæ; sed omnia hæc facillimè salvantur per actionem adductivam: ergo. Prob. min. Tum: quia cum tali adductione verè dicitur, *hoc est corpus meum*: vera est conversio panis in corpus Christi: vera substantia panis destruitur, verbis illis prolatis, & corpus Christi illi succedit sub accidentibus ejus; sed ad salvandam veram conversionem, quam hic agnoscimus, nihil aliud requiritur, ergo. Tum: quia ad veram substantialem conversionem, nihil aliud requiritur, quam quod detur transitus, seu res transeat de substantia in substantiam, ita ut una destruat, & cesset ibi esse, & alia ex vi hujus desitionis loco ejus ponatur per veram, & realem præsentiam, qualem habebat prior illa, quæ desiit: sed hoc utrumque fit de pane, & corpore Christi per actionem, qua Deus vult cessare à conservatione substantiæ panis, & loco ejus adducere substantiam corporis Christi: ergo actio adductiva sufficit ad facillimè salvandam conversionem Eucharisticam. Pro hujus doctrinæ intelligentiâ, videas, quod dictum est quæst. antecedenti.

494 Per hucusque traditam doctrinam, absque necessitate longioris impugnationis, infringitur quiddam respondet Gonetus, & ejus assectæ cum ipse: Etenim non nisi impliciter dici potest, ut ipsa dicit, eandem rem duplicem posse terminare productionem, primam, nempe, & secundam, seu habere duplex esse, unum per actionem antiquam, aliud per novam, ut nostræ probationes convincunt. Unde si per illud esse de novo habitum per actionem productivam, intelliguntur verum esse

substantiale, inevitabilis est rei existentis reproductio. Si verò nihil aliud intelligunt, quam novum modum essendi, nihil contra nos dicunt. Pariter infringitur, quod aliqui respondent ad urgentiam nostram in secunda ratione probativa conclusionis adductam, scilicet, corpus Christi in Eucharistia produci per distinctam actionem, ac productum fuit in utero Virginali. Quapropter, dicunt, non implicat, quod servet in cælo esse substantialiter productum, & quod simul in Eucharistia de novo producat. Infringitur, inquam, quia ut dictum est, implicat, quod res existens in rerum natura, iterum producat, dum adhuc physicè durat, & existit: ergo corpus Christi in cælo existens nequit substantialiter de novo in Eucharistia produci. Patet antecedens: nam etsi sit per distinctam actionem, res tamen absolute, & simpliciter non transiret de non esse simpliciter, ad esse simpliciter: quod quidem indispensabile est necessarium ad veram cuiuslibet rei productionem, ex Philosopho dicente, productionem cuiuslibet rei esse transitum de non esse rei ad esse ipsius rei. Est igitur implicatio talis nova, iterata productionis. Hoc magis clarebit ex solutione argumentorum.

Solvuntur Argumenta.

495 Arg. 1. ex SS. Patribus, præsertim Ambrosio, Hieronymo, Gregorio, & Augustino, qui innuunt, actionem transubstantiativam esse productivam corporis Christi: nam utuntur his, & aliis similibus verbis: *effloere, conficere, fieri, creari* ergo corpus Christi, juxta Patres, ponitur in Eucharistia per veram productionem. Prob. consequ. Tum: quia Patres loquendo de hac conversione, offerunt exempla uxoris Lot, conversæ in statuam salis: Virgæ Moysi in Serpentem conversæ: aquæ in nuptiis Cana Galilææ in vinum; sed in his

his conversionibus terminus ad quem fuit realiter productus: ergo & corpus Christi per actionem transsubstantiativam realiter producitur. Tum: quia verba SS. Patrum proprie, & in riguroso sensu accipienda sunt, si nullum inde sequatur inconveniens, aut absurdum: alias ansam præstaremus Hæreticis, ut metaphoricè, & improprie intelligerent, & declararent alia testimonia, tam Patrum, quam Scripturæ Sacræ; sed nullum est inconveniens, nec absurdum, quod Patres intelligantur de productione proprie tali: ergo. Confirmatur ex Concilio Trid. sess. 13. cap. 4. can. 2. docente, quod Eucharistica transsubstantiatio est conversio substantialis. Sic dicit: *per consecrationem panis, & vini conversionem fieri totius substantiæ panis, in substantiam corporis Christi &c.* ergo est productiva corporis Christi sub speciebus. Prob. conseq. Non est alius terminus ad quem prædictæ actionis, ut productio est, ac ut conversio est; sed ut conversio est, habet pro termino ad quem corpus Christi: ergo ut productio est. Prob. maj. Tum, quia talis actio non est alia realiter, ut conversiva, & ut productiva. Tum: quia convertens convertendo producit, & non influit, nisi virtute conversiva. Tum, quia alias talis actio posset exerceri, ut productiva, absque eo, quod converteret, quod manifestè falsum est: ergo.

496 Respondeo cum Mastrio, oppositum potius colligi ex SS. Patribus: quia non dicunt, corpus Christi fieri, creari, aut confici: sed dicunt, panem fieri, creari, & confici corpus Christi, quatenus in corpus Christi convertitur. Unde non dicunt, corpus Christi mutari, sed dicunt, panem, & vinum mutari substantialiter in ipsum corpus, & sanguinem Christi. Sed quia aliqui ex Patribus de ipso Christi corpore loqui videntur: nam Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. dicit: *ubi accesseris consecratio de pane fit cor-*

pus Christi. Et Hieronymus Epist. ad Heliodorum, explicans Sacerdotum dignitatem, scribit: *qui Christi corpus sacro ore conficiunt: respondeo deinde ad argumentum, quod ly corpus Christi fieri, creari, & confici, intelligi debet, fieri, & effici sub speciebus præsens.* Unde sumunt Patres Christi corpus pro toto Sacramento Eucharistico, quod constat ex corpore, & speciebus, & quod reverè fit, efficitur, & conficitur consecratione Sacerdotis. In hoc igitur sensu potest dici corpus Christi fieri, non quidem per veram productionem substantialem, cum supponatur existens, sed sub speciebus Eucharisticis fieri præsens. Nec nimis standum est relatis exemplis, quia ut dici solet, et Adversarii sciunt, non currunt exempla quatuor pedibus. Quid ergo illis intendunt Patres? Illis tantum intendunt declarare, & per illa verba probare contra nonnullos Hæreticos, in Eucharistia substantiam succedere substantiæ: quod quidem non est impossibile: nam sicut de illis conversionibus constat de fide, sic possibilis est, & constat, conversio panis in corpus Christi. Non verò Patres volunt, nec exempla convincunt, quod sicut in illis conversionibus terminus ad quem de novo fuit productus, sic in conversione panis in corpus Christi, istud corpus de novo producatur; quia quod supponitur productum, & existens, solum potest adduci, non verè produci.

497 Ex quo nullatenus sequitur, ansam Hæreticis præbere, ut loca, & sententias Scripturæ, & Patrum reducant ad sensum metaphoricum: aliud namque est, verba habentia sensum proprium, ad sensum metaphoricum, & improprium, reducere, ut Hæretici faciunt: & aliud valde diversum, ad bonum sensum illum textum, & sententiam referre, quæ sensum litteralem ferre in rigore non valet. Et si hæc apertissima doctrina Adversariis non satisfacit, dicant nobis:

bis: quomodo in rigore litterali intelligere possumus, quod in Eucharistia corpus Christi creatur, cum, juxta omnes, *creatio sit productio rei ex nihilo*, & corpus Christi habeat jam esse simpliciter existens, & productum? Necesse igitur est, ut illi explicent Patres de creatione non propria, sed sumpta largè, & impropria. Neque tandem Patres locuti in sensu nostro, improprie locuti fuerunt: quia etiam quando species corumpuntur, similiter dicitur, Christum desinere esse: non verò in se, & absolute, sed in Sacramento, quod sufficienter verificatur eo præcisè, quia tollitur præsentia sacramentalis, & ita Christus desinit esse præsens. Postremò: licet diceremus, hanc esse impropriam locutionem: *corpus Christi in Eucharistia fieri, & creari*, talis responsio spernenda non esset: nam Seraph. Doct. in 4. dist. 11. part. 1. quæst. 6. in corpore quæstionis docet, verba aliqua exprimentia transitum illum panis in corpus Christi: alia esse propria, alia impropria, & inter hæc enumerat vocabulum *fieri*: nam corpus Christi non fit: quod similiter *decreari* est dicendum, cum non creetur, neque generetur de novo.

498 Ad confirmationem dico, quod conversio in se formaliter considerata non est actio alicujus termini productiva, vel adductiva: sed præcisè est mutatio, vel conversio totalis unius substantiæ in aliam: nihilque aliud includit, quam duos terminos cum ordine successionis unius ad aliud, & ex vi desitionis alterius. Vide quæst. præcedenti, ubi traditur, & explicatur hæc vera philosophia. Quo supposito, concesso antecedente, distinguo primam consequentiam. Talis actio actu, & formaliter, seu prout de facto applicatur, est productiva corporis Christi sub speciebus, nego: virtualiter, vel æquivalenter, quatenus si alibi non existeret, per eam produceretur utique, concedo consequentiam.

Tom. II.

Vide in notabilibus hujus quæst. explicando primam sententiam, hujus solutionis intelligentiam. Ad probationem dico, quod actio conversiva non semper habet concomitantem actionem productivam, cum exerceri possit per solam adductionem. Quando primo modo exercetur, concedo eundem esse terminum ad quem illius actionis, ut est conversio, & productio: & nego, si secundo modo exercetur. Ad primam probationem majoris, negatur, actionem conversivam, ut sic, esse eandem realiter cum productiva: nam exerceri potest actio conversiva sine nova productione substantiali succedenti ex vi desitionis alterius, ut quando fit conversio in jam præexistens: & è contra, actio productiva sine conversiva, ut si aliquid absolute produceretur in esse substantiali, & non per alterius conversionem in ipsum, ut jam quæstio. antecedenti est dictum. Ad secundam majoris probationem, dico, quod convertens producit substantialiter, quando conversio exercetur per actionem productivam succedentis substantiæ, non quando solum exercetur, per adductivam actionem. Ad tertiam probationem concedo, actionem conversivam exerceri posse sine actione productiva substantiæ succedentis: & è converso, actionem productivam sine conversione unius substantiæ in aliam. Sed verò actio conversiva Eucharistica exerceri non valet sine destructione substantiæ, quæ est terminus a quo, præsertim juxta providentiam de facto.

499 Replicabis 1. Ex eo, quod corpus Christi ex vi verborum producatur sub speciebus, necessaria non est actio adductiva: ergo cum sola productiva transsubstantiatione salvatur positio corporis Christi sub speciebus eucharisticis. Patet antec. nam in utero Virginis primò productum fuit corpus Christi, & positum ibi absque adductiva actione. Replicabis 2. Gratis dato, quod præsentia sacra-

Ee

men-

mentalis corporis Christi salvaretur absque illius productione, non tamen salvaretur essentia Sacrificii; sed Eucharistia est simul Sacramentum, & Sacrificium: ergo saltem ad rationem Sacrificii oportet, actionem transubstantiativam productivam esse. Prob. major. Sacrificium postulat, ut id, quod sacrificatur, producat substantialiter, & desinat esse substantialiter, ita ut si alibi non existeret, totaliter desineret esse; sed corpus Christi offertur, & sacrificatur in eucharistico Sacramento: ergo.

500 Respondeo ad primam replicam, supponere possibile, quod nos judicamus omnino impossibile. Si enim corpus Christi substantialiter existens posset iterum sub speciebus substantialiter produci, certum est, quod ibi poneretur sine adductione: at verò cum nostræ rationes id convincant impossibile, replica nullius est efficacis. Quod & roboratur ex ipsa adducta ratione de productione corporis Christi in utero virginali: nam quando corpus Christi primò positum fuit in utero Virginis, accepit ibi primum esse substantiale: ergo tunc actio adductiva locum non habuit: quia adductio connotat, rem adductam alibi præexistere. Igitur cum in nostro casu corpus Christi sub speciebus non accipiat ibi primum suum esse substantiale; quin potius extra Sacramentum perfectissimè habeat tale esse substantiale, intelligi non valet, quomodo poni queat sub speciebus, nisi sub illis secundum suam substantiam adducatur. Ad secundam replicam utraque major est neganda, cum utraque sit falsa. Non enim postulat Sacrificium, quod dum hostia sacrificanda substantialiter est producta, de novo substantialiter producat, ut sacrificetur: aliàs, dum in veteri lege pecudes sacrificabantur, deberent de novo creari ad sacrificium, quod asserere certè est ridiculum. Sacrificium itaque incruentum Altaris fit in memoriam Sacrifi-

cii cruenti Crucis, quod tale est ex eo, quod sanguis Christi ex vi verborum separetur à corpore, & corpus à sanguine. Unde, si sacrificium sumatur pro actione sacrificandi, consistit in consecratione panis, & vini, in qua Christus Dominus immolatur mysticè: & si sumatur pro re oblata, quæ appellari solet hostia, consistit in Christi corpore, & sanguine, quæ oblata sunt æterno Patri. Sic constat ex Tridentino, ut dictum est disp. 1. quæst. 7. §. *Replicabis*, & dicitur ampliùs, dum de Sacrificio Missæ specialiter tractemus.

201 Arg. 2. Juxta Doctorum Catholicorum, & Ecclesiæ sensum, actio conversiva panis in corpus Christi est actio substantialis: ergo omnino necessarium est, quod per ipsam producat aliquam substantiam: aliàs non esset transubstantiatio, quæ est actio substantialis, & terminata ad substantiam. Sed nulla alia substantia potest produci in Eucharistia, nisi corpus Christi illa transubstantiatione: ergo necessariò corpus Christi producitur de novo sub speciebus. Confirmatur 1. Actio, qua substantia ponitur in loco, non est substantialis: nam licet per illam substantia adducatur ad illum locum, nulla tamen substantia producitur; sed transubstantiatio Eucharistica substantialis est: ergo aliquid substantiale per illam produci debet: aliter solùm produceretur præsentia, vel ubi substantiæ, quod non arguit actionem substantialem, cum ejus terminus solùm sit accidens. Confirmatur 2. Si substantia corporis Christi in Eucharistia de novo non produceretur, aut reproduceretur, solùm produceretur ejus nova præsentia sub speciebus: ergo sola hæc præsentia foret terminus formalis illius transubstantiationis: ergo cum talis præsentia nova unicè sit accidens, illa actio non esset substantiatio, sed unicè accidentalis: sed hoc non dicent Scotistæ: ergo nec quod Christi corpus ibi non producitur dice-

re

re debent. Urgetur: Per solam adductionem reverà non explicatur transubstantiatio, sed solùm translocatio; sed Eucharistica conversio verè est transubstantiatio: ergo non est præcisè adductio, sed productio. Tandem: hoc Sacramentum non constat ex sola præsentia, sed ex substantia corporis Christi præsentia: ergo verba consecrationis non solùm debent habere vim efficiendi præsentiam, sed etiam substantiam, debito tamen ordine, nempe, primariò substantiam, & consequenter præsentiam.

502 Hoc argumentum, in quantum capio, claudit hujus controversiæ præcipuum Mysterium, sed in ejus solutione evanescet apprehensum difficultatis pondus. Igitur ad claram solutionis intelligentiam, notandum est ex N. Subt. Doct. dist. 11. quæst. 3. quod hæc propositio; *in corpore Christi nihil fit de novo, nisi præsentia sub speciebus*, est falsa: & ideò illam objicit contra se, & illam negat: quia etiam in transubstantiatione adductiva substantia corporis Christi succedit substantiæ panis, ex vi desitionis illius, & hoc secundum esse substantiale; non tamen habet esse substantiale novum, sed novam præsentiam. Et addit Subt. Doct. quòd. 10. quod ista conversio in præexistens sine aliqua novitate in substantia est termini productiva æquivalenter: quia si terminus in rerum natura non esset, sufficienter acciperet esse ista conversione: sed ideò de novo non accipit esse, quia illud præhabet. Unde benè dicitur, quòd. omne illud, quod est conversionis terminus, aut accipit esse, si non est, aut acciperet, si non esset: quod quidem sufficit, ut aliquid possit esse terminus conversionis, prout dicit transitum unius substantiæ in aliam, ut declaratum est quæst. antec. Quapropter transubstantiatio, sumpta pro tali coconversione unius substantiæ in aliam sibi succedentem, nihil aliud includit, quàm duos ter-

Tom. II.

minos à quo, & ad quem cum ordine successionis unius ad aliud in esse substantiali, sive præexistente, sive de novo accepto. Non itaque requiritur magis novitas in termino conversionis, quàm in termino transmutationis naturalis. In hac autem non requiritur necessariò novitas in termino ad quem, ut patet, casu quo Deus produceret albedinem solitariè existentem, & postea illam in subjecto poneret, in quo casu esset ibi transmutatio sine novitate in termino ad quem. Ita pariter potest dari realis, & vera conversio unius substantiæ in aliam sibi succedentem, absque ulla novitate in suo esse substantiali, dummodo ei succedat in esse ex vi desitionis illius, quod à fortiori dicendum est in proposito. Si verò transubstantiatio sumatur pro actione conversiva, qua panis in Christi corpus effectivè convertitur, atque ita habet pro termino corpus Christi sub speciebus; hæc quoque conversio, seu actio dicitur substantialis, quamvis per eam corpus Christi non accipiat de novo esse substantiale. Et ratio est: Tum; quia per eam destruitur substantia panis. Tum, quia ea posita, necessariò per eam substantia corporis Christi produceretur, nisi ante esset producta, ut est dictum. Unde meritò vocatur transubstantiatio; quia est conversio substantiæ desinentis in substantiam ipsi succedentem. Hæc doctrina, quæ tota deducitur ex Subt. Doct. loco citato, valde est notanda; quia per eam solvi possunt; quotquot Adversarii objicere possunt contra transubstantiationem adductivam. Ex quibus.

503 Respondeo faciliter ad argumentum, concesso antecedenti, negando consequentiam, & ejus probationem imbitam, quoad primam partem, nempe, quod non esset transubstantiatio. Ut igitur talis actio adductiva substantialis sit, sufficit, quod ex vi ipsius destruat aliqua substantia, & alia succedat: &

Ee 2

ma-

ximé si adeo efficax sit, quod per eam necessarió produceretur illa substantia succedens, casu quò antea producta non foret. Unde quamvis substantia corporis Christi ex vi talis actionis de facto non producat, hoc non se tenet ex defectu actionis, cujus terminus formalis est substantia corporis. Ad primam confirmationem concedo, actionem puré, & præcisé adductivam, non esse substantialem: nego tamen actionem transubstantiativam Eucharisticam esse puré, & præcisé adductivam. Talis namque actio simul est conversiva, & adductiva, atque adeo substantialis, cum sit conversio substantiæ desinentis in substantiam sibi succedentem, & quæ ex vi talis actionis produceretur simpliciter, nisi jam producta esset. Neque nos dicimus, transubstantiationem importare solùm actionem adductivam, seu puram locationem, ut Adversarii videntur intelligere: adductio enim, seu translocatio, quamoptimé dari potest sine ulla conversione; sed dicimus, importare desitionem unius substantiæ, & actionem conversivam illius in aliam succedentem, & quidem talis efficaciz, ut haberet concomitantem actionem productivam istius substantiæ, si non esset producta ante. Hanc appellamus, non solam actionem adductivam, sed transubstantiationem adductivam. Quare terminus formalis illius actionis, quatenus conversiva, & transubstantiativa est, est corpus Christi, in quod panis desinens transubstantiatur: sed non est corpus Christi nudé sumptum, sed prout præsens sub speciebus, sub qua consideratione adductiva appellatur. Per quod patet ad secundam confirmationem, cujus consequentiæ sunt negandæ.

504 Ad urgentiam concedo totum syllogismum, ex quo nihil contra nos arguitur: quia non dicimus, transubstantiationem importare solam actionem adductivam, cum hæc dari possit sine ulla conversione: sed

dicimus, importare desitionem unius substantiæ, & actionem conversivam ejusdem in aliam succedentem, ut dictum, & explicatum est. Ad ultimum concedo, verba consecrationis non solùm habere vim ad efficiendam præsentiam corporis Christi sub speciebus: sed etiam ad efficiendam substantiam ipsam, si antea non esset producta: adeo ut talis conversio non solùm sit adductiva, sed etiam productiva, saltem virtualiter, & æquivalenter, modo jam explicato §. antecedenti. Semper igitur standum est in eo, quod actio conversiva eucharistica est transubstantiativa, & adductiva, inter quas magnum interest discrimen, quantum ad denominationem actionis substantialis. Per actionem, ut conversivam, destruitur substantia, & necessarió produceretur alia, si antea non esset producta: at veró per actionem, ut adductivam, & qua res solùm ponitur in loco, nec destruitur alia substantia, nec deberet produci substantia, quæ ponitur in loco per illam, si antea non fuisset producta. Quapropter istæ propositiones, aut aliæ similes: *actio adductiva non est substantialis, nec est transubstantiatio: actio adductiva potius est translocatio, quam eucharistica conversio*, sic sunt distinguendæ: actio puré adductiva non est substantialis &c. concedo: actio, quæ simul est conversiva, & adductiva, qualis est eucharistica, nego: nam licet ex parte puræ additionis, seu qua parte adductiva est, non sit transubstantialis, sed potius translocatio: tamen, qua parte est conversiva, formalissimé est substantialis, & transubstantiatio, eò quod sit transitio unius substantiæ in aliam substantiam sibi succedentem: & talis etiam, ut concomitantem haberet virtutem productivam istius substantiæ, nisi antea producta esset.

505 Replicabis 1. Non potest bené intelligi, quomodo Christus in Cælo existens per solam actionem ad-

adductivam possit poni in terra sub speciebus panis, non transeundo per medium, atque ita poneretur in Eucharistia per motum localem; sed dicendo quod producitur sub speciebus, tota difficultas evaquatur: ergo sic est dicendum. Prob. major. Præsentia localis solùm potest produci per motum localem, ut fatentur Theologi: ergo dum ponitur sub accidentibus eucharisticis, non adducitur de Cælo ad Sacramentum, nisi transiens per medium, nempe, per spatium inter cælum, & terram interpositum, ad quod necessarius est motus localis: igitur cum hoc non sit dicendum, & aliás inevitabile sit, si ponitur per additionem, asserendum est, non poni corpus Christi in Sacramento, nisi per novam productionem, aut reproductionem. Respondeo negando majorem, & majorem probationis. Aliud enim est loqui de motu locali, & aliud de actione adductiva. Motus localis, qui includit totam realitatem motus, non potest fieri ex uno loco in alium distantem, nisi transeundo per medium: at veró per actionem adductivam fieri valet absque transitu locali per medium: quia per illam corpus non mutat priorem locum, sed priore retento, simul in alio distante constituitur. Unde non est transitus de loco in locum, sed est novæ præsentia localis simplex productio. Ex quo pro alia replica solvenda, intendente, impossibile esse, idem corpus replicari in pluribus locis per solam additionem: atque adeo, necessariam esse substantialem reproductionem: negandum est, hoc esse necessarium; quia si Angelus, vel corpus poneretur à Deo Romæ, & Jerosolymis, id fieret per simplicem additionem, producendo plura *ubi* in eadem re, & non per replicationem substantialem ejusdem rei, ut docetur in Philosophia, loquendo de replicatione ejusdem corporis de potentia Dei absoluta pluribus in locis.

506 Replicabis 2. Terminus prior

eo modo convertitur in terminum posteriorem, quo terminus posterior succedit termino priori; sed si terminus posterior, nempe, corpus Christi, solùm adducitur, succedit termino priori, scilicet, pani: tantum secundum esse *hic*, seu secundum præsentiam: ergo terminus prior, videlicet, panis, solùm secundum præsentiam convertitur in posteriorem, nempe, in corpus Christi. Nunc sic: ergo hæc conversio non est substantiæ in substantiam, sed præsentia in præsentiam: ergo non est conversio substantialis, sed solùm accidentalis. Ad hanc replicam, quam Subt. Doct. objicit contra se, & quam Mastrius vocat satis implexam, nego majorem, qua negata, ruit tota illius efficacia. Non enim eadem est ratio, nec paritas, de termino *à quo* conversionis, ac de termino *ad quem*: nam ut jam, tam in anteriori quæstione, quam in præsentia, manet dictum, ad veram, & realem conversionem simpliciter requiritur desitio substantialis termini *à quo*, non autem simpliciter requiritur inceptio substantialis termini *ad quem*. Patet de alimento converso in substantiam hominis, quia homo de novo producat, & etiam patet ex dictis. Igitur, quamvis corpus Christi non incipiat de novo substantialiter esse, salvatur vera, & realis conversio substantialis; quia tali modo corpus Christi ponitur sub panis speciebus, ut ex vi talis præsentia destruat panis substantia, & ex vi illius destructionis fiat Christi præsentia, imò ex vi actionis destructivæ panis corpus Christi substantialiter produceretur, si ante non esset productum: igitur hæc non est pura adductio, nec pura conversio præsentia in præsentiam, sed substantia in substantiam. Hæc est doctrina Subt. Doct. per quam replicam solvit.

507 Arg. 3. Verba consecrationis habent virtutem producendi corpus Christi, ut concessum est à nobis: ergo

go de facto illud producant: Probo consequentiam: Tum; quia Sacramento Eucharistiæ non est deneganda efficacia, & causalitas, quæ aliis Sacramentis novæ legis conceditur; sed in aliis Sacramentis verba realiter producant gratiam, quam unumquodque ipsorum significat: ergo pariter Eucharistia. Tum; quia hæc propositio est vera: *Sacramenta novæ legis realiter efficiunt, quod significant*: ergo etiam hæc est vera: *in Sacramento Eucharistiæ realiter efficitur, quod per illud significatur*; sed per illud significatur corpus, & sanguis Christi: ergo realiter efficiuntur, seu producantur in Sacramento. Et patet hoc: quia per actionem productivam multo melius, quam per adductivam, explicatur, & concipitur, quod verba consecrationis id, quod significant, efficiunt.

508 Respondeo concessio antecedenti, negando consequent. Ad ejus primam probationem, concessa majori in vero sensu, licet non in eo, quod ab Adversariis intenditur, & concessa etiam minori, nego consequentiam. Ad secundam probationem idem dicitur, si juxta immediatè declaranda capiatur. Dico igitur, quod verba consecrationis habent virtutem sufficienter productivam corporis Christi: de facto verò illud non producant, nec producere possunt, quia jam supponitur existens. Dico etiam, quod de facto habent virtutem verificativam sui significati. Et quodnam est hoc significatum? Corpus, & sanguis Christi, verè, & realiter existens sub speciebus panis, & vini, quam existentiam, & præsentiam species consecratæ signant, & significant, ut primarium effectum hujus Sacramenti, qui est non, ut in aliis, gratia accidentalis, sed gratia substantialis, de quo abundè dictum est disp. 1. quæst. 1. per totam. Dicimus itaque, quod Sacramentum Eucharistiæ ostendit corpus Christi esse ibi præsens, seu ibi existere, & hanc esse ejus primariam significationem.

Cùm autem hanc significationem verissimam habeat, sive corpus Christi existat ibi per productionem, sive per adductionem, impertinens est corporis Christi nova productio, ut Sacramentum hoc suam habeat efficientiam, & significatum. Fit itaque præsens speciebus per adductionem de facto, quia de facto corpus Christi invenitur productum. Quare in aliis Sacramentis verba producant gratiam, quia non supponitur producta. Uniformis igitur efficacia Sacramentorum consistit in eo, quod sicut cetera Sacramenta dicuntur efficere gratiam in suscipiente, quatenus moraliter movent Deum ad gratiam in illo ponendam: similiter verba consecrationis dicuntur efficere, quod significant, quatenus movent Deum ad infallibiliter ponendum corpus, & sanguinem Christi sub speciebus consecratis, sive positio hæc fiat per productionem, vel per reproductionem, vel per adductionem. Nos dicimus evenire hoc per adductionem de facto, quia corpus Christi supponitur productum. Per hanc doctrinam solvitur quidquid argumentum continet, & ultima ejus ostensio negatur rotundè.

509 Argues denique: Non magis repugnat reproduci corpus corruptum, quam corpus existens; sed illud potest fieri à Deo: ergo & istud, & consequenter &c. Prob. maj. Omnes rationes suadentes possibilitatem reproductionis corporis corrupti, suadent possibilitatem reproductionis corporis existentis: ergo, Prob. antecedens. Ratio suadens à priori possibilitatem illius, est, quia quilibet effectus in Dei omnipotentia continetur modo infinito; sed hoc ipsum suadet possibilitatem istius; quia hic effectus continetur, sicut & ille, in omnipotentia, cui nihil est impossibile: ergo. Respondeo negando omnia, sicut in argumento negari intenduntur usque ad ultimam propositionem, quam claritatis gratia distinguo: nihil est impossibile omni-

po-

potentiæ ex parte ipsius, concedo: ex repugnantia, seu ex parte termini, nego. Quælibet substantialis productio ex suo formali, & intrinseco conceptu, exigit, & postulat fieri à non esse simpliciter, ad esse simpliciter. Unde omne, quod actu habet esse simpliciter existens, implicatorium est reproduci, quin prius destruat. Ex quo constat clarissimè disparitas; quia res, aut corpus corruptum, cum jam non habeat esse existens, quamoptimè potest iterum redire ad esse simpliciter, & existentiale. Et quando dicitur, quod quilibet effectus continetur in omnipotentia modo infinito, seu quod infinities latet in creatoris potentia, in tantum sic dicitur, in quantum infinities potest illos destruere, & rursus eosdem reparare: non verò, quia eos possit sæpius reproducere, quando adhuc existunt, cum hoc sit implicatorium: Quapropter, estò nihil sit impossibile omnipotentiae ex parte sui, seu si non sit repugnantia ex parte termini: multa tamen sunt, quæ fieri repugnant, quia prædicata eorum contradictionem, & implicantiæ, important.

510 Ex quibus, ut hanc controversiam concludamus, & pro aliis solvendis, semper habendum est præ oculis, nos non dicere, ut æquivocantur non semel Adversarii, transubstantiationem præcisè esse adductionem corporis Christi sub speciebus; hoc enim falsum est omnino: sed dicimus, importare desitionem unius substantiæ, & actionem conversivam illius in aliam succedentem: & quidem talem, quæ substantiam succedentem de novo produceret, si non præexisteret. Huic igitur actioni conversivæ dicimus, annexam esse actionem adductivam, ratione cuius substantia succedens ex vi desitionis alterius, & ex vi actionis conversivæ, dicitur succedere in eodem loco, ubi erat substantia jam conversa. Hæc est expressa doctrina Subtil. Doct. loco citato in conclusione.

Parificatur efficacia, & virtus prædictæ actionis in Baptismo, qui ex se est collativus primæ gratiæ: si verò conferatur puero sanctificato in utero matris, non conferret primam gratiam, quia collatam invenit. Unde licet Scotus, ut notat Hiquæus in 4. dist. 11. quæst. 3. ad Scholium num. 22. videatur quodlib. 10. inclinare in transubstantiationem productivam, ob quod Scotistæ aliqui illum de hac actione interpretantur: immeritò quidem, sic interpretantur; quia esse actionem adductivam, hic clarissimè docet Scotus, solvitque subtiliter rationes in oppositum. Deinde Concilia, præsertim Tridentinum, multum favet sententiæ de adductione, quatenus sess. 13. cap. 1. existentiam Christi in Sacramento, rectissimè præsentiam appellat hisce verbis: *nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in Cælis assideat, juxta modum existendi naturalis: & ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit.*

QUÆSTIO VI.

Quomodo existat Christus sub speciebus? & quid ponatur in Eucharistia? ac quomodo?

511 **P**Lurima sub præfixo titulo declaranda, ac resolventa aggredior, sed brevi calamo. Primum, quid, & in quo consistat formalis præsentia Christi in Eucharistia? Secundum: quoniam sit terminus transubstantiationis? Tertium: an detur aliqua unio physica inter corpus, & sanguinem Christi, & species panis, & vini consecrati? Quartum: quomodo Christus ponatur in hostia post consecrationem. Quintum: quid ponatur ex vi verborum in Eucharistia, & quid per concomitantiam? Ante uniuscujusque resolutionem statuere oportet, quid sit præsen-

sentia Sacramentalis? & in quo á circumscriptiva, & diffinitiva differat? Præsentia igitur sacramentalis sic á nostratibus præsertim, explicatur. *Relatio supernaturalis extrinsecus adveniens, qua Christus Dominus realiter, & indivisibiliter omnibus speciebus consecratis, & cuilibet illarum parti, est præsens.* Quod sit relatio ex eo patet, quod pertinet ad prædicamentum *ubi*, & cadit sub genere supremo illius prædicamenti. Et quod sit extrinsecus adveniens claret ex eo, quod necessarió non resultat, positus secundum se speciebus, & corpore, sed indiget consecrativa actione: quod est signum evidens, non resultare ex natura extremorum, uti relatio intrinsecus adveniens resultat, sed indigere, ut resultet, aliquo extrinseco, ob quod ab Scotistis relatio extrinsecus adveniens nominatur. Ex hoc colligitur, quod præsentia Sacramentalis circumscriptiva, & diffinitiva, & conveniunt, & differunt. Conveniunt: Tum; quia omnes sunt relationes extrinsecus advenientes. Tum; quia omnes sunt terminus motus localis, sive proprié, sive improprié. Tum: quia omnes faciunt rem, ab alio loco distantem. Differunt tamen in multis præsentia circumscriptiva, & sacramentalis. Tum: quia circumscriptiva ita facit corpus replere locum, ut naturaliter expellat corpus ab eodem loco, quod non facit Sacramentalis. Tum: quia circumscriptiva importat duplicem relationem, unam de prædicamento *ubi*, aliam de prædicamento *situs*: Sacramentalis veró, solúm est relatio de prædicamento *ubi*, & non importat relationem de prædicamento *situs*. Deinde præsentia diffinitiva, & sacramentalis in hoc conveniunt, quod utraque est indivisibilis, & utraque ponit rem locatam in toto loco determinato, & totam in qualibet parte: differunt veró; quia diffinitiva sic ponit rem totaliter in uno loco, ut naturaliter non possit esse in alio: at veró Sacramentalis sic ponit cor-

pus Christi sub speciebus consecratis existentibus Calagurræ, ut non impediatur, quod eodem tempore ponatur per aliam consecrationem sub speciebus existentibus Romæ, Matríti &c. Nunc jam, ut satisfaciam difficultatibus propositis ab initio quæstionis.

512 Dico 1. *Præsentia corporis, & sanguinis Christi, quæ causatur ab actione conversiva, est entitas positiva, & relativa, reducibilis ad prædicamentum ubi.* Sic docet Doct. Subt. in 4. dist. 10. quæst. 1. num. 1. Doctorem sequuntur Scotistæ, & plurimi alii. Probatur assertio quoad primam partem, nempe, esse entitatem positivam: Tum; quia per hanc præsentiam corpus Christi realiter transit de contradictório negativo in contradictorium positivum: siquidem de non præsentem positivé fit præsens speciebus: sed hic transitus nequit fieri sine adventu alicujus novæ formæ positivæ: ergo Sacramentalis præsentia est entitas positiva. Tum: quia positivé de novo denominans debet esse positivum; sed hæc nova præsentia positivé denominat corpus Christi præsens sub speciebus: ergo. Prob. min: esse præsens *hic*, contradictórié opponitur negationi talis præsentia: ergo sicut ista est denominatio negativa, illa est positiva. Prob. conseq. Negatio non opponitur contradictórié negationi: nam contradictio est inter affirmationem, & negationem, seu inter positivum, & negativum ejusdem rei: ergo.

513 Probatur 2. pars, scilicet, quod sit entitas relativa. Tum; quia nihil positivum absolutum est in Christo in Eucharistia, quod ipse non habeat in Cælo: ergo quid absolutum non est. Tum; quia illud est pura relatio, cujus totum suum esse est ad aliud se habere; sed tale est totum esse hujus præsentia, siquidem nec concipi potest sine respectu ad species panis, & vini, sub quibus ponitur loco substantia illarum: ergo. Tum, quia non potest explicari, quid

quid sit, aut in quo consistat illud absolutum: nam alia entia non sunt formaliter præsentia, nisi per tales relationes: ergo. Tertia pars, videlicet, quod talis relatio est reducibilis ad prædicamentum *Ubi*, probatur; quia hæc præsentia est quoddam ens reale: ergo ad aliquod prædicamentum pertinet. Sed non potest aliud assignari, ad quod magis pertineat, quam ad *Ubi*: ergo. Prob. min. Non pertinet nisi ad unum ex relativis; sed ex istis non potest assignari aliud, quam *Ubi*: ergo. Minor patet: quia non est relatio intrinsecus adveniens, cum non resultat inter species, & Christum, existentem in rerum natura sicut relatio similitudinis inter duo alba: ergo præcisé spectat ad unam ex relationibus extrinsecus advenientibus, quæ non resultant ex natura, & existentia extremorum, sed requirunt aliquam conditionem ex parte alicujus agentis, v. g. approximationem. Nunc sic: sed ex his relationibus, nulla aptius potest assignari, ad quam reduci possit, quam ad *Ubi*, ut patebit discurrendo per singulas relationes extrinsecus advenientes, quas agnoscunt Scotistæ: ergo. Dixi, *quod est reducibilis*: nam, ut inquit Subt. Doct. præsentia Sacramentalis non est proprié præsentia *Ubi*, sed solúm aliquantulum. *Ubi* enim consistit in relatione totius locati ad locum, seu contecti ad continens, & vicissim. Cum autem corpus Christi contineatur sub speciebus panis, & veré, ac realiter ibi sit, cum ante consecrationem non esset, aliquo bono sensu potest dici, quod sit ibi per aliqualem ubicationem. At veró hæc præsentia in multis differt ab ubicatione proprié sumpta, ut diximus, & videbimus infra.

514 Objicies 1. Nulla est necessitas ponendi aliquid distinctum à substantia corporis, & sanguinis Christi, & specierum, præter mutuum illorum indistantiam; sed indistantiam nihil positivum est distinctum à cor-

Tom. II.

pore, & speciebus: ergo præsentia nihil positivum importat præter indistantiam, & consequenter non est entitas positiva. Probatur major: quia præsentia columnæ in superficie terræ, nihil aliud importat, quam indistantiam ab illa, & sic de aliis: ergo. Objicies 2. Relatio non potest existere sine suo termino; sed hæc Christi præsentia potest existere sine suo termino, nempe, speciebus: ergo non est relatio, sed quid absolutum. Minor patet casu quo Deus destrueret species panis in pixide, & ibidem vellet conservare corpus Christi: tunc enim existeret illa præsentia, & non illa relatio. 3. Si præsentia nihil esset, nisi relatio, esset purum accidens: ergo conversio non esset substantialis, sed accidentalis, cum ejus terminus esset purum accidens. Denique objicies: Summum genus *Ubi* est circumscriptivum: nam *Ubi* est illud ratione cujus res est in loco; sed præsentia Christi in Eucharistia non est circumscriptiva; quia Christus non est præsens speciebus, ut in loco: ergo præsentia Sacramentalis non spectat ad *Ubi*.

515 Respondeo ad 1. negando maj. & ejus probationem: nam illa indistantia fundat relationem præsentia, quæ necessarió resultat, illa posita. Unde prius est natura, & fundamentaliter, columnam tangere superficiem terræ, quam quod resultat relatio præsentia: ex hoc veró non sequitur, quod non resultat. Patet sic: prius est, Petrum esse genitum á Paulo, quam quod in eo resultat relatio filiationis: non veró sequitur ex hoc, nec quod relatio non resultat, nec quod filiatio non sit quid distinctum ab illo, nisi neges distinctionem relationis á fundamento, & termino, quod non est contra assertionis intentum. Ad secundum distinguo minorem: Christi præsentia ad species potest existere sine speciebus, nego: Christi præsentia ad pixidem, concedo minorem, & consequentiam. Tunc ca-

Ff

sus

sus cessaret esse sub speciebus, & consequenter deficeret relatio præsentialitatis ad species: non vero deficeret præsentialitas ad pixidem, quæ etiam esset relatio præsentialitatis distincta ab illa, quam habuit ad species. Ad tertium nego consequentiam, nam ut dictum est quæst. antec. terminus qui conversionis est corpus Christi, & ejus sanguis, ex quorum adductione ad species resultat illa relatio novæ præsentie. Ad ultimum nego maj. quia etiam datur ubi diffinitivè, quod à circumscriptivo multum differt. Unde ad minorem dico, Christum non esse sub speciebus, ut in loco, propriè, & circumscriptivè: esse verò aliquo modo diffinitivè: nempe, sine commensuratione ad locum, & sine divisibilitate, seu indivisibilitate, modo quo sunt in loco res spirituales. At verò non taliter, quod claudatur, & finiatur loco, cum possit esse alibi simul, de quo postea dicemus, & etiam manet aliquid dictum.

516 Dico 2. *Terminus ad quem transubstantiationis Eucharisticae, seu terminus formalis, est directè, & per se corpus Christi, constans materia, & forma corporeitatis.* Idem dicendum de sanguine respectivè. Sic Doct. Subt. in 4. dist. 11. quæst. 3. qui expressè illam firmat, & quem sequuntur discipuli, & alii plurimi. Probatur: Tum ex Concilio Tridentino sess. 13. can. 7. ubi definitur: *In hoc Sacramento contineri totum Christum realiter, & substantialiter, & in eo fieri mirabilem illam, & singularem conversionem, totius substantiæ panis, in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem transubstantiationem appellat Ecclesia Catholica.* Et subdit: *Corpus ibi contineri directè, & ex vi verborum, animam verò, & divinitatem concomitanter ex vi naturalis connexionis, & concomitantia, qua partes Christi Domini inter se copulantur post resurrectionem &c.* Tum ex SS. PP. præsertim ex Am-

brobio can. 2. de consecratione dicente: *Idem sanè corpus, quod ex Virgine sumptum est, quod resurrexit, & in Cælum ascendit, in Eucharistia est:* sed B. Virgo genuit corpus ex forma substantiali corporeitatis constitutum, ut in Physica Scotistæ convincunt: ergo.

517 Probatur ratione: Tum, id est terminus formalis ad quem hujus conversionis, per quod constituitur in ratione corporis, & sanguinis, ut constat ex definitione talis termini, & ex sensu communi; sed illud corpus, & ille sanguis constituuntur per formam corporis, & per formam sanguinis: ergo. Minor, præterquam quod patet ex dictis in philosophia de forma corporeitatis: probatur: ille terminus debet esse aliquid substantiale; aliàs non esset transubstantiatio, sed transaccidentatio; sed nihil substantiale potest dici talis terminus, præter illam formam corporeitatis, qua constituitur corpus, & formam sanguinis, qua constituitur sanguis, seu in esse talis humoris: ergo. Probatur minor: nihil est substantiale in corpore Christi, præter materiam, formam illam, & animam rationalem; sed nec materia corporis, nec anima rationalis, potest dici terminus ille formalis: ergo. Minor quoad materiam clara est: siquidem non est terminus formalis, sed terminus ad quem materialis. De anima patet etiam, tam ex Tridentino citato, docente, animam non poni directè ex vi verborum, sed concomitanter ex vi naturalis connexionis, patet ex eo, quod si in triduo mortis aliquis ex Apostolis voluisset consecrare, non fuisset anima corpori unita, sed separata. Sed tunc ex vi verborum poneretur corpus Christi in Eucharistia: ergo poneretur constitutum essentialiter in ratione corporis, per aliquam substantialem formam, quæ quidem non poterat esse anima. Denique: illud est terminus substantialis, quod in omni statu constituit corpus Christi, ut natum ex

Vir-

ex Virgine, mortuum in cruce, sepultum, & ut resurrexit, ut constat ex Div. Ambrosio citato; sed illud corpus non constituebatur in ratione corporis, nisi per illam formam corporeitatis: nam in sepulchro non constituebatur per animam rationalem: ergo.

518 Argues: Tum substantia panis convertitur in corpus Christi, ut vivum, non enim est ibi carens vita; sed non constituitur, ut vivum, nisi per animam rationalem: ergo non terminat formaliter conversionem, nisi per animam rationalem. Tum: terminus totalis conversionis est totus Christus: ergo terminus formalis debet esse forma dans esse simpliciter, & completum illi toti; sed hoc facit anima: ergo anima est ille terminus conversionis. Tum: forma panis, & vini est terminus formalis à quo in illa conversione: ergo & anima Christi est terminus formalis ad quem ejusdem conversionis. Prob. consequentiam: Christus succedit pani: ergo. Respondeo distinguendo majorem: convertitur in corpus Christi, ut vivum, materialiter, seu significativè, concedo: formaliter, & reduplicativè, nego majorem, & consequentiam. In Eucharistia vita, & anima ponuntur, & terminant conversionem concomitanter: non verò formaliter, & directè ex vi verborum. Per quod ad secundam distinguo antecedens: terminus totalis, tam directè, & ex vi verborum, quàm indirectè, est totus Christus, concedo: directè, per se, & ex vi verborum, nego antecedens, & consequentiam. Ex Tridentino, ex Patribus, & ex communi sensu Catholicorum, in Eucharistia non ponitur directè, nec anima, nec divinitas Christi: ergo in hoc sensu, nec totus Christus. Per hoc patet ad ultimum: quia directè, & ex vi verborum non totus Christus, sed corpus ejus succedit pani, & sanguis ejus succedit vino: verba enim conversiva sunt hæc: *Hoc est corpus*

Tom. II.

meum: Hic est sanguis meus: corpus autem, & sanguis non dicunt animam formaliter, & directè. Alia argumenta impugnare intendunt sententiam nostram de forma substantiali corporeitatis, quam in corporibus viventium Scotistæ agnoscimus, de quo agitur in Physica. Alia per dicta antecedenti quæstione apertissimè solvuntur.

519 Dico 3. *inter corpus, & sanguinem Christi, ac species consecratas, nulla datur unio physica.* Ita Subt. Magister, qui dist. 10. quæst. 3. hæc habet: *Species non insunt corpori Christi, ut in subjecto, neque ipsum sic inest speciebus.* Probatur contra Cajetanum, Soto, & alios: 1. ex Conciliis, & Patribus, qui existentiam Christi in Eucharistia non aliter explicant, quàm per realem præsentiam, aut continentiam; sed neutra importat unionem physicam: ergo. 2. Quia nulla est necessitas fingendi aliam unionem, quàm intimam præsentiam substantiæ corporis, & sanguinis, quæ penetrat omnes partes quantitatis, & accidentium panis, & vini: ergo. Probatur 3. ratione præcipua: omnis unio physica, vel est inter partes essentielles, ut inter materiam, & formam substantialem, vel inter partes accidentales, ut inter subjectum, & accidens; vel inter partes integrales, ut inter manus, & brachia: nescio enim quam aliam unionem possint assignare, nec quam aliam compositionem, quàm essentialem, accidentalem, aut integram, quæ, & nulla alia, constant physica unione; sed nihil horum dici potest de Christi corpore, & sanguine, & speciebus panis, & vini: ergo non datur talis physica unio. Minor constat quoad omnes ejus partes; quia species panis non sunt materia, nec forma, nec pars integralis corporis Christi: & vicissim corpus Christi non est materia, forma, aut pars specierum: nec inter se faciunt compositionem ullam physicam: non ergo est ibi

Ff 2

aliud,

aliud, quàm intima præsentia, continentia vera corporis, & sanguinis Christi sub speciebus, ac respectus continentis ad contentum, aut loci ad locatum, modo in prima resolutione stabilito, & loco non aliter intellecto.

520 Objicies 1. Sine aliqua physica unione inter corpus Christi, & species, non possunt, quæ de hoc Sacramento dicuntur, benè salvari: ergo. Probo antecedens: Tum, quia non salvatur, quomodo corpus Christi sit impossibile cum panis substantia sine tali unione corporis cum accidentibus: ergo. Probo antecedens: quia impossibilitas hæc venire non potest, nisi à tali unione, quatenus unio corporis cum accidentibus destruit eorum unionem cum substantia panis: ergo. Tum, quia sine unione physica non possunt salvari locutiones Conciliorum, & Patrum: ergo est adstruenda. Prob. antec. Tridentinum sess. 13. dicit, eam existendi rationem in hoc Sacramento verbis exprimere vix nos posse; sed faciliè exprimeremus id per simplicem præsentiam, vel assistentiam: ergo. Et cap. firmiter dicitur, species continere corpus, & sanguinem inseparabiliter: ergo agnoscitur ibi strictissima, & inseparabilis unio. Item Damascenus inquit: *Deum conjunxisse Divinitatem pani, & vino, & fecisse ea corpus, & sanguinem suum;* sed hoc sine unione non verificatur: ergo. Confirmatur: corpus, & sanguis cum speciebus faciunt unum Sacramentum: ergo aliqua compositione inter se uniuntur.

521 Respondeo negando omnia, sicut in argumento probantur. Dico igitur, in hoc Sacramento impossibilitatem substantiæ panis cum Christi corpore provenire ex institutione, & voluntate Dei, nolentis conservare illam substantiam panis sub suis accidentibus ad præsentiam corporis Christi sub illis: non verò ex aliqua physica unione, quæ ad hoc omnino esset impertinens. Ex quo ad secun-

dam probationem, nego antecedens, & dico, quòd ad salvandas locutiones Conciliorum, & Patrum sufficit intima præsentia sic à Deo volita ex institutione Sacramenti taliter, ut Deus nolit hæc separari, nisi per destructionem specierum, seu signi. Unde Concilium confirmat hoc ipsum, cum non de unione, sed de continentia, seu de existendi ratione, loquatur. Venit igitur talis inseparabilitas ex Dei decreto. Nec Damascenus aliud asserit, quàm intimam, & realem præsentiam, qua verificetur *hoc est corpus meum*. Ad confirmationem, nego consequentiam. Nec in aliis Sacramentis intercedit aliqua unio physica inter eorum materiam, & formam, ut omnibus patet: nec inter signum sensibile, & significatum intercedit unio compositionis physiciæ: imò est impossibilis.

522 Objicies 2. Tum; quia sine unione physica concipi non possit, quomodo Christi corpus cum speciebus moveatur: ad hoc enim debet corpus esse alligatum speciebus aliquo vinculo strictiori, quàm simplici præsentia: ergo. Tum: species reddunt corpus Christi sensibile, mobile, manducabile &c. sed hæc non facerent sine unione physica; nam sola indistantia, & localis præsentia non sufficit ad hæc verificanda: ergo. Denique: Sine physica unione sufficienter per species corpus Christi non demonstraretur nec verè dici posset: *Hoc est corpus meum*. Patet hoc; quia si Angelus adesset per puram præsentiam in speciebus non posset verè dici: *hoc est Angelus*: ergo. Nego antecedens, cujus falsitas pluribus patet. Musca enim movetur cum bove, vel equo: homo cum nave: vinum cum vase: & tamen inter ista, & alia similia non est alia unio, quàm simplex præsentia. Quare, ut Doct. Subt. dicit, Deus instituens hoc Sacramentum, decrevit facere corpus Christi præsens, ubicumque species præsentis fuerint, & cum illis

lis moveri. Ad 2. nego minor. Supposita præsentia illa corporis ad species panis, voluit Deus illa attributa accidentium prædicari de corpore: non quidem in omni sensu, sed vel directè, ut manducare: vel indirectè, & ratione specierum, & per attributionem, ut frangi, dividi &c. Siquidem tantum signi fit fractura, signato integro manente, ut canit Ecclesia. Ad ultimum dico, quòd si Angelus esset sub speciebus eadem præsentia, qua Christus, nempe, per veram transubstantiationem, tunc vera esset illa propositio: *hoc est Angelus*; quia verè tunc significaret id, quod esset sub illis speciebus, Quare futile est argumentum.

523 Dico IV. *Christus Dominus post consecrationem, & per illam ponitur, & est in hostia, non solum totus in tota, sed etiam totus in qualibet hostiæ particula*: & hoc, modo separentur particulae, modo permaneant iaseparatae. Docetur expressè à Subt. Doct. 4. dist. 10. quæst. 6. num. 3. Pro opposito sentire citatur Albertus, cum aliquibus aliis, dicentibus, totum Christum semel tantum esse sub una hostia, & partes corporis Christi correspondere partibus hostiæ. Sententia hæc omnino est falsa: nam sequeretur ex illa, quòd Christus in hostia parva foret constipatus, & oppressus, & in majori esset rarefactus. Alii cum Gabriele, & Coninck, dixerunt, Christum ante divisionem hostiæ esse totum in tota, & totum, instar spiritus, in illis hostiæ partibus, quæ talem, & tantam habent quantitatem, quæ, si ante consecrationem ab invicem separentur, maneret in eis substantia panis sensibiliter: secus verò in aliis minoribus his. Sententia hæc, præter plures difficultates, quas patitur, falsa est ex eo, quòd ex illa sequitur, Christum non esse totum in aliquibus hostiæ partibus, quod est absurdum.

524 Assertio nostra expressè definita videtur in Concilio. Florenti-

num namque dicit: *Sub qualibet parte hostiæ consecratae, & vini consecrati, separatione facta, totus est Christus*. Tridentinum sess. 13. can. 3. de partibus ab hostia separatis sic definit: *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujuscumque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri: anathema sit*. Idem Concilium loquens de singulis hostiæ partibus ante separationem, ait eadem sess. cap. 3. in fine: *Totus, & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte, totus idem sub vini specie, & sub ejus partibus existit*. Ergo dicendum est absolutè, quòd, sive partes separentur ab hostia consecrata, sive unitæ permaneant, totus Christus verè, & realiter sub qualibet earum existit. Eadem veritas constat ex Patribus, ex quibus sufficiat Mag. Par. Aug. cap. 75. dicens: *Per partes manducatur, & manet totus integer*. Et prosequitur: *totus in singulis... quoniam in quas-cumque partes dividantur species, in singulis est Christus totus*. Ratio potest esse: quia sicut singulae partes ante consecrationem erant panis, cum sit totum homogeneous, [idem est de vino] ita in singulis specierum partibus est totus Christus.

525 Objicies: Tum; quia ille modus præsentia inexplicabilis videtur: ergo gratis asseritur. Tum: quia Christus non est in hostia, nisi juxta intentionem consecrantis... sed iste non habet intentionem de singulis, ac minimis partibus hostiæ: ergo modo stabilito non est in illis. Tum: si in singulis partibus specierum esset Christus totus, tot haberet præsentias in hostia consecrata, quot sunt partes hostiæ, sed istæ sunt infinitæ: ergo & Christi præsentia. Minor patet: nam quælibet pars est divisibilis in plures, & plures, usque in infinitum.

526 Ad 1. neg. ant. quia sufficienter explicatur per modum, quo ani-

anima rationalis est in corpore, & Angelus in loco: quatenus totus Christus est in tota hostia, & totus in qualibet parte ejusdem, ut de substantiis spiritualibus dicitur, sive in corpore, sive in loco. Unde corpus Christi est in eodem loco cum speciebus, sed non eodem modo: nam species sunt in loco circumscriptivè, ambiunturque à superficiebus aëris: Christus autem est diffinitivè, id est, indivisibiliter, & totus in toto spatio, & totus in qualibet parte, sicut & in speciebus ipsis, ut loco citato in assertione Doctor docet. Et ut scias plenius, quomodo Christus in Sacramento existit? Dico, quod corpus Christi ibi non habet differentias positionis, taliter, quod ad differentias positionis specierum, caput sit sursum, & pedes deorsum, aut vicissim: nam licet habeat extensionem in ordine, ad se ipsum, non habet in ordine ad locum. Quapropter quomodocumque elevetur, & quomodocumque hostia vertatur, caput Christi non est supinum, vel resupinum. Et quamvis corpus Christi ibi habeat verum *Ubi*, & præsentiam, non tamen circumscriptivè, nec adhuc diffinitivè propriè: sed Sacramentaliter, hoc est, supernaturali, & excellentissimo modo à Philosophis quidem incognito, ac divina sapientia adinvento, & ab Omnipotentia ad nostram utilitatem, & admirationem, executo. Est enim opus singulare divini amoris, ubi memoriam fecit Dominus mirabilium suorum, & escam dedit se timentibus. Ad 2. distinguo minorem: iste non habet intentionem explicitam, & formalem, aut non necessariò debet habere, concedo: implicitam, & virtuales, nego minorem: quia intentio Sacerdotis est de consecranda tota hostia præsentè, & sensibili, quæ suis partibus constat. Ad ultimum nego minorem. Dico igitur, quod partes non sunt infinitæ actu, sed tantum in potentia, seu syncategorematicè, ut docent veri philosophi. Unde falsum est, cor-

pus Christi in speciebus existens habere infinitas præsentias, aut esse infinitum, quia cum species non sint actu infinitæ, nec infinitè sensibiles, Christus non est in illis, nisi prout sunt actu, & sensibiliter. Instatur argumentum in anima rationali, quæ juxta omnes, tota est in toto corpore, & tota in qualibet corporis parte.

527 Dico V. *Sub specie panis solum ponitur corpus Christi directè, & ex vi verborum, & sanguis sub speciebus vini*: at verò per concomitantiam, tam in hostia, quam in calice, est totus integer Christus, hoc est, ponitur anima, divinitas, & subsistentia, seu Divina Personalitas. Est de fide expressa in Concilio Tridentino sess. 13. cap. 3. can. 1. sic docente: „Semper hæc fides „fuit in Ecclesia, statim post consecrationem verum Domini nostri „Jesu Christi corpus, verumque „ejus sanguinem sub panis, & vini „specie unâ cum ipsius anima, & „divinitate existere: Corpus quidem „sub specie panis, & sanguinem „sub vini specie, ex vi verborum; „ipsum autem corpus, sub specie „vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vñ „naturalis illius connexionis, & concomitantia, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur. Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypostaticam unionem.“ Quibus in verbis adeò expressè docet Trident. assertionem, ut negari nequeat, sine magna temeritate. Id ipsum præclare docet Catechismus Rom. part. 2. cap. 4. num. 23. ubi loquens de his, quæ ponuntur sub speciebus Eucharisticis, dicit, non omnia eadem ratione, aut virtute in hoc Sacramento contineri, sed quædam contineri vi, & efficacia verborum, ut corpus sub specie panis, & sanguis sub specie vini: cætera verò non ita esse, sed quia

quia illis conjuncta sunt.

528 Probatur ratione quoad primam partem: Verba Sacramentalia efficiunt, quidquid significant; sed forma verborum super panem solum exprimit corpus, & super vinum solum exprimit sanguinem: ergo corpus ex vi formæ per se, & directè ponitur, & existit sub specie panis, & sanguis sub specie vini: cætera verò non ita per se, & ex vi formæ ponuntur. Probatur quoad alias partes: Corpus Christi ponitur nunc in Sacramento, ut reverà est in Cælo; sed in Cælo est vivum, & animatum: ergo ita ponitur in Sacramento. Sed non potest esse vivum sine anima: ergo anima per concomitantiam ponitur sub speciebus Eucharisticis. Quod autem corpus per concomitantiam ponatur sub speciebus vini, & pariter sanguis sub speciebus panis, ex eo constat: Tum, quia de facto corpus Christi existit in Cælo cum suo sanguine, & in Sacramento ponitur, ut ibi existit. Tum; quia corpus nequit esse vivum sine sanguine, nec sanguis potest esse incorruptus sine novo miraculo, si extra corpus existeret: ergo necessarium est, quod corpus ponatur per concomitantiam sub specie vini, & sanguis sub specie panis. Pariter, quod per concomitantiam sub utraque specie ponatur unio hypostatica, & Verbi personalitas, patet ex Epist. Concilii Ephesini ad Nestorium, & refertur de consecrat. dist. 2. cap. 80. ubi expressè asseritur. Sed præcipuè ex Tridentino immediatè supra laudato. Denique in Eucharistia ponitur quidquid continet Christus; sed Christus reverà continet unionem hypostaticam, & Verbi personalitatem: ergo hæc ponuntur in Eucharistia. At non ex vi verborum, juxta dicta: ergo per concomitantiam. Tandem per concomitantiam est divinitas, & per consequens in hoc augustissimo Sacramento est tota SS. Trinitas, cujus adorandæ personalitates inseparabiles

sunt à divinitate. Ob quod D. Thomas Opusculo 63. cap. 2. parte 3. ait: *Quocumque tempore, quocumque loco, & quocumque Sacerdote bono, vel malo salutare illud Sacrificium in forma Ecclesie oblatum fuerit, totus Deus Pater cum Filio, & Spiritu Sancto, se totum singulis animabus ad fruendum exhibet.*

529 Objicies 1. ex Subt. Doct. in 4. dist. 8. quæst. 1. ubi docere videtur sanguinem contineri sub specie panis vi verborum: ergo juxta Doctorem non est per concomitantiam, ut nos asserimus. Objicies 2. Si sanguis esset cum corpore sub speciebus panis, bis poneretur ibi, & frustra, aut inutiliter consecraretur vinum; siquidem primò poneretur sub speciebus panis, & iterum, ac ita frustra, poneretur sub speciebus vini; sed consequens est falsum: ergo. Idem argumentum fit de corpore, si poneretur etiam sub speciebus vini. De anima, quæ utrobique ponitur concomitanter, nullum est inconveniens. Respondeo, impositum esse à Suarez 3. part. disp. 51. & aliquibus aliis, Subtili Doctori, docuisse, sanguinem vi verborum contineri sub specie panis, quod utique Scotus non somniavit. Falluntur isti Authores in his verbis, aut malè, aut non intellectis, Scoti loco proximè citato, num. 4. „dico, quod corpus Christi accipi potest strictè, „prout includit partes animatas, cujusmodi non est sanguis... & sic „corpus est aliud essentialiter à sanguine, & in se etiam potest esse „aliud signatum... Alio modo corpus potest accipi, ut omnia illa „includit, quæ pertinent ad totum „corpus organicum, sive sint partes animatæ, sive aliæ non formaliter animatæ, ut sunt humores, „& spiritus, & hoc modo sanguis „est aliquid corporis. Hæc Doctor. Hoc enim loco loquitur de unitate, non indivisibilitatis, sed integritatis Sacramenti Eucharistiæ, & docet, quod sive corpus accipiatur primo, vel

vel secundo modo, constituunt tamen unum signum totale unitate integritatis, licet non unitate indivisibilitatis, modo quo dictum est cum ipso disputat. 1. quæst. 8. conclusio. 3.

530 Postea dist. 10. quæst. 4. n. 13. respondens ad secundum argumentum, in quo inferebatur, quod sanguis frustra poneretur sub specie vini, vi verborum consecrationis, cum jam sit sub specie panis, simul cum corpore, nedum in præsentis puncto suam mentem declarat, sed etiam per ejus pulchram doctrinam, alia plura possunt solvi argumenta, ut apertè videbit, qui ejus legat verba. Enim neququam affirmare intendit, ut ex ipsis evidentissimè apparet, quod sanguis vi verborum existat sub specie panis, ut Suarez imponit: sed tantum, quod in ea hypothesi, quod quis asserere vellet, sanguinem, seu sanguineum humorem, esse partem corporis, tunc necessarium esset, quod sanguis poneretur vi verborum sub speciebus panis, sicut & ipsum corpus, cum sanguis esset pars constitutiva corporis in tali casu. Et tunc adhuc cum hoc discrimine, quod corpus poneretur primario, & tanquam præcipuum significatum: sanguis autem poneretur, tanquam pars ipsius corporis, & solum virtualiter significata cum toto corpore. Quæ doctrina nec verior, nec subtilior potest esse ad salvandum in tali casu veritatem Sacramenti sub utraque specie, & frustra bis sanguinem in Sacramento non poni, cum adhuc in tali casu diverso modo poneretur sub specie panis, ac sub specie vini. Per quod patet ad 2. cujus majorem distingo: bis poneretur eodem modo; nego: bis diverso modo, concedo; & nego quod inferitur: siquidem sub specie panis ponitur concomitanter, & indirectè, et sub specie vini ex vi verborum, et directè, et idem de corpore, quod ponitur sub specie vini.

531 Obijcies adversus reliquas as-

sertionis partes: Tum; quia tam sub specie panis, quam sub specie vini, unio hypostatica ponitur ex vi verborum, & directè: ergo & subsistentia, & divinitas: ergo ista non tantum ponuntur in Eucharistia per concomitantiam. Prob. anteced. ex verbis Concilii Ephesini sic dicentis, loco laudato in probatione assertionis: *Nos in hoc Sacramento percipimus carnem non communem.... sed verè vivificatricem, & ipsius Verbi propriam factam*: ergo. Tum, & simul confirmatur præcedens ratio: in consecratione ponitur hæc vox: *Corpus meum, & sanguis meus, sed vox meum, & meus* directè significat personam, cui corpus, & sanguis uniuntur: ergo. Prob. minor. Significat personam loquentem; sed persona hæc est Verbum in duabus naturis: ergo. Prob. maj. Si Christus dixisset: *Hoc est corpus meum mortale, aut passibile*: vel: *hoc est corpus meum organizatum*, tunc mortalitas, passibilitas, & organizatio directè significarentur, & vi verborum; sed dixit: *Corpus meum*: ergo significat personam loquentem directè, & vi verborum, & consequenter ejus unio hypostatica cum corpore.

532 Ad 1. nego anteced. & consequentiam probationis. Non enim caro Christi desinit esse *vivificatrix, & propria Verbi*, ut ait Concilium, ex quo Verbum ipsum, & hypostatica unio non ponantur ibi directè vi verborum: aliàs ipsa anima, quæ prior est in corpore, quam unio hypostatica, quæ fundatur in tota humanitate, poneretur ibidem directè. Hoc autem falsissimum est, & ultra dicta, constat ex eo, quod si in triduo mortis per eadem verba panis fuisset consecratus, fuisset ibi corpus Christi sine anima, & sanguine; & sanguis sub specie vini sine corpore; quia tunc sic separata existebant corpus, anima, & sanguis Christi. Cum verò de facto in Cælo, & postquam Christus resurrexit, in-

ami-

missibiliter uniantur, ac Christus, sicut de facto existit, ponatur in Sacramento, optimè loquitur Concilium, quamvis tantum per concomitantiam ponantur, ut conceptis terminis docet Tridentinum in assertionem adductum. Ad 2. nego minor. & distingo majorem probationis: significat directè, per se, ac immediatè personam loquentem, nego: indirectè, & concomitanter, concedo majorem, & concessa majori probationis, nego consequentiam. Itaque dum Christus dixit, & dicit in nomine ejus Sacerdos, *hoc est corpus meum*, *ly meum* non exprimit nisi rationem possessionis, quatenus est terminus possessivus, non relinquens indifferens *ly corpus*, sed illud determinans ad corpus loquentis, & non ad aliud. Hoc autem non est prædicatum intrinsecè corporis in ratione talis constitutum, sed solum extrinsecum, quod directè, & ex vi verborum non ponitur: aliàs etiam divinitas, non concomitanter, sed directè vi verborum significaretur, quod est contra mentem Tridentini: pariter, dum Christus dixit: *Nondum venit tempus meum*, significaretur unio hypostatica cum subjecto, quod dicere est absurdum. Est igitur *ly meum* notamen possessivum, sicut dum dicitur: *Hæc est vestis mea: hic est liber meus*, quæ ad rationem illorum constitutivam sunt quid omnino extrinsecum. Per hoc ad ultimam probationem, concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quod *mortalitas, passibilitas, & organizatio* sunt formæ intrinsecæ corporis, & tunc significarentur expressè. Unde nihil mirum, quod tunc vi verborum cum corpore ponerentur, quod intrinsecè constituunt. At verò *meum*, quod est possessio, aut pertinentia ad Christum loquentem, ponitur, & est quid extrinsecum corpori: ideòque per *ly meum* non eodem modo personalitas importatur.

533 Dico VI. *Corpus Christi ponitur in hoc Sacramento cum sua*
Tom. II.

quantitate. Quamvis invicem conveniant Theologi, quod Christus existat in Eucharistia cum omnibus suis partibus substantialibus, & *entitativis*, etiam dissentiunt invicem circa partes *quantitativas*, seu circa quantitatem, & extensionem ipsius corporis. Durandus in 4. dist. 10. q. 2. Gabriel, & Mayor, existimant cum aliis nonnullis è veteribus, Christum sine omnimoda quantitate esse in Sacramento, eò quod ibi caret partium extensione, quam contendunt esse de essentia quantitatis. Alii apud Subt. Doct. dist. 10. quæst. 1. concedunt, corpus Christi in Eucharistia habere quidem quantitatem; sed dumtaxat ad modum substantiæ, id est, sine partium inter se ulla ordinatione. Nominales, quos etiam impugnat Doctor, alia via procedunt: quia cum non distinguant realiter quantitatem à substantia, necessariò debent asserere, corpus Christi cum sua quantitate existere in Eucharistia. Dicunt verò, ibi existere, non per modum substantiæ, sed unicè per modum substantiæ, quod juxta ipsos, idem est, ac dicere, partes corporis Christi ibi existere se invicem quoad se, seu in toto invicem penetratæ, & se subintrantes, sine ullo ordine, aut partium ordinatione. Contra hos omnes theologizandi antiquatos modos, procedunt communiter Scholæ Thomistica, & Subtilis. Quare:

534 Assertio est Subt. Doct. in 4. dist. 10. quæst. 1. num. 14. per hæc verba: *Dico, quod positio, quæ est differentia quantitatis, necessariò inest quanto continuo permanenti: & istam oportet salvari in proposito, scilicet, quæ dicit ordinem partium in toto*. De hoc puncto latè tractavi in meo cursu philosophico, loquendo de constitutivo quantitatis. Probatur jam adversus Authores re-
latos, contra quos cæteri Theologi procedunt: 1. ex SS. PP. uniformiter docentibus, corpus Christi in Eucharistia idem esse, quod fuit in

Gg

ute-

utero Virginis, ac in cruce, & sepulchro, & quod nunc est in Cœlo; sed in omnibus illis fuit, & est cum sua quantitate: ergo & in Sacramento. Suadetur efficaciter eadem veritas ex Tridentino, docente sess. 13. cap. 3. animam, & sanguinem, realiter poni sub specie panis, vi naturalis connexionis inter corpus vivum Christi, animam, & sanguinem; sed re ipsa major est connectio corporis ad quantitatem, & ceteras dispositiones naturales, & accidentales, quam connectio ejus ad sanguinem, & animam, quantum ad inseparabilitatem: Siquidem sanguis, & anima naturaliter possunt à corpore separari, manente quantitate, & reliquis quantitibus, ut separata fuerunt in morte, & manserunt in triduo: anima autem nequit esse in corpore modo naturali, sine quantitate: ergo ex vi connexionis naturalis quantitas, & qualitas magis inest corpori Christi in Eucharistia, quam sanguis & anima. Deinde suadetur ex communi sententia Theologorum, asserentium, corpus Christi in Eucharistia esse animatum, ac proinde constans perfecta organizatione, ac membrorum dispositione. Ratio est, quia hæc organizatio, ac membrorum dispositio, & figuratio necessaria est ad animationem ut tenet Scotus in 4. dist. 10. quæst. 1. num. 12. ubi inter alia inquit: *Anima enim est actus corporis organici potestate vitam habentis*, ex lib. 2. de anima cap. 2. Figuratio autem hæc, & organizatio non potest esse tota à forma corporeitatis, quæ tantum distinctionem partium substantialium confert: ergo etiam debet esse à quantitate, cujus virtute corpus illud habeat partes organizatas, & ordinatas, tum inter se, tum in toto. Non ergo corpus Christi potest esse in Eucharistia, sine ulla partium ordinatione: & consequenter est necessarium, quod habeat eandem quantitatem, quam habet existens in Cœlo.

535 Argues multipliciter: Tum; quia si corpus Christi sub speciebus panis haberet suam quantitatem, posset cum illis speciebus, & cum earum quantitate frangi, & dividi, sicut ipsæ species, & earum quantitas frangitur, & dividitur; sed consequens est falsum: ergo & quod ibi habeat suam quantitatem. Prob. major. Quantitas corporis Christi esset ejusdem rationis cum ipsa quantitate panis; sed hæc potest frangi, et dividi: ergo. Tum: si corpus Christi esset in Eucharistia cum quantitate, ibi essent duæ quantitates; sed hoc est impossibile, et absurdum: absurdum; quia una esset superflua: impossibile; quia deberent penetrari: ergo. Tum: quantitas non potest esse sine extensione partium: nam ut dictum est, ibi existit ad modum substantiarum spiritualium: ergo. Prob. major. Extensio partium est de ratione formalis quantitatis; sed quantitas esse non potest sine illo, quod est de ejus ratione formalis: ergo. Prob. major. De ratione formalis quantitatis est, quod una pars sit extra aliam; sed in hoc consistit partium extensio: ergo. Denique: Si corpus Christi esset cum sua quantitate, non posset totum corpus Christi contineri in minima hostia, et minus in qualibet ejus minima parte; sed hoc, per nos, est falsum: ergo. Prob. major. Si ibi esset quantitas, una pars corporis esset extra aliam, et singulæ extra se invicem; sed hoc fieri non posset, quin excederent spatium hostiæ: ergo. Prob. minor. Tunc collum esset extra caput, humeri extra collum, brachia extra humeros, et sic de aliis; sed hoc fieri non posset sine occupatione majoris spatii, et plurium partium hostiæ: ergo.

536 Pro argumenti solutione, et intelligentia præsentis materiæ, notandum est primò, duplicem debere distingui extensionem in quantitate. Unam in ordine ad se, alteram in ordine ad locum. Prima consistit in exten-

tensione, et ordinatione partium inter se: ita ut una pars alteri immediatè continuetur, et jungatur, et illa mediante, aliis partibus. Unde per hanc extensionem caput immediatè continuatur collo, et eo mediante, corpori, cæterisque corporis partibus. Secunda consistit in situatione, et extensione partium in ordine ad spatium, seu locum: ita ut una pars corporis respondeat uni, et altera alteri parti loci, et spatii. Prior vocari solet *positio intrinseca quantitatis*: posterior dicitur, *positio extrinseca*, seu accidentalis. Quapropter prima extensio est de essentia quantitatis, et ab ea inseparabilis. At verò secunda est accidentalis, et separabilis: ideòque separari potest, et de facto separatur à quantitate corporis Christi in Eucharistia, manente priori. Et ratio est: quia non minus est de ratione quantitatis reddere subiectum impenetrabile cum alio corpore, quam extensum loco; sed quantitas corporis Christi potuit privari sua impenetrabilitate, ut constat ex eo, quod prodierit ex utero Virginis absque omni reseratione virginalis secreti: et exierit ex sepulchro, lapide immoto, et similiter januis clausis ingressum fuerit ad discipulos: ergo pari ratione corpus quantum spoliari potest à sua commensuratione, et extensione in ordine ad locum, seu spatium. Notandum est 2. quod in hoc Mystero non est ratiocinandum, sicut in cæteris rebus naturalibus: nam licet aliquid appareat difficile ad sensum, et humanum captum, non propter hoc est negandum: siquidem, ut ait Innocentius III. lib. 4. de hoc Mystero cap. 9. *in hoc Sacramento credere jubemur, discutere prohibemur*. Et Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 1. præclare asserit: *Corpus Christi esse sacramentaliter præsens, ea existendi ratione, quam, etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cognitione per fidem illustrata, assequi possumus*. Quæ Tom. II.

propter fatentur omnes SS. Patres, præcipuè Hilarius, Hieronymus, et Chrysostomus, explicantes illum locum Matthæi 19. *facilius est camelum per foramen acus transire &c.* Deum quodlibet corpus cujuslibet magnitudinis posse in quocumque minimo loco constituere. Ex his.

537 Respondeo ad primum negando major. & distingo major. probationis: quantitas corporis Christi esset ejusdem rationis cum quantitate panis, & eodem modo existens, nego major. & est ibi valde diverso modo existens, concedo majorem, minorem, & nego consequentiam. Quantitas enim panis est in Eucharistia cum extensione actuali, extrinseca, & locali, ac propterea frangi, & dividi potest: quantitas autem corporis Christi ita ibi non est, sed est inextensa localiter, uti si spiritus esset, Deo de sua potentia absoluta sic volente, & ideò dividi non potest, ut Ecclesia docet, dicens: *Signi tantum fit fractura &c.* Ad secundum, nego minorem. Nec propriè dici potest, illas duas quantitates in Eucharistia penetrari; quia cum non habeant eundem modum essendi, non se mutuò impediunt in eodem loco, ac proinde, propriè non potest dici, quod penetrantur. Etsi diceretur, hoc minime repugnat supernaturaliter, & de potentia Dei absoluta. Nec ullo modo est superflua utraque quantitas, sed est omnino necessaria, quin hoc alia ratione indigeat, præter pluries dicta. Ad 3. distingo major. Quantitas non potest esse sine extensione entitativa partium, seu sine extensione partium in toto; concedo: in loco, nego major. Prima extensio est de ratione quantitatis, & sine illa existere non potest: secus verò, sine extensione locali. Unde de ratione quantitatis est, quod una pars sit extra aliam in ordine ad totum, & inter se; non tamen extra aliam localiter, seu in ordine ad locum, nisi tantum exigitivè, & naturaliter. Per quod patet ad totum

argumentum, & etiam ad ultimum. Nego igitur major. & major. probationis, si ly *extra* aliam, & *singulae extra se invicem*, intelligatur de extraneitate locali: Conceditur verò, si intelligatur de extraneitate ad invicem, seu in toto; quia sic præcisè est ordo partium intrinsecus, seu debita partium positio ad corpus animatum.

538 Cætera argumenta, quæ fieri solent, solvuntur per dicta in physica, ubi egi de constitutivo quantitatis. Nunc inquiri potest: *An quantitas corporis Christi ponatur in Sacramento ex vi verborum? an verò solum concomitanter?* Ratio dubitandi oritur ex eo, quod diximus, quantitatem necessariam esse ad corporis organizationem, & in Eucharistia ponitur ex vi verborum corpus organizatum. Dicendum puto, *solum poni concomitanter*. Ad fundamentum dubitandi, omissis aliis dicendi modis, qui non placent, respondeo, duplicem esse corporis organizationem, videlicet, *substantialem, & accidentalem*. Ad 1. non pertinet quantitas, nec alia accidentia, sed solum ad 2. Quare organizationem substantialem habet corpus à se ipso: nam ex se constat partibus entitativis, & heterogeneis, distinctis, & unitis: à quantitate verò non habet partes, sed quod illæ sint ordinatæ in toto, & aptæ poni, imò & exigì, extra se invicem in ordine ad locum, & situm. Unde corpus quoad ejus substantiale ponitur ex vi verborum, non quoad accidentale, & extrinsecum. Verum quidem est, quod hoc extrinsecum, seu hæc quantitativa extensio, aut organizatio necessaria est, juxta Doctorem, ad corpus animatum: attamen ex vi verborum non ponitur corpus Christi, ut proximè aptum ad animationem, sed solum, ut est terminus conversionis substantialis. Et quia ibi ponitur, ut est in Cælo, & in Cælo est vivum, sicut concomitanter ponitur anima, ponitur etiam concomitanter, & pro prio-

ri, illa dispositio ad animationem, quæ quidem non ingreditur rationem essentialem constitutivam corporis substantialis, in ratione talis.

QUÆSTIO VII.

Dubiola quædam, emanata ex proximè dictis, resolvens.

539 **C**um quæstione antecedenti dictum maneat assertio 2. terminum formalem conversionis Eucharisticæ esse corpus, & sanguinem Christi, dubitari potest; *quid includatur in ratione corporis? Et quid in ratione sanguinis?* Item cum assertione 4. statutum sit, totum Christum poni in tota hostia, & in qualibet illius parte, exurgit dubium: *an etiam sit Christus in hostiæ indivisibilibus?* Præterea, quia in assertione 5. determinatum est, quæ in Eucharistiæ ponantur vi verborum, et quæ per concomitantiam? Sciendum occurrit: *quid sit existere per concomitantiam?* Deinde cum assertione 6. dixerimus: quantitatem corporis Christi poni in Eucharistia concomitanter, dubitabit aliquis: *an corpus Christi habeat ibi aliquam figuram?* Demum, ad dictorum pleniorum captum statuatur, quæ, et quales denominationes conveniant Christo, ratione specierum? Quod ut debito ordine resolvatur.

540 Dubium 1. *Dum dicitur, quod corpus, & sanguis Christi, ponuntur in Eucharistia ex vi verborum, quid includitur in ratione corporis, & quid in ratione sanguinis?* Respondeo, quod per *corpus* intelligitur omne illud, ex quo essentialiter corpus constat, ut est materia prima, et forma mixtionis, seu corporeitatis: similiter per *sanguinem* intelligitur compositum constans ex materia, et forma sanguinis. 1. pars non indiget alia probatione, præter dicta in 2. assert. quæst. præcedentis. Solum restat advertendum, quod qui non ad-

mit-

mittunt in homine aliam formam substantialem, quàm animam rationalem, maxime laborant in explicando, quid intelligatur per corpus, quod vi verborum ponitur sub speciebus panis. Nonnulli per *corpus* intelligunt, vel corpus formatum forma cadaveris, vel ut informatum anima intellectiva disjunctim: quia vi verborum non ponitur diffinite corpus vivum, neque diffinite corpus mortuum, sed vivum, vel mortuum disjunctim. Alii cum Egidio apud Subt. Doct. per corpus intelligunt materiam cum aliquo modo quantitativo: non autem cum quantitate, ne teneantur admittere corpus Christi in Eucharistia esse ens per accidens. Thomistæ fere omnes cum D. Thoma quæst. 76. art. 6. volunt, corpus illud habere adjunctam animam rationalem, non ut tribuit corpori vitæ gradum, sed ut tribuit esse corporeum. Doctor verò Subt. dist. 11. quæst. 3. docet corpus humanum constitui in esse corporis humani, per formam aliquam substantialem determinatam, quam formam *mixti, seu corporeitatis* appellat, et quam coalescere existimat ex variis formis partialibus. Ita tamen, quod hæc forma non sit completa, et ultima, sed tantum partialis forma hominis, constituens corpus organicum in ratione partis essentialis hominis, quæ cum anima rationali, quæ est pars altera, hominem constituat. Per hanc doctrinam validissimè impugnant Scotistæ in Physica cæteras oppositas sententias.

541 Quoad 1. partem dubii solum restat inquirendum: *An totus sanguis Christi sit vi verborum sub specie vini? an ille solus, qui in Passione fuit effusus?* Ratio dubitandi oritur ex eo, quod videatur, ita significasse Christum: nam Matthæi 26. dixit Discipulis, porrigendo calicem: *qui pro vobis, & pro multis effundetur*. Respondeo, totum sanguinem, qui nunc est in Christi corpore glorioso, poni vi verborum sub

specie vini. Fortè enim totus sanguis non fuit in Passione effusus, maxime ille, qui in munitissimis venis, & extra venas per omnes arterias, diffusus erat. Et quidem in Cœna aliqua pars sanguinis fuit Sacramentaliter præsens sub specie vini, qui non fuit effusus in Passione, ille, videlicet, qui ante Passionem per calorem naturalem fuit assumptus, vel consumptus, vel in carnem mutatus: ergo ad verificanda verba consecrationis Calicis, necessarium non est, quod in Passione effusus fuerit totus Christi sanguis. Nec obstant verba præfata: *Qui pro vobis effundetur*: quia non limitant præcedentia ad significandum solum sanguinem effusum in Passione, sed ad expendendum primarium finem hujus Sacramenti, qui est representatio Passionis Christi.

542 Dubium 2. *An totus Christus, non solum sit in partibus hostiæ consecratæ, sed etiam in punctis, seu indivisibilibus continuativis, & unitivis ipsius hostiæ?* In resolutione hujus dubii dividuntur Scotistæ, eò quod Subt. Doct. videatur partem negativam tueri, in 4. dist. 10. quæst. 9. num. 3. Unde Hiquæus in Commentario sententiam negativam defendit, tamquam genuinam Doctoris. Sed non judico, recedendum esse à communi Theologorum sententia. Quare, dico; *Christum esse præsentem sub indivisibilibus unientibus, & continuantibus partes hostiæ consecratæ*. Probatur: Christus est sub speciebus, sicut anima rationalis in corpore, & Angelus in spatio; sed anima rationalis est in indivisibilibus corporis, & Angelus in indivisibilibus spatii; non enim intelligi potest, Angelum esse in loco continuo, nisi existat in indivisibilibus copulantibus partem loci, in quibus existit, & similiter de anima respectu corporis: ergo pariter de Christi corpore. Patet consequens: quia nec corpus potest intelligi, existere continuè sub speciebus, nisi pariter existat sub indivis-

visi-

visibilibus. Confirmatur: Totus Christus est post consecrationem, ubi ante consecrationem erat substantia panis; sed sub indivisibilibus physicis substantiæ panis est aliqua substantia panis; sicut indivisibilia physica substantiæ aquæ sunt aliquid substantiæ aquæ: ergo. Denique: Indivisibilia sunt compenetrata cum partibus, ut Philosophi docent, loquentes de continuo; sed totus Christus est in qualibet parte hostiæ consecratæ: ergo & in quolibet indivisibili.

543 Arg. 1. ex Subt. Doct. quæst. immediatè citata, dicente: *Christus non est præsens speciei alicui admixtus, nisi minimo sensibili, quia nulli invisibili est præsens.* Et dist. 12. quæst. 4. §. ad quæstionem, dicit: *Corpus Christi non est sub aliquo indivisibili: ergo resolutio est contra mentem Subtilis.* Respondeo, Scotum censeri à suis Discipulis in hoc puncto problematicum. Eadem namque dist. 10. quæst. 5. num. 5. comparans præsentiam corporis Christi in Eucharistia cum præsentia Angeli, dicit: *Nec illud corpus est magis præsens bñc alicui corpori in ratione passivi, quàm si Angelus esset bñc.* Angelum autem in puncto existere posse, docet problematice Doct. in 2. dist. 2. quæst. 6. num. 13. ubi inquit: *Si tamen potest Angelus esse in puncto, vel non, non videtur ratio necessaria, nec ad unam partem, nec ad aliam &c.* Et prosequitur, explicando, posse dici, Angelum esse in puncto, & etiam non esse. Ex quibus liquet, Doctorem in hac sententia nihil expressè definire: ac proinde, liberum esse, utramque partem tueri, juxta ejus mentem. Deinde dico, Doctorem in primo loco loqui contra Ricardum, ut videri potest in ipso: & in secundo non esse verba Scoti, sed procedentia ex additione, ut notatur in editionibus novissimis. Vel denique, Scotum solùm velle, quòd indivisibile secundum se, & à partibus separatum, non posset consecrari: non autem loquitur de

indivisibilibus, prout sunt in continuo hostiæ consecratæ.

544 Arg. 2. Si totus Christus esset sub quolibet indivisibili hostiæ consecratæ, sequeretur, quòd divisa hostia, Christus foret, ubi antea non erat; sed hoc est falsum: ergo. Probat sequela: divisa hostia, perditur, & indivisibile continuativum, & resultat indivisibilia terminativa; sed antea non erat Christus in illis indivisibilibus terminativis, & postea esset: ergo. Confirmatur: tum quia si totus Christus est sub indivisibili, indivisibile secundum se posset consecrari; sed hoc est falsum: ergo. Tum: indivisibile panis non est panis, adhuc simul cum partibus panis; sed Christus solùm est sub speciebus panis: ergo. Respondeo 1. negando sequelam majoris: nam Christus non foret in indivisibilibus superadditis, quamvis indivisibilia illa tangerentur cum partibus consecratis: modo quo, si accidentibus vini consecrati immisceretur gutta vini non consecrati, indivisibilia, & partes vini non consecrati tangerentur cum indivisibilibus, & partibus accidentium vini consecrati, & tamen Christus non esset in non consecratis. Respondeo 2. quòd ipsa indivisibilia, quæ erant continuativa ante fractionem hostiæ, eadem essent indivisibilia terminativa post fractionem, ut in difficultate de continuo dicitur à pluribus Philosophis. Unde falsa est etiam sequela majoris. Ad primam probationem confirmationis, nego majorem: nam indivisibile, licet spectet ad constitutionem panis, tamen non est panis, nisi cum partibus, ac proinde non nisi cum illis consecrari valet. Panis etiam conficitur ex aqua, & farina, & tamen, nec sola aqua, nec sola farina separatim consecrari possunt. Pariter, homo, qui constat corpore, & anima, baptizatur, & tamen baptizari non valent, nec anima separata à corpore, nec corpus ab anima separatum. Ex quo ad 2.

pro-

probationem, nego majorem: nam indivisibile panis est aliquid panis, sicut indivisibile aquæ est aliquid aquæ, licet indivisibile separatim nec sit aqua, nec panis, ut est dictum. Patet etiam in indivisibili temporis, quod separatim non est tempus, & conjunctum cum partibus temporis est tempus.

545 Dubium 3. *Quid sit, aliquid existere per concomitantiam in Eucharistia?* Respondeo, Theologos per hanc phrasim significare omnia illa, quæ verè, & realiter ponuntur in Sacramento: non quidem ex vi verborum, sed quia habent aliquam connexionem, aut unionem cum illo, quod ex vi verborum consecrationis ponitur. Unde cum corpus Christi ponatur ex vi verborum sub specie panis, omnia, quæ unita sunt de facto cum corpore Christi, ponuntur per concomitantiam unà cum corpore. Cum autem cum Christi corpore de facto unitus sit sanguis, ossa, nervi, dentes, capilli, & alia ornamenta corporis: item anima, Verbum, Divinitas, & cæteræ personalitates divinæ: omnia hæc ponuntur per concomitantiam simul cum corpore Christi sub speciebus panis. Idem pariformiter dicendum est de sanguine, & aliis cum ipso sanguine de facto unitis, aut habentibus connexionem cum sanguine, sub speciebus vini. Sic intelligendum est generaliter loquendo de illo termino, & phrasi, per concomitantiam. At verò strictiùs, & propriiùs loquendo, Mysterium hoc sic est intelligendum, & fidelibus explanandum. Corpus Christi ponitur ex vi verborum in hostia consecrata; quia verba consecrationis solùm significant transubstantiationem panis in corpus Christi. Sanguis Christi ponitur in hostia per concomitantiam: anima ponitur per unionem naturalem. Persona Filii ponitur per unionem hypostaticam: essentia divina, & attributa identicè, aut per identitatem, quantum identificantur cum persona Fi-

lii. Deinde Persona Patris, & Spiritus Sancti ponitur per circuminsessionem.

Etsi quæras; *quid sit circuminsessio? & quid per hanc vocem significetur?* Omissis variis Theologorum placitis, de quo in materia de Incarnatione Verbi Divini, dico: Patrem, & Spiritum Sanctum esse per circuminsessionem in Sacramento Eucharistico est ibi existere cum speciali, & intima præsentia in ipsa, & cum ipsa persona Filii, propter unitatem, & identitatem ejusdem indivisibilis naturæ divinæ. Unde circuminsessio est modus intimus existendi unius Personæ in alia, ob identitatem naturæ. Sic tres Divinæ Personæ sunt una in alia intra se invicem: quam coexistentiam, & circuminsessionem, Christus ipse significavit, dum dixit: *Ego in Patre, & Pater in me est.* Et Ecclesia in hymno ad laudes feriæ secundæ ita canit: *in Patre totus Filius, & totus in verbo Pater.* Similiter dicendum de calice, in quo ex vi verborum ponitur Christi sanguis: Corpus per concomitantiam: Anima per unionem naturalem: Persona Filii per unionem hypostaticam: Essentia, & attributa divina, identicè: Pater, & Spiritus Sanctus per circuminsessionem.

546 Dubium 4. *An corpus Christi in Eucharistia aliquam habeat figuram?* Pro resolutione notandum est cum communi Theologorum, figuram esse duplicem, organicam, & entitativam unam; situalem, vel localem alteram. Prima consistit in eo, quòd corpus habeat partes entitativas, & integrantes. Hæc appellatur figura intrinseca. Secunda est ipsa figura organica extensa per quantitatem in ordine ad locum, quæ figura situalis dicitur, & in nostris principiis est relatio de prædicamento situs, resultans in corpore quanto ex hac, vel illa dispositione in loco. v. g. corpus, dum sedet, diversam habet situalem figuram, ac dum



dum stat, aut ambulat.

547 Dico igitur: *Corpus Christi in Eucharistia habet figuram organicam intrinsecam, & entitativam, non verò situalem, & extensam.* 1. pars patet ex dictis quæst. anteced. Siquidem corpus Christi in Eucharistia habet suas partes essentielles integrantes, non permixtas aliqua confusione, sed certo ordine, & delineatione dispositionis; sed in hoc consistit figura organica intrinseca entitativa, & in ordine ad se: ergo. Major constat: Christus enim nihil rectæ dispositionis deperdit sub speciebus, ex his, quæ habet in cælo, in quo figuram organicam entitativam habere est indubium. 2. pars est evidens: nam figura situalis, & extensa supponit corpus quantum, & præsens circumscripivè cum dispositione partium in loco, qua præsentia circumscripiva, & partium divisibili dispositione in loco caret corpus Christi sub Eucharisticis accidentibus. Ex quo infertur, Christum in Eucharistia nec sedere, nec stare, nec habere aliam situalem positionem. Et quamvis, ut Sarap. Doct. D. Bonaventura insinuat, piè ibi queat contemplari à fidelibus, ut Crucifixus, hoc tamen non debet esse iudicio affirmativo, sed sola simplici apprehensione: & hoc non quidem formaliter, sed repræsentativè solùm: quatenus ibi recolitur memoria passionis ejus, & mens gratia impletur. Nec quis miretur: nam ut ex Innoc. III. manet dictum, non philosophandum est hîc, sicut in aliis rebus naturalibus: *Sed in hoc Sacramento credere jubemur, discutere prohibemur.*

548 Dubium V. *Quæ denominationes convenient corpori Christi in Sacramento Eucharistiæ, ratione specierum?* Respondeo: aliquas denominationes ei propriè convenire: aliquas non propriè, sed ad summum metaphoricè: aliquas nullatenus convenire valere. Etenim de corpore Christi bene dici potest, quòd ele-

vatur, quiescit, exponitur, clauditur in Sacrario, & manducatur: quod quidem est ratione specierum, quæ elevantur, deferuntur, clauduntur, quiescunt, manducantur. At verò, denominationes istæ, quòd corpus Christi tangitur, videtur, frangitur, & aliæ similes non conveniunt corpori Christi, ratione specierum, nisi impropriè, & metaphoricè: nam istæ requirunt, quòd subjectum, cui tribuuntur propriè, non existat modo indivisibili. De his denominationibus loquitur Lugo, quando dicit; quòd verba illa Canonis Missæ: *hæc commixtio corporis, & sanguinis Domini &c.* de commixtione metaphoricæ sunt intelligenda. Denique denominationes aliæ ut *corpus esse album* aut *quantum*, à quantitate, & albedine specierum, & aliæ hujusmodi nullatenus corpori conveniunt ratione specierum; quia ad has denominationes, præterquam quod necessaria erat corporis localis extensio, requiritur etiam unio physica, & stricta inhærentia corporis cum speciebus.

QUÆSTIO VIII.

Quid, & quomodo possit Christus agere, & pati in Eucharistia?

549 Pro prima parte quæstionis, videlicet, *quid Christus in Eucharistia agere possit?* notandum est 1. cum Subt. Doct. in 4. dist. 10. actionem duplicem esse, nempe, *immanentem, & transeuntem.* Immanens dicitur, quæ recipitur in agente, & in eo remanet. Hæc adhuc est duplex, corporea, ut sensatio, seu operatio sensuum, & spiritalis, ut intellectio, & volitio. Transiens dicitur, quæ in agente non remanet, sed in aliud transit. Sic calefactio transit ab igne in lignum, quod calefacit. Notandum est 2. etiam ex ipso Doctore, duobus modis intelligi posse, quòd aliquid insit in

Eu-

Eucharistia Christo Domino, vel primò, per se, & principaliter, vel secundariò, & concomitanter. Tunc aliquid censetur inesse Christo, ut sacramentaliter existenti, primò, & per se, quando illud ita inest, ut ipsi inesset absolutè, etiamsi Christus alibi non existeret: concomitanter verò, & secundariò, quando ipsi sacramentaliter existenti aliquid inest ea tantùm ratione, quod ipsi insit, ut alibi existenti, idque propter identitatem subjecti, & formæ. Pro 2. quæst. parte, nempe, *quid Christus ibi pati possit?* Notandum est, difficultatem non esse de passione aliquem inferente dolorem; quia cum Christi corpus, quatenus in Eucharistia existens, sit omnino gloriosum, & immortale, etiam est prorsus incorruptibile, & impassibile. Unicè hîc vertitur quæstio de passione correlativa, & terminativa actionis motivæ localis, relinquendo alia ad sequentem quæstionem. Unde quod in hac controvertitur, est: „ An, & „ quales operationes, tam immanentes, quàm transeuntes; tam spirituales, quàm corporeæ, in Eucharistia Christo inesse possint: & „ quales motus, tam activi, quàm „ passivi? Sed advertendum pro postea dicendis, duobus modis intelligi posse, aliquid moveri localiter, videlicet, vel *per se*, vel *per accidens*. Per se movetur, quando motus in ipso immediatè recipitur. Per accidens verò, quando movetur ad motum alterius, cum quo connexionem naturalem habet, vel in quo includitur. Sic anima in corpore movetur: & ad motum navis movetur homo existens in ea, licet ipse in se immotus maneat. Quare inquiritur: an ad motum specierum, corpus Christi moveatur per accidens, propter necessariam illius cum ipsis conjunctionem: an verò hic motus solum sit à Deo, & per ipsius divinam voluntatem? Circa quod omne Subt. Doct. ita planè, ac luculenter solutionem, & resolutionem tradit,

Tom. II.

& variis conclusionibus expendit, ut nihil aliud sit necessarium, nisi ipsum, quasi transcribere.

Prima Conclusio.

550 *Operatio omnis immanens, quæ primariò convenit Christo, prout existit in Cælo, convenit illi concomitanter in Sacramento: at verò operatio immanens purè spiritualis, ut intellectio, & volitio, inesse possunt primò, & per se Christo in Sacramento; non tamen si dependet à sensationibus.* Conclusio, quæ quoad omnes partes est satis communis, expressè docetur à Subt. Doct. in 4. d. 10. quæst. 5. § num. 2. ubi ait: *Christo hîc concomitanter inest omnis operatio quæ sibi primò inest, ut in Cælo: & operatio spiritualis, ut intellectus, & voluntatis, potest primò inesse Christo, ut est in Eucharistia: sed nulla sensatio potest inesse Christo, ut est in Sacramento.* Ecce expressam conclusionem quoad triplicem partem, quam continet. Deinde ex ipso Doctore probatur prima pars: nullum absolutum desinit esse in aliquo propter novum respectum extrinsecus advenientem; sed operatio immanens est forma absoluta: ergo propter præsentiam sacramentalem, quæ est novus respectus extrinsecus adveniens, illa operatio inesse suo subjecto non desinit. Si dicas, majorem esse veram de forma absoluta simpliciter, qualis non est illa operatio; quia hæc habet respectum potentiæ ad objectum. Responsio hæc prorsus est evanida, inquit Doctore: nam qualitates in fieri dependent ab approximatione agentis, ut patet de calore, & frigore; & tamen in esse suo sunt simpliciter absolutæ. Similiter operationes in suo fieri non requirunt talem respectum, nisi ubi fiunt primò, non ubi fiunt concomitanter solùm.

551 Probatum secunda pars: Tum; Christus in Eucharistia habet easdem potentias spirituales anime, quas

Hh

ha-

habet in Cœlo, & ab illa præsentia independentes, ita ut, si cessaret esse in Cœlo, adhuc remanere posset, & conservari in Sacramento: ergo tam perfectè intelligit hîc, quàm ibi. Tum: Christus in Sacramento non caret sua beatitudine; sed hæc consistit in spiritualibus operationibus intellectus, & voluntatis: ergo operatio immanens purè spiritualis, ut intellectio, & volitio inesse possunt primò, & per se Christo in Sacramento. Tum ex Tridentino ses. 13. cap. 3. anima Christi est ibi cum corpore propter naturalem illorum unionem; sed intellectiones, & volitiones non minus uniuntur animæ in Cœlo, quàm anima corpori: ergo tam illæ operationes sequuntur animam existentem in hoc Sacramento, quàm anima corpus. Tertia pars patet ex eo: Tum; quia ut ait Doctor: organum sensus non est in corpore Christi in Eucharistia sub modo illo, qui requiritur ad hoc, quòd immutetur ab objecto, quia oportet, quòd tale habeat modum quantitativum, & sic sit localiter in loco. Unde cum modus, quo Christus est ibi sit modus existendi indivisibiliter, & sine omni prorsus extensione externa, & locali, sine quæ tales actiones non possunt connaturaliter exerceri, quia sunt naturales, & pendent à naturalibus principiis, quæ etiam exigunt talem modum essendi, hinc est, quòd tales sensationes non possunt primò, & per se Christo in Sacramento inesse. Tum; quia sensationes non fiunt sine speciebus sensibilibus ex parte objectorum, quæ, cum sint materiales, exigunt pariter subjectum extensum. Quare, si quæ sic dependens à sensationibus inest, tantum erit concomitanter. Vide Subt. Doct. loco citato, qui plurima, & quidem subtilissima, docet, & variis objectionibus satisfacit.

552 Argues: Operatio respicit objectum, non solum ut objectum est causa in fieri talis operationis,

sed etiam in ratione terminantis illam operationem; sed impossibile est, operans esse, & non terminari ad objectum: ergo sic impossibile est, quòd alicubi insit, & quòd ibi non terminetur ad objectum præsens. Nunc sic: sed objecta præsentia Christo in Cœlo, prout ibi, non sunt, vel sunt non esse præsentia Christo in Eucharistia, prout ibi: ergo in Eucharistia non esset talis operatio. Explicatur: Christus in Cœlo habet præsentia objecta illorum actuum, non verò in Sacramento: ergo hîc non habet intellectiōnem, visionem, ac volitionem, quam in Cœlo habet: & consequenter, operationes, aut qualitates absolutæ immanentes, quæ primariò conveniunt Christo prout in Cœlo, non conveniunt illi concomitanter in Sacramento. Antecedens est, & supponitur certum. Prob. consequent. Cognitiones istæ supponuntur intuitivæ; sed cognitio intuitiva est ab objectum præsens, ut præsens est: ergo cum in Sacramento non sit præsens objectum &c.

553 Huic difficili argumento, quod contra se objicit Doctor, respondet sic quæst. 5. num. 4. *Dico, quòd non oportet, objectum in se esse præsens propter terminationem actus, sed tantum propter causationem: ita quòd, quando est aliqua causa sufficiens ipsius actus, non requiritur præsentia objecti propter terminationem: sicut patet de vidente creaturam in essentia divina, si essentia esset causa illius visionis, non requiritur illud objectum, ad quod terminatur hæc visio præsens propria præsentia. In quibus Doctor videtur asserere ad cognitionem intuitivam, non requiri objectum terminativum præsens. Oppositum docet Doctor variis in locis, & præcipue in 3. d. 14. quæst. 3. & in 4. dist. 45. quæst. 2. num. 13. ubi ait: *intuitivam esse rei existentis, & præsentis.* Hæc est communissima Scholarum doctrina, distinguendum cognitionem intuitivam ab abstractiva, per hoc, quod hæc non*

non requirit præsentiam objecti in se, benè verò illa. Nec mihi latet, alios quos extraneos, ut Molina, & Vazquez, cum nostro Occamo, & Aureolo; & Scotistas quosdam, ut Smissinch, Frassen, & Felix de *visione* cap. 1. diffic. 1. docere, visionem intuitivam possibilem esse, absque præsentia objecti. Hic autem modus theologizandi, numquam satis fundatum visum est mihi.

554 Quare cum Hiquero, & communiore Scotistarum, conciliandam puto sententiam Doctoris, dicendo, eum hîc loqui de cognitione intuitiva latè, seu imperfecta. In 3. enim dist. 14. quæst. 3. assignat Doct. plures modos cognitionis intuitivæ, illam distinguens in perfectam, & imperfectam. Quare, quando Doctor dicit, non requiri præsentiam objecti ad terminandum intuitivam, intelligit, inquit Hiquerus, de intuitiva improprie dicta, seu imperfecta, ut subjectum exemplum de visione creaturarum in essentia divina indicat, de quo in 1. dist. 2. quæst. 4. Verum quia N. Gonzalez Matheo in 1. sententiarum, tract. 2. de visibilitate, & invisibilitate Dei, disp. 4. quæst. 6. concl. 3. docet de mente Doctoris, & in solutione argumentorum, Beatos videre in essentia Divina intuitivè, & quidem vera, & propria intuitionem. Dico ad objectionem, visionem, quam Christus habet in Cœlo, habere etiam in Sacramento: at verò, ut in Cœlo, constituit Christum videntem, non ut in Sacramento, quamvis hîc etiam sit concomitanter. Hoc est, est hîc quantum ad absolutum operationis, non autem quantum ad attingentiam objecti. Ob hoc non est in Sacramento visio intuitiva propriè, & perfectè, sed imperfectè, & largè, defectu, scilicet, præsentia objecti in se. Erit tamen utrobique eadem realiter qualitas, quoad absolutum suæ entitatis, sed non cum iisdem conditionibus relativis, seu cum attingentia reali objecti, ut existentis, & præ-

Tom. II.

sentis, quæ ab illa qualitate absoluta est separabilis, separata hîc præsentia reali objecti. Quare illi actus considerari debent secundum id, quod habent absoluti: quia sunt qualitates absolutæ: & secundum id, quod habent relativi, nempe, relationem attingentia objecti. Sub prima consideratione easdem conditiones habet in Eucharistia, ac in Cœlo, non sub secunda, quia in Eucharistia non habet, sicut in Cœlo, illa objecta præsentia.

555 Replacabis: Tum, si Christus utrobique non videret idem objectum v. g. Virginem BB. Christus esset videns; & non videns idem objectum; sed hoc est implicatorium: ergo vel utrobique videt, vel nullibi videt. Tum; quia visio non potest esse in potentia, quin faciat videntem: ergo si est in Eucharistia visio, quæ est in Cœlo, videre debet in Eucharistia idem objectum. Prob. ant. Forma non potest esse in subjecto, sine suo effectu primario; sed effectus formalis primarius visionis est facere videntem: ergo. Respondeo ad 1. distinguendo maj. Esset videns, & non videns, in eodem loco, & cum iisdem objecti circumstantiis, nego: videns in uno loco, & non videns in alio, propter diversitatem circumstantiarum, concedo maj. & nego minorem. Ad visionis, & non visionis contradictionem, requiruntur eadem circumstantiæ, tam ex parte potentia, quam objecti, & tendentia in illud, quales non sunt in hoc casu. Nam licet visio utrobique sit eadem quoad absolutum, non quoad tendentiam in objectum, quæ tendentia intuitiva necessariò requirit objecti præsentiam. Ad 2. distinguo maj. Nisi faciat videntem, si adsint omnes conditiones necessariae ad hunc effectum, concedo; si secus, nego maj. Ad probationem dico, effectum primarium formæ esse subjectum actuare, & informare, quod utique tunc esset: non verò esset denominatio videntis propter

Hh 2

ter

ter non praesentiam objecti potentiae, ut hic. Modo quo, si visio Petri Romae existentis, poneretur in oculo vel intellectu Pauli existentis Matriti, tunc in Paulo non erit proprie, & perfecte visio, quin per illam Paulus non habebit objectum realiter praesens, v. g. Papam, & per consequens licet haberet visionem quoad absolutum entitatis, non quoad tendentiam in objectum praesens. Sic pariter de eodem subjecto in loco distante miraculose replicato.

556 Ex dictis colliges 1. difficultatem istam pendere ex illa quaestione philosophica: *An replicato corpore pluribus in locis, omnia, quae insunt in uno loco, etiam convenient ubique existit?* De quo in physica tractatum est satis. Colliges 2. Christum in hoc Sacramento intelligere omnia intelligibilia sibi proportionata, & habere omnes cognitiones, quas in Coelo habet: quia non est minus beatus, nec minus perfectus substantialiter quoad corpus, & animam hic, quam ibi: exceptis tamen tendentiis intuitivis in objecta sibi non praesentia; cum hoc implicet: & exceptis pariter operationibus, quae pendunt a phantasmatis, & a potentiis externis, quae exigunt extensionem localem in organis, & potentiis, & quas tali modo, cum tali dependentia hic habere non potest. Corollarium est contra Occam, Majorum, Rubionem, & alios Nominales oppositum asserentes: Dicunt enim, Christum nedum videre naturaliter seipsum sacramentaliter existentem, sed etiam circumstantes, eosque loquentes audire. Et addunt, quod si Deus agere vellet juxta exigentiam causarum naturalium, corpus Christi in Sacramento existens, & videretur a nobis, & in circumstantes ageret: sed ad fidei meritum haec omnia nobis occultari per suspensionem concursus causis naturalibus debiti.

Secunda Conclusio.

557 *Christus in Eucharistia agere potest actione physica spirituali, transeunte in passum externum, & insimul potest pati, seu recipere aliquam formam spiritualem, ab Angelo v. g. sibi sufficienter praesentet non vero potest habere per se aliquam actionem corpoream, nec in passum externum, nec in se ipso.* Unde in Eucharistia non potest movere corpus suum organicè intra, vel extra species. Conclusio quoad omnes, quas continet, partes, est expressa in Subt. Doct. dist. 10. quaest. 7. Explicat illam Doctor sic: *Si esset Angelus aliquis [idem est intelligendum de anima separata] praesens Christo in Eucharistia, posset anima Christi illum illuminare, & illi loqui locutione mentali, eo modo, quo Angelus existens, ut Christus, posset alium illuminare, & illi loqui: ergo & ipse Christus posset audire illum Angelum loquentem, & respondentem ergo & causare auditionem, sive cognitionem sui Angelo, & cognitionem Angeli in se ipso. Prob. utraque consequentia: illa locutio Christi ad Angelum, sicut & Angeli ad Christum, non requirit, ait Doctor, nisi principium activum sufficiens in illuminante, & loquente, & subjectum capax ex parte illuminati, sive cui fit locutio, & forte approximationem secundum ubi diffinitivum &c.* sed anima Christi est subjectum capax talis illuminationis, seu auditionis, respectu Angeli, vel animae separatae; & illa illuminatio nequit fieri, nisi quatenus Angelus, vel anima, imprimeret, seu causaret in anima Christi suam cognitionem, ut docetur, loquendo tractat. de Angelis, & de Angelica locutione: ergo.

558 *Secunda conclusionis pars patet ex eodem Doctore, dicente: quod Christus ibi non potest uti potentia aliqua activa corporea: quia haec re-*
qui-

quirit passum, in quod agat approximatum localiter. Ista autem potentia, ut est hic, non est alicui localiter approximata: ergo. Ex quibus probatur sic: tales actiones exigunt in potentia extensionem localem; sed Christus hic non habet talem extensionem: ergo. Major patet: Tum, quia facultates materiales sic materialiter agere non possunt, quin existant modo organico. Et etiam: quia omnis potentia naturalis requirit approximationem localem ad passum, quae approximatio supponere debet extensionem localem agentis, seu potentiae. 3. Conclusionis pars, videlicet, Christum in Eucharistia non posse corpus suum movere organicè, expressè traditur etiam a Doct. quaest. 7. cit. dicente: „Potentia illa motiva Christi, quae est organica, & corporalis, licet sit in corpore Christi, ut hic tamen non potest esse principium actus sui in corpore, ut hic, quia requirit partem extra partem, non tantum in toto, sed in comparatione ad locum, ad hoc, ut per unam partem motam localiter moveat aliam. Ex quibus sic: moveri organicè est moveri in ordine ad locum, & partem post partem, & per partem; sed hoc Christo, ut in Eucharistia, repugnat: ergo. Major patet; quia est moveri corpus per unam partem, post aliam, & ita ut una sit in ea parte spatii, in qua non sit alia, quae movetur post ipsam. Prob. minor. Christus in Sacramento est diffinitivè, & indivisibiliter, ut dictum est saepe: ergo. Deinde: modus operandi sequitur modum essendi; sed modus essendi Christi in Eucharistia est indivisibilis: ergo & modus movendi, qui est modus operandi.

559 *Argues: Tum Anima Christi in Coelo potest movere suum corpus: ergo & in Sacramento; quia ibi eadem est, & cum tota sua virtute. Tum: Angelus posset movere corpus Christi, & species; sed tunc*

reciperet novam formam corpoream, scilicet, novum motum, & praesentiam: ergo recipere potest ibi aliquam formam corpoream. Ad 1. nego consequentiam: nam in Coelo existit organicè circumscriptivè, atque adeo potest movere corpus suum organicè at verò in Sacramento habet corpus suum praesens, & existens indivisibiliter; quae corporis praesentia, non subest, nisi soli divinae potentiae, sive intra, sive extra species divisibiles. Ad 2. nego min. quia ille motus, & praesentia in se, & in subjecto esset indivisibilis, quamvis terminaretur ad species, & locum indivisibilem. Patet in unione animae ad corpus, quae entitativè est indivisibilis, est terminus, nempe, corpus, sit divisibilis. Ex quibus pro aliis, colliges, quod; quia non potest Christus in Eucharistia uti aliqua potentia corporea activa, nec potest, ut in Sacramento, primo nutriri, aërem respirare &c. quod omne optimè probat Doct. Subtilis.

Tertia Conclusio.

260 *Corpus Christi, mediante specierum motione, nec per se, nec per accidens movetur, nec moveri potest ab agente creato, sed movetur immediatè a solo Deo.* Ita Scotistae omnes, contra plurimos alios, sed altercatio est de voce, ni fallor. Pro intelligentia advertendum est 1. difficultatem non esse de motu locali, & extenso, cujus incapax est corpus Christi sine extensione locali existens in Sacramento. Advertendum 2. motum intelligi debere mediantibus speciebus: nam de motu immediato ipsius corporis Christi, prout ibi, nullus dubitat, illum esse supra virtutem omnis creaturae, cum nulli agenti creato corpus Christi in tali statu approximetur sufficienter, nec ejus subjaceat actioni. Conclusio probatur ab Scotistis ex Subt. Doct. in 4. dist. 10. quaest. 6. sub hac forma: Id tantum movetur per accidens, videlicet, ad motum alterius,

rius, quod est proportionatum virtuti motivæ illius agentis, quod movet ipsum alterum; sed corpus Christi sacramentaliter existens non est proportionatum virtuti Sacerdotis moventis species: ergo nec per accidens potest ab illo moveri. Prob. min. Id est proportionatum virtuti motivæ illius agentis, quod movet ipsum alterum, ut moveatur per accidens ad motum illius, quando cum ipso altero est conjunctum naturali quadam necessitate; sed corpus Christi non est sub speciebus cum tali necessitate, aut connexionione: erg. Major patet: sic enim ad motum lapidis v. g. movetur per accidens, tam gravitas, quam albedo ejus: quia utraque illa qualitas est proportionata virtuti motivæ moventis lapidem, & est conjuncta lapidi naturali quadam necessitate, vel tamquam proprietas, vel tamquam accidens suo subjecto. Unde si Angelus exhiberet se præsentem voluntariè lapidi, non sequeretur, quod Petrus v. g. movens illum lapidem, moveret consequenter per accidens Angelum. Et quare? Tum, quia Angelus non est ex se proportionatus virtuti talis moventis. Tum: quia Angelus nulla necessitate, sed sponte, vel voluntariè, esset in lapide, quo fit, ut motu ipso lapide, si Angelus moveatur, non movetur per motionem talis moventis, sed per se ipsum immediatè, qui voluntate continua discernit, se fieri præsentem illi lapidi, quocumque existat, & ubicumque asportetur. Sic igitur se habet res in proposito, & per hoc explicatur minor: quia Christus in Sacramento nec est proportionatus virtuti Sacerdotis moventis species, nec unitus est speciebus, nec eis inexistit naturali quadam necessitate, sed unicè divina voluntate: igitur non movetur per accidens ad motum specierum, sed unicè à Deo. Hoc clarè percipietur solutione argumentorum.

561 Arg. 1. Quod movet aliquid

per se, per accidens movet, quid? quid est in illo; sed Sacerdos movet per se species consecratas: ergo per accidens movet Christi corpus, quod per se est in hostia consecrata. 2. Si ad motum specierum non moveretur Christi corpus, sequeretur, quod quoties Sacerdos moveret hostiam, toties novum miraculum intercederet, seu tot esse miracula, quot motus hostiæ; sed consequens est falsum, & contra Scotum: ergo. Respondet ad argumentum Subt. Doct. *major esse falsam, nisi intelligatur de illo, quod est in moto, vel sicut actus in potentia (ut anima in corpore) vel sicut pars in toto, (ut caput in corpore) vel sicut aliquid necessitate naturali conjunctum, ut grave illi, cui innititur, v. g. homo navi, cui insidet, & aqua sustinetur: aut ut continens, & contentum, ut vinum in vasi, cui includitur, & dicitur contentum non voluntarium. Unde cum inter corpus Christi, & species nulla detur unio physica, ut dictum manet quest. 6. assertione 3. nec connexio aliqua naturalis, aut necessaria conjunctio ex proximè prædictis, sed unicè adsit intima præsentia corporis sub speciebus ex libera Dei voluntate, qua decrevit, illud corpus à speciebus non separari, quamdiu maneant integræ, & ubicumque ponantur species, hinc est, quod ex eadem sola Dei voluntate movetur ad motum specierum, & non à Sacerdote species movente de uno loco in alium.*

562 Ex qua Subt. Doct. doctrina, sic distinguo majorem: Quod movet aliquid per se, aut immediatè, movet per accidens, aut mediatè quidquid est in illo, per aliquam physicam unionem, aut naturalem dependentiam, vel connexionem, concedo: quidquid est in illo voluntariè, nego majorem. Ex quo sequitur, quod si Angelus voluntariè insideret lapidi, qui moveret lapidem, non diceretur propriè Angelum movere: sed potius, quod Angelus se moveret cum

la.

lapide. Non enim potius diceretur, Angelum movere, quam tangere, aut videre; sed videns, aut tangens lapidem, non videret Angelum, nec tangeret: ergo neque illum moveret, sed tantum lapidem; cui Angelus adest præsens. Ita est de Christo in hostia præsentem. Ad 2. negat Doct. sequelam: quia Deus eamque voluntate, qua Eucharistiam instituit, determinavit, semper corpus Christi facere præsens speciei, ubicumque fuerit post consecrationem. Unde non est novum miraculum, sed voluntatis divinæ antiqua, ac continuata determinatio: modo quo, si Angelus determinasset liberè, quod semper simul esset cum isto lapide, non diceretur miraculum, quod transferatur, lapide translato: non tamen lapidem transferens, transferret Angelum per suam actionem, sed Angelus voluntate propria se moveret. Unde concludendum est, quod ut aliquis dicatur propriè movere aliquid per accidens, aut mediatè, necesse est, quod hoc habeat cum eo, quod movet per se, & immediatè, aliquam physicam unionem, dependentiam, aut naturalem connexionem. Quare, dum dicitur, Sacerdotem elevare hostiam, & verè manducare corpus Christi, quæ sine motu non fiunt: dicendum est, elevare, & manducare, quatenus species elevat, & in os, & stomachum suum defert: non quatenus ipsum moveat Christum, cum in vero sensu hoc Deus faciat concomitanter ad motum specierum.

QUÆSTIO IX.

An, & à quo, corpus Christi in Eucharistia videri, & cognosci possit?

563 **D**ifficultas præsens ad plura se extendit, & plura quærit. Pro ejus resolutione, notandum est 1. intellectum humanum considerari posse, vel quatenus est

corpori conjunctus, & operatur dependenter à phantasmatibus, vel quatenus est separatus, & independens à phantasmatibus operatur, modo, quo Angeli, & animæ beatæ, intelligunt. Notandum est 2. quod ly *videri, & cognosci* importat visionem, & intellectionem intuitivam, quæ juxta Subt. Doct. dist. 10. quæst. 8. num. 5. est *cognitio rei, ut in se est præsens*: nam quod intellectus noster, etiam sensibus alligatus, possit abstractivè intelligere corpus Christi in Sacramento, certissimum debet esse, cum omnes fideles firmiter credant, Christum ibi verè, et realiter existere. Unde controversia est de visione intuitiva, ac de intellectu hominis beati, non dependente à sensibus: nam ut ait Subt. Doct. in 4. dist. 10. q. 7. pro hoc statu nihil cognoscimus, nisi quod cadit sub sensum: Christus autem in Sacramento non cadit sub sensus ullos: quinimo quidquid est ibi sensibile, ostendit panem, et vinum, non autem carnem, et sanguinem Christi. Notandum 3. dupliciter posse intelligi, corpus Christi, existens in Eucharistia, videri, nempe, secundum sensum *specificativum, vel reduplicativum*. Per primum significatur, corpus Christi videri posse, præscindendo à modo, quo ibi existit: per secundum verò, quod nedum corpus ibi existens videatur, sed etiam videatur existendi modus. Denique notandum, difficultatem extendi posse ad oculus corporeum, videlicet, an oculus corporeus elevari possit ad videndum corpus Christi in Sacramento? Resolvendo.

Prima Conclusio.

564 *Intellectus Angeli, sive Beati, solutus, vel conjunctus cum corpore, naturaliter videre potest corpus Christi in Eucharistia existens.* Conclusio est Subt. Doct. in 4. dist. 10. quæst. 8. quem sequuntur Scotistæ, & Nominales, contra Thomistas,

tas, Suarez, & alios plures. Dicit enim Doctor: *Omnis intellectus, sive Angelicus, sive animæ separatæ, sive hominis separati* [non dependens in cognoscendo à sensibilibus] *naturaliter potest videre existentiam corporis Christi in Eucharistia.* Et id solidè probat, ut videri potest in textu. Probat utraque ratione: quod non est extra spheram, & ordinem objecti naturalis attingentiæ alicujus intellectus, naturaliter potest ab illo attingi, & videri, supposita præsentia, & applicatione sufficienti; sed corpus Christi in Eucharistia non est extra spheram, & ordinem naturalis attingentiæ intellectus Angeli, aut animæ separatæ, aut Beati in corpore, qui independentè à phantasmatis operatur: ergo supposita præsentia, & sufficienti applicatione, naturaliter ab eis videri potest. Major patet: quia omnis potentia potest naturaliter attingere objectum suum, & quidquid in eo continetur, si sit debitè approximatum. Probat minor: Tum; quia ut in philosophia docetur, objectum intellectus est totum ens creatum. Tum: si aliquid obstaret, maximè supernaturalitas præsentia, & existentia corporis Christi in Eucharistia; sed hæc nullo modo obstat: ergo corpus Christi non est extra spheram &c. Minor ex eo patet, quod supernaturalitas rei non impedit ejus cognoscibilitatem naturalem. Quare, si idem corpus extensivè poneretur in pluribus locis, supernaturalitas illius positionis non impediret naturalem illius visibilitatem. Denique: Angelus naturaliter potest videre substantiam: ergo & ejus absentiam ab speciebus post consecrationem, non obstante supernaturalitate talis absentia: ergo similiter videre potest corpus Christi modo, quo ibi est, nempe, indivisibiliter: nam videt, quod modo extenso ibi non existit.

565 Objicies: Quodcumque cognoscibile per fidem, & supernaturaliter, vires naturales intellectus ex-

cedit; sed existentia corporis Christi in Eucharistia est tantum per fidem cognoscibilis: ergo non naturaliter. Item: Illa præsentia in substantia est ordinis supernaturalis: ergo à nullo intellectu potest esse visibilis naturaliter. Disting. majorem: excedit vires naturales intellectus, operantis dependentè à sensibus, concedo: sic non operantis, nego majorem, & in eodem sensu, minorem. Certum est, ut dicit Doctor, aliquid esse cognoscibile ab intellectu nostro pro statu viæ per fidem tantum, quod tamen ab intellectu nostro separato naturaliter cognosci potest, & tantò magis ab Angelico; ut accidens esse sine subjecto; corpus sine extensione; duo corpora in eodem loco penetrativè; idem corpus in pluribus locis, quæ omnia utique ab Angelo sibi dimisso, naturaliter possunt videri. Imò, inquit Doctor, aliqua esse credita tantum quibusdam Viatoribus, quæ aliis scita, & visa fuerunt: ut vita, & mors Christi à nobis creduntur; aliis tamen tunc viventibus, & præsentibus, non credita, sed evidentè visa fuerunt. Licet enim habitus fidei in utrisque idem sit, applicari tamen non potest ad objectum, nisi quod obscure tantum proponitur. Unde hæc Christi præsentia est supernaturaliter, & non naturaliter cognoscibilis ab intellectu Viatoris, utentis medio sensationum, & dependentis à sensibus: non autem ab intellectu Angeli, vel animæ separatæ, vel Beatorum, qui in suis cognitionibus, nec dependent, nec utuntur medio sensuum. Ad ultimum nego consequentiam, quia ut dictum manet, supernaturalitas præcisè non extrahit res à spherâ objecti naturaliter à potentia attingibilis, ut patet de duobus corporibus compenetratis, quæ ab Angelo possunt naturaliter videri: & de corpore replicato in duobus locis, quod oculis corporeis videtur naturaliter. Aliæ argumenta huc spectantia solvuntur tract. de Angelis.

Se-

Secunda Conclusio.

566 *Corpus Domini in Eucharistia non potest videri naturaliter ab oculo corporeo: imò nec supernaturaliter sub modo indivisibili existendi.* Prima pars est contra Nominales: asserentes, naturaliter posse videri oculis corporeis: non tamen videri actu, quia non vult Deus. Est communis inter Scotistas plures. Probat igitur quoad primam partem, quam ex professo docet Subt. Doct. in 4. dist. 10. quæst. 9. num. 1. §. *Contra*; quia cum corpus Christi non existat in Sacramento modo quantitativo, & sibi naturali, non potest immittere speciem sui, immutando sensum materiale; sed hoc requiritur ad visionem: ergo non potest naturaliter videri ab oculo corporeo. Minor patet: nam potentia visiva corporea est extensa, ac proinde talis debet esse ejus operatio, quæ in suo subjecto requirit modum existendi quantitativum, & corporeum, sine quo mittere non potest in potentiam speciem materiale, & extensam. Unde neque Christus potest se ipsum videre, ut in Sacramento existentem, quia oculus Christi, ultra prædictum impedimentum, non existit in Eucharistia modo connaturali, ut oporteret ad hanc operationem. Quoad secundam partem, nempe, nec quod supernaturaliter potest videri oculo corporeo secundum modum indivisibilem, quo ibi existit Christus, probatur à Doctore ibidem conclus. 2. quia corpus Christi, sub tali modo, neque per miraculum potest esse terminus visionis corporalis. Est enim ille modus indivisibilis, & spiritalis, qui sub objecto visus nequit contineri: nam talis existendi modus ex natura sua non est sensibilis. Nec potest cogitari, qualiter oculus corporeus perspiceret corpus Christi, ut existens indivisibiliter, & totum in qualibet parte, tamquam replicatum infinities, juxta infinitas partes hos-

Tom. II.

tiæ, idque visu ipso discerneret. Unde sicut fieri non potest, nec per potentiam Dei absolutam, ut corporei sensus attingant spirituale objectum, ita fieri non potest, ut oculus corporeus attingat talem modum existendi in loco indivisibilem, & spirituale. Quare ait Doctor: *Corpus, ut hinc, absolutè non est visibile, nec ut causativum visionis, nec ut terminativum: miraculum autem non est ad illud, quod includit contradictionem.*

567 Nec quod aliqui Scotistæ cum Mastrio defendunt, nempe, saltem supernaturaliter, oculum corporeum posse elevari ad videndum corpus Christi in Eucharistia, ut à tali modo præscindit, & quatenus habet positionem in toto, & extensionem fundamentaliter, videtur mihi satis fundatum, cum rationes appositæ, & littera Doctoris, suadeant oppositum, & eadem repugnantia ex tali visione sequatur. Adhuc magis sine fundamento pro hoc sentire ab aliquibus adducitur Scotus dist. 10. quæst. 9. nam ibi conclus. 1. solum asserit, Deum posse talem visionem causare, in oculo sine respectu præsentia-tis ad objectum. Quibus in verbis, ut ipse Mastrius fatetur, potiùs innuit Doctor, visionem materialiter sumptam, seu secundum absolutum, posse fieri sine respectu attingentiæ ad objectum, quo sensu multoties loquitur. Unde ad summum sequitur, Deum posse producere visionem in oculo: oculus verò per illam non videret corpus in Altari, ut dictum est num. antecedenti. Tunc enim, vel videretur Christus extensus, vel inextensus. Non 1. quia ibi non est extensus: neque 2. quia oculus non attingit inextensum. Deinde sequeretur: Tum, quod etiam substantia spiritalis posset videri oculo corporeo. Tum, quod etiam cæteri sensus externi elevari possent ad objectum localiter inextensum, quod ab omnibus communiter negatur. Mastrii responsio per solutionem argumenti

ii

se-

sequentia invalidatur.

568 Objicies : Ideo oculus corporeus non posset elevari ad videndum in Eucharistia corpus Christi, quia ibi existit indivisibiliter; sed hoc non officit visioni corporeæ : ergo. Prob. minor. Tum, si daretur punctum mathematicum lucis, hæc ab oculo perspicacissimo posset videri; sed illud punctum esset indivisibile: ergo pariter; & quidem, hic potiori ratione, quia corpus Christi est quantum, & extensum fundamentaliter. Tum, quia oculus corporeus potest elevari ad videndum objectum spirituale: ergo multo magis ad objectum materiale, licet indivisibiliter, aut modo spirituali existens, ut corpus Christi. Tum: quia corpus Christi in Eucharistia habet quantitatem, figuram, & extensionem internam, ut diximus quæst. 7. dub. 4. ergo de se est visibile, & consequenter &c. Denique: Saltem oculus Beati posset Christum ibi videre: ergo. Prob. anteced. Si in Eucharistia non videret corpus Christi, visis speciebus panis, deciperetur, putans ibi subesse panem; sed hoc in Beato est magnum inconueniens: ergo.

569 Respondeo negando minor. ad cujus primam probationem, nego majorem cum Doctore, in 4. dist. 10. quæst. 9. juxta quem, lux punctualis ad organum corporeum non potest mittere species, de quo plura subtilia ibi docet. Ad secundam probationem, nego antecedens, cujus oppositum, tam in Philosophia, quam in Theologia docent nostrates, asserentes, objecta spiritualia esse extra spheram objecti totalis potentiae materialis. Ad tertiam probationem, distinguo consequens: Est visibile remotè, concedo: proximè, nego consequentiam. Ut de facto, & actu sit visibile, existere debet modo proportionato potentiae, & illi posse applicari sufficienter: quod utrumque in casu deest: nam potentia de se est extensa, & in loco circumscriptivè. Christus verò in Sacramento in-

extensus, & indivisibilis, atque sine locali extensione. Ad ultimum nego antecedens. Ad probationem respondet Doct. loco nuper cit. num. 6. quod nec oculus noster fallitur circa Eucharistiam: nam quod per se percipit, verè est ibi, scilicet, quantitas, figura, color, & hujusmodi. Unde non decipitur oculus, aut materialis sensus, sed solum intellectus, arguens ex his, quæ sensus apprehendit, quod ibi est substantia panis. Hoc autem argumentum est sophisticum, quod licet eveniat in pluribus, non verè necessariò. Et sanè in Beato evenire non potest, qui ut dictum est prima conclusione, per intellectum independentem pro illo statu à phantasmate clarè videret absentiam panis, & existentiam corporis Christi.

Aliqua resolvuntur dubia.

570 Dubium 1. *An apparitiones Christi sub speciebus Eucharisticis reales, ac verè fuerint? an tantum apparentes?* Plures ex his referuntur variis historiis, quas sæpè Deus permisit, vel ad fidei confirmationem, Hæreticorumque confusionem, ac convictionem: vel ex speciali favore erga Sanctos ad excitandam reverentiam, & devotionem tanti Mysteriorum, & alios affectus, ac fines. Respondeo, non fuisse apparitiones ipsius Christi corporis, ut in Sacramento existentis; sed tantum ejus species, aut representationes, aliquando apparentes per immutationem phantasie illorum, quibus apparebat, aliquando per veram aliquam speciem, aut imaginem. Primo modo sunt illæ apparitiones, quæ durant parum, & paucis ostenduntur. Secundo modo sunt, quæ plus durant, & ostenduntur pluribus, his saltem, qui in eodem loco adsunt. Resolutio est expressa N. Seraph. Doct. D. Bonav. disp. 10. quæst. 2. num. 60. sic dicentis: *Si miraculosè ostensum est, numquam tamen ostensum est in forma*

ma, quam ibi habet, ut communiter dicitur: quia ostensum fuit in forma parvuli, & ipse Christus est ibi secundum quantitatem, quam habet in Cælo, & sic est ibi cum qualibet parte: & iste modus essendi abstrahitur ab omni sensu &c.

571 Dubium 2. *An præsentia corporis in Eucharistia sit supernaturalis quoad substantiam, vel tantum quoad modum?* Primum docent passim Thomistæ, et secundum Scotistæ aliqui, putantes, id Scotum docuisse 4. dist. 10. quæst. 8. Pro resolutione dubii sciendum est, duplex genus effectuum supernaturalium solere distinguere à Theologis. Quidam dicuntur supernaturales quoad substantiam, ut unio hypostatica, visio beata, Gratia sanctificans; dicunturque tales: quia nullo modo fieri possunt à causis naturalibus, sed à solo Deo, ut authore supernaturali, et supra totius naturæ exigentiam operante. Alii dicuntur supernaturales quoad modum, quatenus, nempe, eorum entitas potuit à causis naturalibus produci, absolute loquendo, licet hic, et nunc miraculosè producantur. Talis est visus Cæco restitutus, claudus gressus, et similes: hi enim in sua entitate sunt ejusdem rationis, cum visu, et gressu aliorum hominum, licet hic, et nunc non nisi miraculosè producantur; quia naturaliter à privatione ad habitum non datur regressus. Effectus primi generis verè, et propriè dici debent *supernaturales quoad substantiam*, et non tantum quoad modum, ut opinati sunt nonnulli Scotistæ, dicentes, unionem hypostaticam, lumen gloriæ, visionem beatam, et similes, esse effectus quoad modum tantum supernaturales; et contententes, Subt. Doct. in 4. dist. 10. q. 8. negasse entia secundum substantiam supernaturalia. Sed immeritò ita loquuntur, cum negari non possit, longè aliter, supernaturalem esse unionem hypostaticam, visionem beatam, et similes, quam visum cæco restitutum, gressum clau-

Tom. II.

do, et similes alii.

572 Nec Doct. loco citato intendit, quod ipsi intelligunt, sed tantum in eo sensu, quo à Thomistis talia entia ponuntur, videlicet, quod hujusmodi formæ accidentales, v. g. visio beata &c. secundum entitatem suam absolutam, & intrinsecam rationem, sint supernaturales, & ordinis divini. Subtilis verò Doct. loco citato inquit, præfatam distinctionem entium supernaturalium secundum rem, vel modum admitti tantum debere relatè, & in ordine ad efficiens, non verò absolute secundum formalem entitatem. Ratio Doctoris est: *quia naturale, & supernaturale non distinguunt naturam alicujus in se, sed tantum in comparatione ad agens:* adeo ut supernaturale secundum substantiam illud dicitur, cujus entitas est supra vires naturæ, absolute loquendo, & à solo Deo est producibile, supra omne debitum virtutis creatæ operante, vel supra omnem ejus exigentiam naturalem: supernaturale autem secundum modum dicitur illud, cujus entitas est supra vires naturæ, non absolute loquendo; sed tantum quoad circumstantiam, quatenus fit, vel post privationem, vel contra ordinem naturæ. Unde entitas producta non excedit facultatem naturæ, sed tantum modum, quo hic, & nunc fit. Ex quo, inquit Doct., patet, totam hanc distinctionem per extrinsecam assignari, nempe, per comparationem ad agens, non penes intrinsecas rerum entitates. Hac supposita doctrina, & loquendo de supernaturalitate in hoc sensu.

573 Dico: *Præsentia corporis Christi in Eucharistia est supernaturalis quoad substantiam.* Sic Celebriores Scotistæ cum Mastro. Probatur ex allata descriptione entis supernaturalis secundum substantiam: Talis præsentia est super naturalem exigentiam corporis, & sanguinis Domini, & à nulla causa creata induci potest: ergo est supernaturalis

li 2

quoad

quoad substantiam. Consequentia patet ex proximè dictis. Prob. ant. Præsentia naturalis cujusque partis rei quantæ exigit locari distincto loco à cæteris partibus: ergo caput Christi, cùm in Eucharistia suam quantitatem retineat, exigit correspondere alii parti loci à manibus, pedibus &c. Antec. constat, quia sic petit modus essendi in loco circumscriptivè, qui proprius est rerum corporarum: ergo cùm vi præsentia Sacramentalis ponantur in eodem loco, omnes partes corporis Christi, (idem de sanguine) idque omnino supra naturalem exigentiam ejusdem corporis, necessariò sequitur, quòd talis præsentia sit secundùm substantiam supernaturalis. Urgetur: Exigentia naturalis est cujuscumque substantiæ materialis, ut subsit accidentibus suis, sustentando illa per inhærentiam; sed corpus Christi continetur sub accidentibus panis per solam intimam præsentiam, absque ulla tali inhærentia accidentium in ipso: ergo cùm hoc sit supra naturalem exigentiam ejus, talis continentia erit supernaturalis quoad substantiam, & non tantùm quoad modum.

574 Dices: Præsentia Angeli est ejusdem rationis, cum præsentia Sacramentali, nempe, diffinitiva, ut condistinguitur à circumscriptiva: imò perfectior illa, quia est omnino spiritalis; sed præsentia Angeli est quoad substantiam naturalis: ergo etiam præsentia sacramentalis. Nego majorem. Disparitas in eo consistit, quòd præsentia Angeli supponit subjectum indivisibile, nempe, Angelum, qui naturaliter petit locari totus in toto loco, & totus in qualibet parte: at verò sacramentalis supponit subjectum divisibile, & extensum in ordine ad se, ac proinde extensionem in ordine ad locum naturaliter exigens, quam prædicta præsentia impedit ponens corpus in loco divisibili modo indivisibili. Quòd autem Angelica præsentia sit perfectior entitativè sacramentali, non est ad rem;

quia ratio supernaturalitatis non attenditur penes majorem, vel minorem entitativam perfectionem, sed in ordine ad agens, ut manet dictum cum Doct. Subtili, quem citat, & sequitur in hoc sensu Gonzalez Matheo in 1. lib. Sent. tract. 2. de *Visione Dei*, disp. 5. quæst. 1.

575 Dubium 3. Quando, & quomodo Christus desinat esse sub Eucharisticis speciebus? Dico primò, resolvendo primam dubii partem: *Christus desinit esse sub speciebus, quando istæ sic mutantur, & corrumpuntur, ut substantia panis, & vini etiam corrumpatur, si adesset sub illis accidentibus.* Conclusio est valde communis contra quosdam Hæreticos, volentes, Christum desinere esse in Sacramento, statim, ac à peccatore labiis tangitur. Est etiam contra aliquos Catholicos, dicentes, Christum solummodo manere, quamdiu conteritur in ore. Denique contra alios, asserentes, tunc primò desinere, cùm species usui humano fiant inutiles, ut si in lutum cadant, aut corradantur à bestiis. Ita Doctor Subt. dist. 12. quæst. 5. Probatur: Corpus Christi ponitur in Sacramento loco substantiæ panis, & vini: ergo quamdiu ibi duraret, aut durare debuisset substantia panis, & vini, tamdiu debet esse, & loco eorum permanere, corpus, & sanguis Christi: & tunc ibi desinere, quando illa, corruptis accidentibus, desinere debuissent. Unde corpus Christi sub speciebus consecratis manet, quovis loco, quantumvis sordido, & immundo, quamdiu ibi substantia panis remaneret: quin ob hoc corpus Christi nec minimè foedetur, sicut radii solis non foedantur, ex quò per loca immunda transeant, ut alibi contra Hæreticos manet dictum.

576 Dico 2. resolvendo 2. dubii partem: *Christus non desinit esse in Sacramento per motum localem, aut propriam mutationem. Sed per simplicem deperditionem præsentia realis*
Sa-

QUÆSTIO X.

Resolvens quidquid de accidentibus Sacramentalibus dubitari solet?

Sacramentalis, quam sub speciebus habet. Est Scoti, & Scotistarum contra plures, judicantes, desitionem illam esse puram denominationem extrinsecam, aut purum motum localem, quo dicitur in Cælum rapi. Aut esse mutationem substantialem, qua perdat esse substantiale, quod, putant, Christum ibi accipere per productionem. Resolutio faciliter à nobis suadet. Et quidem, quòd non desinat esse per motum localem propriè sumptum, constat ex eo, quòd talis motus in Philosopho 5. physicorum est transitus corporis de loco in locum, relinquendo priorem, & novum acquirendo; sed corpus Christi, accidentibus destructis, nec ascendit in Cælum, ubi jam est, nec aliam novam præsentiam acquirit: ergo non desinit esse per motum localem. Deinde, quòd nec desinat esse per mutationem substantialem, constat ex dictis quæst. 5. Siquidem sicut actio transsubstantiativa de facto non est productiva, quia non producit corpus Christi quoad substantiam, cùm supponatur productum, ut ibi latè est probatum; sic nec quoad substantiam desinit esse, cùm substantialiter in Cælo perseveret. Solum igitur restat, quòd per simplicem deperditionem præsentia sacramentalis desinat esse. Et patet hoc: quia id solum deperdit Christus, destructis accidentibus, quod per consecrationem sub illis acquirit de novo; sed solum de novo acquirit præsentiam sacramentalem: ergo solum per hujus deperditionem ibi desinit esse. Ex quibus inferes, quòd tunc casus Christus solum transit de esse præsens, ad non esse præsens, quod est quid illi extrinsecum, & accidentiale. Modo quo anima rationalis, abscisso brachio, desinit esse sub illo, per retractionem localem in se ipsam, remanente integra substantialiter, & solum amittendo præsentiam, & unionem, quam cum illo habebat ante abscissionem.

577 **D**ubitatur 1. *An accidentia panis, & vini manent in Eucharistia sine omni subjecto substantiali?* Suppono 1. dubium unicè moveri de accidentibus sensibilibus, & absolutis panis, & vini: nam certum est, quòd relationes inhærentiæ, sustentationes, & similes, quibus substantia respicit quantitatem, & alia accidentia, & vicissim quibus ista respiciunt substantiam, necessariò pereunt cum illa: nulla quippe relatio actualis existit sine suis fundamentis, & terminis. Suppono 2. ex Philosophia, quantitatem, & alia accidentia distinguuntur realiter à materia, seu à substantia. Suppono 3. contra Hæreticos, accidentia de potentia Dei absoluta posse existere sine aliquo subjecto substantiali, cui inhæreant. Non enim credunt Hæretici, illa existere posse sine aliquo subjecto substantiali, volentes protervè, essentiam accidentis consistere in actuali inhæssione, non in aptitudinali, ut docent Doctores Catholici. Unde sustinent, accidentia non posse à substantia separari, nec per ullam potentiam separata existere. Verùm hoc in Concilio Constantiensi damnatum fuit contra Joannem Hus, qui dixit: *quòd fingere accidens sine subjecto, erat blasphemare in Deum, scandalizare Sanctos, & illudere Ecclesiæ, per verba accidentis.* His præmissis.

578 Dico: *Accidentia absoluta panis, & vini, quæ percipiuntur aliquo sensu, manent in Eucharistia post consecrationem sine ullo subjecto substantiali: non tamen omnia sine subjecto accidentali.* Unde, *quantitas, color, odor, sapor* manent in Eucharistia cum corpore Christi. Resolutio est de fide quoad 1. partem, & quoad

quoad 2. fere communis. Quoad utramque expressé docetur à Sub. Doct. in 4. dist. 12. quæst. 2. ubi distinguit de subjecto accidentium *ultimaté*, seu *remoto*, & non *ultimaté*, seu *proximo*. Illud dicit esse, quod ultimaté terminat dependentiam alicujus formæ accidentalis, & sic sola substantia est subjectum accidentium: istud veró, quod terminat illam dependentiam proximé, & non ultimaté, quia, scilicet, istud ipsum pendet ab alio ulteriori, & ultimato. Sic quantitas immediatè subjectat albedinem, & ipsa subjectatur in substantia, quæ respectu albedinis est subjectum ultimatè, & quantitas est subjectum proximum. Ita Subtilis Doct.

579 Probatur quoad 1. partem ex Conciliis Laterano, cap. *firmiter*, ex Florentino, & Tridentino, docentibus, per consecrationem fieri transubstantiationem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, & remanere sola accidentia panis, & vini: insimulque definitibus, & damnantibus propositiones Hæreticorum, dicentium, *accidentia panis, & vini non manere sine subjecto*. Deinde, id patet: Tum ex sensibus, qui post consecrationem nullam advertunt mutationem in colore, figura, quantitate, odore, & sapore: ob quod Tridentinum ait: *manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini*. Tum: quia hæc est mens totius Ecclesiæ, & Doctorum Catholicorum, paucis admodum exceptis, qui novitatibus, ne aliud dicam, sunt additi. Dixi, *paucis exceptis*: nam quidam surrexerunt his sæculis, qui vera scientia abutentes, docent, nulla dari accidentia in rerum natura, imò nec formam ullam substantialem, distinctam à materia. Unde consequenter dicunt, in Eucharistia nullum accidens esse, solasque panis, & vini species ibi manere. Contra hunc dicendi modum, plurima docui in meo cursu philosophico. Alii sunt, qui doceant, quòd cum substantia panis, & vini

pereunt omnia illorum accidentia, & quòd loco ipsorum à Deo ponuntur species intentionales eorundem, sub quibus corpus, & sanguis Christi latet. Si hoc dictum sit catholicè, alterius relinquo examini.

580 Secunda pars constat ex eo, quòd omnes qualitates proximè, & immediatè subjectantur in quantitate, quæ sola est in Eucharistia sine ullo subjecto, & est subjectum proximum accidentale aliorum: ergo. Prob. anteced. Si qualitates non subjectarentur in quantitate, non possent extendi, nec arctari, nec intendi, vel remitti, nec calefieri, aut refrigerari naturaliter; sed consequens est contra experientiam, maximè de calice, in quo species congelantur, & dissolvuntur, ac calefiunt: ergo. Prob. major. Omne agens naturale requirit subjectum, in quod agat, nec quidquam facit in nihilo, aut de nihilo: aliàs cum species caleferent, frigus annihilaretur, & calor crearetur, quod est falsum: ergo. Objectiones, quæ hinc possunt fieri, in philosophia solvuntur, dum agitur, tum de distinctione quantitatis à substantia: tum de accidentium constitutivo; tum de eorum subjecto: quapropter non vacat hic eas repetere.

581 Dubitatur 2. *An quantitas in Eucharistia acquirat aliquem novum modum positivum, qui dicatur perseitatis? aut conservetur concursu novo, & differenti ab eo, quo tam ipsa, quàm cætera accidentia conservantur unita substantiæ panis, & vini?* Respondeo, quantitatem, nec cætera accidentia Eucharistica à substantia separata, non indigere novo modo aliquo positivo perseitatis, nec novo, & differenti concursu; sed conservari eadem actione, & influxu divino continuato, quo conservantur in subjecto. Prima pars est contra Suarium, & alios. Secunda contra Vazquez, quem aliqui sequuntur. Utraque veró est omnium Scottistarum cum suo Subtili Magistro. Pro-

Probatur prima pars: Talis modus positivus, vel esset substantialis, aut substantia, vel accidentalis, aut accidens? si substantialis? ergo jam quantitas ibi non esset absque substantia, aut sine subjecto substantiali, contra dicta resolutione antecedenti. Si esset modus accidentalis? ergo modus iste superflueret, cum esset etiam absque subjecto substantiali, sicut ipsa quantitas esset. Deinde probatur ex dictis in physica; quia difficultas hæc est merè philosophica.

582 Probatur secunda pars: Creatio, & conservatio sunt eadem actio; sed accidentia Eucharistica separata à subjecto non important diversam actionem creativam: non enim per separationem sunt destructa: ergo nec diversam actionem conservativam. Unde non requiritur fortior concursus conservativus accidentium in statu separationis, nec ex parte Dei innovatur aliquid. Ex parte autem termini, seu accidentis nihil est novum, præter cessationem conservationis substantiæ panis, & vini, & accidentium conservationis continuationem. Quare, omni novo modo secluso, & omni nova actione, tam ex parte Dei, quàm accidentis, hoc ipso, quòd Deus vult non conservare substantiam panis, & vini, & vult conservare accidentia illorum, satis intelligitur, quòd illa existant per se, sine subjecto. Doctrina hæc est expressa Subt. Doct. in 4. dist. 12. quæst. 1. à num. 25. & quæst. 3. num. 17.

583 Dubitatur 3. *Quid accidentia Eucharistica agere possint, & pati?* Suppono ex Philosophia, nullum accidens substantiam generare, nec principaliter, nec propriè instrumentaliter, sed solùm dispositivè. Quod quæritur est: an accidentia ibi remaneant cum omnibus virtutibus, & efficacis suis, ita ut eadem actiones, & eosdem effectus, quos producebant unita substantiis panis, & vini, efficiant separata, & in præ-

sentia Christi? V. g. an species panis in stomacho faciant chylum, & sanguinem, seu nutriant; & corruptione generent vermes, aut alia similia? Pariter: an species vini calefiant, & inebrient, sumptæ in magna quantitate, ut in ipso vino facerent?

584 Dico: „Accidentia Eucharistica habent, vel habere possunt, omnem actionem, tam intentionalem, quàm realem, quam cum substantia panis habebant extra Eucharistiam.“ Ita Subt. Doct. in 4. dist. 12. quæst. 3. num. 17. quem sequuntur discipuli, & extranei plurimi. Probatur de actionibus intentionalibus: nam experientia teste, accidentia illa immittunt easdem species in oculos, & alios sensus internos, & externos, easdemque sensationes causant: siquidem calefiunt, humectant, refrigerant, & inebriant, si excessivé potentur: cooperantur deinde ad corruptionem contrariarum qualitatum: ergo eosdem effectus, & actiones intentionales habent in Eucharistia, ac habebant, dum erant cum substantia propria. Probatur de actionibus realibus: omnem virtutem activam, quàm accidentia habent cum subjecto, ut accidentia sunt, conservant, quoties accidentia sunt; sed separata à subjecto accidentia sunt: ergo. Confirmatur: illa accidentia, utpote extensa, habent convenientem modum ad agendum: ergo hoc non est illis denegandum, Prob. anteced. Si quid illis deesset, maximè inhærentia actualis; sed defectus hic non impedit convenientem modum agendi: ergo. Prob. minor. Inhærentia illa in pane nihil conferebat eis nisi existentiam in alio; sed illorum existentia tam perfecta est in Eucharistia, quàm in pane, & vino: ergo nihil deest ad agendum. Explicatur quoad utramque partem simul: quando una forma de se habet principium totale alicujus actionis, si in se sola manet cum debito modo ad agendum, se sola potest agere, quod age-

agebat in alio; sed accidentia Eucharistica habent totale principium illarum actionum, & sunt ibi debito modo ad agendum: ergo in illo statu, scilicet, se solis, possunt agere eadem, ac in subjecto. Minor de actione intentionali, patet quoad visum, tactum, gustum; siquidem sensus nullam ibi differentiam percipiunt. Similiter de actione reali: nam vinum eodem modo producit humiditatem, & frigus: imprimit, & communicat aquae suum colorem &c.

585 Ex dictis inferes 1. qualitates in Eucharistia posse alterari, & destrui ab agente creato, ut docet Doct. in 4. dist. 12. quæst. 5. num. 4. Unde, ut manet dictum, possunt naturaliter accidentia vini condensari, rareferi &c. Inferes 2. quod dum species consecratae alterantur virtute agentis naturalis usque ad ultimum gradum, tunc suspendit Deus actionem conservativam accidentium, & desinit esse ibi Christus Dominus, de quo dictum est quæst. antecedenti *Dubio 3.* Colliges 3. quod alteratis speciebus quoad ultimum gradum, Deus per creationem producit substantiam illam, quam dispositiones inductæ in illis ab agente creato, & naturali, exigunt. Est etiam Doctor. quæst. 6. num. 11. Quapropter in stomacho recipientis sacram Communione, speciebus sacramentalibus corruptis, Deus illam substantiam creat, in quam panis, & vinum converterentur naturaliter, si sub illis acci-

dentibus verè esset substantia panis, & vini. Et patet, quia Deus miraculosè facit, quidquid naturaliter faceret substantia panis, & vini; sed hæc naturaliter converteretur in substantiam aliti: ergo. Idem est dicendum de qualibet alia substantia, ad quam per alterationem accidentium adesset dispositio ultima.

586 Dubitatur 4. *Quantum temporis durent in stomacho species consecratae?* Cardinalis de Lugo, & ex ipso noster Arbiol, referunt, medicos Romanos super hoc puncto fuisse consultos, fusèque probavisse hanc resolutionem, nempe, quod hostia, quam laici regulariter sumere solent in Sacra Communionem, juxta computum astronomicum, non durat in stomacho mediocri, nisi per minutum unius horæ: hoc est, corrumpuntur accidentia illius hostiæ consecratae in sexagesima parte unius horæ. At verò hostia, quam regulariter sumunt Sacerdotes; simulque species vini consecrati, transmutantur, & corrumpuntur in semiquadrante unius horæ. Hæc resolutio, ait Bernal, disp. 38. intelligenda est pro cunctis terræ partibus. Et ait, quod si post dimidium horæ quadrantem, accepta communione, cibum sumpserit, vel nausea compellente, evomeris, nec Eucharistiam evomes, nec irreligiosè tractabis. His non obstantibus, semper est consulendum, quasi plus temporis foret exigitum.

DIS-

DISPUTATIO IV.

DE MINISTRO LEGITIMO SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

Dissoluti jam manent præcipui difficultatum nodi, quibus nedum Hæretici, verum & Scholastici Catholici Doctores, tractatum hunc implicare, ac obnubilare solent, quamquam aliter, & aliter. Quare, quæ dicenda restant, captu longe sunt facilliora. Cum verò sæpè dictum sit, Eucharistiam esse Sacramentum permanens, Minister ejus est duplex: alter conficiens Sacramentum per veram consecrationem: alter tantum dispensans, & Sacramentum jam confectum distribuens. Atque adeo de unoquoque agendum est in hac Disputatione.

QUÆSTIO I.

Quis sit legitimus Minister hoc Sacramentum conficere potens?

587 **L**utherus lib. de Captivitate Babylonica, cap. de ordine, apertè docet; quemlibet Christianum posse casu necessitatis Eucharistiam conficere: Ministrosque tantum institutos fuisse, ad removendam confusionem, oriundam inter fideles, si pro libito hoc mysterium unusquisque conficere attentaret. Unde lib. de Ministris Ecclesiæ instituendis sic pronuntiat audaciter: *Dicimus, hoc officium consecrandi esse omnibus commune, atque Sacerdotibus, idque non nostra, sed Christi asserimus auctoritate, dicentis in cæna novissima: hoc facite in meam commemorationem.* Idemmet docet Calvinus lib. 4. instit. cap. 7. Discipuli verò Lutheri, & Calvini id tribuunt solis ministris ad hoc deputatis, quos vocant *Evangelii*. Susciterunt præcitati Hæresiarchæ hunc errorem, jam pridem sepultum, ex erroribus Wiclephi, qui ut Walden-

Tom. II.

sis refert, existimavit, Ministrum proprium, & ordinarium hujus Sacramenti esse quidem Sacerdotem: at verò ubi, absente Sacerdote, urgeret necessitas Eucharistiæ conficiendæ, quemlibet Laicum ad hoc ministerii evocari posse. Imò refert ipse Waldensis, quod Montanistæ, & Marcitæ, id quondam concesserunt foeminis. Pro resolutione autem est notandum, quemlibet Sacerdotem, quamvis pravum, & corruptis moribus, validè posse Eucharistiam conficere, dummodo habeat debitam intentionem, cæteraque necessaria ad consecrationem ex parte materiæ, & formæ, ut dictum manet Tract. 1. de Sacramentis in Genere disput. 2. quæst. 5. De Hæretico, & Schismatico, videtur dubius Magister Sententiarum, cujus doctrina in hac parte ab omnibus Theologis respuitur, ut videbitur. Quapropter

Prima Conclusio.

588 *Solus Sacerdos novæ legis est Minister hoc Sacramentum consecrans, & conficiens.* Est de fide con-

Kk

ua

tra prædictos Hæreticos. Constat ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. firmiter. cap. 14. ubi dicitur: *Hoc utique Sacramentum non potest conficere, nisi Sacerdos rite ordinatus.* Constat etiam ex Concilio Nicæno cap. 11. & novissimè ex Tridentino sess. 22. c. 1. ubi inquit: „Fateri oportet, in Ecclesia novum esse visibile; & externum Sacerdotium à Christo institutum, atque Apostolis, eorumque successoribus in Sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus ejus, & sanguinem.“ Hoc idem repetit can. 2. anathematizans oppositum sententibus. Eandem veritatem exponit, et declarat Doct. Subt. in 4. dist. 13. quæst. 2. n. 2. ubi loquens de potestate ministeriali ad consecrandum, ait: „Nihil requiritur ultra materiam debitam, de qua dictum est in fine distinctionis 11. nisi Minister debitus, ad quem requiruntur tres conditiones, scilicet, quod sit Sacerdos, quod possit proferre verba consecrationis; & quod possit habere intentionem debitam faciendi, scilicet, quod intendit Ecclesia facere.“ Et prosequitur Doctor miram harum conditionum explanationem, insimulque declarando, unde Ecclesia accepit fundamentum istius sententiæ, sic: *Unde accipit Ecclesia fundamentum istius sententiæ? Respondeo ex illo verbo Christi: hæc quotiescumque feceritis &c.* Hoc, quod Doctor colligit ex illis verbis; hæc quotiescumque feceritis, colligit Tridentinum sess. 12. ex illis aliis similibus: *hoc facite in meam commemorationem.* Deinde hæc fuit semper mens totius Catholicæ Ecclesiæ, ac SS. Patrum omnium sæculorum, quos recensere, esset longissimum.

Objecta hæreticorum infracta.

589 Objiciunt 1. Hæretici nonnullas scripturæ auctoritates, qui-

bus nituntur probare omnes baptizatos esse veros Sacerdotes, ac propterea omnes posse consecrare. Petrus primus Apostolorum alloquens omnes fideles, sic ait epist. 2. *Vos estis genus electum, regale Sacerdotium.* Apoc. 1. *fecit nos regnum, & Sacerdotes, Deo, & Patri suo.* Et cap. 5. *fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes.* Confirmat Tertullianus cap. 7. in exhortatione ad castitatem scribens: *nonne & laici Sacerdotes sumus, sicut scriptum est? ... Differentiam inter ordinem constituit Ecclesiæ auctoritas: ergo quisque fidelis Sacerdos censi potest, atque ita quilibet potest consecrare.* Urgetur: quando Christus dixit: *hoc facite in meam commemorationem,* instituit Sacerdotes cum potestate consecrandi, & recipiendi Sacramentum Eucharistiæ: sed cum omnibus fidelibus præsentibus, & futuris, locutus est Dominus: ergo omnibus tribuit dignitatem Sacerdotalem. Denique: quilibet fidelis, etiam laicus, potest Eucharistiam recipere: ergo & conficere. Prob. consequ. Qui potest ad majus, potest ad minus; sed majus est recipere Eucharistiam, quam conficere eam: ergo.

590 Respondeo ad loca Petri, & Apocalypsis, præfatos textus intelligendos esse de Sacerdotio in laxiori usurpatione acceptos; pro facultate, videlicet, offerendi Deo sacrificium bonorum operum. Unde S. Petrus immediatè hortatur fideles ad deponendam omnem malitiam, & dolum, & ad vitam innocentem amplectendam, qualem filios Dei adoptivos decet. Eodem modo accipiendus est textus Apocalypsis. Siquidem ibi pari modo dicuntur, *Sacerdotes, ac Reges;* & certum est, quod dumtaxat sunt, & dicuntur Reges improprie, aut secundum mysticam, & moralem significationem, quatenus, nempe, dum concupiscentias frænant, & passionem æstus moderantur, illis dominantur. Quapropter fideles vocantur *Sacerdotes*, quatenus continua

nua sacrificia, oblationes orationum, atque mortificationes carnis, & spiritus offerunt: *Reges*, quatenus dominantur appetitibus, reguntque passionibus, ac concupiscentiæ motus: quo in sensu dicit Apostolus: *regnum Dei intra vos est.* Unde neutiquam loquuntur de Sacerdotio vero, & proprio, de quo hic loquimur, sed de Sacerdotio in lata significatione, prout est explicatum: de quo præclarè Chrysologus serm. 18.

591 Ad illud Tertulliani dico, eodem modo esse intelligendum: non enim loquitur de sacrificio propriè dicto, nec de Sacerdotio consecrationis, sed de sacrificio orationis, pœnitentiæ, & eleemosinæ, in quo est Sacerdos Christianus unusquisque. Hanc solam esse Tertulliani mentem, noster Frassenius latè ostendit. Præterea: non desunt, qui asserant, inter quos P. Berti, Tertullianum hæc scripsisse, postquam ad Montanistas transiit, à quibus etiam fœminas donatas Sacerdotio, affirmant, qui de hæresibus pertractarunt, Epiphanius, Philastrius, & Augustinus. Qua de causa, cum Tertullianus adverteret, quid de mulierum Sacerdotio docerent Montanistæ, ab eorum conventiculis discessit. Ad urgentiam negotii minorem: sumptio namque Eucharistiæ necessaria est omnibus, ex illo: *nisi manducaveritis &c.* & quoad illam omnibus loquitur, ut dictum est à nobis disp. 1. quæst. 5. concl. 2. At verò confectio non est omnibus necessaria, nec quoad hanc loquitur Christus cum omnibus fidelibus, sed solis Apostolis, & suis in Sacerdotio successoribus, ut clarissimè in conclusione ostenditur. Ad ultimum respondeo cum Subt. Doct. 4. dist. 13. quæst. 2. num. 20. negando consequentiam, & distinguendo minorem: majus est sumere, seu recipere Eucharistiam, quoad utilitatem, concedo: quoad potestatem, & dignitatem, nego minorem. Christus itaque beneficium Sacramentorum voluit commune esse omnibus: jus autem

Tom. II.

confectiois, & consecrationis paucis reservavit, nempe, Sacerdotibus. Modo quo, usus monetæ ad omnes pertinet, meliusque est eam recipere, quam cudere: istud verò ad solos monetarios à Principe constitutos pertinet.

592 Objiciunt 2. historias aliquas, quibus videtur constare, Laicos, imò & fœminas, consecrasse. Theodoretus narrat de Frumentio, quod in Indiis sine ordinatione Sacerdotali coram Mercatoribus Italis Sacrum celebravit. Sophronius Jerosolymitanus in *Prato spirituali* cap. 25. refert de quodam Monacho laico, quod cum verba consecrationis super aliquos panes protulisset, apparuit Angelus, qui panes illos, consecratos esse declaravit. De S. Petronilla refertur; *quod celebratis Dominicæ oblationis Mysteriis, & Eucharistia refecta, obiit:* ergo Laici, & fœminæ ipsæ Eucharistiam conficiebant. Alia his similia referuntur in historiis. Denique in Concilio Laodiceno anno 310. celebrato, statuitur, *quod non oporteat Subdiaconis panem dare, vel calicem benedicere:* ergo olim consecrabant Diaconi.

593 Ad omnia hæc ex historiis objecta responderi potest, magnam fidem non esse præstandam eis. Negatur consequentia pro omnibus. Et ad 1. dico, quod ille Frumentius fortè erat Sacerdos. Undè paulò post dicitur, factum fuisse Episcopum Indorum à S. Athanasio. Vel Mercatores illi, secum habebant Sacerdotem, qui consecravit. Ad 2. in *Prato Spirituali* multa apocrypha videntur contineri, & maximè circumstantiæ, in quibus factum istud narratur. Constat enim ex historiæ relatione, Monachum illum verba illa fortuito protulisse, & sine intentione consecrandi, sine qua, juxta dicta de Sacramentis in communi, nullus Minister Sacramentum aliquod conficere potest. Si igitur ille panis fuit consecratus, vel fuit à Deo extraordinario modo, vel ab alio verò Minis-

Kk 2 tro

tro. Ad casum S. Petronillæ dico, quod ipsa non consecravit, sed mortura Eucharistiam recepit, aliquo Sacerdote ministrante, qui eam inviserat in carcere, ut fieri solebat tunc temporis. Et quidem in actis Nerei, & Achillei, quibus inseritur vita S. Petronillæ, & Feliculæ, hæc leguntur: *Tertio itaque die veniens ad eam Sanctus Nycomedes Presbyter celebravit mysteria Christi: Virgo autem Sanctissima mox, ut Sacramentum accepit, reclinans se in lectum, emisit spiritum.* Denique in Concilio Laodiceno unice cavetur, ne Subdiaconi usurpent officium Diaconorum, panem, vel calicem fidelibus, uti tunc fiebat, ministrando. Omitto alia; quia dum de Sacramento Ordinis, de Ministrorum potestate, & caractere tractemus, dogmata hæc perniosa, & hæretica refellentur ampliùs.

Secunda Conclusio.

594 *Quilibet Sacerdos ritè ordinatus, quantumvis hæreticus, excommunicatus, schismaticus, aut degradatus, modò agat cum debita intentione in vera materia, & forma, potest validè consecrare: non verò licitè.* Conclusio, quæ est communis inter Theologos, videtur contra Magistrum Sententiarum, ab initio questionis citatum. Docetur à Subt. Doct. in 4. dist. 13. quæst. 2. à num. 3. ubi asserit, non aliud requiri, præter debitam materiam, ad validè consecrandum, quàm legitimum Ministrum, ad quem tres conditiones requiruntur: nempe, quod sit Sacerdos, quod possit proferre verba consecrationis, & quod possit habere intentionem debitam faciendi, quod Ecclesia intendit facere. Propter defectum verborum, mutus non potest consecrare: propter defectum intentionis carens usu rationis non potest conficere: & propter defectum Sacerdotii nullus, qui Sacerdos non est, potest id attentare. Unde ait

Doctor num. 10. *Si non est Sacerdos, & intendat facere, ut Sacerdos, non solum peccat mortaliter, & nihil facit, sed irregularis est, ut habetur extra de Clerico non ordinato ministrante cap. 1.* Quæ autem, & qualis intentio requiratur in Ministro ad Sacramentum conficiendum, dictum est tractat. de Sacramentis disp. 2. quæst. 4. Deinde, de probitate in Ministro requisita ad valorem Sacramenti, dictum est pariter, & satis abunde, cum plurium historiarum relatione, & argumentorum solutione, in præcitato tractat. & disp. 2. quæst. 5. quam moneo videas, ut hinc brebiter dicenda meliùs, ac profundius capias.

595 Probatur ratione: Eucharistiæ confectio est actus potestatis, seu Ordinis, non autem jurisdictionis; sed potestas Ordinis semel ritè accepta numquam amittitur, sicut nec character, qui est nota ejus, & qui indelebilis est omnino, ut dictum est suo loco: ergo. Probatur min. Tum, quia potestas hæc principaliter est à Deo, & ab Ecclesia ministerialiter tantum: ergo semel data, solum potest auferri ab ipso Deo. Tum; quia Ecclesia hanc agnoscit veritatem, ac Tridentinum sess. 23. sic eam declarat: „ Quoniam in Sacramento Ordinis character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest, men- ritò S. Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantum potestatem habere, ac semel ritè ordinatos iterum posse effici laicos, si verbi Dei ministerium non exercent: “ ergo nequit auferri illa potestas.

596 Secunda conclusionis pars, videlicet, quod talis Minister licitè non conficeret, declaratur à Doctore disput. & quæst. citata num. 7. ubi requisita ad licitè consecrandum ad tria capita reducit, illaque mirificè exponit. *Requisita*, inquit, *parte Ministri ad licitè conficiendum, quædam sunt amotiones impedimentorum,*

rum, & quædam appositiones convenientium, seu idoneorum. Primum impedimentum est, vel culpa tantum, vel pœna tantum. vel nec pœna, vel culpa. Propter impedimentum culpæ, non potest licitè conficere, qui est in peccato mortali. Impedimentum pœnæ potest esse dupliciter; quia pœna Canonica potest fundari supra culpam, & supra defectum inculpabilem, & naturalem. Primi generis est, dum quis est excommunicatus, suspensus &c. etiamsi peccatum propter contritionem sit remissum, non potest licitè conficere Sacramentum, donec ab impedimento sit solutus. Secundi generis est, dum quis ob monstruosam deformitatem, qui eum irregularem reddit, per legem Canonicam privatus est, & avulsus ab altaris ministratione. Reliqua, quæ nec culpa sunt, nec pœna, & sinè quibus licitè non potest confici Eucharistia, pertinent ad jejuniium naturale, ad locum, tempus, & indumenta sacra, de quo redibit sermo, dum tractemus de Saorificio Missæ.

Argumentorum Solutio.

597 Arg. 1. Juxta SS. PP. ad veram, & validam Sacramenti effectiorem, requiritur fides, & spes; sed utraque deest Hæreticis, & Schismaticis: ergo nulli horum consecrant validè. Prob. maj. Cyprianus Epist. contra Hæret. ait: *Constat, Eucharistiam apud illos fieri non posse, ubi nulla spes est, & fides falsà, ubi omnia per mendacium fiunt.* S. Gregorius dial. 31. Eucharistiam ab Arianis confectam *sacrilegam communionem vocat.* Pelagius Papa: *Non est corpus Domini, quod Schismaticus conficit.* Bernardus cant. 66. negat, *Hæreticos habere potestatem consecrandi corpus, & sanguinem Christi:* similique modo loquuntur alii Patres: ergo juxta illos invalidè consecrant omnes in conclusione relati. Respondendo negando maj. Ad ejus probationem dico, Cyprianum locutum fuis-

se de illis, qui fingerent consecrare, vel ex errore non servant formam essentialem, & ideò inquit: *Ubi omnia per mendacium fiunt.* Gregorius meritò improbat communionem ab Arianis receptam: non verò consecrationem eorum, ut invalidam, de quò ibi non agitur. Pelagius Papa loquitur de Christi corpore Mystico, quod est Ecclesia; non autem de corpore Christi physico, quale est Eucharistia. Illud non conficit Schismaticus, quia ab Ecclesiæ corpore est abscissus: benè verò potest conficere Sacramentum, absolute loquendo. S. Bernardus loquitur de quibusdam, qui se dicebant Apostoli, & non erant ritè ordinati. Deinde, tam relati Patres, quàm alii, qui adduci solent, de confectiõne licita possunt interpretari.

598 Arg. 2. Communi axiomate dicitur: *Extra Ecclesiam Sacramenta non esse, nec dari locum veri sacrificii;* sed Sacerdos hæreticus, aut Schismaticus est extra Ecclesiam: ergo non conficit verum Sacramentum, & per consequens nec Eucharisticum. Confirmatur: Hæreticus non habet debitam intentionem: non enim intendit facere, quod Catholica Ecclesia facit, cum illam non agnoscat, vel neget, eam esse veram Christi Ecclesiam; sed sine illa intentione nequit fieri Eucharistia, & maximè, quia non profert in sua propria persona verba consecrationis; sed nomine Ecclesiæ: ergo Sacerdos hæreticus, aut Schismaticus non consecrat validè. Urgetur de degradato Sacerdote: Degradatus amittit omne jus clericale, & omnem potestatem consecrandi, quam ab Ecclesia accepit: ergo per degradationem illam potestatem amittit: nam Ecclesia id, quod dat, auferre potest. Distinguo maj. *Extra Ecclesiam*, hoc est, extra Ecclesiæ ritum, & formam, ac materiam essentialè; concedo: *Extra Ecclesiam*, quoad fidem, & unitatem, nego maj. & similiter minorem. Certum est, quod

si non servetur ritus essentialis, seu forma per Ecclesiam præscripta, ut à Christo instituta, nihil fit; & hoc nedum ab Hæreticis, sed nec ab Orthodoxis: at verò si servetur à quocumque Sacerdote, consecratur validè. Ad confirmationem dico, quòd talis Sacerdos potest velle facere, quod Christus fecit, & potest habere talem intentionem, & tunc verè conficeret; quia proprius agit in persona Christi, cujus corpus ponit, quàm in persona Ecclesiæ, cujus corpus non ponit. Ad urgentiam distinguo antecedens: amittit jus clericale, & potestatem, quoad usum licitum, concedo: quoad absolutum, & validum, nego. Ecclesia solùm ministerialiter confert potestatem: Deus verò principaliter per ministerium Episcopi, seu Ecclesiæ. Unde semel collata tali potestate, Ecclesia illam absolutè, & in se, revocare non potest. Vide alia plura loco citato de Sacramentis in Genere.

DUBIUM INCIDENS.

An plures Sacerdotes validè, ac licitè possint eandem materiam consecrare?

599 Dubium hoc resolvendum puto consimiliter, ac in materia de Baptismo solvitur illud, quod sic proponitur: *An possint plures eundem simul baptizare.* Sed proprius, & securius loquendo, sic proponitur dubium: *An plures Sacerdotes super eandem numero hostiam possint simul proferre verba consecrationis?* Et intelligitur, ut ex titulo constat, nedum de consecratione valida, sed etiam de licita. Durandus in 4. dist. 13. quæst. 3. docuit partem negativam. Etsi ei opponas Ecclesiæ Sanctæ per antiquissimam consuetudinem, dum Ordinem Sacerdotalem confert, respondet, hanc consuetudinem abolendam esse. Verùm hæc Durandi sententia, in opinione plurium, notam incurrit temeritatis, eò quòd in-

concusam, & inviolabilem totius Ecclesiæ consuetudinem ausus sit reprehendere. Et quamvis plurima appareant incommoda ex affirmativa assertionem, quorum varia proponit Delgadillo cap. 4. de Eucharistia num. 6. tamen etsi majora apparerent, antiquissima universalis Ecclesiæ consuetudo, ut licita, & laudabilis defensari debet: latent quidem divina Mystera, quæ venerari debent, dum adipisci non valent. Quapropter:

600 Dico: *Plures Sacerdotes validè, ac licitè, possunt eandem numero hostiam consecrare: seu simul super illam verba consecrationis proferre.* Ita deducitur ex Subt. Doct. in 4. dist. 6. quæst. 2. ubi docet, plures eundem baptizantes, sic quòd omnes simul formam expleant, tunc singulos verum, ac validum Sacramentum conficere: ergo pariter, & plures Sacerdotes formam consecrationis in eodem instanti simul super eandem materiam proferentes cum intentione illam consecrandi, & simul absolvent verba consecrationis omnes Sacramentum verè conficient. Probatur ex consuetudine Ecclesiæ, tam Græcæ, quàm Latinæ. In Græca quidem, quando Episcopus consecrat, etiam simul consecrat Presbyter cum illo celebrans. In Ecclesia autem Latina qui ordinantur Presbyteri, simul proferunt verba consecrationis super eandem materiam cum Episcopo ordinante: quem quidem ritum ab omnibus Episcopis observari præcipitur in Pontificali, edito jussu Clementis VIII. Præterea: dum quis consecratur Episcopus, verba consecrationis profert simul super eandem numero materiam cum Episcopo consecrante: quæ materia absdubio consecrata manet: nam ut inquit Subt. Doct. in 4. dist. 6. quæst. 2. non est verisimile, quod unus factum alterius annulet. Quòd autem licita sit talis verborum prolatio à pluribus, constat ex eo, quòd ita fert utriusque Ecclesiæ usus, & consuetudo, quod contradicere tamquam illicitum, omnino

no esset temerarium.

601 *Sed quomodo plures Sacerdotes licitè eandem materiam consecrare valeant?* Doctores valde variant. Delgadillo loco citato, postquam varios dicendi modos refert, & impugnat, resolvit: Solùm Episcopum posse verba consecrationis proferre formaliter, & significativè cum intentione consecrandi; reliquos verò Sacerdotes, sine tali intentione, ac solùm materialiter, & recitativè, ad ostendendam, nempe, acceptam potestatem. Hic verò dicendi modus contra se habet: primò, quòd Sacerdotibus, cum Episcopo celebrantibus, talis advertentia non fit, ut consecrandi intentionem non habeant. Secundò, quòd potius omnibus Sacerdotibus noviter ordinatis prævenitur, ne in prolatione verborum consecrationis Episcopum antecendant: quod reverà otiosum foret, si intentio consecrandi in eis non esset. Si verò dicas, ex nostra opinione sequi, unicuique effectum tunc casus provenire à pluribus causis totalibus, quod nunquam conceditur in Schola Subtili respondeo, videndum esse, quod in hoc puncto diximus Tract. de Baptismo, inquirendo, & resolvendo: *An plures possint simul eundem baptizare?* Pro nunc sufficiat dicere, illud intelligendum de causis, & effectibus physicis, non de effectu morali, cujus principalis causa, nempe, Deus unica est: Sacerdotes verò respectu consecrationis sunt causæ instrumentales morales: atque adeo solùm causant ex pacto divino, quod cum sit liberum, nullis coarctatur legibus. Si autem supponatur casus, quòd unus ex illis prius verba consecrationis super debitam materiam completeret, absdubio tunc ille solus consecraret.

QUÆSTIO II.

Quis valeat administrare Augustissimum Sacramentum Eucharistiae?

602 **Q**uamvis Eucharistiam dispensare minus sit, quàm illam conficere: tamen plura requiruntur ad dispensationem, quàm ad confectionem. Ad confectionem igitur, seu consecrationem, potestas Ordinis sufficit: at verò ad dispensationem requiritur jurisdictio aliqualis, seu potestas jurisdictionis. Ratio est; quia dispensatio non tantum respicit corpus verum Christi, sed etiam mysticum, nempe, fideles, in quos dispensans habere debet quamdam auctoritatem. Pro cuius intelligentia notandum est primò, duplicem distingui posse potestatem jurisdictionis, videlicet, *ordinariam*, quæ ex officio convenit, & *delegatam*, quæ conceditur ab habente ordinariam jurisdictionem. Notandum est secundò, duplicem pariter distingui posse Eucharistiæ dispensationem, sive ordinariam, sive delegatam, nempe, vel principalem, vel subsidiariam. Prima est, qua corpus, & sanguis Christi traditur suscipienti ab habente jurisdictionem. Secunda verò, qua ministrans Eucharistiam, illam confert ad imperium, seu de licentia Ministri Ordinarii, vel delegati, ad quod ex se jurisdictionem non habet. Quæritur ergo, quibus utraque hæc potestas dispensandi Eucharistiam conveniat?

Prima Conclusio.

603 *Solus Sacerdos ex suo principali officio est ordinarius dispensator Eucharistiæ, & hoc ei competit, sive ex jurisdictione ordinaria, sive delegata.* Ita Subt. Doct. in 4. dist. 13. quæst. 2. num. 20. ubi inter alias rationes, hanc profert pro prima parte conclusionis: „ Quia non mi-

„ noris reverentia, vel autoritatis
 „ est posse super corpus Christi ve-
 „ rum, quam super corpus Christi
 „ mysticum: Secundum autem soli
 „ Sacerdoti convenit: aequè ergo,
 „ vel magis propter reverentiam
 „ corporis Christi veri, soli Sacer-
 „ doti conveniet autoritas respectu
 „ ipsius conficiendi, & regulariter
 „ dispensandi. *Nota* ly regulariter,
 „ ut intelligas, quòd non excludit ca-
 „ sum necessitatis, & extraordinarium,
 „ in quo dispensatio committi possit
 „ ordini inferiori, nempe, Diacono.
 „ Similes rationes eis, quas adducit
 „ loco citato Subt. Doct. profert An-
 „ gel. in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 3.
 „ Colligitur etiam conclusio ex 1. ad
 „ Corinth. ubi Apostolus Sacerdotes
 „ appellat *Ministros Christi*, eosdem-
 „ que vocat, *dispensatores Misterio-
 „ rum Dei*. Quapropter Concilium Tri-
 „ dent. sess. 13. cap. 8. affirmat, hanc
 „ doctrinam manasse ex traditione Apo-
 „ stolica, per hæc verba: „ In Sacra-
 „ mentali sumptione semper in Ec-
 „ clesia Dei mos fuit, ut laici à Sa-
 „ cerdotibus communionem accipe-
 „ rent: Sacerdotes autem celebran-
 „ tes se ipsos communicarent: qui
 „ mos tamquam ex traditione Apo-
 „ stolica descendens, jure, ac meri-
 „ to retineri debet. Et quidem hoc
 „ ministerium solis Sacerdotibus ex of-
 „ ficio competere, constat ex verbis
 „ Christi, Luca 22. *hoc facite in meam
 „ commemorationem*. Quibus in verbis,
 „ sicut consecrationem sui corporis
 „ commisit Apostolis, eorumque in
 „ Sacerdotio successoribus, sic etiam
 „ ejusdem corporis eis commisit distri-
 „ butionem. Hinc Ecclesia in hymno
 „ festi corporis Christi canit: *Cujus
 „ officium committi voluit solis Pres-
 „ byteris quibus sic congruit, ut su-
 „ mant, & dent cæteris*. Hic hymnus
 „ editus fuit de mandato Urbani IV.
 „ Igitur sicut solus Sacerdos ex officio,
 „ & ex vi suæ ordinationis verum cor-
 „ pus Christi consecrat, & sumit: ita
 „ pariter solus Sacerdos ex officio aliis
 „ distribuit.

Secunda Conclusio.

604 *Non omnes Sacerdotes pos-
 „ sunt licitè ministrare hoc Sacramen-
 „ tum, sed illi solùm, qui habent po-
 „ testatem jurisdictionis ordinariam, vel
 „ delegatam.* Conclusio est communis
 „ inter Theologos, & habetur à Subt.
 „ Doct. loco supra citato: Probatur ex
 „ cap. *Religiosi*, ubi cavetur, ne *Re-
 „ ligiosi præsumant ministrare Eucha-
 „ ristianam Laicis, aut Clericis, sine
 „ Parochi licentia*. Ita etiam habetur
 „ generaliter de Sacramentis in Cle-
 „ mentina *Dudum de Sepulturis*, & in
 „ particulari de isto Sacramento Eucha-
 „ ristianæ in Concilio I. Carthaginensi
 „ tempore Julii Papæ I. cap. 7. & in
 „ Milevitano II. cap. 18. ubi prohibe-
 „ tur Clericis, & Laicis communica-
 „ re in aliena Parochia. Denique const-
 „ tat ex Lateranensi cap. *Omnis utrius-
 „ que sexus*. Ratio conclusionis est; quia
 „ licet Eucharistianæ administratio non
 „ sit actus judicialis, seu jurisdictionis
 „ propriè dictæ, sicuti est absolutio
 „ Sacramentalis, seu Pœnitentiæ admi-
 „ nistratio: est autem actus proprius
 „ Pastoris, cujus est sibi creditas oves
 „ pascere, non solùm prædicatione ver-
 „ bi Dei, sed etiam cœlesti pabulo
 „ corporis, & sanguinis Christi, ut
 „ S. Leo Papa Epistola decretali ad
 „ Theodorum Episcopum Forojuliensem
 „ præclare scribit: ergo ad licitè ad-
 „ ministrandum hoc Sacramentum po-
 „ testas aliqua jurisdictionis, vel ordi-
 „ naria, vel delegata, requiritur.

605 Si quæras: *Quis habeat ju-
 „ risdictionem, & auctoritatem ordi-
 „ nariam, & quis delegatam?* Respon-
 „ deo, quòd Summus Pontifex habet
 „ ordinariam in universa Ecclesia, Epis-
 „ copus in sua Diocesi, Parochus in
 „ sua Parochia, & Superiores Religio-
 „ num respectivè in sibi subditos. Cæ-
 „ teri autem Sacerdotes solùm delega-
 „ tam habere possunt: ac proinde hæc
 „ ordinaria dispensandæ Eucharistianæ
 „ jurisdictio non competit omnibus Sa-
 „ cerdotibus. Facultas hæc dispensandi

Eu-

Eucharistianam concessa est Ordinibus
 mendicantium omnibus eam in suis
 Ecclesiis requirentibus. Et quidem,
 quòd Religiosi mendicantes, maxi-
 mè Minoritæ, possint in suis Eccle-
 siis Sacram Eucharistianam fidelibus mi-
 nistrare, excepta communionem Pas-
 chali, quam à proprio Parocho, vel
 ab alio Sacerdote quocumque, de Pa-
 rochi licentia, vel permissu, debent
 fideles accipere, juxta decretum Ec-
 clesiae, apertè constat ex concessio-
 ne Nicolai V. Sixti IV. Leonis X.
 Pauli IV. & Innocentii X. quorum
 concessionem referunt Rodriguez, &
 Poncius, in Summa Theologiae disp.
 46. num. 121. Ex quibus colligitur,
 non omnes Sacerdotes ordinariam ju-
 risdictionem dispensandi indifferenter
 Eucharistianam habere: aliàs, quid opus
 fuisset tot privilegiis? Verum quidem
 est, quòd his temporibus omnes com-
 muniter Sacerdotes hanc delegatam fa-
 cultatem habent: ideòque in qua-
 cumque Ecclesia, in qua conficiunt,
 communionem fidelibus dispensant re-
 gulariter, prout occasio occurrit.

Tertia Conclusio.

606 *Diaconi, urgente casu neces-
 „ sitatis, possunt dispensare corpus,
 „ & sanguinem Domini, ex speciali
 „ commissione Sacerdotis.* Conclusio hæc
 „ est communis inter Theologos. Col-
 „ ligitur ex antiqua Ecclesiae praxi, qua
 „ constat, Diaconos solitos fuisse Eu-
 „ charistianam ministrare, ut scribit S.
 „ Justinus Apolog. 2. pro Christianis,
 „ ubi dicit: *Absoluta gratiarum ac-
 „ tione Præsulis, & oratione totius Ple-
 „ bis, Diaconi, quos vocamus, dant
 „ singulis præsentibus partem panis, &
 „ calicis diluti, super quos facta est
 „ gratiarum actio, quod alimentum ap-
 „ ud nos vocatur Eucharistia*. Idem
 „ habet S. Cyprianus Serm. de lapsis.
 „ Et in Concilio Nicæno Can. 14. ubi
 „ conceditur Diaconis facultas sibi ip-
 „ sis ministrandi Eucharistianam in ab-
 „ sentia Episcopi, vel Sacerdotis, per

Tom. II.

hæc verba: *Quod si non fuerit in
 „ præsentia, vel Episcopus, vel Presby-
 „ ter, tunc ipsi proferant, & cedant*.
 „ Quod etiam aliis Eucharistianam por-
 „ rigere potuerint, præsentia Episcopo,
 „ & Presbytero, constat ex Concilio
 „ Carthaginensi IV. & ex Epist. 20. Ge-
 „ lasii Papæ. Hæc autem praxis com-
 „ munis erat in primitiva Ecclesia, quia
 „ propter Sacerdotum inopiam, & sa-
 „ cræ Communionis frequentiam, Dia-
 „ cono communiter Eucharistianam dis-
 „ pensabant. Hoc autem munus Dia-
 „ cono non exercebant propria autho-
 „ ritate, nec ex principali commissio-
 „ ne, sed tantùm sicut Sacerdotum mi-
 „ nistri, & famuli, ut apertè docet S.
 „ Clemens Papa lib. 8. const. cap. 28.
 „ & significat S. Laurentius, Hispaniæ
 „ decor, qui Sanctum Pontificem Six-
 „ tum, ad Martyrium properantem,
 „ sic alloquebatur: *Experire, utrum
 „ idoneum ministrum elegeris, cui com-
 „ misisti Domini sanguinis dispensa-
 „ tionem*. Ubi signanter dicit, *cui com-
 „ misisti*, ut significaret, potestatem
 „ illam tantùm esse delegatam, ac Sa-
 „ cerdotio subordinatam.

607 Hinc Subt. Doct. ait dist. 13.
 „ quæst. 2. congruè concessam esse S.
 „ Laurentio, sicut & cæteris Diaconis,
 „ dispensationem sanguinis Chris-
 „ ti, quia sanguis non dispensatur ni-
 „ si in calice: *Tactus autem calicis con-
 „ ceditur Diacono: sed corpus non dis-
 „ pensatur, nisi species panis tanga-
 „ tur*. Unde colligit, quòd *Diaconus
 „ ordinare poterat ministrare sanguinem
 „ eo tempore, quo fiebat communio sub
 „ utraque specie: non poterat autem mi-
 „ nistrare corpus Christi, nisi ex præ-
 „ cepto Sacerdotis, & urgente neces-
 „ sitate*. Hanc approbat doctrinam S. Tho-
 „ mas quæst. 2. art. 3. dicens, quòd
 „ cum Diaconus sit quasi propinquus
 „ Ordini Sacerdotali, aliquid partici-
 „ pat de ejus officio, ut, scilicet, dis-
 „ penset sanguinem: non autem corpus
 „ nisi in necessitate, jubente Episco-
 „ po, vel Presbytero. Ad quod suaden-
 „ dum duplicem rationem affert. Ex qui-
 „ bus Doctoribus quodam vero sensu

Li

di-

dici debet, Diacono ex officio suo competere dispensare sanguinem Domini: Corpus verò ex pura commissione, & hoc urgente necessitate. Et quamvis usus ille ministrandi Christi sanguinem à Diacono penitus in Ecclesia cessaverit, durat tamen in Capella Pontificis, ut plures Authores referunt. Dicunt enim, quod dum Pontifex solemniter celebrat, post sumptionem corporis sessum vadit, & tunc Diaconus consecratum calicem ei affert, & porrigit. Si contra dicas: Diaconus solùm ex commissione Sacerdotis habet, quòd Christi sanguinem populo dispenset: ergo id non habet ex officio: antecedente concessio, nego consequentiam: nam licet dispensatio sanguinis Christi Diacono conveniat ex commissione Sacerdotis: hæc tamen commissio non datur ei ad Sacerdotis libitum, sed ex officio suo habet Diaconus, ut hoc ei committatur; quia ejus officium est ministrare Sacerdoti in consecrando, & dispensando. Quapropter in cap. *Diaconus* dist. 23. sic dicitur: *Diaconus, cum ordinatur, ad ministerium consecratur.* Pro distinctione dispensationis corporis Domini, ac sanguinis, respectu Diaconi, clarissima stat ratio Doct. Subt. ac Angelici.

608 Ex quibus colliges, quòd licet fortè Dominici sanguinis dispensatio, absque ulla necessitate possit committi Diacono, & de facto committatur, dum Summus Pontifex solemniter celebrat, ut supra diximus: dispensatio tamen corporis, nisi necessitas cogat, non potest Diacono committi. Si verò necessitas urgens cogat absente Sacerdote, posset Diaconus, urgente mortis periculo, Eucharistiam infirmo ministrare, ut colligitur ex Concilio Nicæno I. Can. 18. Multò magis à fortiori poterit Diaconus, eodem urgente periculo, sibi ipsi Eucharistiam ministrare: nam ei in Concilio conceditur, quòd, Sacerdote absente, ipse è ciborio Sacramentum proferat, & sumat. Imò,

si ex nequitia, aut negligentia, Sacerdos etiam, à Diacono monitus, nollet Sacramentum infirmo deferre, posset Diaconus, illo invito, suum munus præstare, & misero infirmo in extremis succurrere: Tunc enim reputatur, tamquam si Sacerdos omnino abesset. Et hæc doctrina est inter Theologos, cum Soto in 4. dist. 13. quæst. 1. artic. 3. valde communis.

Quarta Conclusio.

609 *Nullus alius, præter Sacerdotem, & Diaconum, potest Eucharistiam sibi, nec aliis ministrare, etiam urgente casu necessitatis.* Conclusio est contra Suarium, Vazquez, Valentiam, Lugo, Cajetanum, quos sequitur noster Delgadillo tractat. de Eucharistia cap. 5. & noster Arbiol disp. 5. art. 3. Authores isti omnes censent in casu extremæ necessitatis, si idoneus Minister non adsit, posse Subdiaconum, imò & Laicum, semetipsum, & etiam moribundum, communicare. Nostra verò assertio verior, communiorque est inter Theologos. Videtur esse de mente Subt. Doct. in 4. dist. 13. quæst. 2. Docetur etiam expressè à D. Thoma, qui teste Goneto, quamvis Laico in necessitate corpus Christi tangere licitum esse concedat, in nullo tamen casu admittit, licere ei illud aliis ministrare. Unde in 4. dist. 3. quæst. 1. artic. 3. dicit: „ In casu necessitatis potest, & debet corpus Christi tangere, etiamsi sit peccator, „ ut si in aliquo loco immundo jaceret: sed non est simile de dispensatione Sacramenti, quia receptio hujus Sacramenti non est necessitas. Unde, ei qui non potest sacramentaliter manducare, dicendum est, crede, & manducasti.“ Probatur conclusio urgenti paritate; Ad subveniendum infirmo in articulo mortis constituto, non licet Sacerdotem non jejunum, aut sine sacris vestibus celebrare, quia hoc est

est contra reverentiam hujus Sacramenti, & aliunde hoc Sacramentum non sit necessarium de necessitate salutis: ergo neque licebit ad subveniendum illi, ut Laicus hoc Sacramentum ei administret, cum hoc non minus videatur contra reverentiam Sacramenti. Unde fideles in articulo mortis constituti, non tenentur illud recipere, nisi cum debitis circumstantiis ad ipsius reverentiam requisitis, quæ reverentia Sacramenti prævalere debet privatæ personæ utilitati. Quòd autem magna irreverentia sit, quòd Subdiaconus, & potiori ratione Laicus, hoc Sacramentum ministrent, constat ex Concilio Rhemensi cap. *pervenit* dist. 2. ubi loquens de tali abusu ait: „ Pervenit ad notitiam nostram, quòd quidam Presbyteri in tantum parvi „ pendeant divina mysteria, ut Laico, vel foeminae, Sacrum corpus „ Domini tradant ad deferendum infirmis... quod quàm sit horribile, „ quàmque detestabile, omnium Religiosorum animadvertit prudentia, „ Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præsumptio ulterius fiat. Deinde Sacerdotibus, si secus fecerint, minatur gravissima pœna.

610 Quamvis autem prohibitum sit hoc ex jure Ecclesiastico: non tamen interdictum est de jure divino Laicis, & multò minus Subdiaconis, hoc Sacramentum contrectare, & administrare. Eusebius lib. 6. *Historiarum* cap. 36. refert, quòd quidam Presbyter infirmus missit particulam consecratam ad Serapionem senem moribundum per puerum, è cujus manibus illam sumpsit, juxta Presbyteri mandatum. S. Gregorius hom. 4. in Evangelia refert similiter, quòd Sancta Romula in extremis constituta, communionem accepit à Redempta magistra sua. Hinc antiquitus fideles accipiebant Eucharistiam de manu Sacerdotis, eamque secum domum deportabant, ut congruenti tempore propriis manibus su-

Tom. II.

merent eam. De qua veritate plura diximus disp. 1. quæst. 6. dum docuimus, Sacramentum Eucharistie non consistere in solo usu, seu sumptione, præsertim loquendo de usu antiquo servandi Eucharistiam. Hęc praxis adhuc vigeat tempore S. Augustini: nam Serm. 252. de tempore, scribit: *Omnes viri quando communicare desiderant, labant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi corpus Ecclesiastico vetitum est, ne, etiam urgente necessitate, Laici, vel Clerici inferiores Eucharistiam suis manibus contractent, & ministrent.* Sed sicut id Ecclesia prohibet, ita in casu aliquo permittere posset, quemadmodum Pius V. dicitur permisisse inclitæ *Mariæ Stuart*, Reginæ Scotiæ ut hostiam à Sacerdote Catholico acceptam suis manibus ipsa sumeret, quatenus adversus impiæ Elisabethæ, Angliæ Reginæ, tyrannidem, & crudelitatem, sacro muniretur clypeo divinæ communionis.

611 Per hanc doctrinam solvuntur Adversariorum objecta, quæ unicè probant, quòd Ecclesia antea permiserit Laicis Eucharistiam manibus recipere, & etiam aliis administrare. Hoc enim verum est, sed omnino falsum, quòd de facto possint, nec tale sit eis permissum, quinimo, quacumque urgente necessitate, gravissimè est interdictum. Nec ullius est roboris instantia noster Arbiol dicens, præceptum Ecclesiasticum non obligare in casu extremæ necessitatis: nam infirmus, adhuc in articulo mortis constitutus, non est in extrema necessitate hujus Sacramenti, quatenus sit ei necessarium necessitate medii, imò nec necessitate præcepti divini, si commodè, & cum debita reverentia illud recipere non potest, ut dictum est abundè disp. 1. quæst. 5. & clarissimè apparet ex probatione conclusionis, quam Adversarii fateri debent veram nunc de facto pleno ore. Unde cum val-

Li 2

de

de possibilis sit casus, & sæpè contingere possit, præcipuè in locis exiguis, quòd deficiat Sacerdos, & Diaconus, qui Viaticum deferre possint infirmo in extremis constituto: numquam tamen audivimus Laicum, nec Subdiaconum hoc ministrasse Sacramentum. Et si hoc accideret, abs dubio grande sacrilegium, & non

minus scandalum esset. Et nota, quòd Sacerdos, & Diaconus possunt secum, quod aliis possunt. Unde si non adsit scandalum, potest Diaconus se communicare, estò non sit in mortis articulo: & pariter Sacerdos, si non habeat omnia requisita ad celebrandum, si ad hoc adsit sufficiens motivum.

DISPUTATIO V.

DE SUSCIPIENTIBUS EUCHARISTIAM.

DE hujus Sacramenti necessitate egimus disput. 1. quæst. 5. & de ejus permanentia adversus modernos Sectarios q. 6. Quare nunc solùm occurrit agendum de hujus Sacramenti susceptoribus, ac de dispositione debita ad illud recipiendum,

QUÆSTIO I.

*Quis possit Eucharistiam recipere?
& quinam arcendi sint à sacra
Communione?*

612 **D**uplicem continet partem quæstio præsens, ut ex ejus Titulo apparet. Pro utraque advertendum est, Eucharistiam quatuor modis recipi posse. Primò pure *materialiter*, id est, nec *spiritualiter*, nec *Sacramentaliter*. Sic sumitur, dum hostia Sacra recipitur, quasi esset materialis, & communis cibus, confundens corpus Domini cum cibo profano, & sic sumeret Infidelis, vel Hæreticus sine fide, vel impius ex contemptu, & qui sic recipit, *judicium sibi manducat, & bibit*, ait Apostolus. Secundò sumitur, ut Sacramentum, & *Sacramentaliter*, sed non *spiritualiter*, ut qui percipit Sacramentum ex vera fide, non tamen percipit ex eo fructum

propter obicem peccati mortalis. Tertiò *sacramentaliter, & spiritualiter*, ex sana fide, scilicet, & cum optima dispositione: Tunc enim recipit effectum Sacramenti. Quartò denique, *spiritualiter, & non sacramentaliter*, & ita evenit, dum quis optime dispositus ad ritè communicandum, pioque affectu desiderans Sacramentum, à reali ejus receptione se abstinet, vel ex impedimento inculpabili, vel ex humilitate. Quærimus ergo in præsentì de subjecto capaci communicandi *sacramentaliter, & spiritualiter*. Et suppono, id pertinere solùm ad hominem viatorem, & baptizatum: nam Baptismus est janua omnium Sacramentorum. Unde Infideles, & Catechumeni excluduntur ab hoc Sacramento: quia hic est panis filiorum, non mittendus canibus. His breviter prælibatis.

Pri-

Prima Conclusio.

613 *Olim infantibus post Baptismum conferebatur Eucharistia, & etiam perpetuò amentibus: hodie vero non licet, in Ecclesia Latina saltem.* I. Conclusionis pars ostensa est disput. 1. quæst. 5. ubi ostendimus, præcipuè inter argumenta solvenda, prioribus sæculis Eucharistiam immediate post Baptismum parvulis conferri, quam consuetudinem Tridentinum non damnat; sed sess. 24. cap. 4. dicit: *Non idèd tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit.* Vide ibi. Pariter ostendimus conclus. 1. præcit. quæst. 5. Talem Eucharistiæ susceptionem parvulis necessariam non fuisse. De Parvulorum communionem quemdam singularem casum refert S. Cyprianus, nempe, quòd parvulus, qui de pane, & vino coram Idolo sumpserat, nequaquam postea delatus in Ecclesiam, potuit deglutire Eucharistiam. S. Gregorius lib. 1. de Sacramentis de Infantibus dicit: *quod non prohibentur lactari ante communionem, si necesse fuerit.* Hæc praxis adhuc vigeat sæculo XI. tempore Hugonis à S. Victore, qui scribit: *Pueris recensnatis idem Sacramentum in specie sanguinis esse ministrandum digito Sacerdotis.* Secunda conclusionis pars, nempe, de perpetuò amentibus, constat ex Concilio Arausicano I. ubi habetur: *Amentibus quæcumque sunt pietatis, conferenda sunt, maxime si possunt prodesse, ut hoc Sacramentum.* Et quidem non est major ratio de parvulis ante usum rationis, quàm de his amentibus, qui quoad hoc, perpetuò sunt infantes: non igitur sunt incapaces, nec infantes, nec perpetuò amantes hujus Sacramenti, cum hæc fuerit Orientalium Ecclesiarum praxis. Græci enim, & Siri disciplinam hanc adhuc retinent, teste P. Berti, ob quod ab aliquibus Orientalibus reprehenduntur. Verum non

videtur reprehendendum, quod per plura sæcula universaliter obtinuit, & quod Romana Ecclesia permittit: nec fovenda sunt schismata ob variabilem disciplinam, ait prælaudatus Berti. Sæculo autem XIII. & etate S. Thomæ, ut ipse asserit quæst. 70. invaluit opinio, affirmans, Pueris Eucharistiam non esse porrigendam, quod in Occidentali Ecclesia servandum est firmiter, & constat expressè ex Ritualibus Ecclesiæ. Idem est de amentibus, qui numquam habuerunt usum rationis.

614 *Sed cur abolita fuerit consuetudo pristina?* non una est causa. Prior est, quòd Pueruli non percipiunt, quid sumant, ac devotione carent: in re autem minimè necessaria ad salutem, præponderari debet reverentia tanti Sacramenti, cuius defectu parvuli nullum patiuntur detrimentum spirituale. Altera est, quòd infantes nequeunt *speciem panis digerere*, speciem autem vini facile vomendo ejicerent. Unde plurimæ essent irreverentiæ. Denique usus communicandi parvulos fortè incepit ex opinione judicante, illos sine receptione reali corporis, & sanguinis Domini non posse salvari: quæ opinio proscripita est, ut omnino falsa, à Tridentino sess. 21. can. 4. sic definiente: *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem: anathema sit.* Rationem reddit Synodus cap. 4. ut videri est quæst. 5. cit. conclus. 1. De amentibus, qui numquam habuerunt rationis usum, eadem, ac de parvulis, habenda est ratio. Si autem aliquando fuerunt compotes sui, & erga hoc Sacramentum devotionem aliquam exhibuerunt, non debent in morte privari Viatico, ex Can. 76. Concilii IV. Carthaginensis in sexto secundæ parti Decreti 26. quæst. 6. cap. *Is, qui pœnitentiam.* Per dicta solvuntur objecta aliqua non multæ considerationis. *Sed quid sit dicendum, de mutis, & surdis?* Respon-

pondeo, quod si per nutus, aut signa præferant conceptum de peccatis dolorem, piamque animi præparationem, atque Sacramenti tanti cognitionem, Eucharistiam denegandam non esse, in quo prorsus consentiunt omnes.

615 Dices I. De jure divino Eucharistia non debet dari, nisi his, qui possunt se probare, ut de pane illo edant &c. sed infantes, & perpetuo amentes non possunt se ipsos probare: ergo hujus Sacramenti non sunt capaces. Quomodo ergo Ecclesia hoc permisit, & fortè permittit? 2. Si hujus Sacramenti sunt capaces de se, injustè negatur ipsis; quia magna privantur gratia. 3. Concilium Carthaginense IV. jubet, Pœnitentiam, & Eucharistiam dari infirmo, qui postquam petiit, & cum Sacerdos venit, oppressus infirmitate, obmutuit, vel incidit in pœnesim: ergo idem est de amentibus. Ad primum dico, majorem esse intelligendam de his, qui possunt habere obicem gratiæ, non pro non potentibus talem obicem habere, uti sunt pueri, & amentes, qui sunt incapaces peccati, & ideò non egent examine, nec dolore. Ad 2. dico, quod cum augmentum gratiæ non sit eis necessarium ad salutem, meritò per subtractionem Sacramenti consultitur ejus dignitati, & vitantur profanationes, ac graves irreverentiæ. Ad 3. distinguo consequens: Si post petitum Sacramentum sanamente, ac devotione, incidant in amentiam, & non sit periculum vomitus, aut ejectionis, vel alterius profanationis, aut gravis inconvenientis, concedo: de amentibus perpetuis, qui numquam usi sunt ratione, nego: nam Concilium de his non loquitur. Solutio hæc ad litteram desumpta est ex Catechismo Romano. Hic Catechismus, postquam docet, Pueris ante usum rationis Eucharistiam non esse tribuendam propter rationes à nobis allatas, loquens de tempore convenienti, ut communionem accipiant, ita ait: *Qua ve-*

ro etate pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit, quàm Pater, & Sacerdos, cui illi confitentur peccata. Ad illos enim pertinet explorare, & à pueris percontari, num hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint, & gustum habeant?

Secunda Conclusio.

616 *Sacra Communio denegari debet Theatricis, & histrionibus, donec resipuerint à tali comertio, & negotio. Et etiam publicis peccatoribus, nempe, Usurariis, Raptoribus, adulteris, & meretricibus, qui in Ecclesiæ scandalum à gravioribus criminibus, etiam admoti, ut resipiscant, abstinere recusant, & nolunt.* Prima conclusionis pars expressè docetur à D. Cypriano Epist. 60. ad Euchratium, inquirentem, quid Cypriano videretur de quodam histrione, qui apud eos constitutus, in ejusdem adhuc artis suæ dedecore perseverabat, & Magister, & Doctor, non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod malè didicerat, cæteris quoque insinuabat? Respondet S. Cyprianus: „ Puto, nec „ Majestati divinæ, nec Evangelii „ cæ disciplinæ congruere, ut pudor, „ & honor Ecclesiæ tam turpi, & „ infami contagione foedetur. Nam „ cum in lege prohibeantur viri in- „ duere muliebrem vestem, & ma- „ ledicti hujusmodi judicentur, quan- „ tó majoris est criminis, non tan- „ tùm muliebra indumenta accipere; „ sed & gestus quoque turpes, & „ molles, & muliebres, magisterio „ impudicæ artis exprimere? Ex quibus apparet, resolutionem nostram intelligi de histrionibus impudicis, & sua arte impudica edocentibus. Unde, ut observat S. Aug. lib. 2. de Civitate Dei cap. 14. *Romani ab omnibus honoribus repellunt homines scenicos, putá, tamquam infames, & indignos societatis humanæ: ergo multó magis indigni censeri debent*

sa-

sacrorum mysteriorum participatione. Hinc Concilium Trullanum Can. 51. & Eliberitanum Can. 62. & Arelatense cap. 5. hujusmodi homines à Sacra Communionem removent. Sic inquit Arelatense: *de Theatricis ipsos placuit, quando agunt, à communione separari.* Denique jus Civile infamia notat illos, qui talem artem in scenam prodierint. Secunda conclusionis pars constat ex Clemente, lib. 2. constitut. cap. 45. Unde Chrysostomus homil. 85. in Matth. Sacerdotes alloquens ait: „ Non parva vo- „ bis imminet pœna, si quem ali- „ qua improbitate teneri scientes, ei „ hujus mensæ participationem per- „ mittatis: Sanguis enim Christi de „ manibus vestris exquiretur. *Subdit „ verò: non de ignotis, sed de notis hoc disputo.* Eadem doctrinam sæpè, ac severè inculcat Augustinus, maximè lib. 50. homiliarum, homilia ultima cap. 12. Ratio etiam suffragatur: quia non debet Sanctum dari canibus: peccatores autem illi publici censentur canes ad vomitum suum sæpiùs revertentes. Sed notandum, quod peccatores illi censentur publici, quorum peccata nota sunt notorietate facti, & per sententiam Judicis, à quibus excluditur simplex suspicio, ut Theologi sentiunt unanimiter.

Tertia Conclusio.

617 *Peccatori autem occulto publicè petenti Eucharistiam, non est deneganda coram his, qui ejus peccatum ignorant.* Probat: quia talis habet jus petendæ communionis, utpote cum sit baptizatus, adultus, & in possessione suæ famæ, quantum ad publicam estimationem: ergo sine injuria, & scandalo non potest ei denegari communicatio. Confirmatur exemplo Judæ, quem ipse Dominus communicavit, ut communiter asserunt Doctores, quamvis ejus peccatum, aliis occultum, ipse novisset. Deinde: In administratione publica

debet quis sequi scientiam publicam, non privatam; sed talis est, quam Sacerdos habet de illo peccatore, eo in loco, in quo peccatum non est diffamatum: ergo eam sequi debet. Nec obstat quod ipse existens in peccato mortali injuriam irroget Sacramento; quia injuria, quæ Sacramento fit, est injuria latè sumpta, redundans in ipsum delinquentem, ex qua Sacramentum non patitur, nec quidquam aufertur contra justitiam strictè sumptam; quinimo totum damnatum in eum redundat, qui irreverentiam infert. Unde fama peccatoris occulti cadit sub obligatione justitiæ, ne tollatur, nisi à Judice, & ejus occurtatio non infert damnum alteri contra justitiam strictè sumptam. In casu verò, quod peccatum alicujus redundet in damnum alterius, tunc tollitur jus ejus celandi propriè dictum secundum justitiam; quia non habet tale jus cum damno alterius, ait Hiquæus d. 3. q. 2.

618 *Sed quid dicendum, si peccator occultus privatim communionem petat? Respondeo, ei esse denegandam.* Ratio est, quia in eo casu negatio communionis non est actus publicus, sed privatus, & regulatur per scientiam privatam. Neque inde fit peccatori injuria aliqua; quia non diffamatur, cum in privata tantum scientia Sacerdotis ipso suo facto sit fama privatus. Parificatur exemplo illius, qui accederet privatim ad Judicem, petens, ut ei solvi curet aliquid à debitore, quem talis Judex novit, non debere: quia scit aliàs solutum esse, quamvis pars id non possit probare. Tunc enim rectè repelleret petitionem; sed tamen in foro publico, in quo probatur per instrumentum, & testes, talem asserentes esse debitorem, neque constat de solutione, tenetur solutionem admittere. Sic in proposito, bonum publicum, qualis est Eucharistia, publicè petitum tenebitur Sacerdos dispensare, sed non privatim indignè petenti. Sed dicitis: inde sequit

Epis-

Episcopum teneri admittere publicè ad Ordines, quem privatim indignum novit. Respondet Hiquæus negando assumptum: quia Episcopus ex justitia tenetur promovere bonum suæ Ecclesiæ, & scandala submoovere. Unde, qui indignus est, non habet jus petendi promotionem in præjudicium Populi, & Ecclesiæ, in qua damnum redundaret. Deinde Episcopus est Judex potens processum instituire, & eo convicto per testes, sententiam declarativam suæ inhabilitatis proferre. Et certè causa pacis ita expedit; quia aliàs sæpè aliqui ex malitia, aut invidia essent diffamati, & per leves occasiones subtraheretur Sacramentum Ordinis injustè. Eam verò auctoritatem Sacerdos non habet. Excipiendus tamen absolutè arbitror casus, dum crimen notum est Sacerdoti per solam Sacramentalem confessionem. Si enim tunc peccatori communionem etiam privatim denegaret, sigillum confessionis frangeret, Sacramentumque odiosum redderet, quod propter ullam causam, numquam licet. Sententia hæc verissima debet esse apud omnes, quamvis Durandus, Estias, & Natalis Alexander, videantur oppositum sentire, docentes, tunc casus Sacerdotem debere, peccatorem illum in occulto petentem communionem, non communicare. Tribuitur etiam D. Thomæ qui in 4. dist. 9. artic. 5. quæst. 1. ita scribit: " Si Sacerdos, sciat peccatum alicujus, qui Eucharistiam petit, per confessionem, vel quolibet alio modo, distinguendum est; quia aut peccatum est occultum, aut manifestum? Si est occultum? aut exigit in occulto, aut in manifesto? si in occulto, debet ei denegare, & monere, ne in publico petat." Huic igitur opinioni non videtur acquiesci posse sine fractione sacramentalis sigilli, quod numquam licet.

619 *Quid sentiendum de afficiendis extremo supplicio? & quid de mortuis?* Ultimo supplicio plectendis de-

negata est aliquando Eucharistia præsertim in Gallia, & in Hispania. Hunc morem servatum fuisse in Hispania, ut damnati, nempe, ad mortem saluari privarentur Viatico, scribit Dominicus Soto in 4. dist. 12. quæst. 1. In Gallia autem adhuc perseverat, ait P. Berti citans Merbesium, qui hujus consuetudinis aliquas profert rationes, quarum hæc sunt præcipuæ. 1. Quia cruciarii, & furciferi plerumque scelera detestantur timore supplicii. Unde meritò dubitatur; an capaces sint Sacramentalis absolutionis? quæ etiam summa benignitate impartitur illis. 2. Quia illis sunt monstra quædam ex omnium scelerum colluvione concreta, atque ut plurimum adeo perditæ, ut neque Deum revereantur, neque homines. 3. Quia accepto mortis nuntio, ita consternantur, ut destituti appareant rationis usu. Deinde injuria est maxima, quæ corpori Christi irrogatur, si trajiciatur in corpus omni libidine conspurcatum, & sanguine, cædibusque respersum. Denique turpissimum est, si cum dedecore, & ignominia, tortoris manu corpus illud tractetur, quod nuper excepit supremum Regem.

620 Sed argumenta hæc nihil probant. Non 1. quia percussis timore quamoptimè potest Deus contritionis gratiam largiri, & ut ait Ambrosius lib. 2. de pœnitent. cap. 3. & habetur cap. *Potest fieri* de pœnit. dist. 1. §. *Sicut semel*, tribui debet *Dominici corporis Sacramentum, quotiescumque peccata donantur.* Nec 2. quia apud Deum ablutus Baptismi, aut Pœnitentiæ lavacro, *super nivem dealbatus est.* Nec 3. quia subitissimum supplicium, corroboratur Cœlesti pane, ut possit cum morte luctari: neque nos asserimus, dandam communionem insanienti, aut in furorem dejecto, aut desperationem. Nec denique ultimum, quia *species Sacramentales*, juxta dicta ad finem disput. anteced. dub. 4. exigui temporis intervallo mutantur: ac potior est

est


est apud Deum salus morientis, quam infamia mortis: hanc enim, & ipse subit innocens pro animarum redemptione. Præterquamquod à piis Judicibus, & Magistratibus, quibusdam in locis, ut in Hispania, tribuitur capitis damnato, ne illa die afficiatur supplicio, qua Sacratissimum sumpsit Domini corpus: quam consuetudinem laudat S. Carolus in 5. Synodo Mediolanensi, part. 1. cons. tit. num. 9. Quare:

621 Dico 1. *Eucharistiam extremo supplicio afficiendis non esse denegandam.* Probat ex cap. *quæsitum est*, dist. 13. quæst. 2. num. 30. ubi definitur: *lis, qui pro suis sceleribus in patibulis suspendantur, communionem in finem secundum canonicum jussum dandam esse.* Idem habetur in Concilio Moguntino can. 27. aliisque in Conciliis. Confirmat sententiam nostram praxis Italiæ, Hispaniæ, & fere ubique gentium servata. Extat etiam Constitutio Caroli V. Regis Galliæ, quæ mandat, ne Eucharistia damnato ad mortem negetur. Nec contraria consuetudo videtur retinenda ex rigore antiquioris disciplinæ: Tum; quia in primis Ecclesiæ sæculis rationes pro illa supra adductæ potuerunt esse alicujus roboris, & nunc jam nullius sunt efficacitatis. Tum: quia in Gallis ante annum 1396. denegabatur suspensio necandis absolutio, etiam Sacramentalis, ut observat Joannes Morinus lib. 10. de pœnitent. cap. 1. quod, citato anno Caroli VI. decreto fuit abrogatum. Tum denique; quia quid sit de consuetudine, fortè adhuc in aliqua regione pro aliquo speciali delicto remanente, S. Pius in constit. edita pro confraternitate nationis Florentinæ, instituta in Urbe ab Innocentio VIII. ad confortandos sententia Judicis morituros, concedit, quòd si tales sint dispositi, confortentur Sacra Communione. Idem asserendum est, de omnibus, quantumvis scelestissimis, qui proximi morti pœnitentiam agunt, nec ra-

Tom. II.

tione destituti sunt, indulgentia, & benignitate plucium Concoilliorum.

622 Dico 2. *Eucharistia non est ingerenda ori defunctorum: nec collocanda supra eorum pectus.* Utrumque aliquando fuisse in usu, ex variis historiis comprobatur. S. Gregorius Magn. lib. 2. Dial. cap. 24. narrat, sepultam Eucharistiam, positamque fuisse jussu S. Benedicti supra pectus cujusdam Monachi, cujus corpus terræ mandatam, sequenti die repertum est extra tumulum, Aliquando usitatum fuisse, ut sacrum Christi corpus collocaretur supra pectus Episcopi, vita functi, demonstrat ex Beda eruditus Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorii, Originem dandi mortuis communionem, repetit Lupus in can. 83. Concilii Trullani, hac causa, quam Dialogi S. Gregorii insinuant, nempe, ne cadavera, è sepulchro ejicerentur: ne Dæmones in defunctorum corpora baccharentur, ac furerent: & qui vivi Eucharistiam non ceperant, juvarentur saltem præsentia sancti Viatici in morte. Sed quæcumque fuerit origo talis consuetudinis, de quo Authores historici, certissimum est, hoc esse ab Ecclesia strictissimè prohibitum: pro quo inter alios stat Can. 8. III. Concilii Trullani, dicens: *Nemo mortuorum corporibus Eucharistiam communit: scriptum est enim, accipite, & comedite. Mortuorum autem corpora non possunt accipere, nec comere.* Abiit pariter in desuetudinem mos collocandi Eucharistiam supra pectus defunctorum: ipsorumque quieti satis consultum est benedictione cæmeteriorum, aqua benedicta, & oratione Sacerdotum, dum sepultura traduntur.



Mm

QUÆST.

QUÆSTIO II.

An communio sub utraque specie potuerit prohiberi ab Ecclesia? & an iustis de causis fuerit prohibita?

623 **C**hristum Dominum Sacramentum Eucharistiæ instituisse sub utraque specie, panis, scilicet, & vini, certissimum est, constatque ex ejus institutione. Patet est certum, quod ab Ecclesiæ primordiis per plura sæcula fideles omnes sub utraque specie communicabant, ut distinguere possent à Manichæis, qui efficientes, vinum esse fel Draconum, & à Diabolo ad hominum perniciem inventum, asseruerunt, illud bibi non posse sine sacrilegio. Propterea à communione sub specie vini se abstinebant, ut expressè refert S. Leo, serm. 4. de *Quadragesima*. Hic Manichæorum error, & pessimus ritus, cum adhuc vigeret tempore Gelasii Papæ, præcepit, ut refertur dist. 2. de *consecrat.* sumendam esse utramque speciem, quam integrum Sacramentum appellat: non quia unaqueque species quoad rem contentam non sit integrum Sacramentum: sed quia integra significatio sacramentalis, non nisi in utraque specie distincte, & perfecte elucescit: Vide dicta disput. 1. quæst. 8. §. *Argumenta, quæ militant.* Certum etiam est, hæc posterioribus temporibus Ecclesiam prohibuisse Laicis, & Clericis non celebrantibus, usum Calicis, ut constat ex Conciliis Constantiensi, Basilensi, & demum Tridentino, sess. 21. can. 2. ubi anathemate damnat eos, qui dixerint: *Ecclesiam Catholicam non iustis causis, & rationibus adductam fuisse, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret.* Sed verò statim ac legem illam Ecclesia tulit, nonnullis permissi posse pronuntiavit, quod tunc

prohibebat iustis de causis. Et de facto Martinus V. Romam reversus è Concilio Constantiensi, fertur, Laicis tribuisse communionem sub utraque specie. Concilium Florentinum morem Græcorum sub utraque specie communicantium non improbat. Et denique Tridentinum sess. 22. in fine docet, Ecclesiam Catholicam in administratione, & usu Eucharistiæ, Christianorum paci, & utilitati consulere studuisse, nec illam à permissenda sumptione calicis, ita esse alienam, ut de illo præcepto aliquid id gratiam, & consolationem Nationum, & Regnorum remittere parata non sit, si quoad dogmata, & veram fidem, & sinceram obedientiam in petentibus inveniret. His adversis, referendi sunt errores, ut contra Hæreticos decidamus questionem. Waldenses hæretici asseruerunt communionem sub utraque specie indispensabilem esse ad salutem omnium, & singulorum fidelium, atque ita præceptam esse à Christo. Eundem errorem renovaverunt Bohemi circa annum 1412. Ducibus *Petro Dresdensi, & Jacobo Misniensi.* Hos, studio impugnandæ Romanæ Ecclesiæ, secutus est *Martinus Lutherus*, qui lib. de Captivitate Babilon. non erubuit scribere, omnes, qui Laicis communionem sub utraque specie denegant, impios esse. *Æquali audacia, ac non minori impudentia, & ignorantia subscribit Calvinus lib. 4. instit. cap. 7.* Contra errores hos omnes veritate præliando.

Prima Conclusio.

624 *Non tenentur præcepto divino ad communionem sub utraque specie, tam Laici, quam Sacerdotes, non conficientes.* Conclusio est de fide, definitaque in Concilio Constantiensi sess. 13. expressis verbis. Consonat Tridentinum sess. 22. cap. 2. ubi cum declarasset, in Ecclesia perpetuò fuisse potestatem, ut in Sacramentorum administratione, salva il-

lo-

lorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret, prosequitur. Quare agnoscens S. Mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianæ Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset: tamen progressu temporis latissime jam mutata illa consuetudine, gravibus, & iustis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit: quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate prohibito mutare, non licet. In quibus Sancta Synodus docet, aliquando fuisse frequentem usum communicandi sub utraque specie: Ecclesiam habere auctoritatem immutandi talem consuetudinem, aut aliam similem, iustis, ac gravibus causis: de factoque adducta iustis de causis illam reprobavit: consuetudinemque communicandi sub altera specie, seu in una tantum approbavit, & legem ad hoc adimplendum statuit: & demum declarat, neminem, præter ipsammet Ecclesiam, posse contra hoc facere, nec disponere.

625 Nunc jam contra Novatores probatur Catholica conclusio ex omnibus capitibus, quæ ipsi pertinaciter contra Catholicos adducere solent: Si communio necessariò esset faciendâ sub utraque specie, vel esset, quia id colligeretur ex præcepto divino Christi Domini, vel ex ejus facto, & exemplo, vel ex natura ipsius Sacramenti, vel denique ex assidua Ecclesiæ praxi; sed nullus ex his capitibus colligitur, nec inferri potest Sectariorum intentum; ergo. Major continet omnes vias, quas contra Catholicam doctrinam arripunt Novatores hæretici. Minor probanda est per partes, & primò quoad primam, nempe, communionem

Tom. II.

sub utraque specie non esse omnibus fidelibus necessariam ex Christi præcepto: Si esset aliquod præceptum divinum de communione faciendâ sub utraque specie, contineretur, maxime in illis verbis Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* vel ex illis Matthæi 26. *Bibite ex hoc omnes:* vel denique ex illis Lucæ: *Hoc facite in meam commemorationem;* sed ex nullis eorum colligi potest tale divinum præceptum: ergo. Major certa est, etiam apud ipsos Hæreticos. Probatur minor quoad verba Joan. quæ ex illis in omni sua proprietate intellectis, nihil aliud colligitur, quam quod teneantur homines ad Christi corpus manducandum, & sanguinem bibendum, quod in unius speciei sumptione fit, & verificatur, cum quælibet verè contineat corpus, & sanguinem Christi, imò & totum Christum: ergo sub qualibet sumitur corpus, & sanguis. Probatur minor principalis quoad secundam partem, videlicet, quoad verba Matthæi: *Bibite ex hoc omnes:* nam Christus verba illa, non dixit ad omnes fideles omnino, sed ad solos Apostolos, qui tunc cœnabant cum ipso. Unde Christus in illis verbis significavit, quod unus non sumeret totum Calicem, sed quisque illorum ita calicis partem hauriret, ut sic ex eo biberent omnes. Hinc legimus Lucæ 22. *Accipite, & dividite inter vos.* Et hoc ita fuisse impletum, testatur sic Marcus 14. *Biberunt ex hoc omnes.* Probatur denique primò minor, quoad tertiam partem: Hoc divinum præceptum colligi non potest ex illis verbis, *hoc facite in meam commemorationem:* ergo. Prob. anteced. nam apud Lucam 22. & apud Paulum, 1. Corinth. hæc verba absolutè referuntur post panem consecratum, & ante calicis consecrationem. Unde Apostolus ea repetens post calicem consecratum, dicta refert, non absolute, sed hypoteticè, sic: *hoc facite*

Mm 2

quo-

quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Ex quibus apparet, quod usus calicis non præcipiatur absolute, sed quod bibens calicem, quotiescumque id contigerit, fiat in memoriam Christi, & mortem ejus annunciet. Apparet etiam ex illis verbis, usum calicis perpetuo esse retinendum in Ecclesia, ut mortis, & passionis Christi recolatur perpetua memoria. Non verò sequitur, quod ab omnibus, & singulis, hoc sit faciendum, sed dumtaxat à Sacerdotibus, quos tunc Christus ordinabat in Sacerdotes in persona Apostolorum.

626 Probatur jam tale præceptum divinum non colligi ex facto Christi, nec ex natura ipsius Sacramenti: nec denique ex assidua Ecclesie praxi. Siquidem ex solutione argumentorum, quæ Hæretici in Catholicos objiciunt, apparebit amplius, genuinam esse intelligentiam supra allatam Sacrorum Textuum. Probatur igitur non colligi ex Christi facto, atque exemplo: nam tunc temporis nedum Christus Sacramentum instituit, sed etiam Sacrificium obtulit: ac proinde præbebat ritum sacrificandi, quem Ecclesia sequitur exactè, dum obligat Sacerdotes ad utriusque speciei consecrationem, & sumptionem: igitur non ad omnes fideles, sed ad solos Sacerdotes, qui Sacrificium conficere valent, ex facto, & exemplo Summi Sacerdotis Christi, attinet communicatio utriusque speciei. Confirmatur urgenter: Non omnia, quæ ibi Christus gessit, facienda præcipit singulis fidelibus in Eucharistia suscipienda: quod nec Calvinus negat, nec diffiteri possunt Hæretici: ipsi quippe nec pedes lavant, antequam dant suam Eucharisticam cœnam: nec serotinis horis, uti Christus fecit, & post cœnam accipiunt: nec tantum cum duodecim viris, sicut Dominus, & nullis præsentibus mulieribus: ergo ex facto, & exemplo Christi non potest colligi præceptum Eucharistiæ su-

mendæ sub utraque specie: non quippe hac in re potius videtur imitandus Salvator ab omnibus fidelibus, quam in aliis ritibus, quos ibi servavit, nec tamen ab Ecclesia servandos esse voluit. Patet etiam paritate, quam D. August. Epist. 118. adducit de Eucharistia nunc à jejunis sumenda, [salvo articulo mortis, aut alio casu particulari] quamvis Christus Apostolis non jejunis eam dederit,

627 Deinde, quod ex natura Sacramenti Eucharistiæ tale divinum præceptum communionis sub utraque specie pro omnibus fidelibus nullo modo colligi licet, probatur sic: Communio sub unica specie continet, & complectitur, quidquid complectitur sub duplici specie; sed hoc stante, nullo modo est fidelibus necessaria sub utraque specie ex natura Sacramenti: ergo. Minor certissima est: si enim unam tantum speciem recipiens, consequitur, & accipit omne, quod accipit, & consequitur, qui utram recipit speciem, quomodo, vel ad quid ei erit necessaria, ex natura Sacramenti communicatio utriusque speciei? Tota igitur difficultas stat in majori propositione. Probo illam: Sacramentum Eucharistiæ tria maximè complectitur, nempe, signum, rem significatam sub signo, & fructum, id est, illius effectum; sed communicatio sub unica specie omne id complectitur: ergo. Minor quoad omnes ejus partes est indubia: nam species panis est signum practicum significans, corpus Christi sub illa veraciter contineri. Deinde sub illa totus, ac integer Christus continetur, ut fide est certum, & à nobis pro dignitate resolutum contra Hæreticos disp. 3. quæst. 1. Et magis ad rem præsentem quæst. 6. resolut. 5. ubi diximus, quod totus, & integer Christus est veraciter sub specie panis, & sub specie vini, hoc est, tam in hostia, quam in calice. Modus autem, quo hoc in Sacramento evenit, videas ibi. Item: una-

quæ-

quæque species seorsim sumpta significat Christi Domini passionem, ac mortem: nam panis repræsentat corpus separatum à sanguine, & vinum sanguinem separatum à carne, & velut extra venas corporis. Significat etiam unaquæque species refec-tionem animarum, ac unionem fidelium, Apostolo dicente: *unus panis, unum corpus multi sumus in Christo.* Denique: effectus proprius Eucharistiæ est vita consumata; sed hanc consequuntur fideles sub una tantum specie communicantes, ut constat ex verbis ipsius Domini: *Qui manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: panis, quem ego dabo caro mea est pro mundi vita:* non igitur ad hujus Sacramenti fructum, & effectum necessaria est usiusque speciei communicatio: atque adeo de illa facienda non est fidelibus impositum divinum præceptum.

628 Restat unicè convincere contra Sectarios ex assidua Ecclesie, & inviolata praxi, non colligi tale divinum præceptum ab illis confectum. Veritas hæc demonstratur ex eo, quod licet verum fateamur, fideles aliquando, & maximè in aliquibus Nationibus, in utraque specie communicasse: hic tamen usus non fuit adeo inviolabilis, & universalis, quod multoties non communicarent etiam sub una tantum specie, & priscis temporibus commendatus, & laudatus fuit usus unius tantum speciei. Plura ad hanc veritatem confirmandam veteris Ecclesie monumenta invenies apud Authores, qui contra Hæreticos pugnare, ex quibus nos-ter Frassenius non pauca eruditè adducit. P. Berti lib. 33. de Theologicis disciplinis c. 5. prop. 2. demonstrat ex Patribus antiquis in Ecclesia Occidentali, etiam ante duodecimum sæculum Eucharistiam frequentissimè sumi sub unica specie panis. Et prop. 3. probat monumentis validis, quod etiam in Ecclesia Orientali, aliquando Græci communicant sub una tantum specie: igitur non potest col-

ligi ex Ecclesie praxi divinum præceptum communionis sub utraque. Sed ultra probatur urgentissimè: nam ab ipsis etiam Apostolis frequentatam videmus communionem sub unica specie: siquidem act. 2. dicitur: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communione fractionis panis.* Per fractionem autem panis, Eucharistiæ participatio intelligitur, juxta illud ad Corinth. 10. *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Cùm igitur ibi nulla fiat mentio calicis, argumentum satis convincens est, Apostolos aliquando Eucharistiam administrasse una tantum specie. Confirmatur: quia tunc inter fideles erant plures Nazaræi, Act. 22. *Sunt nobis viri quatuor habentes votum super se,* quibus Apostoli permittebant tunc observantiam legis. Nazaræis autem interdictum erat vinum, ut patet ex his verbis Num. 6. *A vino, & omne, quod inebriare potest, abstinebunt.*

626 Roboratur ex antiquissimo Ecclesie ritu, quo constat Eucharistiam fidelibus tradi solitam, ut eam secum deportarent, non solum domum, sed etiam in itineribus, in solitudinem &c. de quo aliqua protulimus testimonia disp. 1. ad finem, quæst. 6. loquendo de antiquo usu, & ritu, erga Eucharistiam servandam. Item: Calix numquam in manu Laicorum dari erat solitus, sed quando communicatio fiebat sub duplici specie, per manus Diaconorum ministrabatur Laicis: at verò species panis trahebantur in manibus, etiam mulieribus, licet non immediatè, sed mediante mundissimo Linteolo, de quo stat luculentum Augustini testimonium, alibi jam à nobis adductum: *Omnes viri, quando communicari desiderant, lavant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi corpus Domini accipiant.* Ad hunc morem alludit Concilium Antissiodorense, ubi can. 39. legitur: *Unaquæque mulier, quando communicat Dominicalem suum (mundissimum*

lin-

lintheum ad Domini corpus accipien- dum) *habeat : aut si non habuerit, usque in alium diem Dominicum non communicet.* Ex quo antiquissimo more Ecclesie certò colligitur, unam tantum speciem multoties fuisse Lai- cis concessam, vel domum deportan- dam, vel peregrinantibus in regiones remotissimas : non enim fit credibile, utramque speciem sic deportari. Nec responderi valet, speciem pa- nis intinctam fuisse sanguine Domi- ni, quemadmodum, dum celebrant Græci, facere solent: cum enim mu- lieres Eucharistiam nitidissimo lin- teolo reciperent, si species panis san- guine Christi fuissent madantes, Sa- crum illum liquorem linteolum ex- usisset, & aliqua guttulæ in terram, vel in vestem, defluere potuissent, quod magna diligentia præcavere il- li Antistites, & Patres, ut testan- tur August. lib. 50. hom. hom. 26. & Origenes in Exod. hom. 13,

Secunda Conclusio.

630 *Justissimè interdixit Eccle- sia Laicis communionem sub utraque specie : potest verò justa causa usum calicis concedere.* Prima conclusionis pars expressè constat ex Concilio Tri- dentino sess. 21. can. 2, ubi anathe- matizat eos, qui dixerint : *Ecclesiam Catholicam non justis de causis, & rationibus, adductam fuisse, ut Lai- cos, atque etiam Clericos non con- ficientes, sub panis tantum specie communicaret.* Justissimas has causas exprimit Catechismus Romanus num. 70. quibus expressis, & quæ in illo possunt videri, prosequitur. „ Deinde, quod maxime omnium ad rem „ pertinet, convellenda erat eorum „ hæresis, qui negabant sub utra- „ que specie totum Christum esse, „ sed corpus tantum exanguie sub „ specie panis; sanguinem autem sub „ vini specie tantum contineri, asse- „ rebant. Ut igitur fidei Catholicæ „ veritas magis ante omnium oculos „ poneretur, sapientissimo consilio,

„ alterius speciei, hoc est, panis „ communio inducta est. Præter has rationes, est alia mihi efficacissima, demonstrans, quod jure optimo, at- que omni æquitate, usus calicis sub- latus est, non Sacerdotibus : quæ ratio sic se habet : quod non est ne- cessarium ad salutem, sed *ad solam disciplinam* spectat, omni jure à Rec- toribus Ecclesie pro temporum cir- cunstantiis, & diversitate immuta- tur, & inhibetur, si ob Hæretico- rum pervaciam temerè, & audaci- ter propugnatur ad prava dogmata stabilienda; sed talis est usus calicis, & talis est audacia Hæreticorum : ergo. Minor quoad primam partem, nempe, usum calicis non esse prorsus necessarium ad æternam salutem, constat ex Sacris Litteris, ex Con- ciliarum definitionibus, atque ex om- nium sæculorum consuetudine, juxta quam, iis quoque temporibus, quan- do frequens erat utriusque speciei communio, parvulis, ægrotis, & illis, qui Ecclesiam non poterant adire; unica tantum species solebat porrigi. Minor quoad secundam par- tem apparet ex eo, quod Novatores abusi sunt usu calicis ad dogmatizandum, quod sub una specie non sit integer Christus: ob quod dicunt, commentum esse Pontificum, asse- rere, sanguinem contineri sub spe- cie panis, & corpus sub specie vi- ni. Item consequenter Novatores di- cunt, quod si fideles priventur spe- cie altera, defraudantur necessaria spiritus alimonia. Igitur omni æqui- tate Rectores Ecclesie, & Concilia, usum calicis pro non Sacerdotibus conficientibus, abrogarunt ob præ- dictum abusum, & ob arrogantiam, ac perfidiam Hæreticorum.

631 Secunda conclusionis pars, videlicet, quod Ecclesia possit jus- ta de causa calicis usum aliquibus concedere, constat ex eo, quod Pau- lus V. Bohemis concesserit hoc pri- vilegium, modo non adhæreant hæ- resi Petri Dresdensis, & Jacobi Mis- nensis. Simile privilegium Clemens VI.

VI. dicitur concessisse Regi Angliæ, anno 1341. Præterea numquam Ro- mana Ecclesia Græcos, & Orienta- les damnavit, eò quod passim su- mant utramque speciem. Unde Syno- dus Tridentina sess. 22. declaravit, spectare ad Romanum Pontificem exa- minare, an expediat, necne, Laicis perantiquum communionis usum per- mittere. Deinde de factò dum Sum- mus Pontifex solemniter celebrat, Cardinales, Diaconus, & Subdiaconus, qui ei assistunt Sacrafacienti, cum eo communicant sub utraque specie : ergo aliqua justa causa id exigente, potest Ecclesia eandem gratiam iterum concedere.

Tertia Conclusio.

632 *Non expedit, sublato ca- licis usum iterum Laicis permittere.* Probatur : Si id expediret, maximè foret, ut per hanc Ecclesie benignitatem, Ecclesie Protestantium di- vulsæ à nostra, quæ est Ecclesia ve- ra Christi, redirent ad unionem; sed hæc unio nullatenus, attentata illo- rum pertinacia, consequeretur: quia causa separationis, non est sola pris- tinæ consuetudinis abolitio, sed pra- vitas dogmatum, & pertinacia doc- trinae integrum Christum sub una specie negantium : ergo. Deinde: vel Novatores existimant usum calicis necessarium ad salutem, vel retinent, tamquam ritum indifferentem? Si pu- tant necessarium? Non est cur illis tam absurda opinione assentiamur. Si credunt indifferentem? cur potius ipsi non recedunt à variabili disci- plina, ut obtemperent statutis verè Ecclesie, ne ab ea separati sacrile- gè, & inutiliter participent Sacra- menta, quæ prodesse nequeunt ex- tra unitatem corporis Christi? Insu- per, cum Romani Pontifices Pius IV. præsertim, cum quibusdam per Germaniam Laicis calicem conces- sisset, quidam adeo abusi sunt tali humanitate, ut hoc prætextu susci- tarent damnatam Jacobellianam hæ-

resim : quod impulit S. Pium V. & Gregorium XIII. ad revocandam Pii IV. concessionem. Similis refertur casus tempore Martini V. qui cum in festo Paschatis Laicos communi- casset sub *utraque specie*, quidam Boemus cepit gloriari, approbatam sic fuisse à Romano Pontifice hære- sim Jacobelli : ob quod Martinus V. deinceps hunc ritum prætermisit: De- nique : etsi non omnes, quibus res- titueretur usus calicis, inducerentur in illam impiam, hæreticamque opi- nionem, *quod utraque species ne- cessaria sit ad salutem* : atque quod *in una totus Christus non continea- tur* : alii tamen Hæretici in suo fir- marentur errore, & jactarent, Ro- manam Ecclesiam sententiam suam retractasse, nec esse rerum creden- darum regulam irrefragabilem. His, & consimilibus rationibus, Orato- res illi, qui in Synodo Tridentina nomine quorundam Principum, ins- tabant pro usu calicis fidelibus res- tituendo, persuasi, & instructi, è petitione sua jucundè recesserunt: quamquam Synodus Sacrosancta pru- dentissimè declaraverit sess. 22. ad supremum Ecclesie Pastorem perti- nere, decernere, declarare, ac ex- pendere, quid hac in re agendum sit, ut dictum est num. anteceden- ti.

Argutia Hæreticorum infringuntur.

633 Primo urgent Hæretici ad- versus nos ea testimonia Scripturæ, quæ videntur præscribere singulis, etiam Laicis, utriusque speciei com- munionem. Joan. 6. *Nisi manduca- veritis carnem filii hominis, & bibe- ritis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ubi particula & utramque speciem copulat, & com- plectitur, & verba ipsa continent expressè præceptum divinum. Deinde: quemadmodum Christus porrigens pa- nem, inquit Matth. 26. *Accipite, & comedite*, ita versu proximo porri- gens calicem, ait : *Bibite ex hoc om-*

omnes, ubi notanter addit signum universale omnes, ne à calicis communioni e excludantur Laici: ergo cum Apostoli in ultima Cœna universam repræsentarent Ecclesiam ambigendum non est, quod præceptum impositum ad omnes pertineat. Paulus item ex traditione Domini commendat utramque speciem 1. ad Corinth. ubi tam de pane, quam de calice ait, Dominum dixisse: *Hoc facite in meam commemorationem.* Hoc Apostolus repetens vers. 26. inquit: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Et vers. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* His accedit Concilium Turonense, quod, teste Ivone, asserit, Eucharistiam distribui intinctam sanguine Christi, ut veraciter Presbyter possit dicere: *corpus, & sanguis Christi prosit tibi in vitam æternam.*

634 Argumentum hoc, maxime quoad præallegata verba Joan. solutum est disp. 1. quæst. 5. loquendo de necessitate Sacramenti Eucharistiæ. Ubi retulimus clarissimam expositionem Concilii Tridentini, per quam argumentum ibi objectum solvit. Solutum est etiam, quoad omnes textus in probatione prima conclusionis contra Novatores. Præterea: frustra Novatores opponunt nobis c. 6. Joannis, quod plerique eorum, & præ ceteris Calvinus, contendit lib. 4. instit. cap. 17. accipiendum esse de manducatione fidei, non oris. Deinde corrumpit argumentum, si cum Augustino, Innocentio, & Gelasio, verba illa, *nisi manducaveritis &c.* accipiantur de mystica manducatione, qua per Sacramentum regenerationis, seu Baptismi, Ecclesiæ inserimur, & effuso pro nobis sanguine ablui-mur. Corruit pariter, si dicamus, *sub specie panis*, sumi etiam sanguinem per venas in corpus diffusum: siquidem nec hæretici, qui nobis opponunt per antiquum usum panis in-

tincti, defendere possunt necessitatem bibendi, seu vini seorsum, & separatim sumendi. Sed ne recedamus à communi, firmissimaque responsione: Respondeo, negando, illis verbis: *nisi manducaveritis &c.* contineri præceptum divinum sumendi utramque speciem divisim. Etenim effectus, qui utrique speciei adscribitur, ubi tantum tribuitur, ut sess. 21. cap. 1. docet Tridentina Synodus, & nos pluries demonstravimus, præcipue dum docuimus, quod quæ unam tantum speciem recipit, accipit quidquid duplicem speciem communicat, quoad rem contentam, & significatam: & pariter dum docuimus, totum, & integrum Christum contineri sub quolibet specie, ut firmissime credunt Catholici. Unde qui manducat carnem, & panem vivum, sumit etiam sanguinem. Quapropter particula & in illo textu optime accipi potest disjunctive, non collective, ita quod sensus sit: *nisi manducaveritis, aut biberitis &c.* Qui modus loquendi frequens est in Scriptura. Sic Exodi 21. dicitur: *qui percusserit Patrem, & Matrem morte moriatur*, id est, Patrem, aut Matrem, nempe alterutrum. Actor. 3. *argentum, & aurum non est mihi*, id est, neque argentum, neque aurum. Et quod hæc unicé fuerit mens Salvatoris, egregie colligit Tridentinum allegatum disp. 1. quæst. 5. n. 114. Neque hæretici assignabunt locum aliquem Sacræ Scripturæ, ubi scriptum sit: *nisi manducaveritis, sub modo cibi, & biberitis sub modo potus.*

635 Ad textum Matthæi respondendum est per dicta contra Novatores num. 625. ubi explicatus est genuinus sensus Sacri Textus: ex illo etenim nihil inferri potest, nisi munus Sacerdotibus impositum consecrandi, & distribuendi fidelibus Eucharistiam. Unde repræsentabant Ecclesiam secundum ordinem Sacerdotalem institutum in ea, eo ferme modo, quo Primates, & Magistratus Rem-

Rempublicam repræsentant. Nec quodcumque Christus instituit, & fieri voluit, ad omnes æqualiter attinet: omnes aliás essent in Ecclesia Doctores, & Pastores, neque inter Clericos, & Laicos, esset ullum discrimen. Neque Christus ait Apostolis: *distribuite calicem*, sed tantummodo inquit: *Bibite ex eo omnes*, ut inde Sacerdotes colligerent, jussum utique sibi, ut de calice biberent, & sacrificium consummarent, sed non ut calicem distribuerent. Hoc enim postremum, nec mandavit, nec prohibuit, quoniam eorum arbitrio mutanda, & dirigenda reliquit, quæ non sunt omnibus necessaria, sed pertinent ad consuetudines, vel ceremonias. Unde verba illa: *Bibite ex eo omnes*, dicta sunt ad singulos Sacrificantes, quod apposite adnotarunt plurium versionum Authores, qui ita scripserunt ex Siriaca, Arabica, & Ætiopica: *Bibite ex eo omnes vos.* Perperam itaque extendunt Novatores ly omnes, etiam ad Laicos. Denique hæretici inepte argumentantur ex Apostolo: nam 1. ad Corinth. non præcipit, ut quisque calicem bibat, sed tantum *quotiescumque biberit*, id faciat in Christi commemorationem, abigens Sacrificia veteris legis, & mysteria novæ legis à communi mensa secernens. Similiter vers. 18. nihil aliud mandat, nisi quod dum Sacramenta suscipiuntur, digne suscipiantur. Ad ultimum dico, intinctionem illam, cujus canon ille meminit, reprobari à Concilio Bracharensi III. quod sub nomine Papæ Julii refertur à Gratiano de consec. disp. 2. Can. *Cum omne crimen.* Deinde interpretari potest benigne, decretum illud emanatum esse ad clariorem significationem corporis, & sanguinis Domini, quod utique fit per utramque speciem seorsim; non vero, quia necessaria agnosceretur ab illo Concilio communicatio utriusque speciei.

636 Secundó urgent Novatores contra nos plura dicta SS. Patrum, Tom. II.

qui disserté videntur affirmare, communionem sub utraque specie fieri solitam à fidelibus nascentis Ecclesiæ, necessario esse faciendam ad participationem Sacramenti integri. Justinus Apol. 2. ad Christianos, postquam descripsit, communionem faciendam sub utraque specie, subdit: *Apostoli in Evangeliiis ita sibi præcepisse Dominum, tradiderunt.* Cyprianus lib. 2. Epist. 3. inquit: *quidam vel ignoranter, vel simpliciter, in calicem Domini sanctificando, & Plebi ministrando, non hoc faciunt, quod Christus fecit, & docuit.* Augustinus lib. quæst. in Levit. quæst. 57. *ad bibendum sanguinem omnes exhortamur, qui volunt habere vitam.* Confirmant: invalidum, & mutilum est testamentum, ubi non reperiuntur omnia, testamento Christi omnibus Christianis legata; sed Christus singulis Christianis utramque speciem legavit testamento suo, ut apparet ex his verbis: *qui pro vobis, & pro multis effundetur: ergo.*

637 Respondeo, negando assumptionem. Ad S. Justinum dico, eum solum loqui de præcepto consecrandi sub utraque specie, non de præcepto communicandi, ut ex contextu illius apparet. Unde ly *præceptum* non cadit supra communionem in utraque specie, sed supra consecrationem. Ad S. Cyprianum dico, non agere illo loco de calice populo ministrando, sed de aqua miscenda vino consecrando. Quare statim subjungit: *Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo, Dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prius fecit, ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.* Deinde Cyprianus forte loquitur, juxta morem suæ Ecclesiæ, in qua consuetudo vigeat communicandi sub utraque specie. Ad Augustinum, aliosque similes aliorum Patrum loquendi modos, dicendum est, vel ipsos loqui, non de modo sump-tionis, sed de re sumenda: quo sen-

Nu su

su sanguis semper sumitur cum corpore, & corpus cum sanguine, juxta ~~supra~~ dicta, & juxta fidem: vel de solis Sacerdotibus consecrantibus loqui. Ad confirmationem, omissis aliis dicendi modis, nego minorem. Christus utique Ecclesiae testamento suo legavit corpus, & sanguinem suum, sed non sub utraque specie ab omnibus necessario sumendum, sed solum à Sacerdotibus sacrificantibus. Pro aliis solvendis.

DUBIUM RESOLUTUM.

An ex opere operato plus gratiae conferatur suscipienti utramque speciem, quam unicam?

638 Nonnulli ex orthodoxis scriptoribus in ea fuerunt sententia, quod etsi utraque species non sit necessaria ad salutem, ex utriusque tamen speciei communione uberior gratia percipiatur. Pro hac sententia, refert Pallavacinus in historia Concilii Tridentini lib. 12. cap. 2. steterunt in ipsa Sacra Tridentina Synodo Melchior Canus, Antonius Uglia, Franciscanus Hispaniensis, & Sigismundus Fedrius, ejusdem Ordinis. Haec eadem sententia tribuitur Alesii, & aliis Theologis, non vulgaris nominis. Patres vero Tridentini voluerunt hanc quaestionis partem definire. Solum declaravit Sancta Synodus erga usum calicis, pluribus nomine Christianorum Principum illum postulantibus, id spectare ad prudentiam Romani Pontificis, ut dictum est num. 633. opposita vero sententia est communior, ac longe probabilior.

639 Dico igitur: *communicanti sub utraque specie non confertur amplior gratia, quam conferatur communicanti sub unica.* Ex expressa Subtil. Doct. in reportatis 4. dist. 13. quaest. 2. num. 4. ubi ait: *Nunc autem non dispensatur sanguis Christi propter periculum effusionis, & propter scandalum, ne simplices crede-*

rent, majorem virtutem esse in duabus speciebus, quam in unica. Quibus in verbis, nedum docet Doctor, non recipere plus gratiae, qui duas species recipit, quam qui unam tantum, sed etiam declarat, unam ex rationibus, quare Ecclesia justè Laicis prohibuerit usum calicis. Idem docuit D. Thomas quaest. 80. art. 2. ad 3. Suadetur ratione: tum; quia ut definitum est in Tridentino sess. 21. can. 3. *sub una tantum specie continetur totus, ac integer, Christus, fons, & Author omnium gratiarum*: ergo communio sub utraque specie, nihil aliud habet supra communionem sub unica, nisi quod expressius, & distinctius significet refectioem animae, per modum cibi, & potus: in re autem, unam tantum speciem accipiens, corpus, & sanguinem Christi accipit. Expressior itaque, & distinctior significatio effectus Sacramenti non efficit effectum majorem, & ampliorem. Patet hoc in Baptismo: non enim plus gratiae tribuitur per ablutionem totius corporis, quam unius tantum partis, quamvis ablutio totius corporis distinctius significet ablutionem totius animae. Tum: quia si major gratia conferretur, vel esset ratione signi, vel ratione rei significata: Non 1. quia species Eucharisticae gratiam conferunt, non ratione sui, sed ratione rei contentae. Nec 2. quia nihil sub duplici specie continetur, quod sub unica non contineatur: Non ergo amplior gratia confertur, si adsit in suscipiente debita dispositio.

640 Oppones: Tum; quia Tridentinum sess. 21. cap. 3. docet, fideles sub altera tantum specie communicantes, *nulla fraudari gratia ad salutem necessaria*: ergo indicat, eos fraudari aliqua gratia ad salutem non necessaria. Tum: quia Clemens VI. in Bulla, qua concessit Regi Angliae, ut quoties vellet, sub utraque specie communicaret, ait, se id concedere ad *gratiae augmentum*: ergo censet plus gratiae confer-

ri

ri in receptione utriusque speciei, quam unius. Tum: quia distincta Sacramenti receptio distinctam producit gratiam sanctificantem in subjecto ritè disposito; sed communio facta sub utraque specie est distincta Sacramenti receptio: quælibet enim species seorsim ab alia habet rationem veri Sacramenti, diversisque verbis, diversaque materia consecratur: ergo. Ad 1. nego consequent. nam Concilium ibi tantum docet, id quod spectat ad fidem tenendam de communionem sub unica specie, & revincendum errorem hæreticorum, volentium, fideles non communicantes sub specie vini, privari gratia necessaria ad salutem: Liberum vero reliquit Theologis disputare de augmento gratiae non necessario ad salutem, ut dictum est num. 638. Ad 2. distingo consequens: censet plus gratiae conferri ex opere operato, nego: ex opere operantis, concedo: Præsumebat Pontifex, Regem in receptione utriusque speciei ampliorem devotionem habiturum, quam unius tantum, cum Rex hanc gratiam postularet summo pietatis affectu. Quod autem ex opere operantis plus gratiae possit conferri, dicetur, dum tractemus de effectibus hujus mirabilis Sacramenti.

641 Deinde, Bulla præcitata non videtur ita certa: nam data dicitur anno 1341. & anno sequenti Clemens evectus est ad Summum Pontificatum. Multi etiam contendunt, Bullam illam in favorem Regis Angliae fuisse concessam. Sed æquivocantur; nam ex historia Tridentini constat, quod post lectos quatuor Canones sess. 21. de communionem jam non faciendam à Laicis sub utraque specie an. 1592. mense Julio, probatisque per omnia canonibus, Legati Regis Galiae in hunc modum perorarunt: *si in illis nonnulla mutentur, postulamus, id fieri absque eo, quod præjudicium ullum fiat auctoritati, & prærogativæ Regis Christianissimi Retineant enim Galliae Reges, & post mil-*

Tom. II.

le, & amplius annos, quasi per manus acceperunt, ut quo die Regis insignibus ornantur, & consecrantur, Sanctissimi Eucharisticae Sacramenti communionem, sub utraque specie accipiant. Hoc fuit eis concessum; & ex eo constat, talem usum longe antiquiorem esse Clemente VI. Ad ultimum distingo minorem: si utraque species non ordinatur ad unicam spiritualem receptionem, concedo: secus, nego minor. Diversa itaque specierum susceptio distinctam gratiam operatur, quando ad eandem animae refectioem non ordinantur, quia sic habent rationem distincti Sacramenti: non vero quando ordinantur ad eandem animae refectioem. Si enim diversa corporis, & sanguinis Domini positio sub distinctis speciebus, semper distinctam gratiam produceret, sequeretur, quod qui varias particulas ejusdem hostiae consecratae sumeret, majorem gratiam haberet, quam qui unicam integram acciperet, cum sub qualibet particula totus Christus esset.

642 Quæres: *Cur Summus Pontifex solemniter celebrans ratione diversa ab aliis Sacerdotibus communicet?* Postquam etenim ad Altare consecravit utramque speciem, in Pontificali solio sumit dimidium hostiae, altera parte distributa inter Cardinalem, Diaconum, & Subdiaconum: pretiosumque sanguinem sugit aurea fistula. Hujus ritus singularis, prætermittis aliis rationibus, ea ratio plurimum mihi arridet, nempe, quod Pontifex in altari symbolum gerit Redemptoris nostri, quatenus in postrema Coena Eucharistiam consecravit, fregit, ac suis manibus Discipulis distribuit. In sublimi autem solio communicans contractam hostiam, & facie ad omnes conversa, typum gerit ejusdem Redemptoris palam in Cruce immolati, & clavis, lanceaque transfixi. In memoriam quoque passionis, & calami, quo Jesus fel, & acetum gustavit Pontifex fortassè, ea fistula utitur,

Na 2

quam

quam tamen apud veteres aliquando adhibitam invenimus, ad facilius sanguinem exugendum: de quo ritu loquitur Innocentius III. lib. 6. *Myst. Missæ* cap. 9.

QUÆSTIO III.

De dispositionibus necessariis ad fructuosam Eucharistiæ suspensionem.

643 **D**E susceptione spirituali, & fructuosa Eucharistiæ instituitur præsens quæstio: nam ad receptionem purè sacramentalem sufficit status hominis viatoris, & baptizati. Notandum est igitur 1. Berengarios quosdam in eo errore fuisse, ut existimassent, corpus Christi Domini nequaquam à pravis hominibus manducari posse, sed indignis accedentibus ad communionem, carnem, & sanguinem Domini, in panis, & vini substantiam iterum reverti. Huic errori subscribit Calvinus lib. 4. instit. cap. 17. Errorem hunc apertè damnat Apostolus 1. Corinth. dicens: *Qui manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini.* Homo autem nequit esse reus corporis, & sanguinis Domini male accepti, nisi acceperit. Hæc eadem veritas constat ex eo, quod Judas unà cum cæteris Apostolis communicavit, ac Christi corpus accepit, ut verior opinio sentit, & nos diximus disput. 1. in resolutione dubii ad finem quæst. 2. Notandum est 2. eam, inter alias, fuisse pessimam Lutheri sententiam de Eucharistia ad ipsam dignè suscipiendam, nihil aliud esse necessarium, quàm quòd homo cum fide, & fiducia in Christo accedat, quamvis sit pessimus, & in omnibus peccatis, & sceleribus involutus. Subscribit Calvinus, licèt non adeo petulanter, ac Lutherus, in hoc puncto loquatur. Et addit, accedentem ad communionem, præter fidem, debere etiam

habere humilitatem, & animi dejectionem; non vero contritionem, nec aliam dispositionem. Contra hos omnes foetidos Sectarios stat veritas Catholica, aliquas exigens dispositiones in corpore, & in anima, ne, ut Apostolus minatur, *reus fiat corporis, & sanguinis Domini, qui indignè manducat, & bibit.* Resolvendum est igitur, & determinandum, quænam præparationes, & dispositiones mentis, & corporis requirantur, ut corpus, & sanguis Christi cum fructu sumatur.

644 I. Conclusio: *Ad debitam, & dignam Sacramenti Eucharistiæ receptionem, necessaria est fides, & status gratiæ sanctificantis ex parte animæ.* Conclusio est de fide, & quoad primam partem statuitur ab Apostolo, dicente: *quod sine fide impossibile est placere Deo;* sed gratia non potest haberi sine fide: quia per gratiam Deo placemus: ergo ut Deo placeamus, seu in statu gratiæ simus, fides requiritur. Probat ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 7. dicente: „ Ecclesiastica consuetudo „ declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quamvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere debeat, quòd à Christianis omnibus, etiam ab his Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuo observandum esse decernit. *Et ut deliramenta Hæreticorum eliminat, can. 11. sic definit: Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, anathema sit.* Confirmatur: tum ex SS. Patribus, qui nihil fortius commendant, quam puritatem animæ, ut ad hanc mensam accedant. Sufficiat S. Basilius lib. 2. de Baptism. dicens: „ Mundemus nos ab omni inquinamento: atque ita ad Sanctam accedamus, ut iudicium eorum, qui „ Do-

„ Dominum occiderunt, effugiamus: „ propterea, quòd qui ederit partem, „ & biberit potum Domini indignè, „ reus erit corporis, & sanguinis „ Domini.“ Denique constat eadem veritas ex eo, quòd ex vi suæ institutionis hoc est Sacramentum vivorum, & causat gratiæ augmentum, ut patebit dum de ejus effectibus tractemus: ergo statum gratiæ supponit in recipiente.

645 Arg. 1. Si status gratiæ necessarius esset, nullus ad communionem accedere posset; sed hoc est falsum: ergo & illud. Prob. major. Tum; quia nemo scire potest, se esse in gratia: *quis enim scire potest, ut patet ex Trident. de grat. an amore, vel odio, dignus sit?* Tum, quia ex Joan. 1. *si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus:* ergo nulla certitudine credere possumus, nos habere gratiam. Tum; quia si hoc esset necessarium, numquam ad Eucharistiam securè accederet homo, sed esset semper perplexus; sed hoc est inconveniens maximum: nam sic fideles ab hoc Sacramento averterentur: ergo falsa est assertio. Prob. major. Facile est oblivisci alicujus peccati in examine, & pariter in confessione, & contritione: ergo semper perplexi essemus, an possemus communicare. 2. Necessitas habendi gratiam, nulla divina, aut humana lege constat: ergo gratiæ assertio. Prob. anteced. non lege divina; quia Christus ipse communicavit Judam, quem esse in peccato sciebat: ergo. Nec lege humana; quia nec Ecclesia, nec potestas ulla creata, præcipere potest supernaturalia, quæ sunt supra nos, & vires nostras.

646 Respondeo negando major. Ad ejus primam probationem distinguo antecedens: nemo scire potest certitudine phisica, & evidenti; concedo: morali, & prudenti, nego. Baptizatus enim, aut Sacramentaliter ritè confessus, scit se ex parte sua requisita ad justificationem po-

suisse, & quod ex se est, fecisse. Unde post hanc sui probationem, & examen, non habere peccatum mortale, sed gratiam, certus est moraliter. Ad secundam probationem dicendum est, Joannem non loqui de peccato gravi, sed de aliquibus venialibus, & de imperfectionibus. Ad tertiam probationem nego majorem, & consequ. probationis: nam post examen exactum peccata latentia non impediunt, sed, ut ait Tridentinum, in ipsa confessione includuntur, & remittuntur, licèt cum obligatione ea confitendi, si memoriæ occurrant, ut tract. de Pœnitent. ab omnibus docetur. Ad 2. nego utrumque antecedens. Sacramentum itaque hoc ex divina institutione est pro vivis, seu justis; atque adeo non prodest injustis, & mortuis, sicut nec Judæ profuit. Etsi Christus illud ei porrexit, fuit, ne ejus peccatum occultum proderet, & ut Sacerdotes doceret, ne ob peccata occulta ab hac mensa repellant fideles, licèt cum Juda sibi iudicium manducant. Vide dicta in hac disp. quæst. 1. conclus. 3. Unde Ecclesia nihil frequentius prohibet, quam accedere cum conscientia peccati: nihilque fortius commendat, quàm quòd homo se ipsum probeat, & dignè accedat, & cum veste nuptiali. Et planè si Deus Levit. 22. statuit, *quòd omnis homo, qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt à filiis Israël Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino:* quanto majori statuet severitate, ne quis non vassa, Deo consecrata, & sacro ejus cultu destinata, sed Deum ipsum, totius sanctitatis principium, & centrum, indigna communionem poluat, & floccifaciat?

647 II. Conclus. *Omnis fidelis conscius peccati mortalis, tenetur sub præcepto gravi præmittere communioni confessionem Sacramentalem, si potest.* Est communis, & docetur à Subt. Doct. loco citato dicente: *Dico, quòd si occurrit opportunitas, tenetur prius confiteri, quàm commu-*
ni-

nicare : quia non tantum debet reconciliari Deo , sed & Ecclesiae ad hoc , quod dignè recipiat Sacramentum Ecclesiasticae unitatis. Si autem non occurrat opportunitas confitendi , si potest sine scandalo vitare , ne tunc communicet , tenetur non communicare , sed expectare confessionem &c. Sic loculenter Doct. qui de alio quocumque communicaturo idem docet , si necessitas eadem adsit. Probatur etiam ex Trident. verbis conclus. antecedenti adductis. In quibus postquam statuit , nullum conscium peccati mortalis accedere posse ad communionem , nisi praevia confessione , quantumcumque contritus videatur sibi , subdit: *dummodo non desit illis (Sacerdotibus , qui tenentur celebrare) copia Confessoris , quod , si necessitate urgente , Sacerdos absque praevia confessione celebraverit , quamprimum confiteatur.* Est igitur sub gravi obligatione ab Ecclesia praecipuum , atque adeo mortaliter peccaret , qui tale praecipuum transgrediretur. Et dixi accurate : *consciis peccati mortalis : quia tale praecipuum non urget de veniali , nec de illo (esto consultius , ac fructuosius sit) est necessitas poenitentiae , ut communiter docent Doctores , & egregie explicat Subtilis.*

648 Dices : Apostolus tantum petit examen , dicens : *probet se ipsum homo , non verò petit , ut confiteatur alteri.* Unde Chrysost. homil. 25. in 1. ad Corinth. inquit: *non precipit , ut alter ab altero probetur , sed ipse sine traductione faciens iudicium , & sine teste redargutiones.* Deinde , si homo sit contritus , frustra erit Sacramentalis confessio : nam per contritionem gratia tribuitur , & peccatum deletur : ergo tunc non est necessaria confessio. Ad 1. nego assumptum : nam frustra Apostolus peteret examen ad detegendum peccatum , nisi ut detecto peccato , confiteatur de illo. Unde Ecclesia textum Pauli semper intellexit de Sacramentali confessione , ut Tridentinum

sess. 13. cap. 7. docet , dicens : *„ Communicare volenti revocandum „ est in memoriam ejus praecipuum , „ probet se ipsum homo &c. Ecclesiastica consuetudo declarat &c. „* ut dictum est conclus. anteced. Nec Chrysostom. vult oppositum , sed quod homo probet se intra seipsum solum per diligens examen , & si invenerit in se peccatum , de illo confiteatur , ut manifestè significat homil. 30. in Gen. agens de praeparatione facienda , ut digne celebretur Pascha. Etsi aliqui inveniantur Patres , qui de examine , & non de confessione meminerint ad dignam communionem , hoc fuit , quia omnibus erat compertum , & ex Ecclesiae continua praxi omnino notum. Ad 2. nego antecedens : quia licet homini verè contrito gratia conferatur , exigitur confessio , tamquam praevia dispositio , cum Deus Sacramentum Poenitentiae instituerit ad remittendum peccatum. Aliàs semel , quod quis conteratur de suo peccato , jam non teneretur ad illud confitendum , quod est haereticum. Quare ut ait Tridentinum , *necessario praemittenda est confessio.*

649 Sed quia Tridentinum ait : *„ quod si Sacerdos , necessitate urgente , absque praevia confessione celebraverit , quamprimum confiteatur. „* Scire cupies , quid per illam particulam , *quamprimum intelligatur ?* Respondeo , certè non intelligi , Sacerdotem solum obligari ad confitendum , dum postea iterum celebrare voluerit , & non antea ; quia per multum temporis potest differre celebrationem. Nec intelligitur , quod solum teneatur ad confitendum , dum alio confessionis praecipuo ligetur : aliàs frustraneum , & impertinens esset hoc particulare praecipuum , *quamprimum confiteatur.* Unde Alexander VII. hanc damnavit propositionem : *illa particula , quamprimum intelligitur , cum Sacerdos suo tempore confiteatur.* Regulariter igitur illa particula , *quamprimum* intel-

telligitur intra triduum ad minus , quia quamprimum , idem sonat , ac illico , & particula illico in lege codic. de Judiciis explicatur , id est , intra triduum. Sed in hoc certa , & generalis regula assignari non potest ; nam potest accidere , quod ipsamet die , vel statim post celebrationem , teneatur confiteri , ut si tunc adesset copia Confessarii , & prudenter praevideret , quod longo tempore oportunitas Confessarii non adesset.

649 III. Conclus. „ Ad dignam „ Eucharistiae sumptionem requiritur „ ex parte corporis jejunium naturale , & carnis munditia ab omni „ copula , aut pollutione , culpabili „ maxime. „ Est communis quoad utramque partem. Docetur à Subtil. Doct. in 4. dist. 8. quæst. 3. dicente : *„ Dico , quod regulariter oportet „ ad perceptionem spiritualem , & „ Sacramentalem , suscipientem esse „ jejunium simpliciter , id est , jejunio naturæ. „* Probatur prima pars ex Concilio Constantiensi sess. 13. dicente : *„ Sacrorum Canonum auctoritas , laudabilis , & approbata consuetudo Ecclesiae servavit , „ & servat , quod hujusmodi Sacramentum non debet confici post „ Coenam , nec à fidelibus recipi non jejunis , nisi in casu infirmitatis , „ vel alterius necessitatis à jure , vel „ ab Ecclesia concessio. „* Carthaginense III. Can. 29. excoepiebat diem in Coena Domini , quo dispensabantur Sacerdotes , ut in memoriam facti Christi Domini non jejunii celebrarent : sed hoc propter prudentissimas rationes reparatum fuit in Constantiensi IV. Prohibitum est igitur Sacerdotibus illo die ad Vesperam celebrare Sacrum , & pariter fidelibus , ut mos fuit , communicare , postquam coenaverant. Patet etiam ex continuo usu , & perpetua traditione Ecclesiae : nam Chris. hom. 27. 1. ad Corinth. inquit : *Tu priusquam communione dignior appareas. „* Consonat

Subt. Doct. loco citato dicens : *id exigit reverentia Sacramenti , quæ minor est regulariter in pranso , quam in jejuno , & etiam , ut primò queratur cibus spiritualis , quam corporalis.* Hanc praxim viguisse apud fideles nascentis Ecclesiae , testatur Tertullianus , & prae cæteris docet Augustinus Epist. 118. ad Januarium , ubi hanc assignat miram regulam , loquendo de hoc jejunio : *„ illa , quæ „ non scripta , sed tradita custodimus : quæ quidem toto terrarum „ Orbe observantur , dantur intelligenti , vel ab ipsis Apostolis , vel à plenariis Conciliis , quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas , commendata , atque statuta retineri. „* Hoc jejunium naturale immediate est juris Ecclesiastici , & mediate juris divini : quatenus , ut ait Subt. Doct. Christus ita instituit fieri , vel per Apostolos , vel per Ecclesiam , prout ipsa disposuerit.

650 Secunda Conclusionis pars constat ex ipsa Rubrica Missalis de defectu. cap. 9. ubi inter defectus censetur iste : *„ Pollutio nocturna , quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione , quæ sit peccatum mortale , vel evenerit propter nimiam crapulam , abstinendum est à communionem , & celebrationem , nisi aliud Confessario videatur. „* si pollutio evenit ex naturali causa , aut ex diabólica illusione , potest communicare , & celebrare , nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis , ut abstinendum videatur. „ Idem docet præclarè D. Bonaventura in 4. dist. 12. part. 2. quæst. 3. & alii SS. PP. inter quos S. Gregor. Epist. ad Augustinum Episcopum Anglorum , respondens ad illius undecimam interrogationem.

651 Si quæras : *quid sentiendum de actu conjugali ; numquid impediatur illo die Sacram Communionem ?* Respondeo contra aliquos rigidius discurrerentes , quod cum coitus maritalis

lis non sit culpabilis, & semel quod culpa vacet, non impedit communionem ex præcepto, aut necessitate: bene verò ex decentia, & congruitate. Unde conjugati, ad minus pro illo die ante communionem, a coitu eonsultius est, ut sese abstineant, si non intersit aliqua urgens causa. In hoc sensu, & non sub rigoroso præcepto, videtur mihi intelligendus D. Hieronymus, dum super illud Apostoli: „Nolite fraudare ad invicem, &c. ait: si per coitum, impeditur, quod minus est, scilicet, orare, quanto plus, quod majus est, id est, corpus Christi prohibetur accipere? Et caput *omnis homo de consecrat. dist. 2. num. 21.* monet, ut vir abstineat propter communionem a propria uxore, tribus, aut quatuor diebus. Denique Concilium Butiricense anno 1584: dicit: monentur conjugati, ut non nisi præparati aliquot dierum continentia, ad Eucharistiæ sumptionem accedant, instar Davidis, qui non, nisi antecedente trium dierum continentia, panibus propositionis usus est. Et quidem munditiæ carnis ad communionem prærequiri, demonstrat typus veteris testamenti in quo. 1. Reg. legimus, *panes propositionis datos tantummoda mandis à mulieribus.* Hoc exemplo utitur S. Hieronymus Epist. 50. ad demonstrandum, quod non debeat contingi panis ille, qui de Cælo descendit, qui purissimæ, ac intemeratæ filius est Virginis, cuique ad Sacram Synaxim, seu communionem accedens, corpus suum templum, atque habitaculum exhibet, ab his, qui conjugaliibus paulò ante habere complexibus. Idem hortatur fidelibus Catechismus Romanus part. 2. cap. 4. Verum ut dixi, hæc monita non sunt absoluti præcepti, nec impedit communionem à conjugato, nisi præsertim, qui solvit, quia alter petit, & maxime si conjugate utitur, non cupiditate captus, sed liberbrum desiderio.

652 Requiritur demum ad dig-

nam Eucharistiæ susceptionem, quod communicaturus sit expers infirmitatis, ex qua tanto Sacramento irreverentia irrogari possit: ut si tanta esset pectoris ægritudo, aut languor, ut propter vomitus, tussisque frequentiam, Sacramentum nec deglutire, nec retinere posset. Ratio est, quia præceptum suscipiendæ Eucharistiæ solos potentes manducare adstringit: nam cum Sacramentum hoc ordinatum sit per modam cibi, & potus ad spiritualem animæ alimoniam, & refectionem, qui hunc cibum nec deglutire, nec retinere possunt. non posse manducare censentur: ac subinde sunt incapaces Eucharistiæ suscipiendæ. Unde præceptum affirmativum de suscipiendo Viatico, cedere debet præcepto negativo de nusquam irroganda injuria Eucharistiæ Sacramento.

653 Dices: Christus ipse consecravit, & Eucharistiam dispensavit non jejunis: ergo non fuit voluntas Christi, quod postea solum jejuni communicarent. Item: Apostolus 1. Corinth. videtur permittere, ut si quis ante communionem *esuris, domi manducet.* Nec videtur improbare cibos, sed excessum in eis à Corinthis ante communionem committi solitum: dicit enim: „Convenientibus vobis, in unum, jam non est Dominicam, coenam manducare: unusquisque enim suam coenam præsumat... & alius quidem esurit, alius autem ebrius est: ergo Apostolus non improbat, quod prius pranderent, aut cœnarent, sed quod in cibo, & potu excéderent. Nego consequentiam: nam ut August. luculenter Epist. 118. ait: quod Christus post Cœnam prima vice fecit, deinceps aliter fieri voluit. Liquidò apparet quando Apostoli primum acceperunt corpus, & sanguinem Domini, eos non accepisse se jejunos. Numquid propterea calumniandum est in universa Ecclesia, quod à jejunis accipiatur? Hoc placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os „ Chris-

„ Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm ceteri cibi. Ad Apostoli loca, dico 1. quod licet ab initio, & præsertim in Ecclesia Corinthii, fideles aliquando, saltem post Cœnam, communicarent, oppositum statuendum erat ab Apostolis pro sequentibus sæculis. Unde Paulus, postquam dixit: *si quis esurit &c.* statim, verba sunt D. Augustini, subtextit: *Cætera, cum venero, ordinabo. Ex multis autem, quæ Apostolus ordinaturus erat, hoc unum erat, ut deinceps jejuni acciperent Eucharistiam.* Dico 2. Apostolum ibi potius improbasse, comessiones in Ecclesia fieri, & ante communionem: nam dicit illis: *Numquid domos non habetis ad manducandum? &c.* In secundo loco improbat, & reprehendit Apostolus excessum in conviviis, quæ in ipsa Ecclesia celebrabant, non quidem ante, sed post communionem, & dicebantur *Agapæ.* In his conviviis, aut Epulis, divites aliqui nec pauperes expectabant, nec alere volebant: quin potius eos contemnebant. Hos igitur excessus merito improbat Apostolus.

Referuntur casus, in quibus communicare potest, aut debet, non jejunos.

654 Diximus cum Subt. Doctor. quod *regulariter suscipiens Eucharistiam debet esse jejunos simpliciter:* nam plures sunt casus, in quibus non jejunis communicare licet, & extra quos, vel alios similes, sumens Eucharistiam non jejunos, peccaret graviter. De hoc luculenter disserit Doct. Subt. 4. dist. 8. quæst. 3. Sed ne æquivocationem patiaris in ejus littera, dum dicit, *præceptum de jejunio esse leve,* adverte, præceptum de jejunio ad receptionem Eucharistiæ leve vocari à Doctore: non quidem absolute, quasi dumtaxat sit peccatum veniale, sed comparative ad præceptum de Sacrificio integrando, dum post sumptionem

Tom. II.

hostiæ, invenit Sacerdos aquam pro vino positam esse in calice, & per gustum hoc cognoscit. Tunc enim licet non sit jejunos, debet iterum consecrare, & communicare. Et dicit Doctor, quod cum præceptum de jejunio tantum sit Ecclesiasticum, ejus omissio, licet mortalis, minor est omissione præcepti Divini, & Ecclesiastici, de integritate Sacrificii, quo sensu doctrina Doctoris verissima est, & ita se explicat, & affert efficaces rationes. Casus igitur, in quibus non jejunos communicare potest, sunt sequentes. 1. Infirmis in mortis articulo constitutis, si aliud tempus congruum ad communicandum non possunt expectare, ut regulariter evenit, tribuenda est communicatio pro Viatico, licet sint pransi. 2. Si celebrans, aliquo accidente illi superveniente, Sacrificium inchoatum non possit perficere: ut si post panis consecrationem, aut etiam calice jam consecrato, cadat in apoplexiam, aut aliam infirmitatem, integritatem Sacrificii ei impediendam, tunc Sacerdos non jejunos (si jejunos præsto non sit) potest, & debet, sacrificium peragere, & perficere: quia integritas Sacrificii est de jure divino, quod fortius, & magis obligat, quam jus Ecclesiasticum. 3. Si Calice, loco vini cum aqua præparato, Sacerdos inadvertenter aquam sumpserit, sic frangens jejunium naturale, tenetur resumere vinum, & illud consecrare, incipiendo ab illis verbis: *simili modo &c.* & tandem sumere, ut Sacrificium integret. 4. Si post sumptam ablutionem celebrans advertit aliquam particulam consecratam in patena, aut corporali, potest eam sumere, quamdiu ab Altari non recesserit: quia ut inferunt Rubricæ, *reliquiæ illæ ad idem Sacrificium spectant.* Si vero adsint communicandi, vel in sacram pixidem decenter possint poni, ita fieri debet, ut constet ex Rubricis.

655 Ultra hos casus, in quibus

00

com-

communicare potest, & debet non jejunos, sunt & alii, quibus hoc idem contingere potest. Unus est casus, quo Sacerdos post unam, aut utramque speciem consecratam, recordetur, se non esse jejunum: Tunc enim non debet desinere ob hoc & Sacrificio percipiendo. Idem putant Doctores dicendum, si ante consecrationem meminerit jejunii fracti, & aliquod timeatur scandalum, vel adstantis populi perturbatio. Secus vero est, si sublato periculo scandali; vel infamiae, recordetur violati jejunii: quia tunc tutius est ab incepta Missa desistere, & ab Altari se arcere. Alius casus, quo citra peccatum, Eucharistia percipi potest & non jejunis, est, dum imminet aliquod periculum inhonorandi hoc divinum Sacramentum: puta, ne veniret in manus haereticorum, & infidelium, qui sacras hostias conculcarent, & ludibrio haberent. Tunc enim Sacramentum devotè suscipi debet non solum à Sacerdotibus, sed etiam à Laicis, in absentia Sacerdotum, & Clericorum. Ratio est, quia jejunium dumtaxat requiritur in reverentiam hujus Sacramenti: igitur ubi occurrit periculum profanationis illius, recludi debet, tamquam in Sacrarium, in fidelium pectus, ne Sanctum detur Canibus, & Cœlestis Margarita ante porcos projiciatur. Denique ex Ecclesiae consuetudine multoties in die Parasceves Sacerdos Eucharistiam non jejunos percipiet: quia illa die particula posita in Calice percipitur cum vino non consecrato, cum illo die Calix non consecratur: & verisimile est, quod vinum citius descendat in stomachum, quam particula illa, quae aliquomodo masticatur. Docetur item in Rubrica de defectibus Missae, quod quando particula hostiae consecratae, post sanguinem sumptum, haeret calici, digito attrahatur ad labrum calicis, & sic sumatur: vel vino infuso, quod communiter deglutitur ante illam particulam.

656 Restat solum inquirendum; quid sit naturale jejunium? & per quid solvatur? Jejunium naturale, prout distinguitur ab Ecclesiastico, optime describitur à Subt. Doct. sic: „ Est carentia cibi, aut potus, suscepti in stomacho, vel in via ad stomachum, ita quod intret stomachum in die illa. Hinc Concilium „ *Toletan.* 1. ait: nullus post cibum, „ potumque quemlibet minimum, Missas facere praesumat. Unde, ut hoc servetur jejunium, necesse est, quod nihil extrinsecum sorbeat, & trajiciatur in stomachum: seu nihil extrinsecum ori ingestum per se sumatur, etiam per modum medicinae, post mediam noctem antecedentem communionem. At vero quidquid per modum salivae deglutitur, non solvit naturale jejunium. Ex hac universali regula solvuntur plures casus; ut deglutire salivam, aut alios humores interius decedentes, ut sanguinem ex capite decedentem, non violat jejunium naturale, quia sunt aliquid ipsius hominis, non quid extrinsecum, & non sumuntur per modum cibi, aut potus, sed quatenus impediunt respirationem, aut vocem. Idem dicendum de reliquiis praecedentis diei haerentibus dentibus: quia per modum salivae decidunt, vel trajiciuntur: decet tamen ejusmodi expuere, quantum commodè fieri potest. Idem, quando quis abluit os, aut degustat aliquem licorem, quem expuit, quia si aliquid haereat cum saliva, habet rationem salivae. Aliud est de his, qui saccharum, & similia, quae in ore liquescunt, & haec ori ingerunt ad leniendam vocis ranciditatem, sensim ea deglutendo, dum vadunt cubitum. Nisi enim sint certi ante mediam noctem materiam omnino consummatam fuisse, non possunt communicare, siquidem illa non habent rationem humoris, aut salivae, sed cibi, & medicinae, quae violant jejunium naturale. Sic discurrunt communiter Doctores de quacumque alia re digestibili, & per mo-

modum cibi, aut aliqualis alimenti, sensim ex ore in stomachum decedente.

657 Si quaeras: *An sumptio tabaci in fumo, vel pulveris per nares, sive masticando in ore, frangat jejunium naturale*, ac proinde impediatur communio? Hac in re unusquisque in suo sensu abundat. Plures sunt Theologi, qui asserant, tabacum in fumo, vel pulvere, jejunium naturale non frangere. Ratio eorum est: quia quod non sumitur per actionem vitalem comestivam, seu quod non trajicitur in stomachum per modum cibi, & potus, non frangit jejunium naturale; sed tabacum sumptum in pulvere per nares, nec tabacum fumi in ore trajicitur in stomachum per modum cibi, nec potus, nec est actio comestiva: ergo. Si eis objiciatur, 1. quod Concilium Mexicanum III. & Limense III. prohibent *sub reatu mortis aeternae, Presbyteris celebraturis, ne tabaci fumum, seu pulverem naribus, etiam praetextu medicinae, ante Missae Sacrificium sumant.* Respondent, quod illa Concilia, quae solum in illis Provinciis obligant, fortè ita prohibent, quia ibi tale est tabacum, vel sic sumitur, ut provocet vomitum. Unde Synodus quaedam Canariensis non solum vetat sumptionem tabaci ante Missam, sed etiam post celebrationem, saltem per horam: signum ergo est, id prohiberi propter vomitum, & non propter jejunium. Si objiciatur 2. fumus tabaci est nutritivus: ergo si ore sumatur, & de illo aliquid in stomachum trajiciatur,

saltem hoc modo frangit jejunium. Negant, tum, quod fumus ille sit per se nutritivus, licet aliquid ejus trajiciatur in stomachum: alioquin odor, fumus incensi, & ciborum, frangeret etiam illud jejunium. Tum, quod sic sumatur per modum nutrimenti, nec per se descendat in stomachum, sed emittitur per nares, aut per ipsum os ejicitur. Sic etiam sentit novissimè Augustinianus Berti.

658 Noster vero Gonzalez Matheo cum aliis Theologis, quasi promediando inter rigidiores modos dicendi, resolvit in Summa Morali, quod tabacum pulveris sumptum per nares, & etiam fumi, jejunium non frangunt, eo quod haec actio non sit comestiva, nec potativa, sed unicè per virtutem narium attractiva. Si vero tabacum fumi ore sumatur, nihilque de industria trajicitur in stomachum, nec tunc frangit jejunium. Secus verò, si ex proposito trajicitur, quia tunc tabaci substantia, quamvis ad levissimam materiam redacta, transit in stomachum. Meum sentire est, ab his abstinendum, propter reverentiam Sacramenti, & hoc consultius esse. Innegabile enim est, quod tabacista, praesertim fumi, immundi sunt, & ore fetentes. Unde si non adest aliqua causa gravis, verè sunt reprehensibiles. Denique si de masticatione tabaci loquamur, illam praecedere Sacram Communionem, omnimodè censeo sordidum, & indignum. Idem dicendum puto de iis, qui ore tenent quaedam aromata contra aëris injurias.

DISPUTATIO VI.

DE MIRANDIS DIVINÆ EUCHARISTIÆ EFFECTIBUS in animam, & corpus.

Ingentes valde, ac stupendi sunt Sacrae Eucharistiæ effectus, si ad hanc gratiarum mensam accedant fideles pura mente, & cordis affectu. Sed quia jam plura diximus, explicare juvat, veluti in compendio, præcipuos hujus Sacramenti effectus: non igitur, quæ restant, tot Scholasticis difficultatibus, & controversiis, sunt implexa, ac illa, quæ hæcenus fuerunt agitata.

QUÆSTIO I.

*Qualem gratiam causet Eucharistia?
& an remittat peccata?*

656 **C**ommune est omnibus Ecclesie Sacramentis gratiam dignè suscipientibus *ex opere operato* conferre, ut dictum manet Tract. de Sacram. in genere. Unde non est hoc denegandum Eucharistico Sacramento, quod veraciter continet fontem ipsum gratiarum omnium. Id docuit Tridentin. sess. 13. cap. 2. dicens: *Salvator noster sumi voluit hoc Sacramentum tamquam spiritualem animæ cibum, quo aluntur, confortantur viventes vita illius, & tamquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ.* In præsentem autem non controvertimur: *an Eucharistiæ Sacramentum aliquando, & per accidens, primam gratiam, quæ remissiva est peccati mortalis, possit causare?* Etenim Tract. de Sacrament. disp. 3. quæst. 1. conclus. 3. probabiliter affirmavimus, sicut & de aliis Sacramentis, quæ vocantur *vivorum*.

Solum igitur hic est controversia inter Catholicos, & hæreticos, Duce Cæcorum Lutero, qui petulanter scripsit; „magnum esse errorem eorum, qui accedunt ad Sacramentum Eucharistiæ, sic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi consciï peccati mortalis: omnes illi sibi iudicium manducant, & bibunt. Sed si credant, & confidant, se gratiam ibi consecuturos, sola fides eos facit dignos, & puros. Unde hæretici remissionem peccati mortalis tribuunt per se primò huic Sacramento, sola mediante fide, & nulla alia dispositione.

Sit Conclusio.

660 „Hujus Sacramenti primarius effectus non est prima gratia, seu remissiva peccati mortalis: bene verò augmentum gratiæ sanctificantis, & etiam directè venialia remittit.“ Prima pars est contra hæreticos, & probatur 1. ex Subtil. Doct. in 4. dist. 9. quæst. unic. num. 2. dicens, quod qui recipit hoc Sacramentum in peccato mortali, peccat mortaliter, quia simpliciter manducat indignè; sed hoc non esset verum, si ex se conferret primam gratiam,

tiam, aut remitteret illud peccatum: ergo. Prob. 2. ex Scriptura: *Caro mea vere est cibus* &c. Apost. *Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat: qui enim manducat indignè, iudicium sibi manducat* &c. ergo. 3. Ex communi sensu Ecclesie, & Patrum, qui omnes docent, Sacramentum hoc esse *vivorum*. Et in Catechismo dicitur: *quod sicut cibus naturalis mortuo nihil prodest, ita animæ, quæ spiritu non vivit, istud Sacramentum non prodest.* Et quod, qui ad hanc mensam accedit, debet habere vestem nuptialem. Secunda conclus. pars, nempe, quod auget gratiam sanctificantem, est omnium Catholicorum, & patet 1. ex Florentino, dicente: *per hoc Sacramentum sumentibus dignè gratia augetur.* 2. ex Trident. docente loc. cit. *illud sumi, ut spiritualem animæ cibum, quo aluntur, & confortantur: ergo supponit primam gratiam, quæ est vita: siquidem mortuis cibus non datur, nec prodest.* 3. Ex Innoc. III. cap. *firmiter* dicente: *per Eucharistiam virtutes augentur: ergo supponit charitatem, & non illam infundit.* Denique ex dictis de Sacramentis *vivorum* Tract. de Sacramentis. Tertia pars, videlicet, quod peccata venialia delet, etiam directè, est contra aliquos Scotistas insignes. Probatur vero ex Concil. Trident. sess. 13. dicente: *Eucharistiam esse antidotum, quo à peccatis venialibus liberemur, & à mortalibus præservemur.* Et in Catechismo de effect. Euchar. docetur: *Remitti in Eucharistia leviora peccata, quæ venialia dici solent, non est, quod dubitari debeat.* Item Innocent. III. *Eucharistia, si dignè sumatur, à malo liberat, & confortat in bono: venialia delet, & cavet mortalia.* D. Ambros. *iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis.* Sed ad tollendam æquivocationem, quam fortè patiuntur, quæ in hoc adversantur nobis, hoc unum est advertendum, quod ut Eucha-

ristia ex opere operato remittat veniale, debet præcedere aliqualis poenitentia, seu illius culpæ retractatio formalis, aut virtualis: Deus enim de facto, & juxta legem ordinariam, non remittit offensas, nisi detestantibus, & retractantibus eas. Unde nec benedictio Episcopalis, nec aqua benedicta, nec tunsio pectoris, delet aliquam culpam, quantumvis venialem, sine aliqua formali, vel virtuali, illius culpæ detestatione.

661 Objiciunt hæretici aliquas Scripturæ, & Patrum autoritates, ex quibus colligere contendunt, Eucharistiam primario fuisse institutam ad conferendam primam gratiam, & remissionem peccatorum. *Nisi manducaveritis meam carnem, non habebitis vitam* dicit Christus: ergo hæc manducatio dat vitam, seu primam gratiam: alioquin ante manducationem, & independentem ab ista carne, haberemus illam. Matthæi 26. & in ipsa forma consecrationis sanguinis, dicitur de calice; *qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et de speciebus panis Joana. 6. *panis enim Dei est, qui descendit de Cælo, & dat vitam mundo.* Ex Patribus proferunt Chrisost. homil. 83. in Matth. ubi comparans hoc Sacramentum cum Agno Paschali, ait: „Si hoc remissionem peccatorum facit, sicut certe facit, illud supervacaneum omnino est. *Et Dascienus lib. 4. de fide cap. 4. dicit: his qui hoc Sacramentum per fidem dignè suscipiunt in peccatorum remissionem, & vitam æternam, animique, & corporis præsidium, cedit.*“ Idem videtur indicare Ecclesia in multis orationibus Missæ, in quibus Eucharistiæ tribuit, non solum, quod sit *fortitudo fragilem, sed etiam absolutia scelerum.*

662 Sed respondeo, hæc & similia hæreticorum momenta, nullius esse momenti. Ad primum nego consequentiam: quia per illa verba probatur necessitas Sacramenti ad vitam,

seu

seu gratiam conservandam, quod verissimum est: non vero ad illam obtinendam, vel recuperandam. Ad textum Matthæi dico, non significare, peccata mortalia, remitti per sanguinem calicis, sed per sanguinem Christi effusum in Cruce Christum meruisse illam remissionem. Unde textus intelligendus est de Sacrificio Cruento Crucis, à quo, tamquam à fonte, omnia Sacramenta hauserunt vim conferendi gratiam, & sanctificandi homines. Ad cætera respondeo, quòd Eucharistia vere confert vitam, dum illam auget, & unit recipientem cum ipsa vita substantiali, quæ est Christus: & dum Eucharistia dicitur dare vitam æternam, sensus est, quòd ipsa conferat, seu augeat gratiam sanctificantem, cui æterna vita correspondet: Vegetando, scilicet, in nobis habitum dilectionis Dei, & animam promovendo ad extinctionem vitiorum, & ei auxilia actualia gratiæ conferendo, quibus facilius, & promptius, mandatorum Dei decurrat viam, quæ ducit ad vitam. In hoc sensu dicunt Patres, & non in alio, hoc Sacramentum remittere peccata mortalia, & tribuere vitam æternam. Audiatur Ambrosius lib. 6. in Lucam cap. 9. dicens præclare: „ nemo cibum accipit Christi, nisi qui fuerit antea sanatus. Ubique ergo hic ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, post alimonia mensæ celestis exhibeatur. *Hinc Aug. tract. 26. in Joan. inquit: nonne Buccella dominica venenum fuit Judæ? Et tamen accepit, & cum accepit, in eum inimicus intravit, non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. Vide te ergo fratres, panem cælestem spiritualiter manducate, innocentiam ad Altare apportate. Frustra igitur SS. PP. innocentiam præquirent in accedentibus ad Eucharistiam, si hæc instituta esset ad primam gratiam conferendam. Reli-*

qua huc spectantia Tract. de Sacram. sunt videnda.

QUÆSTIO II.

De cæteris Eucharistiæ effectibus, tam quoad animam, quàm corpus.

663 **D**iximus, Eucharistiam augmentum gratiæ sanctificantis præstare per modum alimoniae celestis, & spiritualis nutritionis, ut Concilium Tridentinum præclare ait. Consonat Florentinum in decreto Eugenii, ubi dixit: „ Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum.... quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur, consequens est, quòd per hoc Sacramentum in sumentibus dignè, né gratia augeatur &c. “ Diximus etiam cum Tridentino concl. ant. *Eucharistiam liberare à peccatis venialibus, & præservare à mortalibus.* Et quidem, quòd tollat peccata venialia, satis constat. At vero hoc intelligi potest dupliciter: vel *directè*, quatenus per ipsam gratiam Sacramentalem, & ex opere operato collatam, immediatè delentur, ut manet dictum: vel *indirectè*, & mediatè, quatenus delentur per aliquem ejus effectum, nempe, per gratias actuales, & auxilia, quæ dantur intuitu Eucharistiæ, & quatenus homo per actus virtutum, quos elicit illis gratis adjutus, meretur remissionem venialium, & poenarum pro mortalibus, etiam debitarum, & quæ per poenitentiam non totaliter remittuntur, & de quo remissionis modo dubitat nemo. In hoc etiam sensu remissionis intelligendi sunt SS. Patres, dum videntur asserere, Eucharistiam peccata mortalia remittere. Ratio autem, quare Eucharistia à mortalibus præservat, ea est, quia confert incrementum virium interiorum per gratiam, & virtutes infus-

sas,

sas, additque jus ad auxilia actualia, juxta necessitatem habenda: & cum aliunde sit signum rememorative Passionis Christi, per quam victi, ac superati sunt Dæmones, eorum adversus animam impetus cohibet: nec tanta vi, & audacia ad eum humani generis hostis accedit, quem vidit fultum præsentia tantæ Majestatis. Hinc Psalmista 22. mente futurorum præsaga, præclare dicebat: „ Parasti in conspectu meo mensam, „ adversus omnes, qui tribulant me. „ Unde inquit Chrysost. Tamquam „ Leones ignem spirantes ab illa mensa recedimus, facti Diabolo terribiles. “ Nec mirum: nam sicut per cibos corporales reparantur, & augentur vires corporum debilitatæ per infirmitates, sic per Eucharistiam, ait Florentinum, cum per modum cælestis nutrimenti sumatur, reparantur, & augentur vires animæ, quæ per peccatum originale, & actualia, debilitatæ fuerunt.

664 Alius mirificus Eucharistiæ effectus in anima causatus, est *spiritualis suavitas, & victrix gratiæ delectatio in rebus spiritualibus*; quia dulcedine bonitatis divinæ, quasi inebriatur spiritus, juxta illud sponsi cant. 5. *comedite, amici, & bibite, & inebriamini.* Egregiam figuram hujus divini cibi suavitatis, ac dulcedinis, præbuit Manna, de quo 16. Sapientiæ: *Nutrivisti populum tuum, & panem de Cælo præstitisti eis sine labore omne delectamentum in se habentem.* Hinc Psalmista personam Christi gerens, ait: *Calix meus inebrians, quam præclarus est.* Hanc cælestem suavitatem ex eo reperiunt Patres, quòd in eo Sacramento divina sapientia, suam divinitatem, & humanitatem, nobis admodum Lactis exhibet, juxta illud Isaïæ 60. *Mamilla Regum Lactaberis.* Tanta denique est deliciarum, & voluptatis exundatio hujus divini Sacramenti dignè suscepti, ut ipse Christus Lucæ 22. ad eam exhortans, dixerit Discipulis: *Desiderio desideravi*

hoc Pascha manducare vobiscum. Unde Patres vocant hunc cibum, *Prælidium beatitudinis, mensam Dei Patris, salutis epulum, delicias honestatis, & gloriæ.* Denique intercedit inter recipientem, & Christum, quædam mirabilis unio, illapsus cælestis, ac mystica divina transformatio, qua adinvicem manent unus in alio, dicente ipso Domino: *in me manet, & ego in illo.* Et Augustinus, *si manet, & manetur.*

665 Restant effectus Eucharistiæ erga corpus recipientis. Isti sunt tres præcipui. Primus est appetituum moderatio, & sevientium sensitivarum passionum refrenatio. *Carnis libidinem cohibet, ac reprimit: dum enim igne charitatis animas magis incendit, concupiscentiæ ardorem extinguit, necesse est,* ait Catech. Rom. Idem præclare docent Cyrillus, & Bernardus. Secundus effectus Eucharistiæ erga corpus recipientis est, quòd sit in eo veluti semen immortalitatis, & Resurrectionis: quem effectum ipse Christus indicavit, dicens: *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam [in semine, & causa] & ego resuscitabo eum &c.* Tertius effectus est corporis puritas, & castimonia. Ideo Zachar. 9. dicitur: *frumentum electorum, & vinum germians virgines.* Unde Paschas. lib. de corpore, & sanguine Domini, cap. 21. ait: *felix fructus ubertatis, ex quo virginitas germinatur: nam bos nostri generis vino castitas corrumpitur: ab isto vero Virgines procreantur.* Denique causat unitatem in corpore mystico fidelium inter se, & cum capite Christo: ob quod inquit Doctor Subtil. *est Sacramentum unitatis, quo fideles uniuntur cum membris, & capite.* Sed valde est considerandum, inquit Seraph. Doctor Compend. Theolog. lib. 6. cap. 15. quòd sicut rectè communicantibus tanta bona proveniunt, sic corpus Christi indignè sumentibus plurima mala occurrunt. Indigna enim com-

mu-

munio, peccatis hominem illaqueat, damnationem præparat, proximum scandalizat, mentem excipiat, tentationi subjugat, Deum irritat, vitam temporalem breviat, gratuitis spoliat. Vide ergo quid facias.

666 Dubitabis 1. Quando Eucharistia operetur suos mirabiles effectus? Certum est, quod sicut corporis cibus non prodest, nisi manducatus, ita nec istud Sacramentum, quod datur, ut cibus. Sed quia cibus iste potest sumi in voto, & spiritualiter; in manibus, in ore, ibi aliquantulum permanendo, & demum in stomacho, & dum transit per guttur; quæritur: an in his circumstantiis, & temporibus, suos causet effectus? Hæretici aliam efficaciam in Sacramentis non agnoscentes, quam excitare in nobis fidem, dicunt, istud potius operari susceptum in voto, per fidem, nempe, & desiderium, quam in re, seu in ore, vel stomacho. Ex Catholicis quidam putant, illud operari, dum primum est in ore, & dentibus teritur: quia hoc vocant manducare, seu mandere. Alii, dum incipit deglutiri, & transit per guttur. Sed dico; Eucharistiam suam causare effectum, cum primum species perveniunt in stomachum: non vero dum sunt in ore, nec præcise in gutture. Et potiori ratione nec in voto receptum, nec dum est in manibus. Probatur: Eucharistia ex institutione divina datur per modum cibi, & potus: nam dicit Dominus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet &c. & effectus habet rationem spiritualis nutrimenti: ergo tunc causat gratiam, quando est vera manducatio corporis Christi. Sed manducatio non est vera, propria, & perfecta, donec cibus ad stomachum perveniat: ergo. Minor de voto, & manibus, constat aperte: nam quis dicit, quod desiderium edendi, vel tactus cibi, sit manducare? De ore, & gutture, etiam patet: nam cibus, vel potus, quandiu est in ore, vel gutture, ita

ut facile possit ejici, & donec ad stomachum perveniat, nec causat nutritionem, nec, ut cum Scoto diximus, frangit jejunium naturale: ergo in ore, vel gutture cibum, vel potum retinere, non est vere, manducare, nec bibere: ergo cum hujus Sacramenti gratia non promittatur, nisi his, qui manducaverint: *Nisi manducaveritis meam carnem, &c. non habebitis vitam in vobis, sequitur &c.* Unde hoc Sacramentum nec est, nec dicitur vere applicatum, ut suum causet effectum, per hoc præcise, quod ore gustetur, sed per hoc, quod verè, & propriè comedatur.

667 Dubitabis 2. An hoc Sacramentum causet gratiam toto tempore, quo, post communionem conservantur in stomacho species consecratae? Respondeo negativè ex opere operato; & affirmativè ex opere operantis, si augeat dispositionem. Est dicere, quod Sacramentum ex opere operato totum suum confert effectum in instanti suæ completæ applicationis, & non secundum suam durationem in stomacho. Ratio est 1. quia in sumptione, & receptione, totam gratiam, quam ex se confert, contulit juxta recipientis dispositionem: alia enim Sacramenta non causant suum effectum successive, sed totum simul in instanti suæ perfectæ applicationis. 2. Nam alias, qui plus panis, & vini sumeret, reciperet plus gratiæ: quia tunc species diutius manerent in stomacho incorruptæ; sed hoc est falsum: ergo. Inde fortè irrepperat abusus, quem damnavit Innocentius XI. & quo quidam suis devotis porrigebant plures, aut grandiores particulas, absdubio existimantes boni illi Sacerdotes, plures, aut grandiores illas particulas, diutius in stomacho manere, & sic gratiam conferre ampliorem. Debent igitur moneri Sacerdotes, nulli tradere plures Eucharistiæ formas, seu particulas, vel grandiores solito, sed consuetas. Secunda pars, nempe, quod plus

plus gratiæ conferat ex opere operantis, quò plus in stomacho durant species, si recipiens dispositionem augeat, patet ex eo, quod Sacramentum perseverat, & omnis causa existens, & applicata subjecto capaci, efficaciter causat suum effectum, qui, si capax est intensionis, majori cum intensione in subjecto melius disposito causare debet. Deinde, cum pro toto illo tempore possit fidelis sæpius iterare actus fidei, spei, & charitatis, aliarumque virtutum, & cum intensiori fervore devotionis, consequens est, quod inde consequatur gratias ampliores. Hæc igitur opinio, quæ fideles movet ad diuturniorem erga Sacramentum fervorem devotionis, est magis pia, & ideo non est spernenda, sed sequenda.

668 Dices 1. ergo melius erit accipere plures particulas, aut grandiores, quam unam exiguam: quia sic diutius durant species, & sic ad majorem gratiam poterit se disponere. 2. quandiu causa necessaria manet applicata subjecto disposito, tandiu agit; sed Sacramentum est causa necessaria: ergo cum species tandiu maneat applicata, quandiu in stomacho manent incorruptæ, Sacramentum operatur ex se gratiam toto illo tempore. Ad 1. nego consequens. Ad probationem dico, quod si illa major dispositio, quæ postquam particulam grandiores, aut plures particulas communicavit, ponitur à recipiente, poneretur, dum unam, & exiguam hostiam recipit, cum illa tantam gratiam quis reciperet, quantam recipit alius toto tempore, quo conservantur species. Quare majoris gratiæ receptio non est tribuenda majori hostiæ, sed dispositioni recipientis, quam, qui unam exiguam particulam communicat, in eadem intensione acciperet, si apponeret æqualem dispositionem, quamvis species non tandiu durent. Hæc doctrina applicanda est difficultati illi, jam à nobis resolutæ: an, nempe, plus gratiæ ex opere operato conferatur

Tom. II.

communicanti utramque speciem, quam unam tantum? Ad 2. distinguo majorem causa necessaria phisica, & phisicè, ac successivè agens, concedo: moraliter agens, & instantaneè, nego maj. & consequens. Sacramentum hoc, sicut & alia, operatur moraliter, movendo Deum ad dandam gratiam in momento debitæ applicationis, quod in Eucharistia est instans completæ manducationis, simul, & semel, quantum est vi operis operati. Unde agit moraliter, & instantaneè, sicut & cætera Sacramenta.

669 Dubitabis 3. An qui in peccato mortali Eucharistiam recipit, si resipiscat, & conteratur perfectè, antequam species corrumpantur, gratiam recipiat? Affirmo cum N. Gonzalez, & aliis Theologis contra alios plures. Ratio est; quia omne Sacramentum validum, & informe, obice ablato, si existit, virtualiter saltem, suum causat effectum, ut dictum est de Sacramentis characterem imprimantibus; sed hoc Sacramentum non virtualiter tantum, sed formaliter perseverat: ergo si in peccato, quis reciperet illud, & ante specierum corruptionem de peccato doleret vera contritione, aut attritione contritione existimata, suum effectum causaret: & maxime, si tollendo obicem, & pœnitendo, applicet sibi de novo Sacramentum ex nova intentione, & devotione. Sed subdubitabis: si post dignam communionem quis peccaret, & statim ante specierum corruptionem pœniteret, nonne Sacramentalem gratiam reciperet? Respondeo negativè; quia idem Sacramentum non agit bis effectum suum; sed in hoc casu jam operatum fuisset Sacramentum effectum suum: ergo non operaretur amplius ex opere operato. Si vero eveniret, quod Sacerdos, accepta hostia, peccaret, & ante calicis sumptionem debitè doleret, tunc reciperet gratiam Sacramentalem, vel si pœniteret ante specierum sanguinis corruptionem, quod à fortiori patet

Pp

ex

ex resolutione dubii; quia tunc Sacramentum sub specie vini nondum tribuerat suum effectum, si cum obice fuit receptum: ergo obice ablato, causaret effectum.

670 Dubitabis 4. *An infirmo, qui jam accepit Viaticum possit iterum, atque iterum, ministrari hoc Sacramentum in eadem infirmitate per multos dies constituto, licet non sit jejunus?* Respondeo affirmative. Est satis communis. Ratio est: quia textus concedentes constitutis in periculo mortis communicare non jejunis, concessionem hanc non limitant pro una vice: ergo nec limitari debet, maxime cum congruum sit Ecclesiae pietati hoc favere saluberrimo beneficio constitutis in tali periculo. Est vero dissidium inter Authores, quot dies intercedere debeant inter unam, & aliam communionem? Alii assignant sex, alii octo dies, alii minus. Verum hoc relinquendum est judicio Confessarii, & Parochi infirmi, attentis circumstantiis, fervore, & devotione subjecti, quae talis posset esse, & tale illius solatium, quod oporteret frequenter recipere, & illi ministrare hoc Sacramentum, maxime cum de communione quotidiana non sit aliqua Ecclesiae prohibitio. Sic Gonzalez Mattheo. Hinc.


671 Dubitabis 5. *Quid de frequenti, aut quotidiana communione sentiendum?* Hac in re nihil resolutorie invenitur certum. Quidam Eucharistiae frequentationem nec laudant, nec reprobant. Nomine Augustini laudantur haec verba: „ Quotidie Eucharistiae communionem percipere, nec laudo, nec vitupero. „ Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo, & hortor: si tamen mens sine affectu peccandi sit.“ Eandem moderationem adhibuit Hieronymus, dicens Epist. 30. ad Pammachium: „ Scio Romae esse consuetudinem, ut fideles semper Christi corpus accipiant: quod neque repraehendo, nec proba. Unusquisque enim in

„ suo sensu abundat.“ Verum Canones, & caeteri Patres, frequentiam communionis suadent. Tridentina Synodus sess. 13. cap. 8. ad illam hortatur, & S. Gregorius VII. Epist. ad Comitissam Mathildem an. 1073. Idem hortatur Cyprianus lib. de Orat. Dominica, Basilius Epist. ad Caesariam, Chrysostomus homilia 5. in 1. Epist. ad Thimoth. quorum testimonia colligit Natal Alex. lib. 2. Theol. Moral. cap. 5. Et postea docuit idem Salesius part. 2. cap. 20. Principium itaque est omnino certum, quod accedentes ad communionem, maxime frequenter, accedere debent, nedum contriti, & sine voluntate peccandi, sed maximo cum affectu, & devotione, a terrenis affectibus, & carnalibus concupiscentiis purgati, necnon, ut Augustinus monet, cum humilitate Centurionis, sese indignos censendo Christum recipiendi. Si ita Sacramentum sumatur, semper ex parte sua est utilissimum. Unde sic dispositis utilius est communicare, quam a communione desistere: atque id commonstrat nascentis Ecclesiae consuetudo, ac saluberrima monita Conciliorum, & Patrum.

672 Hinc pro frequenti communione haec tradam regulas, inter alias, quae poterant assignari. Prima est Seraph. Doct. D. Bonavent. in 4. dist. 12. part. 2. quaest. 3. ut qui innocenter vivit, virtutemque sectatur, atque imitari studet nascentis Ecclesiae pietatem, ac devotionem (quod nullus de se ipso praesumere debet) arbitrio prudentis Confessarii, etiam quotidie communicet. Secunda est Salesii, ut qui caret affectu peccati, atque Sacrae Synaxeos desiderio inflammatur, ad eam, saltem singulis Dominicis diebus, accedat. Tertia a S. Basilio laudata est, quod qui caelibem agit vitam, & sedulo in obsequium Dei incumbit, in exercitationeque virtutum proficit, *ter.* aut *quater*, in hebdomada communicet, ut ipse refert de quibusdam Monachis sub Apollo Abbate, qui ser-

servaverunt hanc consuetudinem. Postrema, & certissima regula est, ut quisque consilia sequatur Confessarii docti, & prudentis. Is vero memor sit praeccepti Dominici, non absque causa dati Exodi cap. 16. de manna: „ Colligat unusquisque, quantum sufficit ad vescendum. *Et Proverb. 25.* Mel invenisti, comede, quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud.“ Pariter a Regidioribus Confessarii memoria tenendae sunt duae propositiones ab Alexandro VIII. proscriptae. 1. „ Sa-

„ communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint. „ 2. Similiter arcendi s. a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnium mixtionis expertus.“ Caeteri fideles monendi sunt, ut saltem quinto-decimo die communicent, si possint, vel semel in mense, si frequentius non potuerint. Et haec sufficiant de hoc augustissimo Mysterio corporis, & sanguinis Domini, ad Dei gloriam, & nostram utilitatem. Amen.



TRACT. VII. DE MISSAE SACRIFICIO



NIHIL IN RELIGIONE CHRISTIANA DEO EST gloriosius, nihil inferno terribilius, quam incruenta Christi Domini in Altaribus quotidiana immolatio. Non igitur inde mirum videri debet, quod Diabolus per haereticos, suos assecras, omnes adhibuerit artes, ut Eucharistiae, & Sacrificii fidem ex Christianorum cordibus eliminaret: & hoc maxime praestitit hisce postremis saeculis. Primus itaque qui exitiale bellum Missae Sacrificio indixit, fuit Lutherus Lib. de Captiv. Babilon. ubi inter alia scribit: *Scandalum speciosissimum, quod Missa passim creditur esse sacrificium, quod offertur Deo.* Unde asserit, nullum esse Sacrificium in nova lege; praeter sacrificium Crucis. Majori adhuc audacia, & impudentia, insectatus est Calvinus eandem catholicam veritatem Lib. 4. instit. cap. 18. ubi asserit, *blasphemiam, & contumeliam irrogari Christo, quando dicitur, Missam esse Sacrificium.* Et num. 9. audacter pronuntiat, *perversitatem banc incognitam fuisse puriori Ecclesiae.* Hos omnes errores longe majori impietate supergressus est impiissimus Bernardinus Ochinus in libello *adversum Missam*, ubi omnes blasphemias, quas ei Daemon suggererat, spurcissimus itele, infando pectore, & nebulo calamo, evomuit. Contra omnes hos, & alios similes, procedendum est in hoc Tractatu, edocendaque sunt alia plura pertinentia ad hoc Sacrosanctum Sacrificium.

DISPUTATIO UNICA.

COMPLECTENS QUIDQUID AD MISSÆ SACRIFICIUM ATTINET.

Non pauca elucidata manent de Eucharistia, in quantum Sacrificium, dum Tractat. præcedenti egimus de illa, in quantum Sacramentum. Quapropter sub unica Disputatione, per aliquas quæstiones, quas excitabimus, & per plura dubia, quæ interpolatim proponemus, brevi scalamo, quæ de hoc Sacrificio restant, explicabimus.

QUÆSTIO I.

In quo consistat Sacrificium in communi? & an Missa veram Sacrificii rationem habeat?

Infariam accipi potest Sacrificii nomen, quod à sacra facere venit, videlicet, *impropriè, & metaphoricè*, seu generaliter, & *propriè*. Priori modo sumitur quodlibet opus bonum, & meritorium, quo Deo placemus, & de quo ait D. Augustinus Lib. 12. de Civit. cap. 6. „Sacrificium est omne opus, quod „agitur, ut sancta societate inhæ- „reamus Deo, & quo veraciter „Beati esse possimus.“ Hujus Sacrificii varia genera memorantur in Sacra Scriptura. Psalm. 30. dicitur sic: „Sacrificium Deo spiritus contribu- „latus. *Ecclesiast.* 36. Qui facit mi- „sericordiam, offert sacrificium. Et sic de pluribus aliis locis sacris. Sacrificium *propriè* sumptum est *actus virtutis Religionis, quo Deo exhibemus cultum debitum ipsi, in signum ejus in nos, & in omnia, supremi dominii, & nostræ subjectionis.* Istud est duplex, *internum, & invisibile, actus, nempe, & affectus interior*

*voluntatis, quo homo se, & omnia sua Deo offert: et externus, ac sensibilis, et est actus ille exterior, quo affectum illum internum testamur, et quo summam illi reverentiam, et cultum sensibilibus exhibemus. De Sacrificio in hoc sensu hinc agimus, et in quo consistat, quaerimus; quia quidquid hæretici vocitent, sic solum est sacrificium propriè dictum. Sed notandum, quod ut August. loco citato expendit, Deus non vult sacrificium trucidati corporis, sed vult sacrificium contriti cordis. Est dicere, quod Deus non vult, neq. acceptat nostrum sacrificium, si cor offerens non est rectum. Unde sequitur, quod opera meritoria, quæ impropriè sunt sacrificium, gratiora sunt Deo, et ad misericordiam movent eum efficacius, quàm externa opera, quæ sint sacrificium propriè dictum: et maximè dum offeruntur ab hominibus pravis, Deo offensis, ac sine ulla animi devotione: *talibus enim sacrificiis, ait D. Antonius, non placatur Deus.* His consideratis.*

2 Sit prima Conclusio: Sacrificium propriè dictum est „oblatio externa rei sensibilis, et permanentis, legitima autoritate instituta, cum ejus immutatione, per Minis-
trum

trum legitimum soli Deo facta, in protestationem summæ illius excellentiæ, & supremi dominii, aut dominationis in vitam, & mortem. Definitio hæc in re est omnium Theologorum, & ejus veritas, atque aptitudo, explicando eam demonstratur. Dicitur *oblatio* loco generis; quia in omni sacrificio aliquid offerri debet, & per id convenit cum aliis actibus religionis, qui sacrificia non sunt propriè. Dicitur *externa*; nam est actus religionis, non quidem internus, sed externus. Sacrificium enim est præcipua nota Ecclesiæ, quæ est visibilis. Unde debet colere Deum aliquo sensibili cultu, & fidelibus omnibus noto. Dicitur *permanentis*, per quod distinguitur amplius ab actibus transeuntibus, ut *adorationis, & genuflexionis*, quibus ex religione Deum colimus, sive internè, sive externè, sed transeunter. Dicitur *legitima autoritate instituta*, nempe, vel à Deo, vel ab alio, dispositione, & commissione ipsius: siquidem, ut ex Augustino inquit Subt. Doct. 4. dist. 1. quæst. 7. de Sacrificiis legis naturæ, *non placuissent Deo, nisi instituta fuissent ab ipso.* Unde nullus arrogare sibi debet auctoritatem sacrificandi, & hostias offerendi, nisi à Deo, vel ab hominibus ex parte Dei, ad id sit assumptus, ut ad Heb. 5. ait Apostolus.

3 Dicitur: *cum ejus immutatione, aut destructione*: nam per sacrificium protestamur, Deum habere dominium in vitam, & mortem, adeo ut prohibito omnia possit immutare: & hoc est, quod significatur per immutationem illius rei, quæ offertur. Quare in omnibus sacrificiis prius institutis res oblata immutabatur, saltem ex parte. Patet in oblationibus *pecudum*, quæ occidebantur; *vini*, quod in terra effundebatur; *panis*, qui in frustra frangebatur; *tritici*, quod conterebatur; *manipuli spicarum*, qui torrebantur; *thuris*, quod adolebatur &c. Dicitur *per Ministrum legitimum*; quia ut Apostolus Hebr. 5. ait: *ne-*

mo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron. Ob hoc in omni lege observatum fuit, ut ad offerenda sacrificia, aliqui specialiter destinarentur. Sic Gen. 14. Melchisedech dicitur *Sacerdos Dei summi.* In lege naturæ Patresfamilias, & familiæ primogeniti, Sacerdotio fungebantur ex Dei voluntate. Si verò alii sacrificasse leguntur, ut Abel, Noe, Abraham, id ex speciali inspiratione fecerunt. Et in lege scripta familia Aaron huic muneri fuit destinata: quialiter illud temerè usurparunt, ut Ozias, & Saul percussusunt à Deo. Dicitur: *soli Deo facta*; quia sacrificium soli infinito Domino est debitum. Ideo Exodi 22. dicitur: *qui immolat Diis, occidetur, præterquam Domino soli.* Unde August. lib. 1. contra Adversarium legis cap. 18. ait: *Dæmon offerri sibi sacrificium non exigeret, nisi vero Deo deberi sciret.* Dicitur denique: *in protestationem summæ &c.* quod ultima est differentia, & finis sacrificii.

4 Ex dictis inferes distinctionem sacrificii à cultibus reliquis, tam internis, quam externis, nempe, *devotione, oratione, adoratione, primitiarum oblatione, & donorum, ac decimarum, voto, juramento, laude, & actione gratiarum*, quæ omnia à ratione sacrificii propriè dicti excluduntur. Et pariter candelarum accensio, quæ quidem non fit ad summum Dei dominium in vitam, & mortem, protestandum, sed ad divinum cultum decorandum, ad gaudium populi Christiani in sacris mysteriis testificandum, & ad adventum Christi, qui est lux vera illuminans omnem hominem significandum. Hæc eadem ratione thurificationes sacrificia non sunt; sed adhibentur solum ad officii celebritatem, & ut nos ad devotionis, & charitatis fervorem, excitent: ut sicut incensum ascendit coram Domino in odorem suavitatis, ita pariter ascendat ad Deum nostræ preces. Sic in terminis

nis explicat, & docet Trident. Ses. 2. c. 5. cujus titulus est: *De solemnibus Sacrificii Missæ cæremoniis*. Et hæc summam de 1. quæst. parte.

5 Accedendo ad 2. quæst. partem, quæ est principalior, ac difficilior: an, nempe, *Missæ veram Sacrificii rationem habeat*? præmittendæ sunt plures appellationes Missæ sub ratione sacrificii. Dicitur à S. Epiphano *æconomia*, & *latría*: à S. Chrysostomo appellatur: *hostia mundans*: à S. Augustino, *sacrificium præstii nostri*, *corporis*, & *sanguinis Christi*: à S. Fulgentio, *sacrificium panis*, & *vini*. Ab aliis Patribus vocatur *Sacrum Ministerium*: *Mystagogia*, seu *secreta actio*; quia olim non fiebat coram Catechumenis, nec Gentilibus: *Synapsis*, propter populi unionem cum Christo: *Anaphora*, seu *sursum elatio*; quia cor nostrum elevat ad Deum. Unde Sacerdos canit: *sursum corda*, & respondet populus: *habemus ad Dominum*. At verò inter tot, & adhuc alia nomina, duo celebriora sunt, & maxime usitata, scilicet, *Missæ* apud Latinos, & *Liturgia* apud Græcos. Hæc vox *Liturgia*, quamvis communis sit ad quodlibet exercitium sacrum significandum, tamen omnibus Patribus, & authoribus Græcis consentientibus, ex frequenti usu usurpatur, ut significet oblationem, & celebrationem Corporis, & Sanguinis Christi Domini. Nomen *Missæ* similiter usurpatur ad significandam omnem illam actionem sacram, qua in Ecclesia Catholica conficitur, & offertur Deo Eucharistia. Hujus vocis antiquitatem demonstrat præclarè Baronius ad ann. Christi 34. n. 6. eaque usa est in suo Exordio Romana Ecclesia, Patres, & Concilia. Unde vox hæc *Missæ* semper in Ecclesia Latina prævaluit ad significandum Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini. Qui plura hac de re desiderat, consulat Baronium, & alios Controversistas.

6 Sed est non parvum dissidium inter Authores: an hoc nomen *Missæ*, sit Hebraicum, vel Latinum? Concilium Senonense in decretis fidei sentit Hebraicum esse, quod etiam affirmavit Baronius cum pluribus aliis Theologis. Alii per oppositum asserunt, vocem illam nec esse Hebraicam, nec ex Hebræo derivatam, sed esse Latinam. Ratio eorum est, quia si esset Hebraica, omnes Christianæ nationes retinissent eam, sicut retinuerunt hujusmodi alias, ut sunt *Amen*, *Alleluja*, *Sabaotb* &c. quibus Græci utuntur: Voce autem *Missæ* numquam usi sunt, sed pro *Missæ Liturgiam* dicunt. Nec Origenes, Justinus, Epiphanius, Hieronymus, & alii Hebraicæ linguæ peritissimi, umquam usi sunt hac voce. Quare verisimilius est, eam vocem esse Latinam, in quo cæteri Theologi conveniunt, deductamque esse à verbo *mitto*, eò quòd in illa oblatio, & preces ad Deum mittuntur. Unde, dum Diaconi in fine oblationis fidelibus denuntiant, *ite Missæ est*, sensus est, quòd oblatio transmissa sit ad Deum pro eis, sicque libere possunt recedere. Sic conceptis terminis D. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 51. Vel nomen *Missæ* deductum est à *Missione*, seu *dimissione* populi post sacrificium peractum, ut Augustinus Serm. 237. de tempore, Isidorus lib. 6. Originum, cap. 16. & plurimi alii, sentiunt.

7 Hinc olim duplex erat populi *dimissio*: una, quæ fiebat, finitis precibus, quibus poterant interesse Catechumeni, & Emergenti, qui voce Diaconi jubebantur exire, ne sacris interessent: altera erat, quæ peracta Eucharistiæ celebratione, fidelibus fiebat facultas exeundi, Diacono, vel Sacerdote, dicente: *ite Missæ est*. Unde *Missæ* erat duplex: alia dicebatur Catechumenorum, quæ complectebatur preces fieri solitas ante oblationem, & Catechumenorum demissionem. Altera erat *Missæ* fidelium, quæ ad communionem per-

peractam, & recitata pro gratiarum actione preces, computabatur. Usus tandem obtinuit, ut nomen *Missæ* usurpetur pro tota cæremonia, quæ comprehendit utramque Missam, de quo S. Ambrosius, & alii edocent plura. Denique Missa apud veteres interdum sumitur pro die festo: nam lib. 2. Capitularium Caroli Magni cap. 18. legitur: *usque ad Missam S. Andreae*, nempe, *usque ad diem festum*. Et sic de aliis acceptionibus hujus nominis *Missæ*. Perveniamus jam ad celebrem controversiam cum hæreticis, præsertim hujus temporis.

8 Sit II. Conclusio: *Eucharistiæ celebratio, quæ solitò Missa dicitur, est verè, & propriè Sacrificium*. Est dogma Catholicum, ab omnibus SS. Patribus firmissimè creditum, & expressum in plurimis Conciliis ab Ecclesiæ exordio, nempe, in Nicæno I. Can. 14. in Ephesino I. tom. 1. cap. 16. in Chalced. actor. 1. in Nicæno II. act. 6. in Lateranensi sub Innocentio III. cap. firmiter: in Florentino in decreto unionis: & demum in Tridentino sess. 22. Can. 1. sic statuitur: *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, anathema sit*. Legatur totum caput hujus sessionis, in quo veritas hæc demonstratur solidissimè. Accedunt Pius V. & alii Pontifices, hanc Bani propositionem damnantes: *Sacrificium Missæ non alia ratione est sacrificium, quàm generalitè illa, quæ omne opus, quod fit, ut sancta societate Deo inhæreat homo*. Et quamvis nihil Deo gloriosius; nec Dæmonibus terribilius, Missæ Sacrificio, ad eò audacter hæretici illud impugnant, ut Lutherus anno 1528. blasphemando scribat: „Se supra omnes abominationes habere Missam, & nihil magis dolere: quàm quòd per „annos 15. Missas celebravit Catholicorum more.“ Hinc Parlamentum Anglicum Missam, ut Sacrificium, damnavit anno 1549. Similia deli-

ramenta aliorum hæreticorum insinuantur in Proëmio. Nunc jam.

9 Catholica veritas demonstratur 1. Aliquod verum Sacrificium haberi debet in lege gratiæ, seu in Ecclesia Christi; sed verum, & proprium legis gratiæ aliud esse non potest, quàm Sacrificium Missæ: ergo Missa est sacrificium verè, & propriè. Probo majorem, quam Calvinus negat, tum; quia nullus hominum status fuit, nulla lex, nulla religio, in qua non steterit aliquod Sacrificium, per quod populus in cultu Divino conveniebat, & supremam Dei excellentiam, ac potestatem ejus in nos, protestabatur; sed talis cultus, ac protestatio fit propriè per proprium sacrificium: ergo in lege gratiæ aliquod agnosci debet verum sacrificium. Major est expressa doctrina D. August. lib. 19. contra Faustum cap. 16. dicentis: *in nullum nomen Religionis, sive verum, sive falsum, coadunari homines possunt, nisi aliquo Sacrificiorum, & Sacramentorum consortio colligentur*. Vide Tractat. 1. de Sacramentis, disp. 1. quæst. 4. per totam, in qua prolixius agitur de hac materia. Ulterius probatur major ex celeberrima Malachiæ prophetia, in qua alloquens Judæos, ait illis cap. 1. *non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim ad Occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur nomini meo oblatio munda, quæ verba apertissimè pronuntiant futurum Sacrificium in lege Evangelica, ut uniformiter intelligunt omnes SS. Patres, et Catholici Expositores, dempto nemine: ergo. Nec quòd Sacer Vates utatur verbo de præsentì, *sacrificatur*, nostræ obstat rationi in minimo: nullus namque litteratus ignorat, quòd Prophetæ, ut suæ prædictionis designent certitudinem, futura, quasi præsentia, vel præterita nuntiant, et exprimunt satis frequenter, juxta illud Psalm. 21. *Diviserunt sibi vestimenta mea*, id est, di-*

divident. Et Psalm. 5. in omnem terram exiit sonus eorum, nempe, exiit.

10 Nunc sic : sed talia verba intelligi non possunt in lege Evangelica, nisi de Sacrificio Missæ : ergo Missa est sacrificium propriè dictum legis gratiæ. Prob. minor. subs. ex SS. PP. sic unanimi consensu prophetiam hanc de Missæ Sacrificio intelligentibus. S. Ireneus: Accepit (*Jesus*) panem, & gratias egit, dicens... hoc est corpus meum... & novi testamenti novam obtulit oblationem, quod ex duodecim Prophetis Malachias designavit. Sic etiam Chrysost. in Psalm. 53. Hieronymus in Comment. ad hunc locum Malachias. Mitto alios PP. præter Augustinum, qui lib. de Civitate Dei hæc habet: „Hoc sacrificium per Sacerdotes secundum ordinem Melchisedech, in omni loco a solis ortu usque ad occasum, jam videant offerri. Sacrificia Judæorum, de quibus dictum est, non est mihi voluntas in vobis, jam cessasse, non possunt (*Judæi*) negare, aut alium Christum expectant. Idem dicit Chrysostomus, & idem dicerent hæreticis nostri temporis, qui Judæorum imitantur incredulam inflexibilitatem.

11 Per dicta infractæ manent hæreticorum responsiones. Dicit Calvinus, Prophetam loqui de sacrificio spiritali, & invisibili, consistente in fide sacrificii Crucis, oratione, gratiarum actione, & aliis operibus bonis. Sed responsio hæc militat contra omnes SS. PP. prophetiam intelligentibus de Sacrificio Missæ, ut constat ex num. anteced. Deinde contra 1. quia sacrificium spirituale est impropriè dictum, ac propterea non appellatur *sacrificium absolutè*, sed cum addito, scilicet, sacrificium *laudis, laborum, vociferationis, justitiæ* &c. Sacrificium verò, de quo vaticinium loquitur, est verè, & propriè sacrificium, nempe, *externum, & publicum*; sed illa sacrificia

spiritualia non sunt externa, nec publica, sed privata: ergo intelligendus est locus de sacrificio vero, quod fit publico nomine, & quod aliud non est, quàm Sacrificium Missæ. Probo major; quia Propheta loquitur de nova oblatione, & sacrificio, succedente sacrificiis legis Moysæ, quæ abrogata sunt per hoc novum sacrificium; sed sacrificia spiritualia non fuerunt inter Judæos abrogata, nec inter Christianos noviter instituta, cum in lege naturæ, & veteri, fuerint, sicut in nova: ergo Propheta loquitur de sacrificio novo propriè dicto, contrapositivè ad sacrificia abrogata per illud, quæ quidem erant sacrificia publica, & externa. Minor constat, quia fides Christi, & bona opera, non succedunt sacrificiis Judaicis, sed communia sunt omnibus justis, tam Judæis, quàm Gentilibus, & Christianis. Quare in omni loco, ubi fuit fides verè Dei, fuit etiam hoc sacrificium. Contra 2. quia Propheta loquitur de *oblatione munda*, & quidem ratione re oblatæ, quæ ut Tridentinum sess. 22. pulcherrimè docet, *nullis offerentiæ peccatis inquinari potest*; sed nostræ opera non semper sunt munda, & Deo placentia, maximè in Sectariorum sententia, qui vocitant: *omnia nostra opera esse peccata*, atque ad eò immunda, & Deo ingrata, atque solùm grata propter ipsius indulgentiam: ergo vaticinium rationabiliter intelligi non potest de sacrificio spiritali, sed præcisè de oblatione mundissima Eucharistiæ.

12 Demonstratur 2. veritas Catholica: Christus, dum Eucharistiam instituit, verum sacrificium obtulit; sed in Missa idem fit, quod ipse fecit, juxta illud ejus mandatum: *hoc facite in meam commemorationem*: ergo in nova lege Missa est verum sacrificium. Probo majorem; tum ex SS. PP. docentibus, Christum, dum in Cœna ultima hoc Sacramentum instituit, verè sacrificasse. Et sicut Agnus Paschalis, qui fuit figura

Chris-

Christi, prius sacrificabatur, & postea sumebatur in cibum, ita Christus prius seipsum sacrificavit, et postea se in cibum dedit. Sic expressè D. Gregorius Nyssenus hom. de *Resurrect.* Leo Papa Serm. de *Pensione*, Rupertus Lib. 2. in *Exodum* cap. 6. Cyprianus Serm. de *Cœna*, et sic de cæteris Patribus. Tum ex Psalm. 109. ubi de Christo dicitur: *tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, quod idem Apostolus probat, & confirmat ad Heb. 7. Sed non potest verè talis esse, nec appellari, si instituendo Eucharistiam, verum sacrificium non obtulerit; ergo Christus, dum Eucharistiam instituit &c. Minor patet: nam ut Christus sit Sacerdos secundum ordinem, seu juxta ritum Melchisedech, debet convenire cum illo in ritu offerendi verum sacrificium: hæc autem convenientia salvari non potest, quin Christus in *pane, & vino*, sive sub speciebus panis, & vini, verum sacrificium Deo obtulerit, sicut Melchisedech verè in *pane, & vino*, sacrificavit, ut legitur Gen. 14. *Melchisedech Rex Salem, proferens panem, & vinum: erat enim Sacerdos Dei Altissimi.* Nunc sic: Sed non aliter obtulit hoc sacrificium, quàm Eucharistiam instituendo: ergo hæc est verum sacrificium.

13 Plura respondent hæretici, ut vim declinent argumenti 1. quòd Melchisedech non protulit panem, & vinum, in Sacrificium, sed in refectioem Abrahæ, & ejus Militum, ex prælio revertentium. 2. quòd Melchisedech non fuit Sacerdos, sed solùm fuit Princeps, ac propterea non sacrificavit. Verum utraque responsio est falsissima, sicut & aliæ, quas Calvinus autumat. Et quidem gratis concesso, quòd Melchisedech panem, & vinum, in victoriæ celebrationem, Abrahæ, & ejus militibus, protulisset, hoc fuit post oblatum sacrificium ex eisdem rebus pro victoria Abrahæ, ut scripsit Philonus Ju-

Tom. II.

dæus lib. 1. de Abrahamo, ubi alt: „Magnus Pontifex Melchisedech re-
„deuntem (*Abrahamum*) conspicatus,
„& attonitus tanti facinoris,
„manus in cœlum tendens, fausta
„illi precatus est, & oblati pro
„victoria sacrificiis, splendidum epulum
„sociis omnibus dedit.“ Eodem modo, nempe, de vero Melchisedech sacrificio in pane, & vino, & non de refectioe tantum militum, explicant, & intelligunt Textum, Rabini celeberrimi, ac veteres, quos Genebrardus Judaicarum rerum peritissimus, in *Chronologia* refert in exordio tertiæ ætatis. Præterea, eo in loco Genesis tres narrantur actiones Melchisedech, scilicet, panem, & vinum proferre, seu offerre, Abrahæ, & militibus benedicere, & ab Abrahamo decimas accipere; sed istæ duæ posteriores actiones, nempe, *benedicere, & decimas accipere*, sunt planè Sacerdotales: ergo & prima, offerendi panem, & vinum, fuit Sacerdotalis, & ad sacrificium pertinens: igitur & fuit verus Sacerdos, & verè in pane, & vino sacrificavit.

14 Deinde adversus Calvinianam doctrinam militant omnes Ecclesiæ Patres, qui distinctè, & clarissimè docent, Melchisedech verum Sacerdotem fuisse, ac panem, & vinum, in sacrificium Deo obtulisse: & pariter Christum vocari Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, eò quòd sacrificium in pane, & vino, obtulerit. S. Ambros. lib. 5. de *Sacram.* c. 1. agens de pane, & vino ad Eucharistiam consecrandam, inquit: „cognovimus horum Sacramentorum figuram Abrahæ temporibus præcesisse, quando S. Melchisedech obtulit sacrificium. *Et cap. 5. in Epist. ad Heb.* Hujus ordinem Sacrificii Melchisedech justissimus Rex per similitudinem instituit, quando panis, & vini fructus Domino obtulit. Constat enim pecudum victimas periisse, quæ fuerunt in ordine Aaron, non

Qq

„Mel-

„ Melchisedech. “ Eodem modo explicat textum D. Hieronymus Epist. 26. statuens Melchisedech fuisse Regem, & Sacerdotem, qui carnis, & sanguinis victimas non immolavit, nec dextra suscepit brutorum sanguinem, sicut Aaron sacrificavit, sed pane, & vino, simplici, puroque sacrificio, Christi adumbravit Sacramentum, & sacrificium. Et quæst. Hebraicis in Gen. Abrahæ historiam referens, atque verba Ps. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, proferens, insimulque distinctionem sacrificii Aaronici enuntians, inquit, *Melchisedech non obtulisse, sicut Aaron, irrationalia victimas, sed pane, & vino oblato, præfigurasse Christi Domini sacrificium.* Non minori expresione loquitur D. Augustinus pluribus in locis supra eundem locum: *Tu es Sacerdos &c.*

15 Ex his Patribus, & ut advertit D. Hieronymus, ex Hypolito Martyre, ex Eusebio, Ireneo, Emiseno, & aliis, constat apertissimè, Melchisedech fuisse summum Dei Sacerdotem, verum sacrificium in pane, & vino obtulisse, & non solum, ut Calvinus proterviat, protulisse militibus Abrahæ in refectio- ne, ac denique hæreticorum effugia intacta manere. Nostram doctrinam perspicuissimè explicat S. Ciprianus Epist. 63. ubi exponens verba: *Tu es Sacerdos in æternum &c.* inquit, idem fuisse sacrificium Christi, ac Melchisedech, quantum ad externa Symbola panis, & vini; non verò quoad rem sub symbolis latentem, nempe, corpus, & sanguinem Christi, per hæc verba: „ Tu es „ Sacerdos in æternum secundum or- „ dinem Melchisedech; qui ordo „ venit, & descendit de sacrificio „ illo, quod Melchisedech fuit Sa- „ cerdos Dei summi: quod panem, „ & vinum obtulit, quod Abraham „ benedixit: Quis enim magis Sacer- „ dos, quàm Dominus noster, qui „ sacrificium obtulit Deo Patri, &

„ obtulit hoc idem, quod Melchise- „ dech obtulerat, id est, panem, „ & vinum, suum, scilicet, cor- „ pus, & sanguinem. “ Quid clari- „ us adversus deliramenta hæreti- „ corum!

16 Ostenditur 3. nostra veritas ratione Theologica: in Ecclesia Catholica est verum Altare: ergo & sacrificium; quia sunt correlativa: nam Altare est propter sacrificium, & hoc supponit Altare. Prob. anteced. Tum ex Paulo ad Hebr. 3. dicente: *habemus Altare, de quo edere non debent, qui Tabernaculo deserviunt*, nempe, qui adhuc perseverant in Judaismo. Tum ex D. Ambros. lib. de *eleemosina, & jejuniis*, ex Ireneo, cap. 34. ex August. lib. 6. *Confess.* cap. 13. & lib. 9. *contra Faustum*, cap. 18. & cæteris Patribus, id expresse docentibus. Urgetur: quia in Missa exactè concurrunt omnes conditiones necessariæ ad sacrificium propriè sumptum: ergo est tale. Prob. anteced. nam reperitur oblatio rei sensibilis, nempe, corporis, & sanguinis Domini, Deo facta sub speciebus panis, & vini: adest legitimus Minister, scilicet, Christus, & Sacerdotes legitimi: reperitur sufficiens hostiæ immutatio, per hoc, quod *ex vi verborum consecrationis*, corpus ponatur seorsim à sanguine, & sanguis à corpore: vel per consumptionem specierum à celebrante: & denique adest recognitio supremi domini Dei, cum fiat ad hoc illa oblatio, & immutatio hostiæ: ergo Missa est verè, & propriè sacrificium Evangelicæ legis. Aliis efficacissimis rationibus, & Patrum autoritatibus, hoc propugnant dogma Catholicum, quotquot adversus hujus temporis Sectarios scripserunt,

17 Objiciunt hæretici 1. Dum Christus Eucharistiam instituit, verum sacrificium non obtulit: ergo nec Catholici, dum Missam celebrant, sacrificium verum offerunt, & consequenter Missa non est verè,

&

& proprium sacrificium. Prob. anteced. si in Eucharistiæ institutione, verum sacrificium Christus obtulisset, superfluum, & inutile fuisset sacrificium Crucis; sed hoc Catholici non dicunt: ergo nec quòd in Eucharistiæ institutione sacrificium fecisse, dicere debent. Prob. anteced. illud sacrificium fuisset valoris infiniti, tanti, ac talis, qualis fuit sacrificium Crucis; sed hoc stante, hoc fuisset superfluum, & inutile: ergo. Major est indubitata, cum eademmet sit oblatio, nempe, Christus Dominus. Prob. minor. Per illud sacrificium infiniti valoris, quod quidem præcessit sacrificium Crucis, Christus nostram redemptionem sufficientissimè consummasset, & pro peccatis hominum Deo plenissimè satisfecisset: ergo ad hoc jam non fuisset opus sacrificio Crucis, et consequenter hoc fuisset inutile, vel saltem non fuisset sufficiens. Sed hoc est absurdissimum; nam Christus per sacrificium crucis complevit omnia ad hominum salutem necessaria: unde Apostolus ad Hebr. 10. ait: *unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum... una enim oblatione consummavit in æternum sanctificatos*: ergo quodlibet aliud sacrificium est superfluum, et sacrificio crucis injuriosum, et consequenter Missa non potest esse sacrificium: vel si est, (dicunt hæretici) injuriam facit sacrificio crucis.

18 Respondeo 1. instando argumentum: Christus per crucis sacrificium plenissimè satisfecit, non solum pro peccatis hominum existentium in nova lege, sed etiam, & æqualiter, pro peccatis eorum, qui fuerunt in lege naturæ, & Mosaycæ; sed non obstante merito, et satisfactione sacrificii crucis, vera fuerunt sacrificia in utraque lege: ergo cum sacrificium crucis non minorem virtutem habuerit erga homines illos, quàm erga Christianos, pari ratione potest in Evangelica lege esse verum sacrificium, et consequenter inutile

Tom. II.

est argumentum. Deinde in forma dico, quòd sicut alia Christi opera, infinite meritoria, et satisfactoria, juxta doctrinam Scholarum Tract. de Incarnatione, ordinata, et subordinata erant passioni, et cruci, per quam ex divina voluntate consummanda erant, quoad hominum redemptionem: sic juxta Dei plàcitur, et pactum, sacrificium incruentum ab ipso ante passionem celebratum, subordinatum fuit passioni, et cruci, qua redemptio nostra consummaretur, juxta illud Ecclesiæ: *qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti.* Ex alia parte non obstat, nec obstare potest, quòd crucis sacrificium habeat vim infinitam, et manentem ad sanctificandum, et salvandum homines: nam licet Christus perfectissimè pro nobis satisfecerit in cruce, quoad sufficientiam, non quoad efficaciam. Et quare? Quia ex ejus voluntate requiritur, quòd, ut satisfactio sit efficax, nobis applicetur per Sacramenta, et Sacrificium Missæ, quæ, ut præclare docet S. Cæsarius Arelatensis, homil. 7. de *Paschate*, sunt media ordinaria, quibus effluit in nos meritum Passionis Christi. Unde negandæ sunt propositiones, sicut in argumento sunt negatæ. Non enim Sacrificium Missæ est inutile, nec injuriosum sacrificio crucis, per quod *una oblatione Christus sanctificatos in æternum confirmavit*, sed est utilissimum, necessarium, et à Domino præceptum, tamquam medium efficacissimum, per quem valor, et meritum crucis nobis applicatur. Sic etiam omnia nostra bona opera non sunt superflua, nec inutilia, sed proficua valde, et à sacrificio crucis participantia valorem.

19 Objiciunt 2. Quod est Sacramentum, et Testamentum, non est propriè sacrificium; sed Eucharistia est Sacramentum, et simul Testamentum; nam per illam *future gloriæ nobis datur pignus*: ergo. Prob. major. ex eo, quod rationes Sacramen-

Qq a ti,

ti, et Testamenti, pugnant cum ratione sacrificii: nam Deus per Sacramentum aliquid nobis largitur, scilicet, gratiam: at verò per sacrificium, nos Deo offerimus, & ipsi victimam immolamus. Testamentum est promissio hæreditatis à Deo habendæ, & sacrificium est victimæ oblatio in Dei honorem: & satis ridiculum videtur dicere, quòd hæres per ipsum testamentum aliquid det testatori. Confirmatur: quia in nova lege non sunt Sacerdotes Christo Domino succedentes: ergo nec sacrificium: Sacerdotium enim, & sacrificium sibi correspondent mutuò, ut diximus in tertia probatione cum Apostolo. Prob. anteced. ex Paulo ad Hebr. 7. ubi ait, in veteri lege Sacerdotes Aaronicos plures fuisse, eò quòd morte prohibebantur permanere: *Christus autem, eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.* Ergo nemo succedit Christo in Sacerdotio, quia successio est per mortem, & Christus in æternum vivit, & consequenter jam non sunt Sacerdotes.

20 Respondeo distinguendo maj. quod est Sacramentum, & Testamentum, non est sacrificium, secundum eandem rationem, concedo: secundum diversam, nego maj. & sic distinguo consequens. Dico igitur, quòd Eucharistia non est sacrificium sub ratione sub qua est Sacramentum, & Testamentum, benè verò sub propria ratione sacrificii, quæ non est incompatibilis. Patet clarissimè; nam in lege veteri Agnus Paschalis erat Sacramentum, quatenus erat signum visibile invisibilis gratiæ; & erat simul sacrificium, in quantum Deo immolabatur. Similiter Eucharistia, quatenus est signum nostræ justificationis est Sacramentum: quatenus offertur Deo in recognitionem supremi illius domini, habet rationem sacrificii: & tandem in quantum est legatum nobis relictum, & pignus accipiendi hæreditatem Regni Cælestis, habet rationem testamenti, &

est instrumentum publicum manifestans voluntatem testatoris, nempe, Christi. Nec inconvenit, quòd eadem res, quam per Testamentum accepimus, in testatoris honorem à nobis offeratur, & maximè si testator id præcipiat in testamento, ut nobis præcepit Christus: tum; quia nihil Deo offerre possumus, quod prius ab eo non accipiamus, ut Paralip. 29. dicitur: *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.* Tum; quia laudabile est in hærede offerre, vel in laudem, vel in utilitatem testatoris partem, ad minus aliquam, hæreditatis sibi legatæ, ut si curet sacra fieri in ipsius requiem.

21 Ad confirmationem dico, quòd Christus, ex eo quòd sit Sacerdos in æternum, & semper vivat ad interpellandum pro nobis, ut ait Apostolus, non habet successores in Sacerdotio, qui habeant eandem potestatem, & autoritatem, modo quo se succedebant Sacerdotes Aaronici, Summus Pontifex succedit D. Petro, & Episcopi aliis Episcopis. Sic enim nullus Christus in Sacerdotio succedit: at verò ex hoc non sequitur, quòd nullos habeat Sacerdotes, qui sint Vicarii, Ministri, et dispensatores: quinimo cum Christus Sacerdotio jam non fungatur, per se, et immediatè, offerendo sacrificia, necessè est, quòd habeat plures Vicarios, et Ministros, per quos hoc faciat, juxta illud Apostoli 2. ad Corinth. *Pro Christo legatione fungimur &c.* Sic pariter Christus in Evangelio Matth. 23. appellatur *unus Magister*, et Joan. 11. *unus Pastor*: quod quidem non impedit, quòd in terris habeat plures Ministros, qui veluti Magistri, Doctores, et Pastores, vice ipsius fideles doceant, et gregem suum verbo, atque salubri doctrina, continuo pascant. Unde illud Apostoli oraculum, pro argumento objectum, plurimum nobis suffragatur,

22 Pro aliis, quæ adversus catholicam

tholicam veritatem ab hæreticis agglomerantur, advertite 1. quòd dum Augustinus lib. 2. *contra litteras Pelitiani*, cap. 86. et Hieronymus super caput *Malachiae*, verba illa interpretantur de *sacrificio laudis*, idè est, quia reverà Sacrificium Missæ cum laude offertur, et in hoc sensu sacrificium laudis vocari potest: per hoc tamen non excludunt isti Patres sacrificium proprium, ut Augustinus exprimit lib. 18. de Civit. cap. 25. Et similiter Hieronymus, quos noluit intelligere malitiosus Calvinus. Advertite 2. quòd per illam vocem Joan. 19. *consummatum est*, Christus expressit. non quòd omnia sacrificia complevisset, adeò ut nullum aliud in Ecclesia sua extaret, ut Calvinus intendit: sed illam protulit, et propter singularem adimplerem præcepti de morte subeunda, et ob consummationem Scripturarum, quæ omnes in ejus morte verificatæ sunt, et propter copiosissimam redemptionem, et satisfactionem nostrorum peccatorum. Advertite 3. quòd dum Christus in illo colloquio cum Samaritana, quæ interrogavit: *an deberet Deus coli, & adorari in templo, vel in monte Garizim?* [erat enim quæstio inter Judæos, et Samaritanos, quo in loco deberet offerri sacrificium] ei respondet Joan. 4. *Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis, adorabunt Patrem: quia veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate*: dum hoc, inquam, Christus dixit, solum declarare voluit, quòd neque in monte illo, neque in Jerosalem, adoraretur, et coleretur Deus in posterum sacrificiis carnalibus Judæorum: non tamen voluit, futuram non esse aliam adorationem, et sacrificium, quale est Eucharisticum, et ab ipso Domino institutum, et præceptum, quò Deus verè colitur, et in spiritu, et veritate, adoratur.

QUÆSTIO II.

In quo Sacrificium Missæ formaliter consistat?

23 **S**Ex præcipue actiones enumerantur, quibus constat Missæ Sacrificium. 1. Est *oblatio panis, & vini*, quæ ante consecrationem fit, illis verbis: *Suscipe, Sancte Pater &c. banc immaculatam hostiam &c.* 2. est *consecratio ipsa sub utraque specie.* 3. est *oblatio, quæ paulo post consecrationem fit*, his verbis: *Offerimus præclare majestati tuæ de tuis donis, ac datis, hostiam puram &c.* 4. est *fractio hostiæ consecratæ* in tres partes, quarum duæ apponuntur in patena, & altera in calicem mittitur. 5. est *sumptio utriusque speciei*, quæ fit à Sacerdote sacrificante. 6. est *distributio ejusdem Sacramenti inter circumstantes*, seu communio circumstantium. Hinc ortæ sunt diversæ Theologorum sententiæ, dissidentes, in quam earum consistat essentialiter Sacrificium Missæ? Nugus 3. part. quæst. 83. artic. 1. conc. 3. scripsit, Sacrificium Missæ salvari essentialiter in qualibet ex prædictis sex actionibus, sumptis vagè. Hæc vero sententia ab omnibus rejicitur, cum certissimum sit, sacrificium in actione aliqua determinata à Christo oblatum fuisse, & ita à nobis offerri debere. Alia sententia rationem essentialem hujus sacrificii stabilivit in *oblatione præcedente consecrationem.* Pro hac sententia citat Vazquez Gabrielem, & aliquos alios, inter quos, quamvis falsò, anumeratur à pluribus exteris, Scotus. Altera sententia, quam docuit Echius, Gabriel, Ricardus, & alii apud Leandrum, essentialiam Sacrificii Missæ consistere in *oblatione subsequente consecrationem.* Canus lib. 12. de locis cap. 13. ad quartum argument. cum Valentia affirmat, *fractiorem hostiæ consecratæ* ad essentialiam hujus sacrificii spectare.

tare. Albertus in 4. dist. 13. Ledema, & alii alii, defendunt, totaliter consistere hoc sacrificium in illius sumptione: sed Henricus Bellarmus & alii, sustinent, in eadem partialiter consistere, ita ut ex consecratione, & sumptione, Sacrificium Missæ essentialiter constituatur. En authorum varietatem, erga præsentem difficultatem. Contra hos omnes

24 Dico I. „Eucharistiæ sacrificium non consistit essentialiter in oblatione præcedente consecrationem, nec in oblatione illam consequente.“ Est communis Theologorum sententia. Prob. quoad 1. partem: Tum ex Concilio Tridentino. Ses. 22. c. 2. definiente, *rem oblatam in hoc sacrificio esse corpus, & sanguinem Domini*; sed per oblationem ante consecrationem factam non offertur corpus, & sanguis Domini, cum nondum sit sub speciebus panis, & vini, sed solum adsit materia consecranda, & convertenda in corpus, & sanguinem Christi: ergo. Tum; quia in primitiva Ecclesia prædicta oblatio non fiebat in Missa, ut constat ex antiquioribus Liturgiis: nec constat ex Scriptura, aut traditione, quod Christus hanc oblationem fecerit; sed in Ecclesia Missa semper fuit verum, & integrum sacrificium, & pariter Christus perfectum sacrificium obtulit, dum hoc Sacramentum instituit: ergo. Prob. quoad 2. partem eadem ratione; siquidem non constat, Christum in cœna talem oblationem fecisse post consecrationem. Nec per eam oblationem fit immutatio aliqua rei oblatæ, quæ immutatio est de ratione sacrificii. Unde hæc oblatio solum est ex Ecclesiæ institutione, & fit in persona, & nomine ipsius, & etiam Sacerdotis, ut patet ex illis verbis: *Unde & memores, Domine, nos servitui, sed & plebs tua sancta, offerimus &c.* Sed formalis ratio sacrificii fieri debet in persona Christi, qui est Sacerdos, & offerens principalis: ergo.

25 Dico II. *Neque consistit essentialis ratio sacrificii in fractione hostiæ; nec in sumptione; nec in Eucharistiæ distributione.* Suadetur 1. pars: Tum; quia per illam actionem frangitur quidem hostia consecrata, sed non corpus Christi, nec ejus sanguis significativè, aut ex vi verborum, separatur à corpore, quod necessarium est ad rationem sacrificii: ergo. Tum; quia Christus in cœna non fregit panem consecratum, sed ante consecrationem fregit illum. Tum; quia talis fractio non semper facta est in Ecclesia, ob quod in Liturgia S. Basilii non fit mentio de illa: ergo non pertinet ad rationem sacrificii. Prob. 2. pars: si sacrificium essentialiter, sive totaliter, sive partialiter, juxta opinionum varietatem, consisteret in sumptione, Sacerdos sumens partem hostiæ ab alio consecratæ cum intentione offerendi cultum Deo, verè sacrificaret, aut partem essentialem sacrificii efficeret; sed hoc dici non potest: ergo. Deinde: Sacrificium offertur, & fit, in persona Christi, qui est offerens, & Sacerdos principalis: sumptio autem non fit in persona Christi, sed in persona ipsius sumentis, estque communis tam Sacerdotibus, quam laicis: ergo. Quare, cum de fide sit ex Tridentino, Christum in cœna perfectum obtulisse sacrificium, non est de fide, quod sumpserit panem consecratum, quamvis hoc probabilius sit contra plures Theologos, ut etiam nos docuimus. Prob. jam 3. pars: Tum; quia sacrificium à solo Sacerdote confici potest, & offerri: distributio verò Eucharistiæ fieri potest à Diacono. Tum; quia Eucharistiæ distributio, & sumptio, supponit sacrificium jam peractum: nam est illius participatio, Apostolo 1. ad Cor. dicente: *nonne qui edunt hostias, participes sunt Altaris?* Denique, verissimè, & perfectè, potest celebrari Missæ Sacrificium, etsi nullus è populo accedat ad communionem, ut quotidie experitur.

26 Dico III. *Missæ Sacrificium essentialiter consistit in sola consecratione.* Resolutio hæc validissimè probatur ex refutatione aliarum sententiarum: & vicisim ex hujus probatione duæ præcedentes fortiùs, & evidentiùs confirmantur. Est verior, & communior opinio Theologorum, tam nostræ scholæ, quam extra illam, cum D. Thoma. Prob. 1. in nulla ex aliis actionibus in Missa peractis sacrificium hoc consistit essentialiter, ut per singulas discurrendo patet: ergo precise consistit in consecratione. 2. ex PP. Ambrosio, Chrysostomo, Irenæo, & aliis, uniformiter docentibus, Christum *per verba consecrationis verum effecisse Sacramentum, veram præstitisse Oblationem, & holocaustum, seu sacrificium.* Prob. 3. in sola consecratione reperitur ratio essentialis sacrificii: ergo in ipsa sola hoc sacrificium consistit. Prob. ant. Tum; quia ipsa sola est mystica, & incruenta Christi jugulatio, aut mactatio, seu mystica separatio corporis à sanguine, cum per ipsam, *vi verborum*, corpus, & sanguis ponantur seorsim unum, ab alio, sicut in cruce reverà separata fuerunt: ergo per consecrationem Christus mysticè, & incruentè, immolatur, & consequenter in sola ipsa stat sacrificii essentialis ratio. Tum: in sacrificio requiritur necessario immutatio victimæ, ad testandam omnipotentiam Dei, quatenus Author est vitæ, & mortis, ut constat ex 1. quæst. Sed eo ipso, quod *vi verborum* ponitur corpus absque sanguine, & sanguis absque corpore, Author vitæ, & mortis significatur: nam sic mors Christi testatur mysticè, ac moraliter præsens, in sacrificio incruento, & commemorativo cruenti, in quo reverà mors illa evenit: ergo. Tum; quia in ea, & sola actione consistit sacrificium Missæ, quæ fit in persona Christi, qui est principalis Sacerdos offerens, juxta Tridentin. ses. 22. c. 1. Sed in sola consecratione

Sacerdos loquitur nomine, & persona Christi, ut dictum est sæpè: ergo.

27 Dico IV. *Eucharistiæ sumptio, quamvis non sit de essentia sacrificii requiritur tamen ex Christi voluntate ad ejus integritatem.* Patet 1. ex eo, quod Christus Apostolis dixit: *accipite, & manducate: bibite ex hoc omnes.* Et postea addidit: *Hæc quotiescumque feceritis &c.* Unde eis præcepit, quod quoties ejus nomine sacrificium offerent, victimam sumerent, atque ita de sacrificio participarent. Quare Conc. Toletan. 12. c. 5. quosdam Sacerdotes, qui in Missæ celebratione corpus, & sanguinem Christi, non sumebant, graviter reprehendit, dicens: *qualiter erit sacrificium, cujus nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* Patet 2. ex solitudine Ecclesiæ, ejusque universali, & perpetua praxi, ut ipse celebrans, aut eo post consecrationem deficiente, alius Sacerdos, etiam non jejunus, debeat supplere, & sumere species consecratas: quod utique signum est, Ecclesiam sic intellexisse institutionem Christi, consequenterque sumptionem ad integritatem sacrificii necessariam esse.

28 Dico V. „Oblatio hostiæ facta ante consecrationem, et oblatio post consecrationem, et pariter fractio, ac divisio hostiæ, solum est necessaria ex determinatione Ecclesiæ.“ De utraque oblatione constat; quia non constat, Christum tales oblationes fecisse, nec semper fuerunt universaliter in praxi, ut supradictum manet: ergo solum sunt necessariae ex determinatione Ecclesiæ. De fractione hostiæ dicendum est, Ecclesiam eam præcipere; tum ad Christi imitationem, qui acceptum panem benedixit, ac fregit, deditque Discipulis: tum veluti quandam præparationem, nempe, ut commodius sumatur à sacrificante. Tum ad significandum per hostiæ fractionem in tres partes, tres hominum sta-

status, scilicet, eorum, qui jam sunt in Cælo, eorum, qui sunt in purgatorio, & eorum, qui adhuc sunt in mundo. In Muzarabi ritu hostia in septem partes dividitur ad varia mysteria significanda, ex Lyurgia S. Isidori. Sed advertendum, quod si hostia ante fractionem in calicem caderet, & convenienter frangi non posset, tunc ibi deberet relinqui usque ad sumptionem simul cum sanguine.

29 Arg. 1. contra primam, & secundam resolutionem: plures ex SS. PP. Missam vocant sacrificium panis, & vini: ob quod ordinando in Sacerdotem traditur calix cum vino, & patena cum pane, de hacque oblatione fit mentio, dum prædicta materia ei traditur, & dicitur: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia Dei &c.* ergo PP. & Ecclesia sentiunt, in prædicta oblatione consistere sacrificium. Confirmatur ex Subt. Doct. in 4. dist. 13. quæst. 2. dicente: *Respondeo, quod oblatio non pertinet ad rationem consecrationis, nec necessario requiritur, quod offeratur: offertur enim hostia non consecrata, & tunc est sacrificium, non Sacramentum:* ergo ex Scoto oblatio consecrationem præcedens ingreditur sacrificii essentialem rationem. Pariter: per oblationem factam post consecrationem Christus Dominus, seu corpus, & sanguis ejus, sufficienter offertur Deo: ergo oblatio hæc etiam est sacrificium.

30 Respondeo negando consequens. Sacrificium Missæ utique vocatur à PP. sacrificium panis, & vini, eò quod panis, & vinum transeunt in hujus sacrificii victimam, quæ est ipse Christus, qui, ut contentus sub speciebus, instar substantiæ panis, & vini, verè immolatur. Ob eandem rationem dicitur, Christum obtulisse panem, & vinum, in sacrificium. Nec quæcumque oblatio est sacrificium, sed illa tantum, qua res immolata sic immutatur, ut ipsius

immutatione denotetur, Deum esse mortis, & vitæ nostræ authorem, & Dominum, ut sæpè diximus. Per quod negatur ultima consequentia. Ad locum Subt. Doct. negatur consequentia. Certum itaque est, exteros ferè uniformiter affirmare, Scotum hoc in loco sensisse, rationem sacrificii essentialiter consistere in oblatione consecrationem præcedente: sed omnes nostri authores indiscriminatim id negant, quamvis non omnino uniformiter illum ibi intelligant, & explacent. Et cum fides potius contubernalibus adhibenda sit, quam exteris, parum refert, quod Adversarii affirmant, Scotum oppositum sensisse.

31 Dico igitur, Scotum ibi solum velle, illam hostiam, seu illius oblationem, tunc esse sacrificium virtualiter, & quasi in potentia proxima dicatam, & destinatam futuræ consecrationi: non verò esse sacrificium formaliter. Unde, dum Scotus dicit, quod quando offertur hostia non consecrata, tunc est sacrificium, non sumit illud formaliter, sed pro re, quæ virtualiter, aut in potentia quasi proxima, est sacrificium, quatenus, nempe, est dicata, & destinata proximæ consecrationi, in qua sacrificatio formaliter consistit. Sic exponit mentem Scoti Irribarne disput. 54. sect. 4. Hugo Cavellus dicit, quod Scotus loquitur de materia ex qua: quo sensu Patres dicunt offerri panem, & vinum. Unde id, quod necessario præsupponitur ad sacrificium, vocatur etiam sacrificium. Sic actus intellectus ad imperium prærequisitus, dicitur imperium. Sol hominem generare dicitur, etsi ad illius generationem solum concurrat, materiam disponendo. Alia plurima hujus veræ theologiæ omitto exemplaria. Hyquæus disp. 13. quæst. 4. dicit, Scotum ibi sacrificium sumere latè, nempe, pro oblatione cærimoniali, quæ disponit ad essentialem oblationem, in qua sacrificium essentialiter consistit. Quælibet ex his expo-

po-

sitionibus est sufficiens ad exprimendum, mentem Scoti non esse, quam intendunt Adversarii. Quod ultra constat ex eo, quod quodlib. 20. sæpè affirmet Scotus, *Christum Dominum esse rem oblatam in Sacrificio Missæ.*

32 Arg. 2. pro asserentibus, fractionem hostiæ esse de essentia hujus sacrificii: Tum; quia Christus fregit panem, & præcepit, ita nos facere: ergo fractio etiam requiritur ad essentiam sacrificii. Tum; quia fractio hostiæ, ut docet D. Prosper, fit, ut significetur fractio, seu passio cruenta Christi; sed hæc significatio necessaria est in hoc sacrificio: ergo fractio hostiæ rationem habet sacrificii, non minus quam consecratio. Respondeo, Christum fregisse panem, non ante consecrationem, sed post illam, ut dixi in meis Prolegom. in univ. Sacr. Scripturam, loquendo de prolepsy, cum D. August. D. Thoma, & D. Bonaventura, fol. 267. num. 266. Videatur ibi sensus verborum illorum Matth. *Accipit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque &c.* contra pravam Calvini intelligentiam. Sensus igitur est: *accipiens Jesus panem, benedixit, dicens: hoc est corpus meum, & deinde fregit, deditque discipulis suis.* Nec nobis præcepit Jesus illum frangere, sed hoc fit ex dispositione Ecclesiæ, ob rationes assignatas supra num. 28. Pariter, nec per fractionem hostiæ representatur Christi passio, saltem representatione requisita ad sacrificium, quæ, cum stet in protestatione domini Dei erga nostram vitam, & mortem, fit propriè per consecrationem. Per quod negatur consequens primæ probationis, et major secundæ.

33 Arg. 3. pro sumptione, in qua est specialior difficultas: Tum: in illa actione consistit Sacrificium Missæ, in qua representatur sacrificium crucis, passio, & mors Christi Domini; sed in sumptione hoc representatur, juxta illud ad Corinth.

Tom. II.

11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis:* ergo ratio sacrificii consistit etiam in sumptione. Accedit D. Prosper, adducens August. Lib. Sentent. dicens: *Cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quam Dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur?* ergo. Tum: sola sumptio victimam immutat, & per solam ipsam destruitur esse sacramentale, quod Christus habuerat sub speciebus: estque ipsius victimæ consumptio; sed in hoc consistit ratio essentialis sacrificii: ergo. Tum: Sacrificium Missæ à SS. PP. vocatur *holocaustum*; sed in holocausto est jugulatio, aut mactatio victimæ, & etiam illius consumptio: ergo utraque ista actio concurrat ad Sacrificium Missæ, ut pertinens ad substantiam illius: ergo ad Missæ Sacrificium essentialiter spectant, & consecratio, quæ est mactatio mystica, & sumptio, quæ est quasi consumptio, seu victimæ crematio: ergo partialiter saltim est de essentia hujus sacrificii. Tum; in die veneris sancti celebratur verum sacrificium: nam in offertorio dicitur, sicut in aliis diebus: *Sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo &c.* Et dum Sacerdos ad populum convertitur, dicit: *orate, fratres, ut meum, ac vestrum sacrificium &c.* sed eo die non consecrat, sed solum hostiam pridie consecratam sumit: ergo potissimum consistit sacrificium hoc in sumptione.

34 Respondeo, distinguendo major. in qua representatur sacrificium crucis, & mors Christi, per mortem, seu mactationem mysticam, concedo: per representationem puram illius mortis, quæ est mediata, seu ex suppositione illius, nego major. & minor. sub hac distinctione. Itaque ratio sacrificii exigit, nedum, quod actio fiat in memoriam, aut eultum passionis Christi: aliàs quæ-

Rr

via

vjs actio hoc fine facta esset sacrificium: requiritur insimul, quod ipsamet sit protestatio, saltem mystica, supremi domini Dei erga nostram vitam, & mortem. Hoc solum in consecratione reperitur, cum illa sola, *vi verborum*, corpus, & sanguis mutuó separeatur, seu interveniat mystica mactatio. Unde per ipsamet actionem recoli debet mors Christi practicé, & non solum ex fine, aut intentione communicantis, quod solum adest in sumptione specierum. Etenim hæc mediáté tantum, & ratione alterius, quod præsupponit, nempe, consecrationis, representat Christi mortem: nam hoc ipso, quod Christi corpus sumitur, jam per consecrationem supponitur Christus mysticé mactatus, & *vi verborum* immutatus. Nec aliud voluere Paulus, Prosper, & August.

35 Ad 2. dico, quod res oblata in Sacrificio Missæ, seu res sacrificata, non sunt species, quæ sumuntur, & consumuntur, sed ipsamet Christus, qui in Missa immolatur, & in qua immolatio specierum non intenditur. Nec ad rationem sacrificii incruenti, quale est hoc, requiritur immutatio physica rei oblata; sed sufficit mystica, qualis solum, & veré reperitur in consecratione. Et quamvis destructio, aut physica immutatio victimæ, necessaria esset ad sacrificium mysticum, & incruentum, quod non est concedendum, adhuc ad hoc non sufficeret sumptio specierum, cum per ipsam solum species immutentur. Et hoc non quidem in ipsa sumptione, sed postea, dum jam sunt in stomacho, & contrariis qualitatibus alterantur. Ex quo negatur major, minor, & consequentia, quæ omnia sunt falsa, & á recta hujus sacrificii intelligentia valde aliena. Unde sumptio specierum extrinseca, & accidentaria est Sacrificio Missæ: etsi aliás, media illa, destruantur species consecratæ.

36 Ad 3. dico, vocari holocaustum,

non per proprietatem, sed solum per similitudinem, aut appropriationem, quatenus in hoc sacrificio Christus totus se offert Divine Majestati, eademque est hostia in Cruce, ac in Missa, quamvis diverso modo oblata. Patet doctrina hæc: quia si Eucharistia rationem propriam holocausti habet, sequeretur, quod á nemine deberet manducari, & quod deberet flammis comburi: nam lex holocausti est, quod soli Deo cedat, & nullus ex eo manducet. Hac de causa olim comburebatur holocaustum, ne putrefieret, sicque horrorem aliquem gigneret, cum illud comedere, aut in alios usus invertere, nefas esset. Ad ultimum nego, quod in die Parasceves conficiatur sacrificium, ut jam alibi est dictum, sed victima præcedente die oblata sumitur, tam pro salute Sacerdotis, quam populi, ob quod adstantem rogat populum, ut in sui, & populi utilitatem, cedat illa Eucharistiæ sumptio. Unde nomen sacrificii ibi non sumitur pro actione sacrificativa tunc, sed pro consumptione hostiæ sacrificatæ prius.

37 Arg. 4. adversus 3. assertionem, quæ est nostra sententia: Tum: actio illa, quæ est productiva victimæ, non est illius destructiva; sed per consecrationem corpus, & sanguis Christi, qui in hoc sacrificio est victima, producit, seu ponitur, aut fit præsens, sub speciebus panis, & vini: ergo talis actio non est immutativa, nec destructiva victimæ: ergo cum victimæ immutatio sit de essentia sacrificii, illa actio essentiam ejus ingredi non potest, & consequenter Sacrificium Missæ non consistit in consecratione. Tum: oblatio est de essentia sacrificii, ut constat ex ejus definitione; sed ipsa consecratio non est oblatio, nec vim oblationis habens: ergo sacrificium non consistit in consecratione. Prob. min. 1. quia in Trident. sess. 22. cap. & can. 1. dicitur, Sacerdotibus dari potestatem consecrandi, offerendi,

di, & ministrandi corpus Christi: ergo consecratio distinguitur ab oblatione, & consequenter non est oblatio, nec vim oblationis habens. Prob. min. secunda oblatio panis, & vini fit ante consecrationem, et oblatio corporis, et sanguinis Domini fit post consecrationem; sed in Missa non est alia oblatio: ergo.

38 Respondeo ad 1. distinguendo maj. non est illius destructiva, ut productiva est, seu adductiva, hoc est, quatenus *vi verborum* ponitur præsens corpus Christi, concedo; & sic consecratio est actio conversiva unius substantiæ in aliam: secundum modum ponendi ibi corpus Christi, nego maj. & conseq. & sic est sacrificativa, aut mysticé mactativa. Destructio itaque, aut immutatio hujus victimæ, in eo non stat, quod Christus veré, & physicé mactetur, quod ibi est impossibile, sed in eo, quod immutetur, aut mactetur mysticé. Quod utique evenit, & fit, per hoc præcisé, quod *vi verborum* corpus separetur á sanguine, & sanguis á corpore. Unde verba consecrationis duo habent, & ponere corpus Christi ibi præsens, & tali modo illud ponere. Sub prima consideratione adest *transsubstantiatio*, & fit Sacramentum; sub secunda intercedit *mactatio mystica*, & fit sacrificium. Ad 2. nego absolute min. Ipsa itaque essentialis, & practica oblatio hujus victimæ consistit in consecratione. Unde ista est essentialis oblatio in hoc sacrificio: aliæ verò oblationes factæ ante, & post consecrationem, accidentales sunt, & mere ceremoniales, ex institutione Ecclesiæ. Nec requiritur, quod expressis verbis fiat oblatio essentialis in sacrificio, cum non in verbis, sed in rebus consistat essentia illius. Nec Tridentinum vult, quod *offerre essentialiter, & consecrare*, sint duæ actiones distinctæ; sed quia consecrare plus se extendit, quam offerre, cum multa consecrentur, quæ non offeruntur, ut *templa, calices*

Tom. II.

&c. ita loquitur, ut significet, Sacerdoti conferri potestatem, nedum consecrandi, sed etiam offerendi, tam materiam consecrationis, quam jam consecratam, ut in Missa nomine proprio, & Ecclesiæ, facit: consecratio verò, seu essentialis, & substantialis oblatio, semper fit nomine Christi Domini. Vide dicta num. 24.

39 Quæres I. *Quæ sit hostia, seu res oblata in Missa?* Respondeo 1. Corpus, & sanguinem Christi sub speciebus panis, & vini, esse præcipuam hostiam, quæ in hoc sacrificio offertur. Constat 1. ex sæpè dictis, quod & ipse Christus significavit, dum dixit: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.* Constat 2. ex PP. & præsertim Augustino lib. de Civ. c. 20. dicente: „Hoc sacrificium successit omnibus aliis veteris testamenti ... quia pro illis omnibus sacrificiis, & oblationibus, corpus ejus offertur.“ Respondeo 2. etiam panem, & vinum, habere rationem hostiæ, sed minus principalis. Constat 1. quia in offeritorio Missæ panis appellatur. *hostia immaculata*: & vinum dicitur: *calix salutaris.* Constat 2. quia per consecrationem panis, & vinum, immutantur, & in corpus, et sanguinem Christi convertuntur.

40 Quæres II. *An adsit in Sacrificio Missæ materia, & forma? Et quæ sit?* Cum sacrificium, ut tale, rationem Sacramenti non habeat, consequenter ea proprietate, qua Sacramenta dicuntur, materia, et forma constare, de sacrificio non potest dici. At verò, cum Missæ Sacrificium offerri non possit, quia Eucharistiæ Sacramentum fiat, assignari potest aliquomodo ipsius materia, & forma, quamvis proprie, & in rigore non sint talia. Unde, dico 1. *Sacrificium Missæ propriè materia, & forma, non constare.* Patet; quia hoc est proprium Sacramenti, ut talis, nempe, *esse artefactum morale, constans ex rebus, tam*

R 2

quam

quam ex materia, & ex verbis, tamquam ex forma. Sacrificium verò, quae tale, non consistit in verbis, sed in rebus, ex sæpè jam dictis. Dico 2. Assignari potest materia, & forma Sacrificio Missæ. Materia hæc sumitur dupliciter, nempe, materia, ex qua, & materia quæ. Materia ex qua sacrificii est panis, & vinum; materia quæ est ipsa victima, quæ sacrificatur, corpus, scilicet, & sanguis Domini. Hujus sacrificii forma est ipsa mactatio mystica. Sed cum mactatio hæc per specierum consecrationem fiat, verba consecrationis, non quidem ut *conversionis* panis in corpus Christi, & vini in ejus sanguinem, sed ut *mactativa*, sunt sacrificii forma. Mactatio hæc consistit in separatione mystica corporis à sanguine, & sanguinis à corpore, verborum virtute: nam sub speciebus panis, ex vi verborum, ponitur Christi corpus, & vi verborum, non ponitur sanguis; sub speciebus vini ponitur, vi verborum, non ponitur corpus: atque in hoc stat mactatio illa, quæ est sacrificii forma, seu corporis, et sanguinis Christi separatio mystica: quamvis aliis sub qualibet sepecierum phisicè, & realiter, totus, et integer existat Christus.

QUÆSTIO III.

An utriusque speciei consecratio sit de essentia Sacrificii Missæ?

41 **N**on est controversia præsens de necessitate, aut obligatione, consecrandi utramque speciem; nam Tract. antec. disp. 2. quæst. 5. conc. 2. docuimus, alterutrius speciei consecrationem à Christo Domino Sacerdotibus præceptam esse: adeo ut in hoc Ecclesia dispensare non possit, ut 3. conc. stabilitur ibi. Nec debet hic controversi de sacrificio utrumque, seu in communi, sed determinatè de solo Sa-

crificio Missæ: Siquidem aliud sacrificium propriè dictum non est in lege gratiæ, ut sentiunt Theologi omnes. Quare extra rem iudico viam mediam, qua Mastrius incedit disp. 4. q. 5. art. 1. Circa hanc difficultatem sic acceptam duplex versatur sententia. Una affirmat, in unius tantum speciei consecratione veram sacrificii rationem essentialem salvari posse, sicut in unaquaque specie consecrata vera invenitur ratio Sacramenti Eucharistiæ. Addit tamen utriusque speciei consecrationem requiri ad illius integritatem, et evidentiorum sacrificii cruenti significationem. Sic opinantur Henriquez, Nugnus, Bonacina, et alii exteri, cum pluribus ex nostris, inter quos Hiquæus, Pontius, Frassen, Delgadillo, et alii non pauci. Unde isti Authores sentiunt, utriusque speciei consecrationem necessariò ad integritatem Sacrificii Missæ requiri, sed non ad essentiam talis sacrificii. Altera sententia affirmat oppositum, et hæc est communior, et mihi verior, ac probabilior: quam etiam amplectitur Mastrius, et eruditè expendit Bened. XIV. de Sac. Missæ. Cum his.

42 Sit Concl. Utriusque speciei consecratio essentialiter necessaria est ad Missæ Sacrificium. Unde si Sacerdos alterutram speciem sine alia consecraret, verè, et propriè sacrificium à Christo institutum non efficeret, aut offerret. Prob. 1. hac mihi efficacissima ratione: in Ecclesia Christi aliud sacrificium verum, et proprium, non est, quam sacrificium Missæ ab ipso, et prout ab ipso, est institutum; sed hoc sacrificium essentialiter constat, et substantialiter consistit, in utriusque speciei consecratione: ergo. Major certa est apud omnes, et patet; tum ex dictis quæst. 1. Tum ex D. Aug. supra num. 39. laudato. Prob. min. hoc sacrificium essentialiter consistit in eo, in quo, & sub quo Christus illud instituit; sed Christus essentialiter, &

ex

ex æquo illud instituit in utriusque speciei consecratione: ergo. Prob. minor. Christus illud instituit, ut Sacerdos secundum ritum, seu ordinem Melchisedech; sed sacrificium Melchisedech essentialiter ex æquo consistebat in pane, & vino, nec in solo pane, aut solo vino, verificabatur, nec esset idem sacrificium: ergo pariter de sacrificio Christi, secundum illius ordinem, & consequenter &c. Major est de fide, pro qua vide dicta num. 12. Min. ejusdem certitudinis videtur ex ibi dictis. Et ex Trident. Sess. 22. cap. 1. dicente: *Christus Dominus Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutus declarans, corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini, Deo Patri obtulit.* Minor indubia videtur, præsertim apud PP. Ambros. et Hieron. qui loquentes de sacrificio Melchisedech, ad distinctionem sacrificii Aaronici, dicunt, *quod non sicut Aaron sacrificavit, sed pane, & vino, simplici, puroque sacrificio, Christi adumbravit sacrificium:* igitur æque principaliter, et essentialiter, in Melchisedech sacrificio ingrediuntur panis, & vinum, atque ex utroque substantialiter integratur.

43 Prob. 2. Christus hoc sacrificium sub utraque specie instituit, præcepit, ac voluit, ut sub utraque specie hoc sacrificium à Sacerdotibus perficeretur; sed si ita non fit, non est sacrificium, quod Christus voluit, et instituit: ergo. Maj. constat ex PP. tam Græcis, quam Latinis, et expressè habetur in Trid. sess. 22. cap. 1. ubi dicitur: *Christus obtulit in sacrificium corpus, & sanguinem suum, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit.* Unde non est, cur dicat Pontius, non probari sufficienter, quòd Christus absolutè præcepit, ut in illo ritu consecratio fieret. Prob. minor. per utriusque speciei consecrationem fit expressa, et expli-

cita commemoratio passionis, et mortis Christi, quæ fuit per ejus sanguinis effusionem, quæ utique commemoratio non fit, Adversariis consentientibus, per unius dumtaxat speciei consecrationem, nisi tantum implicitè: ergo si sub utraque specie Christus hoc sacrificium instituit, et hoc modo incruento ejus passio, et cruenta mors, repræsentari voluit, non esset sacrificium, quod Christus instituit, et consequenter non sufficit consecratio unius tantum speciei ad valorem, et essentiam Sacrificii Missæ. Prob. consequent. sicut Christus voluit in Sacramento Baptismi fieri mentionem expressam, et explicitam personarum SS. Trinitatis, voluit in Sacrificio Missæ mentionem, et memoriam fieri suæ passionis, ac effusionis sanguinis pro nobis; sed hoc stante, ad valorem Baptismi non sufficit dicere: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis;* quia illa verba minus clarè, et expressè significant personam Trinitatis, quam Christus voluit, instituit, ac præcepit: ergo pariter. Mitto alias rationes, quæ sparsim adductæ sunt Tract. ant. et præcipuè disput. 1. ad finem quæst. 8. §. Petes.

44 Arg. 1. Ratio vera, et realis sacrificii salvatur in consecratione uniuscujusque speciei: ergo consecratio utriusque non est de ratione essentiali Sacrificii Missæ. Prob. antec. Sacrificium est oblatio externa rei permanentis cum ejusdem destructione, facta à legitimo Ministro, summam Dei excellentiam, nostramque subjectionem erga eum repræsentans; sed unius tantum speciei consecratio totum hoc haberet: nam in sola panis consecratione esset oblatio externa; esset mystica destructio, cum ex vi verborum poneretur corpus Christi, et non sanguis, aut sine sanguine; esset à legitimo Ministro, nempe, à Sacerdote; et esset in honorem summæ majestatis: ergo. Confirmatur: quia ratio essentialis Sacramenti in qualibet specie conse-

cræ-

crata reperitur, concluditur, ambas species non esse essentielles ad rationem Sacramenti Eucharistiæ, sed tantum integrales: ergo si una tantum specie consecrata, ratio sacrificii verificatur, ut probatum manet, concluditur etiam, aliam non esse necessariam, nisi ad integritatem sacrificii. Antecedens est certum: nam quæ, ut partes essentielles concurrunt ad unum totum essentialiter constitutum, neutrum, separatim habet rationem illius, cujus est pars, nec ejus prædicationem in recto suscipere potest. Patet in corpore, & anima respectu hominis, quem essentialiter constituunt, de quorum nemine seorsim verificatur, quod sit homo.

45 Respondeo ad argumentum distinguendo antecedens: ratio sacrificii partialis, seu secundum unam illius partem, salvatur &c. concedo: sacrificii totalis, & juxta Christi institutionem, nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem dico, sacrificium esse oblationem rei permanentis cum ejus destructione, aut immutatione, à legitima auctoritate institutam, ut constat ex definitione, & ejus explicatione quæst. 1. num. 2. Unde cum Author hujus sacrificii, qui solus est Christus, & quod nemo alius immutare potest, instituerit, ac voluerit, talem rei oblatæ immutationem, seu mactationem mysticam fieri per mutam separationem corporis à sanguine, et sanguinis à corpore, ex vi verborum consecrationis, ad quod voluit sacrificium hoc offerri sicut ipse obtulit, sub duabus speciebus, panis, nempe, et vini, hinc est, quod sine illis nec est oblatio, nec mactatio rei oblatæ, quam Christus instituit, nisi ad summum partialis, et incompleta essentialiter, exigens ex Christi institutione aliam partem, sine qua non esset sacrificium, quod Christus instituit. Unde si una dumtaxat consecraretur species, sacrificium esset inchoatum, sed non subs-

tantialiter completum: esset mactatio, et repræsentatio passionis Christi virtualis, seu implicita, non explicita, qua unus ab altero, vi verborum, & positivè separatur, qualiter instituit Christus. Ex quibus legitime negatur minor, majori intellecta in sensu explicato. Ad confirmationem, concedo consequentiam, si in una tantum specie ratio sacrificii, prout à Christo institutum est, verificaretur: quia tamen verificari non potest, nego illam, et paritatem. Ratio disparitatis in eo consistit, quod singulæ species seorsim gratiam causent ex Christi voluntate: nam manducanti speciem panis, gratiam promisit, dicens: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ex quo Ecclesia colligit sensum institutionis Eucharistiæ, in quantum Sacramentum, ut singuli speciei vera conveniat ratio, et significatio Sacramenti. In ratione verò sacrificii contrarium colligitur ex modo instituendi, quod nempe, Christus voluit, non unam tantum speciem, sed utramque, ad expressius significandam passionem suam, & mortem. Est itaque in Eucharistia valde diversa, et dispar ratio, in quantum Sacramentum, et in quantum sacrificium.

46 Arg. 2. & replicabis ex Frassenio: per unius dumtaxat speciei consecrationem, sufficienter repræsentatur sacrificium cruentum crucis: ergo. Prob. ant. per solam panis consecrationem, ex vi verborum, ponitur corpus sine sanguine, & anima: similiter per vini consecrationem, ponitur sanguis sine anima, & corpore: ergo per cujuslibet speciei consecrationem sufficienter repræsentatur cruenta mactatio Christi, & consequenter &c. Præcluditur solutio ex vi verborum consecrationis calicis, non minus repræsentatur sanguis, ut abstrahens à sanguine extra corpus, quam ex vi verborum consecrationis corporis, repræsentatur corpus, ut abstrahens à vivo, & mortuo:

tuo: ergo consecratio sanguinis addita consecrationi corporis, non est magis idonea ad repræsentandam separationem sanguinis à corpore, quam sola consecratio corporis. Prob. conseq. eò verba consecrationis corporis non repræsentant corpus mortuum, aut exangue, sed à vivo, & mortuo, abstrahens; quia cum ibi verè non sit corpus exangue, sed vivum, verba illa non essent vera, sed falsa, pariter verba consecrationis calicis, non repræsentant sanguinem à corpore separatum, cum revera ibi existat intra Christi corpus: ergo si consecratio sola corporis non sit sufficiens ad repræsentandum corpus exangue, nec ambæ consecrationes simul sumptæ ad hoc erunt sufficientes, siquidem plures prævisiones non videntur magis idoneæ ad realem divisionem repræsentandam, quam una tantum, cum ambo simul præcisivæ sint.

47 Respondeo facile ex dictis, negando antecedens, & distinguo antecedens probationis: ponitur corpus sine sanguine expressè, clarè, & distinctè, ex vi verborum, nego: negativè, aut implicitè, tantum, concedo antecedens, & nego consequentiam. Innegabile est utriusque speciei consecrationem simul junctam, clarius, distinctius, ac expressius, sacrificium cruentum Christi repræsentare, per ejus veram effusionem sanguinis, & separationem à corpore. Cum autem, ut evidens fit ex dictis, Christus hoc sacrificium instituerit secundum ritum Melchisedech, & tamquam expressum, & distinctum memoriale suæ passionis, & mortis, per sui sanguinis effusionem, sequitur, nullam aliam expressionem, aut significationem, aut memoriam, esse sufficientem ad rationem sacrificii, ut à Christo institutum fuit. Nec est ratio aliqua, quæ contra hanc Christi voluntatem, & institutionem, prævalere debeat. Ad reliqua dico, quod rectè intellecta probant nostrum intentum. Consecra-

tiò itaque corporis ex vi verborum abstrahit à sanguine, & consecratio sanguinis à corpore: seu ex vi verborum expresse ponitur unum, & non ponitur expresse sine alio. Ex quo oritur, quod cum Christus voluerit hoc sacrificium fieri ad expressius suam mortem, et positivam, ac expressam, separationem sanguinis sui à corpore, significandam, nisi sic significetur, non erit sacrificium ab eo institutum. Nunc sic: sed juxta Adversarios, solum in consecratione utriusque speciei habetur ex vi verborum hæc positiva, clarior, ac distinctior expressio: ergo hæc necessaria est essentialiter ad Missæ Sacrificium. Ex quibus negandæ sunt consequentiæ. Pro aliis videntur veniunt, quæ diximus Tractatu antecedenti disp. 2. quæst. 5. per totam.

48 Quæres: *An in Missa unum sit sacrificium tantum?* Sacrificium hic sumitur pro actione sacrificativa; quia sola hæc dicitur propriè, et absolute sacrificium. Et cum actio hæc essentialiter consistat in consecratione, consecratioque panis diversa sit à consecratione vini, oritur dubium: *An sicut est duplicis speciei consecratio, sit etiam duplex sacrificium?* Delgadillo cap. 12. de Euchar. dub. 7. refert, quosdam asserere, in Missa esse duo sacrificia, unum corporis, et aliud sanguinis Domini: ad quod respondet, Missæ Sacrificium unum tantum esse, eò quod solum consistit in consecratione panis. Qui cum ipso defendunt, sacrificii essentiam salvari in unius speciei consecratione, forte idem affirmabunt, sed ipsi videant. Nos verò, qui utriusque speciei consecrationem ad Missæ Sacrificium necessariam esse contendimus, facile dicimus, *Sacrificium Missæ esse unum tantum.* Prob. Tum: quia ex dictis in quæst. hoc sacrificium ex institutione Christi integratur essentialiter ex consecratione utriusque speciei, adeò ut, qualibet earum deficiente, non esset

sacrificium, quod Christus instituit; seu desineret esse quoad suam integritatem, non quidem perfectionalem tantum, sicut pes, et manus; dicuntur integrare hominem; sed quoad suam integritatem essentialem. Ob quod sacrificium, sive sumatur pro actione, seu immolatione, sive pro victima, unum est dumtaxat. Tum; quia Trident. sess. 22. Missam vocat *singulare sacrificium*. Et quamvis in quadam oratione pro defunctis dicitur de eorum anima: *His sacrificiis purgata*: tunc sacrificium plura dicitur, ad denotandam pluralitatem materiae praesuppositae, nempe, panis, & vini, atque dignitatem, & excellentiam hujus sacrificii, modo quo Episcopus, aut alia persona notabilis, loquitur: *Nos &c. praecipimus &c.* sumpto plurali pro singulari.

QUAESTIO IV.

An Missae Sacrificium sit Latreuticum, Eucharisticum, Impetratorium, & Propitiatorium?

49 **I**N hac quaestione unice procedimus contra Novatores. Pro illius aperta resolutione, praemittitur 1. plura fuere sacrificiorum genera, quae constant ex libro Levitici, & quae a Theologis dividentur, ratione legis; ratione rei oblatae; ratione ritus; & ratione finis. Ratione legis, alia sunt sacrificia legis naturae, qualia Abel, Enos, Noe, Abraham, & Melchisedech obtulerunt. Alia ratione legis Scriptae, quae juxta mandata Levitici, obtulerunt Aaron, & filii ejus. Aliud sacrificium legis novae, quod est unicum, & de quo disserimus. Ratione rei oblatae, seu ratione materiae, aliud est *hostia*, seu *victima*, aliud *immolatio*, & aliud *libamen*. *Hostia*, seu *victima*, appellabatur *res animata*, ut *vitulus*, *ovis*, *columba*, & similia. *Immolatio* erat obla-

tio rei inanimatae, ac solidae, ut erat *farina*, *panis*, *triticum*, *frumentum*, *hordeum*, aliaque genera frugum, quae igni torrebantur, mola frangebantur, & sale conspergebantur. *Libamen* erat oblatio liquidorum, nempe, *sanguinis*, *aquae*, *vini*, & *olei*. Ratione ritus, seu ex modo oblationis; aliud erat *holocaustum*, & aliud *Hostia pacificorum*. In *Holocausto* tota victima comburebatur, ejus sanguine per circuitum altaris effuso, & deinde victima super altare adolebatur. His vero sacrificiis, etiam utebantur Gentiles, Dæmone emulante mysteria verae Religionis, ut constat Lib. 1. Fastorum Ovidii, & Virgillii *Aeneid.* 4. *Et solida imponunt taurorum viscera flammis*. In *hostiis pacificorum*, victima, sanguine effuso, in tres partes dividebatur, quarum una igni consumebatur, altera cedebat in usum Sacerdotum, & altera in usum offerentis tribuebatur. Ex quibus apparet, sacrificia hostiarum, seu victimarum, fuisse *cruenta*: Immolationum, vel Libaminum; fuisse *incruenta*.

50 Denique ratione finis sacrificium fuit *Latreuticum*, quod spectat ad Dei obsequium, & offerebatur ad testandum ipsius in universa supremum imperium, vocaturque *Latreuticum a servio*, vel *colo*, & hoc erat *holocaustum*, in quo tota victima comburebatur. Fuit etiam *Pacificum*, cujus finis, praeter Dei cultum, erat gratiarum actio pro ejus beneficiis. Cum autem gratiarum actio possit tribui pro beneficiis acceptis, vel accipiendis, *Pacificum* sacrificium duplex erat, scilicet, *Eucharisticum*, sic dictum a *gratias ago*, quod offerebatur ad gratias agendas pro beneficiis divinitus acceptis: & *Impetratorium*, quod offerebatur pro accipiendo beneficio. In hoc victima in tres dividebatur partes, ut dictum manet. Denique sacrificium ratione finis fuit *Propitiatorium*, pro remittendis, nempe, peccatis, aut poenis, suppliciisque pec-

cato debitis. Unde ejus finis, praeter divinum cultum, erat placare Deum offensum. Sed pro varietate peccatorum, et personarum, varium, et multiplex, erat sacrificium hoc *Propitiatorium*: nam aliud offerebatur pro perjurio, et aliud pro aliis peccatis. Aliud offerebatur pro peccato Summi Sacerdotis: aliud pro peccato Regis, vel Magistratus: aliud pro peccato populi: & aliud pro peccato alicujus personae particularis. In hoc sacrificio victima in duas partes dividebatur, quarum una comburebatur, altera cedebat in Sacerdotis usum, ut significaretur, quod expiatio peccati sit a Deo per Sacerdotum ministerium. Si autem sacrificium offerebatur pro Sacerdotis, vel totius populi peccato, tunc tota victima incendebatur, quin ullus eorum participaret de illo sacrificio.

51 Ex his praemitto 2. quod etsi tam varii fuerint fines sacrificiorum legis naturae, & scriptae: unus tamen eorum omnium finis fuit representatio Sacrificii Christi: ob quod Apoc. 13. dicitur: *Agnus occisus ab origine mundi*; quia omnia a mundo condito sacrificia eum representabant, & figurabant. Et quia re ipsa Christus dupliciter est immolatus, *cruentè* in cruce, & *incruentè* in Eucharistia, merito, ac mysteriosè, sacrificia antiquitus offerebantur partim cruentè, partim incruentè. In lege naturae Melchisedech in pane, & vino, incruentè sacrificavit: Abraham vero, & ceteri Patriarchae: animalia immolarunt cruentè. In lege scripta animalia, fructus terrae, & alia ex illis confecta, immolabantur: nulla tamen effusione sanguinis interveniente; quia erat prohibitum. Pro omnibus igitur sacrificiis unum successit, ab illis figuratum, in lege gratiae cruentum in cruce, & incruentum in Altari: quod optimè declarat S. Leo Ser. 8. de passione, dicens: „Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessan-

Tom. II.

„te: omnes differentias hostiarum, una corporis, & sanguinis, implet oblatio“ D. Aug. q. 57. in Levit. ait: „In multis sacrificiis, quae pro peccatis offerebantur, unum hoc nostrum sacrificium significatur, in quo vera fit remissio peccatorum.“ Ceteri SS. PP. in hoc eodem conveniunt.

52 Nunc igitur controvertitur: An Sacrificium Missae in se complectatur tria sacrificiorum genera, nuper memorata, nempe: utrum sit *Latreuticum*, *Eucharisticum*; *Impetratorium*; & *Propitiatorium*? Novatores in *Apologia Confessionis Augustanae*, quamvis revera nullum proprium sacrificium admittant, dixerunt, esse quidem *Eucharisticum* Laudatorium, sed non *Impetratorium*, nec *Propitiatorium*. Idem docuit Calvinus, quem Sectarii sequuntur. Catholici docent verissimè oppositum, cum quibus.

53 Assero 1. *Missae Sacrificium est Latreuticum, & Eucharisticum*. Prob. quoad 1. partem: hoc sacrificium offertur Deo in protestationem sui supremi Domini in vitam, & mortem: & quidem non solum aliorum hominum, sed etiam Christi unigeniti filii sui; sed hoc est sacrificium esse *Latreuticum*: ergo. Unde ex unius Missae celebratione plus honoris, & gloriae Deo tribuitur, quam ex oblationibus omnium creaturarum, si omnes in Dei gloriam, & honorem, immolarentur: eo quod Christus Dominus plures longè, ac precellentiores perfectiones complectatur, quam omnes purae creaturae simul. Quoad 2. partem, nempe, esse *Eucharisticum*, Deoque gratias tribui per illud pro acceptis beneficiis, sufficientissimè comprobatur ex ejusmet nomine: nam *Eucharisticum* sonat idem ac *gratias ago*, vel *tribuo*. Hinc ait August. lib. de *Spiritu*, & *litt.* In ipso verissimo, & singulari sacrificio, Domino gratias agere admonemur. Hoc idem significaverat Regius vates, dum Ps. 115. dixit:

Ss

Quid

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.

54 Assero 2. „ etiam est Imperatorium beneficiorum, tam spiritualium, quam temporalium: & simul Propitiatorium, seu remissionem peccatorum, & poenarum. “ Constat 1. pars, tum ex constanti Ecclesie doctrina, quam testatur Cyrillus Hieros. Catech. 5. dicens: „ Obsecramus Deo pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis, & afflictis; & in summa pro omnibus, qui egent auxilio, hoc sacrificium offerimus. “ Consonant Augustinus, & cæteri PP. qui de Sacrificio Missæ explicant illud Apostoli 1. ad Timoth. „ Obsecro omnino fieri orationes postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut tranquillam, & quietam vitam, habeant. “ Tum ratione: Sacrificium Eucharistiæ successit omnibus sacrificiis legis naturæ, & Mosaycæ, eorumque virtutem in se continet, ut dictum est num. 51. & protestatur Ecclesia orat. secreta post Domin. 7. Pentec. sic; *Deus, qui legalium differentiam victimarum unius perfectione sacrificii sanxisti &c.* Sed antiquitus sacrificia plura erant *impetratoria*, seu pro bonis spiritualibus, & temporalibus impetrandis: ergo.

55 Assertionis 2. pars, scilicet, esse Propitiatorium probatur sic: sacrificium *Propitiatorium* est, quod offertur ad Deum placandum, & ab ipso consequendam remissionem peccatorum, avertendaque supplicia, ac poenarum ipsorum; sed tale est Missæ Sacrificium: ergo. Minor demonstratur 1. ex SS. PP. Hieron. in cap. 1. Epist. ad Titum, ait: „ Quotidie Episcopus pro suis, populique peccatis, illibatas Deo offert victimas. “ August. quæst. 57. in Le-

vit. „ vetera sacrificia unum hoc nostrum Eucharistiæ Sacrificium, figurarunt, in quo fit vera remissio peccatorum. “ Cyrillus Hierosol. Catechesi 5. „ offerimus Christum pro nobis mactatum, ut nobis, & defunctis, Deum propitiatum reddamus. “ Demonstratur 2. ex D. Paulo ab Hebr. dicente: „ Omnis Pontifex constituitur, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis; sed in nova lege est verum sacrificium, & veri Sacerdotes: ergo cum hoc excellentius sit sacrificiis antiquis, oblatis pro peccatis diluendis, illud, tamquam *Propitiatorium* pro peccatis offerre debent. Denique demonstratur ex Trident. sess. 22. cap. 2. dicente: „ Docet Sancta Synodus, „ sacrificium istud verè propitiatorium esse... hujus oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum Poenitiæ concedens, peccata, etiam ingentia, dimittit. “ Et non recedens Concilium à traditione majorum, statuit Cap. 3. sic: „ Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, offerri debere, anathema sit. “ In quibus adeo expressum est Sacrum Concilium, ut meritò per ejus definitionem ora obruat Hæreticorum.

56 Objicies ex Calvino 1. Christus suo cruento sacrificio abundantissime satisfecit pro peccatis nostris: ergo vel Sacrificium Missæ frustra ponitur propitiatorium pro peccatis, vel injuriosum est sacrificio crucis, & derogativum ipsius efficaciam. 2. eò infert Apostolus, sacrificia veteris legis imperfecta fuisse, nec potuisse conscientiam mundare, quia sæpius necessum erat illa iterare: ergo si Missæ Sacrificium ad mundandam conscientiam confert, aut Chris-

Christi passio ad hoc non fuit sufficiens, aut imperfectum est Sacrificium Missæ, cum sæpius iteretur, sicut sacrificia veteris legis. 3. in sacrificio propitiatorio debet sanguis effundi: nam Apost. ad Hebr. 8. dicit: *Sine sanguinis effusione non fit remissio*; sed in Missæ Sacrificio non intercedit effusio sanguinis: ergo. Sic Calvinus, & ejus discipuli arguunt, conspirantes in hoc, quod Missæ Sacrificium, adhuc ex suppositione, quod propriè sit tale, quod numquam concedunt, non est propitiatorium pro peccatis.

57 Respondeo ad 1. negando consequentiam, & insto argumentum: Sacrificia antiqua propitiatoria, & expiatoria, non fuerunt superflua, nec sacrificio Crucis injuriosa, aut ejus efficaciam derogativa, quamvis Christus in cruce abundantissime satisfecerit, non minus pro peccatis futuris, quam pro præteritis. Quinimò, cum essent typus, & figura illius sacrificii crucis, à quo omnem suam vim accipiebant, mirum in modum ejus gloriam, & efficacitatem commendabant. Ergo cum Eucharistia, non solum sit sacrificii Crucis representatio, sed etiam ejus meriti expressa applicatio, atque ratione illius vim habet peccata remittendi; tantum ab illa abest minuere efficaciam sacrificii crucis, aut ei injuriam irrogare, quod plurimum, ipso Domino sic instituyente, ejus gloriam, & efficacitatem commendet. Unde dicimus, mortem Christi sufficientissimam fuisse ad nostram redemptionem, Apostolo ad Hebr. 10. dicente: *Una oblatione consummavit in æternum sanctificatos*: Eucharistiam verò esse medium à Christo institutum, quo meritum, & effectus sacrificii Crucis nobis applicatur. Quare sacrificium Crucis fuit plenè propitiatorium, quia ad Deum placandum, & remittenda peccata, exhibuit sufficientissimum pretium: & etiam Missæ Sacrificium dicitur perfectè propitiatorium, quia applicat

Tom. II.

illud pretium in crucis sacrificio oblatum.

58 Ad 2. respondeo, sacrificia antiqua sæpius iterari ex præcepto legis, sive homo relapsus esset in peccatum, sive non. Nec vim habebant mundandi à peccatis, sed solum ordinabantur ad quasdam legales, & corporales sordes abstergendas. Item: nec virtute sua, aut *ex opere operato*, sed solum ex opere operantis, hunc consequentur effectum. Ob hoc Apostolus ait, *illa sacrificia imperfecta fuisse, & vacua*, comparata cum sacrificio novæ legis, quod *ex opere operato peccata remittit*. Quomodo autem hoc intelligendum sit? dicitur quæst. 5. Ex quo nego consequentiam. Ex quo enim Missæ Sacrificium sæpius offeratur, ullo modo sequitur, sacrificium crucis perfectum non fuisse, & omnino sufficiens ad sanctificandum homines, quibus illius meritum, (quin tale sacrificium iteretur, cum Christus jam verè non moriatur) applicatur: nec ex repetita applicatione, mediante Sacrificio Missæ, inferri potest, hoc imperfectum esse: Tum; quia repetitur ex Christi voluntate: Tum; quia repetitur, nedum, ut Propitiatorium, sed ut Latreuticum, Impetratorium, & Eucharisticum. Igitur illius repetitio ejus efficaciam non derogat: alias nec liceret bona opera repetere, seu ab eis abstinendum esset, ne diceretur, passionem Christi, & ejus merita fuisse insufficientia: quod quidem dici non potest, cum per bona opera nobis applicemus plenitudinem, & abundantiam meritorum Christi. Similiter non liceret repetere Eucharistiæ sumptionem, per quam, ipso Calvino consentiente, virtus passionis Christi in nos ubertim exundat. Ad 3. concedo maj. de sacrificio legali, seu secundum præceptum legis, de quo loquitur Apostolus, dicens: *Omnia penè mundantur in sanguine secundum legem, & sine sanguine non fit remissio*; & nego de sacrificio novæ legis, & eucharistici-

Ss 2

co.

co. Deinde etiam fit in Missa mystica quædam sanguinis effusio, quatenus vi verborum à corpore separatur, ut pluries est dictum.

59 Ex quibus sequitur, Sacrificium Missæ esse opus virtuosum aptum ad hoc, ut fiat, juxta voluntatem sacrificantis ex quocumque ex quatuor prænumeratis motivis, & etiam pro omnibus simul sumptis. Si enim fiat, & offeratur ex fine, seu animo colendi Deum, tamquam mortis, & vitæ supremum Dominum, dicitur *Latreuticum*, seu *honorarium*. Si ad agendum gratias Deo pro accepto beneficio, dicitur *eucharisticum*, seu sacrificium laudis, & actionis gratiarum. Si fiat ad impetrandum à Deo aliquod beneficium à peccatorum remissione distinctum, dicitur *Impetratorium*. Si animo placandi Deum, ut peccata nostra remittat, dicitur *Propitiatorium*, seu *Expiatorium*. Si autem ad pœnarum pro peccatis debitaram remissionem dirigatur, dicitur etiam *satisfactorium*. Effectus hic, & quidem principalior, vivis, ac defunctis proficiens, consistit in virtute quadam in sacrificio existente *ex Christi institutione*, ut Deus pœnas peccatis jam dimissis in purgatorio respondentibus, solvat, & remittat, media applicatione hujus sacrificii, per quam Deus satisficit, acceptando satisfactionem, quam Christus æterno dedit Patri sua passione, & morte. Omnes hos effectus posse habere Sacrificium Missæ, præter fidei veritatem, constat ex diversis historiis, & frequentissimis exemplis.

60 Quæres 1. *An Ecclesia institueret possit aliquod aliud sacrificium, præter eucharisticum?* Supponit quæsitum de facto in Ecclesia non esse aliud sacrificium, ad quod solum celebrandum instituit Ministros, nempe, Sacerdotes, quibus in sua ordinatione aliam potestatem non tribuit, quam ad offerendum Sacrificium Missæ, ut constat ex illis verbis: *Accipe potestatem Missas celebrandi*. Nec

obest, quod aliqui à Lugo suppresso nomine citati oppositum opinentur, fundati in eo, quod in Can. 3. & 4. Apostolorum permittitur oblatio thymamatis, olei, spicarum, & similibus in Altari. Hoc, inquam, non obest; quia ibi sermo non est de sacrificio proprio, & strictè sumpto, sed de simplici oblatione, qualis B. V. Mariæ, aut aliis Sanctis fieri potest; & quibus verum offerri nequit sacrificium.

61 Respondeo negativè. Ratio est; quia Christus sic instituit Sacerdotes Ministrós Sacrificii Missæ, ut ad hoc solum sacrificium offerendum illis dederit potestatem, ut constat ex illis verbis, dum ordinantur: *Accipe potestatem Missas celebrandi*: ergo eis restringitur potestas sacrificandi aliam materiam. Pariter, & eo ipso, Christus Dominus Ecclesiæ potestatem instituendi Sacerdotes, & Ministros, ad aliud sacrificium efficiendum, abstulit, aut coarctavit. Quare, etsi concederetur, quod quævis republica jure naturæ potestatem gubernativam habeat, ex qua consequitur potestas assumendi in sacrificium materiam aptam, & instituendi in Ministrum personam convenientem ad sacrificandum: tamen nec Ecclesia, quæ ordinatissima republica est, potest adscribere Sacerdoti munus offerendi aliud sacrificium, nec Sacerdos habere potest tale munus. Et quare? Quia Christus Dominus, superior Ecclesiæ, & Sacerdoti, *qui instituitur*, ut talis, *quasi publicus legatus, populi ad Deum*, talem facultatem coarctavit, aut voluit solum extendi ad Sacrificium Missæ. Instituire itaque sacrificia, solius est Dei; vel si alterius, ex illius tamen commissione, ut constat ex ejus definitione, & explicatione.

62 Quæres 2. *Quomodo Christus offerat Sacrificium Missæ?* Suppono Christum Dominum esse offerentem principalem in Sacrificio Missæ, offerreque simul cum Sacerdote, ut docetur à Trident. Ses. 22. c. 2. per hæc

hæc verba: *Una enim, eademque est hostia (cum illa quæ in Ara crucis oblata est) idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa*. Remanet solum difficultas erga modum offerendi, nempe, an offerat mediatè, & remotè, aut per alium? an verò immediatè, proximè, & per se ipsum? Aliqui cum Adamo, & Ægidio, docent hoc secundum: Sed cæteri Theologi defendunt primum.

63 Dico: *Christus non offert sacrificium Missæ proximè, & immediatè, sed remotè, & mediatè*. Ita Scotus quodl. 20. §. de tertio, dicens: *Christus, etsi hic offerat ... non tamen hic offert immediatè sacrificium*. Probatur: actio consecrandi in Missa, seu ipsa consecratio, non fit ab ipsomet Christo per se ipsum, & immediatè, sed tantum fit à Sacerdote, ipsius Christi nomine, sed in hac externa actione consecrandi stat sacrificatio in Missa: ergo hoc sacrificium non offertur à Christo per se ipsum immediatè, sed tantum à Sacerdotibus. Minor est certitudo in sola consecratione loquitur Sacerdos nomine Christi, in cæteris actionibus in Missa concurrentibus se gerit nomine proprio. Prob. maj. ex Tridentino Ses. 22. docente, *Christum Dominum in Sacrificio Missæ immolari per Sacerdotes*. Sic cap. 1. Et postea cap. 2. *Christum esse nunc offerentem ministerio Sacerdotum*: ac si diceret: *non aliter offert, quam ministerio Sacerdotis, aut isto mediante*. Nunc sic: qui aliquid per aliud facit, aut ministerio alterius, illud non facit immediatè, & per se ipsum, sed tantum remotè, & per alterum; sed sic se habet Christus in Sacrificio Missæ: ergo. Major demonstrari potest aliquibus exemplis, sed sufficiat illud de Domino Eleemosinam elargiente per famulum, aut medio famulo: tunc enim Dominus Eleemosinam quidem tribuit: non verò per se ipsum, aut immediatè:

ergo pariter.

64 Objicies 1. Christus est verus, & principaliter offerens in Sacrificio Missæ: ergo immediatè offert. Antecedens certissimum est ex dictis, & constat etiam ex illo Ps. 109. *Tu es Sacerdos in æternum*: & sic dicitur; quia perpetuò offert, & sacrificat, quando Sacerdotes sacrificant. Resp. negando conseq. Sufficit enim, ut Christus verè, & propriè dicatur offerens, quod Sacerdotes suo nomine, & suam personam repræsentantes, seu in ipsius persona loquentes, verba consecrationis proferant, & sic sacrificent. Sic Dominus verè, & propriè dicitur Eleemosinam dare, quam largitur servus illius nomine, & auctoritate. Tunc igitur non dicitur, Dominum proximè, & immediatè phisicè Eleemosinam elargiri; sed tantum quod verè, & actualiter Eleemosinam faciat, dici potest: non proximè (nisi velis moraliter) sed famulo phisicè mediante. Similiter, Sacerdotes offerunt, ut Christi legati ipsum repræsentantes: ex quo solum infertur, quod quando Sacerdos offert, & ipse offerat verè, & actualiter, non autem proximè. Nec Sacerdotium consistit in usu ministrandi, sed in dignitate, & potestate, quam Sacerdos habet ad consecrandum, seu sacrificandum, quam utique Christus habet, & in æternum habebit: & similiter quilibet Sacerdos illam habebit semper, cum consistat in charactere indelebili, etiam si usus ministrandi cesset.

65 Objicies 2. Sacrificium Missæ est valoris, aut infiniti, aut summi, & quidem tale, ut dignitate ministri minorari nequeat, aut inquinari: ergo Christus est actu, & proximè offerens. Antecedens constat ex Trident. Ses. 22. c. 1. Prob. conseq. Sacrificia suum valorem, & dignitatem habent ab offerente, & non ab instituyente: ergo. Resp. negando consequentiam, & antecedens probationis de proximo, & immediato offerente, non de principali, licet me-

mediato. Valor Sacrificii Missæ, et ejus bonitas, non est *ex opere operantis*, seu ex merito Ministri, ut dicitur quæst. sequenti, sed *ex opere operato*, instar Sacramenti. Ad hoc autem non requiritur bonitas aliqua in proximo offerente, ut patet in Ministro alicujus Sacramenti, sed sufficit ipsamet institutio, & voluntas Christi communicantis valorem illi actioni sacrificii, quamvis à malo Ministro facta sit. Nec est idem concurrere *actu* ad illam actionem, ac concurrere *proximè*, nisi controversia fiat de nomine, aut de solo modo loquendi, ut constat ex num. anteced. Concurrit itaque verè Christus Dominus, assumendo Sacerdotes, tamquam Ministros, & Vicarios sui ad munus sacrificandi. Unde concurrat verè, & meritorie: eò quòd sua passione meruit impetrare à Deo positionem sui corporis, & sanguinis sub speciebus, factam ex vi verborum Sacerdotis, etiam indigni, & consequenter se offert Æterno Patri, mediante oblatione sui Ministri.

QUÆSTIO V.

Quomodo Missæ sacrificium suos causet effectus?

66 **C**um jam dixerimus, sacrificium hoc esse, præter *Latreuticum*, & *Eucharisticum*, *Impetratorium* beneficiorum spiritualium, ac temporalium, atque *Propitiatorium*, & remissivum peccatorum mortalium, ac venialium; & insimul *satisfactorium* pro pœnis in alia vita exolvendis; oritur difficultas: quomodo hos mirabiles effectus conferat? An, nempe, immediatè, aut mediatè? an ex opere operato, aut ex opere operantis? Pro horum resolutione advertendum est 1. sacrificium Eucharistiæ, quatenus opus bonum est, attendi posse ex parte Sacerdotis offerentis, seu operantis, atque ita habere posse in operante eosdem

effectus, quos cæteri actus virtutis religionis habent, quando illos refert in bonum finem, vel pro se, vel pro aliis. Potest etiam attendi ex parte Christi offerentis, & instituentis: atque ita vim, & efficaciam à Christo accipit, quatenus hoc sacrificium instituendo, annexa voluit esse huic actioni sua merita ad certum effectum conferendum ei, pro quo applicatur, seu offertur, independentè à dispositione, vel indispositione immediatè offerentis. Hic agendi modus dicitur *ex opere operato*; quia ex positione operis externi effectus sequitur infallibiliter in subjecto *non ponenti obicem*. Etiam attendi potest efficacia hujus sacrificii ratione dignitatis, & excellentiæ Christi Domini, qui, cum sit res oblata, & primarius offerens, necessariò sacrificium oblatum maximam habet dignitatem, ratione cujus mereatur beneficium postulatum à Deo impetrare. Advertendum est 2. non debere adesse impedimentum ex parte illius, pro quo offertur, ad consequendum effectum. Hoc animadverso.

67 Sit prima Concl. *Sacrificium hoc suos confert effectus ex opere operato*. Docetur à D. Thoma 4. dist. 45. quæst. 2. art. 1. dicente: *prodesse Sacrificium Missæ ex opere operato, licet Sacerdos fuerit malus*. Eisdem terminis traditur à Doctor. Subtil. quodlibeto 20. num. 2. & est communissima apud Theologos. Probatur 1. de omnibus simul sumptis: si Missæ Sacrificium suos effectus non conferret ex opere operato, illos solùm tribueret ex opere operantis; sed si ita asseveraretur, plura plusquam falsa sequuntur: ergo ne sequantur, dicendum est, illos conferre ex opere operato. Probo minorem: sequeretur, quòd dum à pravo Sacerdote offerretur, frustraretur, & caretet omni suo effectu; sed hoc est contra Trident. sess. 22. cap. 1. dicentem: *illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest*: Sequeretur etiam, hoc

sa-

sacrificium excellentiorem agendi modum non habere, quam legalia sacrificia, quæ hoc modo suum effectum conferebant, quod quidem falsum est, cum in hoc operandi modo nostrum sacrificium ab antiquis distinguatur: ergo. Confirmatur: ille effectus causatur ex opere operato, qui producitur ex dignitate sacrificii, orta ex dignitate victimæ, & merito principalis offerentis; sed effectus Sacrificii Missæ causantur, & conferuntur ex dignitate, & merito utriusque, ex eodem Tridentino, dicente cap. 2. *una, eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa*: ergo.

68 De effectu peccatorum, ac pœnarum remissivo, constat quoad primam partem expresse ex verbis institutionis ipsius sacrificii: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hic calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum: hoc facite &c.* Quæ verba clarissima sunt, non solum de Sacramento, sed etiam de sacrificio, ut docet Trident. loco laudato cap. 1. dicens: *Christum præcepisse Eucharistiæ sacrificium, ut salutaris virtus passionis suæ nobis applicaretur ad quotidianam peccatorum remissionem*. Quoad pœnarum remissionem, & solutionem, ex ipsomet Concilio, & ex perpetua Ecclesiæ praxi, est manifestum, & quæst. seq. apparebit extensius.

69 Sit II. Conclus. *Sacrificium Missæ, quamvis peccata remittat, non tamen immediatè, sed solum mediatè*. Est dicere, quòd immediatè non causat gratiam peccatorum remissivam, sicut Sacramenta causant. Est communis contra aliquos Theologos. Prob. efficacissime: ex opposita sententia plurima sequerentur absurda: ergo omnino est falsa, cum absurda vitari debeant. Prob. anteced. sequeretur: tum; Sacrificium Missæ majorem efficaciam habere, quam sacri-

ficium crucis; sed hoc est absurdum: ergo. Prob. sequela: Sacrificium crucis non justificat per se immediatè, sed tantum mediatis Sacramentis justificat, & peccata remittit: quamvis enim Dominus pro nobis sufficientissimè passus fuerit, & nos reconciliaverit Æterno Patri, adhuc nobis necessarius est Baptismus, & peccatoribus adultis necessarium est Sacramentum Pœnitentiæ. Unde Trident. sess. 14. cap. 4. docet, quod *Attritio sine Pœnitentiæ Sacramento per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat*. Sed perduceret utique, si sacrificium gratiam sanctificantem immediatè conferat, & mortalia peccata remittat; quod quidem est aliud absurdum: nam ex hoc sequeretur, quòd Sacerdos celebrans in peccato mortali, posset justificari cum sola attritione: nam per hanc amoveret obicem suscipiendæ gratiæ justificantis, producendæ per sacrificium: ergo cum hoc sit contra Concilium, omnino est absurdum. Sequeretur demum, Sacramentum Pœnitentiæ necessarium non esse adultis, etiam ingentibus peccatoribus, semel quòd pro eis sacrificium offerretur: nam ille peccator cum sola attritione posset recipere gratiam sanctificantem, si sacrificium vim haberet illam conferendi non ponenti obicem. Sed hoc dicere absurdum est: ergo.

70 Colliges ex dictis differentiam, quæ adest, inter Sacramentum, & sacrificium. Itaque *sacrificium* primariò, & immediatè refertur ad Deum cultum, & honorem; secundariò, & quasi per redundantiam, in nostram cedit utilitatem: at verò *Sacramentum* ad nostram sanctificationem primariò est institutum. Ex quo oritur, quòd *Sacramentum* gratiam, & peccatorum remissionem conferat immediatè, & *sacrificium* tantum mediatè, scilicet, Deum placando, & sic ejus misericordiam concillando, ac movendo ad conferenda auxilia necessaria homini, pro quo offertur, qui-

quibus ad agendam poenitentiam excitetur, & juvetur, qua mediante, remissionem obtineat peccatorum, & reconcilietur Deo. Unde *Eucharistia*, ut *sacrificium*, offeribilis est, & prodest omnibus, pro quibus offertur: at verò in quantum *Sacramentum* non offertur, & solùm prodest recipienti disposito. Præter hanc differentiam, quæ ad præsentem difficultatem est præcipua, multo aliis differt *Eucharistia*, ut *Sacramentum*, & ut *sacrificium*: nam ut *Sacramentum* in una tantum salvatur specie, & ut *sacrificium* utramque speciem requirit: ut *Sacramentum*, consideratum non *in fieri*, sed *in facto esse*, seu peracta consecratione, stat in re permanenti, & in quantum *sacrificium* in actione transeunte: in quantum *Sacramentum*, in ipsius fieri, consistit in panis transubstantiatione in corpus, & vini in sanguinem Christi, vi verborum factæ, & ut *sacrificium* stat in divisione, aut mystica maetatione, quæ virtute verborum fit, & quæ in eo consistit, quòd corpus sub specie panis ponatur sine sanguine, & sub specie vini ponatur sanguis sine corpore. Recola dicta quæst. 3.

71 Arg. 1. contra primam Conclus. *Sacrificium* Missæ oblatum pro aliqua necessitate non semper sortitur effectum illum, pro quo consequendo applicatur: ergo non confert suos effectus ex opere operato. Antecedens experientia constat: nam pluries offertur pro infirmi sanitate, & illam non consequitur: & etiam pro conversione plurium peccatorum, qui tamen non convertuntur. Consequentia certa videtur: nam causa operans ex opere operato infallibiliter ponit suum effectum. Confirmatur 1. auxilia gratiæ conducentia ad peccatorum remissionem, obtinentur, juxta dicta, virtute hujus sacrificii per modum impetrationis; sed quod ita efficitur, non producitur ex opere operato: ergo. Confirm. 2. quod producit gratiam ex opere operato,

potest de attrito facere contritum, ut dicitur de Sacramentis; sed sacrificium non habet hoc ex 2. conclusione: ergo.

72 Respondeo, negando consequentiam, & ejus probationem universaliter sumptam. Patet; licet enim *Sacramentum* Extremæ Unctionis conferat ex opere operato ad salutem corporalem, non tamen illam causat infallibiliter. Solum itaque inferitur, *Missæ* *Sacrificium* non præstare hunc effectum, aut similem, absolute, sed solum conditionate, quando, nempe, & quomodo Deo visum fuerit, juxta suam illius dispositionem. Hac ratione multi dicunt *tract. de voluntate*, non inferri, Deum non habere voluntatem efficacem salvandi omnes homines, ex eo, quod non salventur omnes: sed solum inferri, prædictam Dei voluntatem absolutam non esse, sed conditionatam, nempe: *volo efficaciter, omnes homines salvos fieri, si per ipsos non steterit*. Hac etiam ratione, dicitur de *Sacramento* Extremæ Unctionis, esse in duplici differentia illius effectus, etsi omnes causentur ex opere operato. Alii quippè sunt illi connexi absolute, ut *remissio venialium necnon reliquiarum peccatorum*: alii ita non sunt, seu illos non præstat absolute, sed conditionate, nempe, *si utile sit, aut expediat recipienti*. Hanc eandem doctrinam in præsentis usurpando, dico, *Sacrificium* *Missæ* ex opere operato suos effectus causare, sed aliter, & aliter. Jus habendi auxilia convenientia tempore, & opportuno auxilio, ut loquitur Tridentinum sess. 22. cap. 2. necnon, & remissionem poenarum pro peccatis remissis, absolute causat in eo, pro quo offertur: at vero remedium aliquarum necessitatum, ut salutem, & similia, solum conditionate præstat, si nempe, *utile sit, aut ita expediat*. Ad 1. Confirm. disting. min. si illa impetratio fiat per modum deprecationis, & orationis, concedo: si ratione operis facti, idest, ratio-

ne

ne dignitatis offerentis principalis, & rei oblatæ, qualiter impetratur in *Sacrificio* *Missæ*, nego minorem, & consequentiam. Ad 2. Confirm. distinguo major. Si gratiam immediate causet, ut *Sacramenta* *Baptismi*, & *Poenitentia*, concedo: si solum mediate, hoc est, impetrando auxilium, seu dispositionem ad obtinendam gratiam, nego maj. & concessa min. nego conseq. Solutio constat ex dictis.

73 Arg. 2. contra 2. Conclusionem: non est minoris efficaciam, imò multo majoris, *Missæ* *Sacrificium* ad peccata remittenda, quàm *sacrificia* expiatoria veteris legis ad eluendas noxas illas, et maculas, pro quibus mundandis offerebantur ex præscripto ipsius legis; sed *sacrificia* illa immediate ejusmodi purgabant maculas: ergo habere debet vim *Eucharisticum* *Sacrificium* auferendi sordes peccatorum. Confirmatur ex Trident. Ses. 22. c. 2. dicente: „Hujus quippè „oblatione placatus Dominus, gratiam, et donum poenitentia, concedens, crimina, et peccata, etiam „ingentia, dimittit.

74 Resp. distinguendo maj. non minoris &c. quantum ad effectus positionem, concedo: quantum ad modum ponendi illum, nego maj. & concessa min. nego conseq. Itaque *Eucharistia* *Sacrificium* promeretur gratiæ auxilia, quibus homo poenitere possit, ac poeniteat, & media sua poenitentia, peccatorum, etiam ingentium, obtineat veniam: quod quidem, & non aliud, docet, & vult Tridentinum. In hoc sensu *Eucharistia* æquè infallibiliter confert ad peccati remissionem, ac conferebant vetera sacrificia ad eliminationem maculæ, non quidem qua anima inficiabatur; quia solum fuerunt instituta ad quasdam legales, & corporeas sordes abstergendas. Ab his quidem immediate purgabant, sed non ab spiritualibus immunditiis, nisi ex opere operantis. Hinc patenter sequitur, longe præstantioris virtutis esse Sa-

Tom. II.

sacrificium *Missæ*, quàm *sacrificia* veteris legis: Tum; quia hoc unum claudit, & includit omnes, ac varias differentias sacrificiorum illorum: Tum; quia emaculatio animæ tantum præstat expiationi corporis, quantum macula animæ pejor est corporis, et quantum anima præstat corpori: et præsertim cum expiatio hæc, quamvis mediata, infallibilis sit, et ex opere operato, quod privilegium, quoad peccata, et dona gratiæ, antiqua sacrificia non habuerunt, sed quoad sordes corporeas, et legales solum. Recole differentiam inter modum causandi *ex opere operato*, & *ex opere operantis*, ut melius capias superexcellentiā nostri sacrificii. Dicitur, effectum poni *ex opere operantis*, quando ad ejus positionem attenditur meritum, et status ponentis actionem, aut recipientis, vi cuius, et non aliter, ponitur effectus ille. Effectum verò aliquem poni dicitur *ex opere operato*, quando ad ejus positionem solum attenditur actionis positio, vi cuius ponitur effectus, eo quòd sic à Deo est institutum: quin ad meritum, aut statum agentis, attendatur.

QUÆSTIO VI.

Quibus *Sacrificium* *Missæ* prodesse possit?

75 Idem est, ac inquirere: pro quibus sacrificium offerri possit, ad hoc, ut eis conferat ejus applicatio commodum, et utilitatem? Ad duas reducuntur classes hi omnes. In prima ponuntur viatores, seu qui adhuc degunt in hoc mundo: in secunda mortui, seu qui in via non sunt, sed in termino. Loquendo de viatoribus, alii sunt membra Ecclesiæ militantis, et hi sunt fideles, tam justis, quàm peccatores: alii non, ut Catechumeni, Judæi, Pagani, Schismatici &c. Loquendo autem de non viatoribus, seu qui in termino sunt, alii sunt in Cælo, alii in Purgatorio,

Tt

rio,

rio, et alii in inferno. De omnibus his in præsentī controvertitur, et claritatis gratia per varias conclusiones singula examinabimus.

76 Concl. I. *Missæ Sacrificium fructuosè offerri potest pro omnibus fidelibus viatoribus, qui membra sunt Ecclesiæ Militantis.* Est dicere: quòd offerri potest pro tota Ecclesia Militante. Cùm autem Ecclesiæ Militantis nomine intelligantur, tam ipse Sacerdos, quàm fideles omnes viventes, non solùm justī, sed etiam peccatores: nec solùm adulti, sed etiam infantes baptizati, consequens est, ut pro omnibus his offerri possit. Est communis Catholicorum sententia, quæ suadetur sic: Missæ Sacrificium offerri potest in utilitatem omnium illorum, quibus præficuum est, et utile; sed tale est omnibus præmemoratis: ergo. Major est indubia. Prob. min. ex Apost. ad Hebr. 5. „ Omnis „ Pontifex ex hominibus assumptus, „ pro hominibus constituitur in his, „ quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis „ & propterea debet quemadmodum „ pro populo, ita etiam & pro se „ ipso offerre pro peccatis: “ ergo omnibus præmemoratis utilissimum est hoc sacrificium, ob quod pro illis Apostolus monet offerendum. Hanc etiam esse mentem Ecclesiæ, constat ex Canone Missæ, in quo Sacerdos orat sic: „ in primis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua Sancta „ Catholica & omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus. *Denique Trid. „ Ses. 22. cap. 2. can. 3. definit, „ offerri posse pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactoribus, & aliis necessitatibus.* “ Nec de infantibus baptizatis dubium superesse potest: nam his etiam prodest ad impetrandam sanitatem corporalem, ut ad debitam perveniant mensuram ætatis, & ad eorum rectam educationem, ut fert pia, ac universalis Ecclesiæ praxis.

77 Concl. II. *Sacrificium Mis-*

sæ offerri non potest pro excommunicato vitando, nec pro tolerato. I. conclusionis pars est communis apud Theologos; & 2. pars est contra Bonac. Henriq. Fagund. & alios plures, quibus Frassen videtur adhærere. Probatur igitur I. pars: Ecclesia pluribus constitutionibus prohibet offerri sacrificia, & orare pro excommunicatis, maximè *qui nominatim denuntiati sunt à Judice*, qui sunt vitandi: ergo. Antec. constat ex jure Canonico, extra de sent. excommun. cap. *à nobis*, ubi Innoc. III. interrogatus: „ an si aliquis excommunicatus, in quo fuerunt indicia manifesta pœnitentiæ, decesserit, non suscepto beneficio absolutionis, habendus sit pro absoluto ab Ecclesia, si pro eo non steterit, quominus reconciliaretur Ecclesiæ unitati: et an pro tali Eleemosina recipienda sit, et à fidelibus orandum? “ Respondet, quòd quantumcumque se ille humiliare curaverit, quantumcumque pœnitentiæ signa præcesserint, si tamen morte præventus, absolutionis non potuit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus. Et idem Pontifex cap. *saoris*, Archiepiscopo Strigoniensi scribit, *nec pro tali eleemosinam accipiendam esse, nec orandum pro illo*, eò quòd omnibus communibus Ecclesiæ suffragiis sit privatus, ut sunt Indulgentiæ, sacrificia, et orationes, quæ Ecclesiæ nomine fiunt: ergo. 2. pars ex eo constat, quòd Ecclesia absolutè omnes excommunicatos excludit ab interna suffragiorum communione, ut apparet ex ipsa definitione excommunicationis majoris.

78 Objicies in favorem excommunicati tolerati: Sic vocatur, qui non est nominatim denuntiatus, aut notoriè non est Clerici percussor: Concilium Constantiense cap. *Alma Mater*, concedit, communicari posse cum excommunicato tolerato, quòd pri-

privilegium renovavit Martinus V. ergo Ecclesia tolerat, ut pro illo publicè oretur, et consequenter, quòd pro illo Sacrificium Missæ offeratur. Respondeo, negando conseq. Ecclesia enim in prædicto Concilio nihil concessit directè excommunicato, sed solùm disposuit, ne fideles, hoc est, non excommunicati, scrupulis angèrentur, ut possent communicare, etiam *in sacris*, cum excommunicato tolerato. Hic autem, si non sit invitatus à fidelibus, illicitè intrometur ad communicandum cum illis. Nihil enim concedit Concilium in favorem excommunicati, ut exprimit Martinus V. in sua Extravagante per hæc verba: *per hoc autem non intendimus, ipsos excommunicatos in aliquo relaxare, aut eis quomodolibet suffragari.* Quare sicut ante illam concessionem docebant universaliter DD. pro illis non posse offerri Missæ Sacrificium, ita et post illam est philosophandum. Ob hoc omnes dicunt, Sacramentum Pœnitentiæ ab excommunicato tolerato receptum esse nullum, eò quòd privilegium Martini V. in favorem illius non sit concessum. Pariter nulla esset juxta omnes, institutio tolerati in Beneficium; quia directè esset in favorem recipientis excommunicati, qui hoc ipso est inhabilis. Igitur cùm Missæ Sacrificium solùm directè suffragetur illi, per quem applicatur, offerri non potest pro tali excommunicato. Nec verba, quæ ex Concil. Basileense adducit Frassen, alicujus sunt roboris, cùm solùm suadeant, fidelibus permitti communicare cum excommunicatis toleratis in politicis, & sacris, quod, juxta dicta, verum est. Dicta intelliguntur de Schismaticis, qui quidem sunt excommunicati, sicut sunt hæretici.

79 Concl. III. *Missæ Sacrificium offerri non potest directè pro Paganis, aut Infidelibus, nec pro Catechumenis: benè verò offerri potest indirectè.* Est contra plures, inter quos Frassen, quæst. 4. de Missæ

Tom. II.

Sacrif. Conc. 4. Potesta, qui tom. 3. absolutè asserit, pro infidelibus applicari posse sacrificium, si pro eo stipendium accipiatur: & Reiffensuel tract. 14. num. 66. dicens, applicari posse pro illis *per modum deprecationis*. Communior verò, ac probabilior, teste nostro Gonzalez tractatu 25. de *Sacrif. Missæ* num. 42. est nostra Conclusio, quam sustinet Delgadillo citans plurimos, quamvis ipse non eisdem terminis utatur. Prob. quoad primam partem: Ecclesia denegat publicas orationes non baptizatis, uti sunt Pagani, aut infideles; quin potius petit, ut isti conterantur: ergo hac consuetudine satis denotat Ecclesia, se nolle, & prohibere, quòd fiant orationes publicæ pro eis: ergo à fortiori non vult, & prohibet, pro illis offerri Sacrificium Missæ, quod utique publicum est, & majus orationibus publicis. Confirmatur: prædicti non sunt membra Christi; sed hoc sacrificium pro Christi membris, & Ecclesiæ institutum est: ergo pro illis applicari non potest *directè*, hoc est cum intentione disiecta, ut sacrificium infideli proficiat.

80 Hæc ratio militat etiam pro Catechumenis: nam licet isti fidem habeant, & profiteantur, atque possint esse in gratia: tamen cùm *in re* non susceperint Baptismum, sed tantum *in voto*, adhuc non sunt Ecclesiæ membra, pro quibus fuit institutum. Confirmatur: Christus Eucharistiam, ut Sacramentum, non instituit pro Catechumenis, sed solùm pro baptizatis: ergo eodem modo eam, ut sacrificium, pro baptizatis solùm instituit. Quare in primitiva Ecclesia Catechumeni à templo arcebantur ad offertorium Missæ, nec illis permittebatur sacrificio adesse. Et adverte, quòd Ecclesia in die Parascevès publicas orationes pro Paganis, & Catechumenis offert ex peculiari ipsius dispositione, & dispensatione, in signum universalis redemptionis à Christo eo die pro om-

Tt2

ni-

nibus exhibitæ: sed de cetero illas prohibet.

81 Secunda Conclusionis pars, nempe, sacrificium offerri posse *indirectè* pro illis, ex eo constat, quod offerri potest, & offertur, pro fidei exaltatione, pro errorum, ac Sectarum extirpatione; sed hoc fieri non potest, quin infideles à suis sectis, ac erroribus, avertantur, ac catholicam fidem amplectentur: ergo. Itaque si in hoc sensu loquitur Frassen, dum dicit: *pro infidelibus, posse sacrificium applicari per modum impetrationis*, cum illo sumus: & fortè cum hac distinctione de sacrificii oblatione *directè*, aut *indirectè*, possunt opinioniones concordari. Sic intelligi debent, quæ diximus quæst. 4. assert. 2. num. 54. collata cum his, quæ in contrarium objectis immediatè adjungimus.

82 Objicies 1. Paulus 1. ad Timoth. 2. ait: *Obsecrationes, & orationes fieri pro Regibus*, qui tunc non erant baptizati, quem Apostoli locum D. August. explicat de orationibus publicis inter Missarum sollempnia fieri solitis. Idem significat Clemens Romanus lib. 8. constitut. Apost. & D. Chrysost. in sua Liturgia. Pariter Tertul. in lib. ad *Scapulam*, cap. 2. dicit: *itaque sacrificamus pro salute Imperatoris*; sed tunc Imperatores non erant baptizati: ergo potest pro illis offerri sacrificium Missæ. Denique in Libello, qui dicitur *ordo Romanus*, in 3. scrutinio, quod feria 4. hebdomadæ 4. quadragesimæ fiebat, habetur, *quod pro Catechumenis offerri potest sacrificium*. Idem videtur innuere Innoc. III. cap. *Apostolicam de non baptizato*, & Ambros. orat. de obitu Valeriani.

83 Respondeo, negando consequentiam. Verum itaque est, quod Apostolorum tempore, & multo post, orationes fiebant pro non baptizatis, & in Sacrificio Missæ, & à Ministris publicis. Unde pro illis fiebant publicæ orationes, Ecclesia tunc sic

convenienter disponente, eò quod tunc temporis commorabantur baptizati inter non baptizatos: atque ita pro illis orando, signa ostendebant amoris, nedum ut pacificè viverent, sed etiam ut suavius ad fidem venirent. Quare Patres citati, sacrificium accipiunt latè, nempe, pro orationibus publicis in Missæ Sacrificio factis. Postea verò, & quidem à multis jam sæculis, præcepto consuetudine introducto, Ecclesia prohibuit, aut in Missa, aut in aliquo publico ritu, publicas effundi preces pro prædictis non baptizatis. Nec convinci potest, Ecclesiam umquam obtulisse *directè* Sacrificium Missæ pro non baptizatis, sed ad summum *indirectè*, modo explicato in secunda conclus. Huic consonat intelligentiæ Chrysost. hom. de *Adam, & Eva*, ubi scribit, quod Ecclesia, & Sacerdotes in sacrificio precabantur, *ut infidelibus donetur fides, ut ab idolatria, & impiis erroribus liberentur, ut Judeis, ablato cordis velamine, lux veritatis appareat, ut hæretici Catholice fidei receptione resipiscant, ut Schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, Catechumenis ad regenerationis Sacramenta productis, cœlestis misericordiæ aula reseretur &c.* Pariter subscribit Coelestinus I. Epist. ad Episcopos Galliæ, cap. 11. Sic intelligendi sunt Tertullianus, & Innocentius, vel de sacrificio sumpto pro publicis orationibus inter ejus celebrationem factis, quæ tunc licitè fiebant, & nunc ab Ecclesia sunt prohibitæ, vel de *indirecta* oblatione respectivè.

84 Objicies 2. Crucis sacrificium oblatum fuit pro omnibus hominibus, tam fidelibus, quàm infidelibus: ergo etiam sacrificium Missæ offerri potest pro omnibus illis. Prob. consequentia: tum; Sacrificium Missæ adeo crucis sacrificio assimilatur, ut in substantia idem sit sacrificium, & solum distinguuntur in modo, eò quod

quod illud fuerit cruentum, & istud sit incruentum: ergo si crucis sacrificium oblatum fuit &c. Tum; quia hoc Missæ Sacrificium est applicatio fructus illius. Respondeo, negando consequentiam. Ad primam probationem concessa antecedenti, nego consequentiam. Disparitas in eo stat, quod Christus Dominus Patri suo obtulit sacrificium crucis in totius humani generis redemptionem, ut omnes homines fideles faceret, & membra Ecclesiæ, quam infinito sui sanguinis pretio fundavit: atque adeo fuit conveniens, & necessarium, quod pro infidelibus offerretur. At verò Missæ Sacrificium (non est sermo de illo, quod ipsemet nocte Cœnæ celebravit) suæ Ecclesiæ jam fundatæ instituit, & in ea tantum offerri voluit pro suis membris: sicut Eucharistiam in ratione Sacramenti pro sola sua Ecclesia instituit, & fidelibus tantum voluit distribui. Ad secundam probationem dico, quod omnia Sacramenta sunt applicationes fructuum sacrificii crucis: & tamen noluit Christus, Baptismo excepto, pro non baptizatis. Ratio à priori alia non est, quàm voluntas Christi, volentis crucis sacrificium offerri pro omnibus; & Sacrificium Missæ pro baptizatis tantum. Unde solum indirectè, ut manet dictum, pro infidelibus offerri potest, atque illis prodesse. V. g. offert Ecclesia Missæ Sacrificium, aut orat pro sedando schismate, pro mundi pace, quæ sunt bona ab Ecclesia intenta, ac ipsi convenientia: at vero ex schismatis sedatione redundat utilitas in Schismaticos, & ex pace bonum utilitatis in non baptizatos.

85 Conclusio IV. *Potest Sacerdos, ut persona privata, effundere preces in memento Missæ pro excommunicatis, & non baptizatis.* Est communis sententia Theologorum contra Sotum in 4. dist. 22. quæst. 1. dicentem, hoc esse scrupulosum, sed nescio quo spiritu hoc asseruerit hic Author. Probatur: Ecclesia non pro-

hibet orationem privatam pro illis, sed solum publicam, & quæ fit nomine Ecclesiæ: ergo potest Sacerdos pro illis orare in memento Missæ. Patet; quia talis oratio, petitio, aut commemoratio, non fit à Sacerdote, tamquam à persona publica, sed privata, quomodo pro quolibet orare possumus. Dicta intelliguntur, advertendo, quod Missæ applicatio non fit à Sacerdote, nisi ut à Ministro, & persona publica, ab Ecclesia ordinata, ut suo nomine sacrificium offerat. Sic etiam se gerit in publicis orationibus Ecclesiæ, ut sunt Litanie, candelarum benedictio, cineris, ac palmarum. Unde quamvis usque ad 430. annos Ecclesiæ ab ea non fuerit prohibitum, quia potius ordinatum, ut publicæ orationes fierent pro præcis ab Ecclesia, etiam in Missæ Sacrificio: tamen nunc temporis jam est prohibitum, atque adeo illicitum. Vide supra n. 83.

86 Nunc jam veniunt examinanda, quæ ad existentes extra viam, seu ad non viatores, attinent. Pro cuius examine rememorandum est 1. existentes extra viam esse in triplici genere, & ordine: nam alii sunt Sancti, ac Beati in Cœlo triumphantes cum Christo, atque adeo sunt in termino. Alii sunt damnati in inferno gementes, quorum status est invariabilis. Alii sunt in purgatorio degentes, qui adhuc terminum æternæ felicitatis non sunt adepti, usque dum debitas pœnas pro admissis luerint delictis. Rememorandum est 2. Missæ Sacrificium in actu 1. esse *Lætrauticum*, seu honorarium; *Eucharisticum*, seu sacrificium laudis, aut gratiarum actionis; *Propitiatorium*, aut expiatorium; & *Impetratorium*. Et quidem pro Beatis non posse offerri sacrificium, ut Propitiatorium est, constat ex eo, quod liberi sint ab omni peccato quoad culpam, & pœnam omnino. Unde cum ipsæ sint culpæ, & pœnæ, ut ab his eximantur, & solvantur, nostris præ-

cibus non egent. In hoc sensu intelligitur famosum illud D. Augustini dictum: *injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*, id est, dubitando de illius gloria, aut existimando nostris indigere orationibus pro essentiali beatitudine consequenda, aut continuanda. Hoc sic animadverso.

87 Concl. V. *Missæ Sacrificium offerri potest pro Beatis*, ut est *Latreuticum, Eucharisticum*, & etiam quodammodo, ut *Impetratorium*. Ante probationem est advertendum, numquam Sacrificium Missæ offerri ab Ecclesia pro Sanctis, ut hæretici calumniantur: nam est latræ cultus, qui Deo soli debetur. Quare semper offertur SS. Trinitati, ut ipsa tribuat Sanctis majorem venerationem apud homines, & nos eorum sentiamus intercessionem. Doctrina hæc præclarè docetur à Trident. Ses. 22. cap. 3. dicente: *Quamvis in honorem, & memoriam sanctorum, nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri licet, sed soli Deo, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule; sed Deo, de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut pro nobis intercedere dignentur in Cælis, quorum memoriam facimus in terris.*

88 Probatur 1. pars: Missæ Sacrificium offerri potest Deo in honorem, & gloriam alicujus sancti, aut omnium sanctorum: ergo. Antecedens constat ex usu Ecclesiæ in Missa dicentis: *quam tibi offerimus in honorem B. Mariæ, & omnium sanctorum, ut illis proficiat ad honorem &c.* Prob. 2. pars: quia possumus Deo gratias agere, offerendo sacrificium laudis, & gratiarum actionis, pro Beatorum victoriis celebrandis, ac pro beneficiis eis collatis: ergo. Antecedens est certissimum, & docetur à Trid. sic definiente Ses. 25. can. 5. *Si quis dixerit, imposturam esse (hæretici sic dixerunt) Missas celebrare in honorem sanctorum, & pro illorum*

intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit. Ex his constat 3. pars, quæ videbatur difficilis: nam si confert sacrificium ad sanctorum honorem, per illud impetramus eis augmentum gloriæ, & beatitudinis accidentalis, seu beatitudinem extrinsecam, quæ consistit in externo honore, & gloriæ: ergo. Sed advertendum, satius esse ab hujusmodi locutionibus abstinere apud plebeculam rudem, & aggressum, ne capiat, sanctos non esse perfectè beatos, cum distinguere inter beatitudinem essentialem, & accidentalem vix possit aliquis eorum.

89 Concl. VI. *Missæ Sacrificium utiliter offertur pro defunctis in Purgatorio existentibus, ut Propitiatorium est, aut expiatorium.* Est dicere: illis prodesse ad poenæ temporalis remissionem. Constat veritas hæc ex traditione Apostolica, & ex Ecclesiæ praxi continua, quam tradit Conc. Trid. Ses. 22. c. 22. iniquens: *Non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus: Sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apostolorum traditionem offertur.* Colligitur etiam ex 2. Machab. cap. 12. dicente: *sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis [à poenis pro illis debitis] solvantur.* In idem conspirant SS. PP. præsertim Augustinus, quorum oracula in controversia cum hæreticis de Purgatorio, videri possunt. Purgatorium autem esse, animasque ibi detentas sacrificio Altaris, ac fidelium suffragiis, juvari, definit contra Novatores Conc. Trid. Ses. 25. in decreto *de Purgatorio.* Unde valde gaudent in levamine, aut mitigatione, vel breviatione poenarum, ad quod tam sacrificium, quam suffragia communia, mirificè conducunt.

90 Objicies: Tum; quia animæ in Purgatorio existentes non sunt in statu satisfaciendi, sed satisfaciendi: ergo eis satisfactio non prodest. Tum;

quia

quia Ecclesia fructum Sacramentorum illis applicare non potest: ergo nec sacrificii: alias majorem haberet efficacitatem applicandi fructum sacrificii, quam Sacramenti. Ad 1. distinguo ant. non sunt in statu satisfaciendi active, & per se ipsas, concedo: passive, & per alios, nego. Itaque ratione, qua sunt in statu solvendi poenas, eadem ratione aliorum possunt juvari satisfactionibus: & præsertim Christi Domini, qui sacrificia in satisfactionem pro commissis ab eis peccatis acceptat. Debitum enim, quamvis ex justitia, solvi potest, vel solutione propria, vel aliena. Ad 2. negatur paritas: eo quod Sacramenta pro vivis tantum sunt instituta. Unde suos effectus non producant, nisi dependenter à signo sensibili corpori applicato: Sacrificium vero independentè ab omni signo sensibili, & ex sola voluntate offerentis, & illud ad alterius bonum ordinantis, suum effectum producit.

91 Conclusio VII. *Missæ Sacrificium offerri non potest valide, nec licite, pro existentibus in inferno.* In hac veritate asserenda conspirant Theologi, quamvis ab aliquibus citetur Glossa in cap. *tempus* 13. q. 2. quasi asseruerit, Sacrificium offerri posse pro his, qui damnati sunt ob pauciora, & leviora peccata: (non ob plura, & ingentia crimina) & tunc illis prodesse, non quidem ut poenæ finiatur, sed ut mitiores fiant, & minus impatienter sustineantur. Hæc igitur Glossæ sententia ab omnibus merito rejicitur. Pro eadem sententiâ refert Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothecæ veterum PP. annot. 47. Gilbertum, Præpositum, Guillelmum Altisiodorensè, Rupertum Linconiensè, & quod plus est, D. Augustinum, Chrysostomum, Damascenum, & Innocentium III. cap. *cum Marthæ de celebratione Missarum.* Censeo tamen, PP. pro Glossæ sententiâ immerito adduci, nec in aliquo illi fayere.

92 Nostra certissima omnino conclusio probatur 1. *in inferno nulla est redemptio*, ut Ecclesia canit, nulla satisfactio, ac propitiatio, juxta illud Isaïæ cap. ult. *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Confirmatur innumeris scripturæ oraculis, quibus constat, damnatorum poenam nusquam fore finiendam, quam ideo Christus appellat *ignem æternum.* Sic Matth. 25. *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum.* Et Apocalyp. 20. *Cruciantur die, & nocte in sæcula sæculorum.* Utrumque locum expendit Augustinus lib. de hæresibus, cap. 23. sic: *quibus verbis nihil Scriptura Divina significare consuevit, nisi quod finem non habet temporis.* Tum; quia non orare pro damnatis constat ex usu Ecclesiæ, à qua id prohibetur in Can. *pro obuentibus* 13. quæst. 2. quod idem exprimit Gregorius lib. 4. Dialogor. cap. 40.

93 Arg. 1. Ecclesia in Missa defunctorum videtur orare pro damnatis, dum sic dicit: *Domine Jesu Christe, libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne cadant &c.* ergo. Nego antecedens. Ecclesia itaque ejusmodi animas considerat, veluti egredientes de corpore, & quasi sententiam suæ mansionis nondum exceperint. Quare subdit: *Sed signifer S. Michael representet eas in lucem sanctam &c.* eo penè ritu, & sensu, quo orat tempore Adventus, quasi Christus nondum venisset: *Rorate Cæli desuper &c. Veni, Domine, & noli tardare.* Usurpatur itaque ab Ecclesia illa *prosopopœia*, ut magis excitet fideles ad commiserationem animarum hujusmodi, & ad apprehensionem divini judicii. Deinde, nomine inferni, & lacus profundi, non intelligitur locus damnatorum, sed animarum existentium in Purgatorio, qui in Scripturis etiam vocatur infernus, sicut & Lymbus, & Abrahæ Synus. Hac ratione Christus dicitur des-

des-

descendisse ad inferos, & ab inferis liberasse animas SS. Patrum. Orat ergo Ecclesia, ut fidelium defunctorum animæ ab illo exeant carcere, & post hujus sacrificii oblationem, ne amplius detineantur in tenebris locis.

94 Arg. 2. D. Augustinus in Enchiridio cap. 110. sic ait: *Quibus autem prosunt suffragia, aut ad hoc prosunt, ut plena sit remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio.* Damascenus in oratione de defunctis, refert de Trajano, & Falconilla, quod ex inferno sint liberati per orationem SS. Gregorii, & Teclæ. Addit ex historia Paladii ad Lausum, quod Sancto Machario percunctanti aliquando aridum cranium cujusdam Idolatræ: *an eis prodesse viventium preces?* ex ipso cranio responsum fuisse: *Quando pro mortuis offers preces, nos interius aliquid levaminis sentimus.* Denique Scotus 4. dist. 21. quæst. 1. §. in ista quæstione, sentit, pœnam debitam mortali, quod ante mortem fuerat remissum, & etiam veniali, cum quo quis moritur, remitti, seu finiri, in inferno: ergo sentit, posse pro hac remissione offerri sacrificium. Reliqua, quæ obiciuntur ex Chrysostomo, & Innocentio, non sunt ad intentum.

95 Respondeo, Augustinum ibi non loqui de pœna inferni, sed de pœna purgatorii, quæ suffragiis, aut tollitur omnino, aut remissione alicujus partis, fit tolerabilior. Et si aliquando videatur loqui de damnatis, dicendum est cum Becano, solum velle, erroneum non esse dicere, illos citra condignum puniri, ut tenet lib. 21. de Civit. cap. 24. & pluri mi docent Theologi. Ad Damascenum dico, illas, & similes historias, dubiæ, aut nutantis fidei, omnino esse, aut fabulosas reputari. Et si aliquæ historiæ ferant, aliquos solutos à pœnis inferni merito, & precibus, alicujus Sancti, mereanturque aliquam piam credibilitatem, tunc dici potest, eos nondum pœ-

nis inferni fuisse addictos, sed solum per imaginem quamdam coepisse experiri illas pœnas, Deo per extraordinariam providentiam differente eorum judicium, ad fines in hominum favorem ipsi reservatos. Ad locum Scoti, quem immerito adducit Becanus, neganda est consequentia, quæ nec per somnium sequitur ex illa doctrina. Non ergo hoc sacrificium institutum est pro existentibus in inferno, nec illis prodesse potest ad remissionem, vel diminutionem pœnarum, adhuc temporalium.

QUÆSTIO VII.

Solvens aliqua dubia ad sacrificii fructum attinentia.

96 **R** Esolutum manet quæst. V. Missæ Sacrificium suos sortiri effectus ex opere operato, & quomodo hoc sit intelligendum. Unde audiendi non sunt Sotus, Canus, & noster Corduba apud Leandrum disp. 2. quæst. 15. docentes de defunctis, sacrificium hoc solum ex liberalitate, aut libera Dei voluntate, illi prodesse. Nec obest, quod Missæ Sacrificium pro Ecclesia Christi sit institutum; sed Animæ Purgatorii non sunt membra Ecclesiæ visibilis, nec ista in illas habet potestatem, & jurisdictionem: ergo non sunt in statu, in quo sacrificium visibile possit ex opere operato eis prodesse, sed ad summum ex libera Dei voluntate. Itaque minor hujus argumenti falsa est: nam illæ animæ, quamvis non pertineant ad Ecclesiam, tamquam illius visibilia membra, pertinent tamen, ut invisibilia: quæ cum nondum attigerint viæ terminum, adhuc cum Ecclesia Militante peregrinantur, atque sunt in via ad solvenda debita, nondum expiata, quæ ex peccatis contraxerunt. Pertinent ergo, ut viatrices, ad Ecclesiam Militantem, cum nondum incorporentur in Triumphanti. Unde

de sacrificium multum Animabus prodest ex infallibili Christi lege, & promissione. Hoc scito, sequentia dubia proponuntur, ac resolvuntur.

97 Dubium I. *An si Sacerdos aliquem excluderet fidelem à sacrificio, adhuc prodesse excluso?* Intelligitur de non excluso ab Ecclesia, & de Sacerdote, tamquam Ministro publico, & nomine Ecclesiæ Sacrificium offerente. Respondeo, quod tunc Sacerdos graviter peccaret, & exclusus ab illo de sacrificio participaret. Constat 1. pars resolutionis; quia tunc Sacerdos ageret contra hujus sacrificii finem, & institutionem, ac contra intentionem, & ordinationem Ecclesiæ, quæ, medio sacrificio, omnibus intendit fidelibus participationem plurium bonorum. 2. pars est contra Suarium, affirmantem disp. 78. art. 2. quod tunc factum Sacerdotis teneret: atque ita illi excluso non remitteretur pœna temporalis, quam hoc sacrificium ex opere operato remittit. Probatur: nam eo ipso, ac ut Minister Ecclesiæ, & ejus nomine, operatur, impetrat quamvis ipse nolit, pro omnibus pro quibus Ecclesia illud sacrificium offert: ergo. Secus sentiendum puto de applicatione particulari, quam Sacerdos nomine proprio facere potest: quia si ab hac aliquem excluderet, illius factum teneret.

98 Dubium II. *An alii, præter Sacerdotem, offerant Sacrificium Missæ?* Non est sermo de oblatione proxima, & immediata; quia sic Sacerdos tantum offert, cum ipse tantum proferat verba consecrationis, quibus, seu ex quorum vi, quasi gladio, ut Augustinus ait, victima mactatur, & offertur, in Sacrificio Missæ. Sermo igitur est de oblatione remota, & mediata, quatenus, medio Sacerdote, illa offeratur victima. Respondeo; *Omnes fideles, etiam absentes, sed præcipue præsentés, offerre possunt Deo Sacrificium Missæ.* Suadet de omnibus fidelibus:

Tom. II.

tum ex eo, quod in Missæ Canone exprimitur, dum sic dicitur: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ*, quo significatur, totam Christi familiam, seu populum Christianum, offerre sacrificium. Tum ex illis verbis: *Unde, & memores, Domine, nos servitui, sed et plebs tua sancta &c. Offerimus præclaræ Majestati tuæ.* Ratio est; quia Christus sic se ipsum, tamquam victimam, omnibus fidelibus reliquit, ut unusquisque, veluti propriam, Deo offerre possit, medio Sacerdote, qui utpote Vice Christus, seu ejus Vicarius, medius stat inter Deum, & populum. Ex his suadet, adstantes, & assistentes sacrificio, specialiori modo offerre illud. Unde Sacerdos ait: *& omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, hoc sacrificium laudis.* Ratio; quia si fideles omnes modo dicto Missæ Sacrificium offerre dicuntur, specialiori alio modo, aut titulo, offerent., qui aliter ad sacrificium operantur, nempe, sua assistentia illud approbando, aut autorizando, & quod plus est, Sacerdoti Sacrificium ministrando, aut ei stipendiumtribuendo.

99 Dubium III. *An Missæ Sacrificium prosit ex opere operato ipsis offerentibus, esto pro illis non offeratur?* Idem est, ac inquirere: *In quibus sacrificium suos causet effectus?* Et suppono, illos causare in illo, pro quo offertur, quamvis ipse non sit offerens. Patet ex Trident. sess. 22. cap. 2. docente, *pro defunctis offerri fructuose*; sed defuncti, pro quibus offertur, non sunt offerentes: ergo. Cajetanus, Suarius, Silvester, & alii, quos citat, & sequitur Leander disp. 3. quæst. 12. resolvunt affirmative, videlicet, non solum illos, pro quibus offertur, sed etiam omnes, qui sacrificium offerunt aliquo speciali titulo, ut celebrans, Diaconus, Subdiaconus, ministrantes, ac servientes Missæ, necnon stipem dantes Sacerdoti, ut celebret, partici-

Vv

pa-

pare sacrificii fructum, etsi pro ipsis non offeratur. Fundamentum illorum est; quia sic opinari venerationem hujus sacrificii commendat, ac utilitatem audiendi Missas: credendum est ergo, sic à Christo fuisse institutum. Hoc non obstante:

100 Respondeo negative. Tum; quia Missæ sacrificium institutum est ad proficiendum ex opere operato, instar Sacramentorum, ut alibi jam est dilucidatum; sed Sacramenta non prosunt ex opere operato, aut non conferunt gratiam illa ministrantibus, aut applicantibus, sed recipienti solum: ergo Missæ sacrificium solum proficit ex opere operato illi, pro quo offertur. Constat consequens; quia Sacramentum, & sacrificium, in hoc differunt, quod illud recipienti suos præstat effectus, istud illis, pro quibus offertur. Tum; quia Trident id insinuat, dum sess. 22. cap. 2. dicit, *vivis, & defunctis, pro quibus offertur, prodesse*. Hinc infirma manet ratio Adversariorum, quæ nullo sistit fundamento firmo. De ratione namque, & natura cujuslibet alii sacrificii est, quod solum sit institutum in utilitatem illius, pro quo offertur: ergo debebat assignari aliqua urgens ratio, ob quam sacrificium Missæ institueretur, etiam in utilitatem offerentium, quæ non assignatur. Quin potius urgentissima est ratio in oppositum: nam sacrificium profert, quatenus est applicatio satisfactionis, aut meritorum Christi; sed talis applicatio pendet ab intentione Ministri sacrificantis, & cum illa mensuratur: ergo omnibus, & solis illis, prodest, pro quibus offertur. Prob. minor. ex Ecclesiæ usu, & consensu DD. affirmantium, quod sicut cujuscumque Sacramenti effectio ita pendet à Ministri intentione, ut sine illa Sacramentum non fiet, ita sacrificium Missæ sic à Ministri applicatione pendet, ut sine illa fructus illius nulli proderit.

101 Hoc idem venit dicendum de suffragiis particularibus, quæ pro a-

liquo, vel aliquibus, in speciali offeruntur, nempe, illis, & solis prodesse in ratione satisfactionis. Unde Cajetanus satis voluntarie docuit, tit. 1. opusc. tract. 16. quæst. 5. suffragia tantum prodesse illis, qui hac vita meruerunt peculiariter, ut sibi prodesse; illis, scilicet, qui ad claves Ecclesiæ habuerunt specialem devotionem, & pro aliorum animabus fuerunt solliciti. Citat August. in Enchirid. cap. 110. dicentem: *Hæc eis prodesse, qui, cum viverent, ut sibi postea prodesse possent, meruerunt*. Verum Augustinus solum intendit, statum gratiæ necessarium esse in eo, cui suffragium applicatur, ut post mortem prodesse possint illi suffragia vivorum.

102 Leviori adhuc fundamento sistunt aliqui, quos D. Thomas rejicit 4. dist. 45. quæst. 2. art. 4. docentes, suffragia, quæ pro uno frunt, prodesse omnibus aliis, non minus, quam illi. Exemplificant in lucerna pro Principe accensa, quæ non minus illuminat famulos adstantes, quam ipsum Principem. Non itaque exemplar hoc est ad rem, ut bene Becanus advertit: nam cum suffragia particularia quoad profectum pendeant, & mensurentur, cum intentione offerentis, aut ministri, comparari non debent lucernæ lucenti omnibus: sed potius comparatur pecuniæ, quæ ab uno solvitur pro alio, ex quo debitum manet solutum. Forte Adversarii equivocantur cum participatione fructus *boni operis*, proveniente à *communione Sanctorum*, quæ quidem non fit per applicationem, sed per unionem in uno mystico corpore, quam, ut Ecclesiæ membra, habent baptizati per fidem, & charitatem. Unde nec Ecclesia, nec aliquis alius, potest privare fideles justos communione Sanctorum, cum privare non possit fideles fide, & charitate, in qua hæc communio fundata est. Idcirco, semel positus bonis operibus unius, participatio, seu communio Sanctorum, infidelibus

bus justis necessario consequitur. Hoc quidem est verum, sed de hoc non disputamus, sed omnino supponimus.

QUÆSTIO VIII.

Cujus Sacrificii applicatio attendi debeat?

103 Duplici in sensu Sacerdotis potestas in sacrificio applicando, in præsentì controvertitur. 1. de Sacerdote Religioso, & hic est casus: Petrus Religiosus celebrans, applicat sacrificium pro Antonio: Prælati autem celebrantis applicat illud idem sacrificium pro Paulo. Quæritur nunc: cui applicationi sit standum? Pontius, Corduba, Rodrigue, & alii ex nostris cum Delgadillo, citante Barbosam, Gavantum, & plures alios, putant, applicationem Superioris prævalere tunc casus, & consequenter solum prodesse tale sacrificium illi, pro quo à Prælati fuit applicatum. Controvertitur 2. de Sacerdote, sive Seculari, sive Regulari, qui applicare debet sacrificium pro Petro, ratione stipendii accepti, promissionis, aut aliunde: & tunc ab obligatione deficiendo, actualiter applicat pro Antonio. In hoc casu Gabriel lect. 26. in Canonem, docet, standum esse applicationi, quam Sacerdos debebat facere, ac proinde huic, & non illi, pro quo facta est, sacrificium prodesse. Has difficultates resolvendo:

104 Sit Conclusio: *Sacerdotis applicatio valida est, etiamsi indebitè sit facta*. Est dicere, quod Deus attendit in sacrificii applicatione ad intentionem, quam de facto habet Sacerdos, & non ad illam, quam habere debebat, vel juxta præceptum, & voluntatem Prælati, vel juxta aliam obligationem, vel promissionis, vel stipendii accepti. Hæc est probabilior sententia, quam docent plerique Theologi extra nostram Scho-

Tom. II.

lam, & ex nostris Gavatus, Matrius, Frassen, & plures alii. Sed advertendum, talem Sacerdotem tunc casus graviter peccare, aut contra obedientiam, si applicaret contra intentionem, & præceptum superioris: aut contra justitiam, si id faceret contra debitum, aut contra obligationes Ecclesiæ, vel officii sui, & tenetur ad damnum illatum resarciendum, aut ad restitutionem. Nostram sententiam docuit Subtil. Doct. quodlib. 20. §. *de secundo art.* quam probat duplici Augustini autoritate, & etiam ratione, nempe, quod Sacerdos sit Minister, & dispensator hujus sacrificii, quod habet ratione ordinis, propter quam ipsi, & non Prælati, competit consecrare, offerre, & oblationis virtutem determinare. Nec rationem invenire possum, cur pro opposita sententia Doct. Subt. adducatur.

105 Prob. Tum: quando quis in Sacerdotem ordinatur, ei tribuitur à Christo Domino, Episcopo mediante, tamquam Ministro illius Sacramenti, potestas consecrandi, & æqualiter potestas sacrificium offerendi, & applicandi; sed talis potestas tribuitur ei independentem à suo superiore: ergo quamvis non licite, valide tamen, potest illa uti contra Prælati voluntatem. Maj. apparet ex verbis illis: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missasque celebrandi, tam pro vivis, quam pro defunctis*. Pro min. Talia verba ipsi soli dicuntur, & nullatenus superiori, & per illa ipse, & non Superior, instituitur Minister Christi tam ad consecrandum, quam ad applicandum: ergo. Antec. est evidens. Nunc sic: ergo nedum quoad consecrationem, sed etiam, & æqualiter, quoad applicationem, operatur potestate accepta à Christo, ut ejus Minister, & ex commissione ipsius. Tum: dum Minister intendit conficere, & alicui conferre, Sacramentum aliquod, v. g. Baptismum, quamvis contra voluntatem, & superioris præceptum,

Vv 2

aut

aut obligationem aliam, id faciat, collatio Sacramenti valida est, si adsint cætera ad ejus valorem requisita: ergo pariter, tam sacrificii oblatio, quam ejus applicatio, valida est, & effectum habebit, quamvis sit contra obedientiam, aut debitum justitiæ. Antecedens ideo est indubium; quia subditus non pendet à voluntate superioris in administratione, & applicatione Sacramentorum, quoad valorem actionis, excepto Pœnitentiæ Sacramento, ad quod necessaria est jurisdictio collata à superiore. Consequentia tenet propter identitatem rationis, quamvis summistæ oppositi contrarium intendunt suadere.

106 Objic. 1. Prælati irritare potest voluntates subditorum, circa sacrificii applicationem, quoties à propria discordant: ergo. Prob. antec. Potest Prælati irritare omnia juramenta, & vota subditorum, si substantialia excludantur: ergo pariter. Constat paritas: nam propter subordinatorem, & dependentiam, quam voluntas inferioris ex vi status habet à voluntate superioris, iste potest irrita facere vota, & juramenta: cur ergo non poterit subditi intentionem circa Missarum applicationem? Nec applicatio fructus sacrificii connexa est cum intentione illud conficiendi: nam etsi Missam pro nullo applicaret, verum sacrificium, & Sacramentum, conficeret. Ecce unicum adversantium fundamentum.

107 Resp. neg. ant. & consequ. probationis. Paritas, esto à summistis famigerata, nullius est momenti. Potest itaque Prælati irritare juramenta subditorum, & vota prædicta obligationem in argumento allatam: non vero potest sic valorem, & applicationem hujus sacrificii, sicut nec potest irritare intentionem Sacramentum conficiendi, & dispensandi. Et est ratio; quia Sacerdos independenter à voluntate superioris, hanc accipit à Christo potestatem, & eam

ejus nomine exercet. Declaratur satis apto exemplo à Lugo adducto. Dum supremus superior subdito committit aliquid, quod faciat, & exequatur ejus nomine, certum est, quod tunc subditus in usu hujus commissionis, non pendet à voluntate Prælati immediati, v. g. Guardiani, dum facultas ad aliquod opus perficiendum subdito concessa est à Generali. Etenim hoc ipso, quod operetur subditus nomine, & ex commissione Prælati supremi, quoad illam causam eximitur à potestate inferioris Prælati, qui gesta per subditum impedire non potest, nec irritare. Cum autem à Christo, Prælati supremo, Sacerdos recipiat potestatem sacrificandi, & offerendi suo nomine, & tamquam ejus Minister, sub nullius Prælati inferioris potestate cadere potest invalidare, nec Sacramentum, nec sacrificium, nec ejus oblationem, aut applicationem. Eodem igitur modo est philosophandum de valore Sacramenti, ac de valore oblationis: eo quod Sacerdos, quoad hoc operetur, ut Christi Minister, & ex potestate accepta ab ipso immediate. Nec est ad intentum, quod sacrificii confectio, & ejus applicatio, inconnexa sint, aut separari possint: nam semel quod potestas, tam sacrificandi, quam sacrificium offerendi, Sacerdoti conferatur immediatè à Christo, ut de facto confertur, utrique potest uti nomine ipsius Christi pro suo libito, habebitque fructum, quem habere potest *ex opere operato*.

108 Objicies 2. Sacerdos est Minister Christi: ergo juxta ejus voluntatem tenetur operari. Nunc sic: sed Deus vult, quod solvat obligationem, sive hæc oriatur ex obedientia, sive ex stipendio, sive aliunde: ergo ad hanc attendenda est intentio, & applicatio sacrificii, & consequenter in talibus circumstantiis non valebit applicatio Ministri, si fiat aliter. Prob. hæc consequent. ex Scoti sup. citato dicente: *ut applica-*

catio sua habeat effectum, oportet, quod eam faciat secundum beneplacitum Dei. Respond. neg. ultim. consequentiam, quæ non sequitur. Ex argumento solum concluditur, Sacerdotem non applicantem sacrificium, secundum quod tenetur, aut contra intentionem Superioris, graviter peccare, quod fatemur: non vero quod sua applicatio valida non sit, sicut esset consecratio, quamvis indispositè, consecraret, quod utique est contra Christi voluntatem. Ratio est; quia sic Christus hoc sacrificium instituit, & illius oblationem Sacerdotibus commisit, ut pendeat applicatio ex libera ipsorum intentione. Verba Scoti oppositum non suadent, quamvis adducantur ab Scotistis Adversariis: Tum; quia loquitur dubitativè, seu proponendo dubium, quod solvit sequenti versiculo. Tum; quia solum dicit: *oportet*, id est, *convenit*, aut *est conveniens*, quod certissimum est, ne Minister peccet.

109 Si quæras I. *An applicatio sacrificii, ut ex opere operato prosit, debeat esse actualis, aut virtualis: vel sufficiat habitualis?* Non conveniunt DD. in resolutione. Vazquez cum aliis eodem modo discurrit de applicatione sacrificii, ac de Sacramenti confectio. Unde sicut ad Sacramentum efficiendum necessaria est intentio, saltem virtualis, idem affirmant de applicatione sacrificii ad illius valorem. Mastrius vero cum Theologis passim, docet, sufficere applicationem habitualement, nempe, quod prius intentionem actualem habuerit, & illam postea non retractaverit. Videtur Subt. Doctor. quodlib. 20. litt. D. ubi dicit, quod non oportet, celebrantem pro multis, tunc de eis actu cogitare, sed sufficere, quod ante recollegerit istos, pro quibus intendit specialiter orare, & intentionem hanc Deo obtulerit: ex tunc enim, si tantum in communi eorum memoriam habeat, hoc sufficit: quia tunc Deus oblationem

suam pro illis acceptat, pro quibus primo voluit offerre. Hæc est verior sententia, quæ suadet: Sacrificii applicatio nihil aliud est, quam actus voluntatis, seu intentio illa, qua Minister Deo offerens sacrificium, suos effectus transfert, & donat illi, pro quo offert; sed ad hoc sufficit, quod intentio, seu applicatio, sit habitualis: ergo. Prob. minor. Celebrans per talem intentionem, aut applicationem non influit in sacrificium, nec efficit illud, sed præcisè illius effectus, & dona, transfert; sed translatio, & donatio alicujus rei alteri personæ, valida est, dummodo voluntas retractata non sit: ergo. Per hanc doctrinam solvuntur instantiæ, & paritas de intentione necessaria ad Sacramentorum confectioem.

110 Si quæras II. *An, & cui prosit sacrificium, quod Sacerdos non applicavit? Vel si applicat subjecto fructus sacrificii incapaci?* Respondeo, Authores casum resolvere non uniformiter. Alii cum nostro Gonzalez, dicunt, sacrificii fructum tunc illi prodesse, cui celebrans specialiter debebat applicare. Ratio est; quia tunc implicite voluisse judicatur suam adimplere obligationem, & debitum satisfacere. Alii sentiunt, quod si non applicat sacrificium; vel si applicat, est pro aliquo incapaci fructus illius, uti est damnatus: vel non eget satisfactione aliqua, quia est in Cælo, fruens bono infinito, tunc thesauro Ecclesiæ cederet sacrificium illud. Hæc sententia vera est omnino, si celebrans obligationem aliquam specialem non habet applicandi sacrificium pro aliquo: nam si habeat, prima sententia videtur probabilior.

111 Si quæras III. *Quas habeat partes fructus sacrificii? Et quæ sint?* Respondeo, tres habere partes; easque esse, & vocari, *generalis, specialis, & specialissima*. Prima pars, seu fructus, nempe, *generalis* ad Ecclesiam in suis Ministris, & fidelibus, pertinet, ex Christi voluntate,

te, & institutione. Quare hæc pars quoad tres effectus, videlicet, *impe-*
tratorius, *propitiatorius*, & *satis-*
factorius, pendens est à voluntate
Ecclesiæ, quæ illam per se, & per
suos Sacerdotes, applicat, tam in
sui, quam fidelium, beneficium. Nec
potest Sacerdos aliquem fidelem ex-
cludere à generali fructu sacrificii,
quamvis illum aliqua specialitate ap-
plicare possit pro aliqua persona, aut
necessitate. Pariter, nec ex quo ge-
neralis fructus pro pluribus applice-
tur, cæteris minuitur: eo quod ex
Christi institutione, & ex Ecclesiæ
intentione, ad omnes pertineat, ut
singulis prosit, juxta eorum majorem
devotionem, affectum, & dispositio-
nem. Secunda pars, seu *fructus spe-*
cialis, unice pertinet ad illum, qui
stipendium dedit, vel cui celebrans
applicat ob obligationem, aut devo-
tionem: & hæc applicatio est pro-
pria Sacerdotis. Tertia pars, aut *fruc-*
tus specialissimus sacrificii, soli ce-
lebranti personaliter correspondet,
quin possit pro alio applicare.

QUÆSTIO IX.

Quem habeat valorem Sacrificium
Missæ?

112 Hæc est controversia,
quam prolixè, ac eru-
ditissime præ cæteris, pertractat quod-
lib. 20. Subt. Doct. & quæ, ait Mas-
trius, obscurior, & implicatior est
omnibus aliis in hac Sacramentali
materia occurrentibus. Verum existi-
mo non parum habere de nomine,
aut de modo loquendi. Quæritur er-
go: *An Missæ valor sit infinitus?*
Sed pro clariori difficultatis intelli-
gentia, aliqua sunt præmittenda. Pri-
mam controversiam non esse de va-
lore *ex opere operantis*, qui à dis-
positione, & bonitate Ministri pen-
det, qui utique finitus est absolute:
sed de valore *ex opere operato*, pro-
veniente ab ipso Christo, qui se

principaliter offert, & qui valor, cum
independens sit à Ministro, iste per
suam malitiam, aut indispositionem,
non impeditur, nec minuitur illi,
cui applicatur. II. Nec esse contro-
versiam de *infinitate radicali*, aut in
radice, quatenus radicatur in Chris-
ti Domini meritis, quæ saltem *ex-*
tensive infinita sunt, eo quod *pro in-*
finitis valeant, vel in illis sit valor
ad redimendum infinitos, si pro illis
non esset impedimentum. Unde dis-
putationis gratia, permittimus, Chris-
ti merita esse simpliciter infinita, ut
nunc ab hac præscindamus contro-
versiam in scholis satis agitata. III. Hic
præcipue disputari de valore Sacri-
ficii Missæ, qui competit personæ,
cui particulariter applicatur: non au-
tem de valore convenienti toti Ec-
clesiæ, qui dicitur *generalissimus*;
nec de valore convenienti personæ
Sacerdotis, & *specialis*, aut *specia-*
lissimus, vocatur, de quo num. an-
tecedenti satis diximus, & cujus par-
titionis fructus sacrificii, jam com-
muniter ab omnibus acceptæ, teste
Amico disp. 33. sect. 6. primus Au-
thor fuit Doct. Subt.

113 Est igitur difficultas: *An va-*
lor hujus sacrificii ad satisfaciendum
pro pœnis debitis post culpæ remis-
sionem, qui est primus, & princi-
palis effectus, ex opere operato in-
fallibiliter per hoc sacrificium colla-
tus, sit *intensive*, & *extensive infi-*
nitus? adeo ut ex Christi institutio-
ne, & voluntate, tantus sit, absque
limitatione aliqua, quanta sunt ip-
samet Christi merita. An vero talis
valor finitus sit, & limitatus, juxta
Divinæ Sapientiæ dispositionem, vo-
luntatem, & institutionem Christi
Domini? Si primum? Missæ Sacri-
ficiu satisfacere potest, non solum
pro omni pœna debita peccatis, sive
mortalibus, sive venialibus, sed etiam
pro pœna debita peccatis infinitorum
hominum, si darentur. Pariter, sa-
crificium hoc oblatum pro pluribus,
æquè prodest cuilibet, ac si offera-
tur tantum pro uno. Semel namque,
ait

ait Gonet disp. 11. de Sacrif. Missæ,
artic. 5. num. 100. quod sacrificii
valor intensive, & extensive, infi-
nitus sit, nihil tollitur de fructu illi,
pro quo offertur, per hoc, quod pro
aliis offeratur, cum numquam exhau-
riri possit valor infinitus. Si vero se-
cundum? sequitur, quod sacrificii va-
lor satisfactorius inter plures distri-
buitur, minus singulis attinget, quam
si pro uno tantum offerretur. Unde
si pro uno tantum offeratur, illi
prodest totus valor indivisus: si ve-
ro pro duobus, singulas tantum par-
tes accipient singuli eorum. Hic est
genuinus sensus hujus controversiæ,
in qua primam partem docuerunt Ca-
jetanus, Canus, Corduba, Gonetus,
& plures alii, quibus Pontius adhe-
sit ex nostris: secundam verò sus-
tinent D. Bonaventura, Scotus quod-
lib. 20. Durandus, Sotus, Suarez,
Bonacina, Valentia, & plures alii,
atque ex nostris Aretinus, Hiquæus,
Gavatus, Mastrius, Gonzalez in
Summ. Moral. & est communior sen-
tentia in Schola Subtili cum Frasse-
nio.

114 Sit nostra Concl. *Valor, &*
effectus Sacrificii Missæ non est in-
finitus, sed finitus, juxta Christi
Domini voluntatem, & institutionem.
Sequitur, quod Sacrificium hoc obla-
tum pro pluribus, minus prodest
cuilibet, quam si pro uno dumtaxat
offerretur. Unde ait Scotus quodl. 20.
quod Missa non tantum valet virtute
sacrificii applicata pluribus in eo-
dem gradu, sicut si uni soli applica-
retur. Prob. Quamvis quod in hoc
sacrificio offertur, sit infinitum, &
merita Christi, à quibus sacrificium
suum habet valorem, etiam valoris
infiniti sint, tamen hic infinitus va-
lor non derivatur in Missæ Sacri-
ficio: ergo. Antecedens est præcipuum
Adversariorum fundamentum, ut ap-
parebit ampliùs. Probatur antecedens.
Ideo etiam Sacrificium Missæ esset
infiniti valoris; quia principalis of-
ferens est ipse Christus, cujus ope-
ra sunt infinite meritoria, & infini-

ta est etiam res oblata; sed ex hac
ratione minimè sequitur infinitus
valor in Sacrificio Missæ: ergo. Ma-
jor est decantatum adversariæ sen-
tentia fulcimentum. Prob. min. Quam-
vis Christus in Sacrificio Missæ sit
principalis offerens; tamen nec est
offerens proximus, & immediatus,
neque talis oblatio, ut à Christo fit,
est meritoria, nec satisfactoria; sed
hoc stante, nequit derivari infinitus
valor, nec meriti, nec satisfactionis
in Sacrificio Missæ: ergo.

115 Major certissima est quoad
1. partem, apud fere omnes Theo-
logos, ut videri est supra num. 62.
ubi quæritur: *Quomodo Christus of-*
ferat Sacrificium Missæ? Certissima
est etiam quoad reliquas partes; quia
inconcussum est, quod Christus nunc
nec meretur nobis in sacrificio, nec
pro nobis satisfacit: sed solum ha-
bet vim sacrificium tollendi debitum
pœnæ, quatenus ex Christi institu-
tione annexas habet satisfactiones præ-
teritas ipsius Christi. Unde hoc sa-
crificium instituit, applicando nobis
vitæ, Passionis, & mortis suæ me-
rita. Nunc sic: sed est convenientis-
simum, quod talis meritorum an-
nexio, & applicatio non esset cum om-
nimoda plenitudine valoris merito-
rum suorum, sed cum convenienti
virtute finita, aut finito, & limitato
modo, juxta suam voluntatem, &
intentionem, quam habuit in hujus
sacrificii institutione: ergo. Sub-
sumpta est manifesta: quia Christus
illud instituit, ut pluries in Ecclesia
offerretur, non solum in honorem,
& cultum Deo debitum, sed etiam
in utilitatem fidelium, tam vivorum,
quam mortuorum, & hoc usque in
finem mundi; sed ad hoc convenien-
tissimum fuit, & maximè congruum,
Christum limitasse hujus sacrificii
valorem, applicando per illud mo-
do finito suorum meritorum valorum,
juxta suum beneplacitum, & divi-
nam voluntatem: ergo. Prob. min.
Quia si non limitatum, sed infini-
tum haberet valorem, unum tan-
tum-

tummodo Sacrum sufficeret pro omnibus vivis, atque defunctis, & consequenter inutiliter Missæ celebrarentur multoties, quod est contra Christi institutionem; atque frustra multiplicarentur Capellanæ, & obligationes aliæ, quas in animarum suarum commodum fideles piè fundare solent. Sequela clariùs constabit ex dicendis num. seq.

116 Ex his rationibus colliges 1. nostram sententiam conformiorem esse praxi Ecclesiæ, quam opposita. Ratio est; quia in Ecclesiæ plurimæ applicantur Missæ, tam pro fidelibus defunctis, quàm pro viatoribus, ac variis eorum necessitatibus; sed si Missæ valor esset illimitatus, & infinitus; atque adeo, sive pro uno, sive pro plurimis applicetur, æquè prodesset omnibus, absdubio unicum sacrificium satisfaceret pro omnibus pœnis Purgatorii, ac pro omnibus fidelium necessitatibus: ergo satis superfluum esset, plures celebrare Missas, & pariter celebrare pro una determinata anima. Patet hoc: nam per vos in unica Missa est tantus valor, quantus in plurimis; ac æqualiter prodest omnibus, sive pro omnibus, sive pro uno tantum offeratur. Ergo superflue, aut sine necessitate plures celebrarentur, & applicarentur Missæ: Tum; quia frustra fiunt per plura, quæ fieri possunt per pauciora: Tum, & præcipue; quia sine necessitate Christus Dominus iterum pro nobis pateretur, ac incruento sacrificio offerretur. Sed hoc ideò est, quia valor illius sacrificii fuit infinitus, & absolutè sufficiens pro omnibus: ergo pariter.

117 Colliges 2. Conformiorem etiam esse Decretis Apostolicis Urbani VIII. & Alexandri VII. declarantibus, Sacerdotem, nec cum unica Missa satisfacere obligationem plurium Missarum; nec pro unica accipere posse stipendium, quod pro pluribus donatur. Nunc sic: sed si idem numero sacrificium ob sui in-

finitatem ex æquo pluribus, imò, & infinitis, prodesse potest, ac si unum tantum eorum, vel paucioribus applicaretur, & hoc sine diminutione boni alicujus eorum, tunc benè posset quis unica Missa omnibus satisfacere, plura stipendia pro illa accipere, atque quascumque obligationes, & fundationes unico sacrificio implere: ergo cum hoc sit contra Apostolica Decreta &c. Sic arguit, & quidem efficaciter, Doctor Subtil. quodl. cit. & in ea Adversariorum doctrina fundabantur, qui doctrinam in decretis memoratis damnatam sustinuerunt.

118 Respondet Vazquez disp. 231. cap. 2. quod quamvis opinio de infinito valore Missæ, theoreticè sit vera; tamen in praxi non est sequenda; quia inter duas opiniones contrarias, illa servanda est in praxi, quæ favorabilior est animarum salutis, & quæ certò remedium illis confert, quales nostra sententia est. Gonetus dicit, quòd licet Sacrificium Missæ sit valoris infiniti, & sufficiat pro infinitis: ejus tamen effectus limitatur devotione offerentis, & ejus pro quo offertur: & ideò plura Missæ Sacrificia prodesse possunt magis, quàm unum. Unde non sequitur 1. inconveniens à nobis adductum. Nec sequitur 2. dicit; quia intentio tribuentis stipem, non solùm est, ut sibi sacrificii fructus applicetur, sed etiam, ut frequentatione Missarum divinus cultus augeatur, & tam vivorum, quàm defunctorum animæ plurimum sacrificiorum suffragiis juventur: Sic diluere intendit nostras rationes, & quidem facilè: nescio verò, in quo talis facilitas sistit.

119 Utraque responsio, mera videtur evasio. Prima quidem: nam si juxta Vazquez sua sententia non est sequenda: tum propter rationem ab ipso supra insinuatam: ne fideles trahantur à fundationibus, & celebratione multarum Missarum: ergo nec est sequenda, nec consilianda: ergo nostra sententia illi opposita erit

rit loquenda, & sequenda. Præterea: nostræ rationes omnino insolute manent: ergo talis responsio illusoria est, & insufficientis. Responsio Gonetii suammet doctrinam destruit, quod ostendo sic 1. Per te; quia Sacrificium Missæ est idemmet cum sacrificio crucis, tam ex parte rei oblatae, quàm ex parte principalis offerentis, vis satisfactoria ex opere operato eademque infinitatem habet cum illo; sed quia valor sacrificii crucis est infinitus, & ut talis, satisfacit pro peccatis infinitorum hominum, si darentur, necessarium jam non est ad satisfaciendum pro omnibus, quod Christus in cruce iterum offeratur: ergo pariter de Sacrificio Missæ, & consequenter, uno sacrificio oblato, inutiliter, & absque ulla necessitate repeteretur. Major est efficacior ratio, qua suam conclusionem probat Gonetus. Minor est indubia: consequentia videtur legitima.

120 Ostendo 2. Per te; quia valor Sacrificii Missæ est infinitus intensivè, & extensivè, nihil tollitur de fructu debito illi, pro quo offertur, per hoc, quòd pro aliis offeratur: cum infinitus valor numquam exauriri possit: Ex hoc probat, Sacrificium Missæ pro pluribus oblato, æquè prodesse cuilibet, ac si pro uno tantum offeratur. Nunc sic: ergo si æquè, & infinite prodest omnibus, semel oblato sacrificio pro Animabus, totum exhauritur Purgatorium. Patet; quia illa pœnarum satisfactio infinita est, ac sine limitatione, & termino. Ergo ad satisfactionem pœnarum in Purgatorio inutile est iterare sacrificium. Ergo quamvis Missæ multiplicentur, nihil jam animæ defunctorum sacrificiorum suffragiis juvantur, nec juvari possunt, ut respondebat Gonetus. Ratio hujus est; quia infinitus ille valor, & fructus ex opere operato, minui non potest, nec augeri, majori, vel minori, aut nulla Sacerdotis devotione, ex sæpiùs dictis: &

Tom. II.

aliunde animæ in Purgatorio omnino sint dispositæ ad talem suffragii participationem: nec ibi possunt magis, aut minus se disponere, cum nec mereri, nec demereri, possint. Nunc sic: sed hoc stante, & quod dictum est in anteriori impugnatione, in sua efficacia, & vi integræ manent nostræ rationes, & instantiæ, ut consideranti clarebit: ergo illusoria est responsio, ac insufficientis. Hæc amplius clarebunt in solutione argumentorum.

121 Objicies 1. Valor, & virtus sacrificii, præcipue sumitur ex duplici capite, nimirum, ex re oblata, & ex principali offerente; sed in Missæ Sacrificio tam res oblata, quàm principalis offerens, sunt dignitatis simpliciter infinitæ: nam res oblata est corpus, & sanguis Christi, unita hypostaticè Verbo Divino; & principalis offerens est ipsemet Christus, ut dicitur in Lateranensi, cap. Firmiter, & in Trident. sess. 22. cap. 1. ergo valor Sacrificii Missæ est intensivè, & simpliciter infinitus. Confirmatur, & magis ratio hæc illustratur, solutionem præcavendo: quamvis sacrificium, seu oblatio infinitatem præcisè ex re oblata non habeat, tamen res oblata habet dare infinitatem sacrificio, quando cum infinitate principalis offerentis simul conjungitur; sed in Sacrificio Missæ infinitus valor rei oblatae conjungitur cum infinita dignitate principalis offerentis, scilicet, Christi: ergo valor Sacrificii Missæ infinitus est. Major constat: nam quando BB. Virgo in templo obtulit filium, illa oblatio non fuit infiniti valoris, eò quòd licet infiniti valoris esset res oblata, offerens non erat: quando verò principalis offerens est infinitus, eundem semper habet valorem, sive immediatè, sive aliorum ministerio offeratur: sicut donum à Rege collatum ejusdem valoris est, sive ab ipso Rege immediatè, sive aliorum ministerio, conferatur.

122 En Argumentum, quod ratio

Xx

tio-

tionem fundamentalem vocat Gonetus: in eo tamen nihil difficultatis nobis præsentatur. Respondeo igitur distinguendo, vel declarando majorem: Sumitur ex re oblata, & ex principali offerente, sed tantum mediato, (seu mediante Ministro finito) nego major. ex re oblata, & ex principali offerente immediato, subdistinguo major. Si offerens ille tunc meretur, aut ex sua voluntate non limitat, & finit effectum, concedo: si aliter evenit, nego major. & concessa minor. cum imbibita, nego consequent. Ad confirmationem distinguuntur eodem modo, & in eodem sensu, *ly quando cum infinitate principalis offerentis simul conjungitur*, & nego consequentiam. Nec exemplum Regis intentum probat: Tum, quia magis estimatur donum ab ipsomet Rege in persona collatum, quam mediante suo Ministro, ut est clarum: Tum; quia numquam in tali dono derivatur dignitas, & valor Regius: aliás vassallus, cui Rex donum conferret, dignitatem regiam participaret, seu esset illud donum in eodem gradu, & excellentia, quam habet ipse Rex, quod utique falsissimum est.

123 Dico igitur, quod Christus immediatè hoc sacrificium non offert, sed tantum mediatè, & per ministerium Sacerdotis. Dicitur autem principalis offerens, quatenus Sacerdotibus dedit potestatem, ut vice, & nomine ipsius hoc sacrificium offerrent. Actio verò Sacerdotis limitatè est virtutis, ideòque determinatum, & limitatum effectum producit. Deinde, quamvis Christus immediatè offerret, valor sacrificii infinitus non evaderet; quia Christus per talem actum non meretur, sicut meruit in sacrificio crucis, & in sacrificio ultimæ Coenæ, sed tantum applicat merita, & satisfactiones suas præteritas, quas non vult applicare, nec applicat, nisi finito, & limitato modo, juxta placitum suæ voluntatis, & intentionem, quam

habuit in hujus sacrificii institutione, ut manifestum relinquo in probationibus conclusionis.

124 Unde, quamvis hoc sacrificium (ut alia Gonetii instantia præcludatur) sit idem cum sacrificio crucis, & cum sacrificio ultimæ Coenæ, quoad rem oblatam, inde non benè deducitur, esse idem, & ejusdem valoris, quoad oblationem: Tum; quia Christus nunc per tale sacrificium non meretur, sicut tunc, nec sua merita applicat, nisi cum limitatione, juxta placitum suæ voluntatis: Tum; quia oblatio in hoc sacrificio est actio Sacerdotis, quæ est finiti valoris; oblatio verò in sacrificio crucis, & ultimæ Coenæ fuit actio immediata Christi, quæ erat infiniti valoris, & dignitatis, utpotè dignificata ab ipsa persona Verbi. Doctrina hæc fulcitur autoritate Tridentini sess. 22. cap. 1. dicente: *Idem nunc est offerens Sacerdotum Ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit; sed offerendi ratione diversa.*

125 Objicies 2. Juxta D. Hieronymum super caput, *Non mediocriter de Consecrat. dist. 5. Dum pro centum animabus Psalmus, vel Missa dicitur, nihil minus, quam si pro unoquoque diceretur, accipitur*: ergo sacrificium oblatum pro pluribus, equè prodest cuilibet, ac si pro uno tantum offeratur. Nunc sic: sed hoc dici non posset, nisi sit infiniti valoris: ergo est. Confirmatur 1. Idem Sacerdos unica actione baptizare potest plures, ita ut *ex opere operato* illis conferatur gratia æqualis: ergo pariter, offerens pro pluribus Missæ Sacrificium, æqualiter valebit illis ex opere operato. Confirmatur 2. Sol, & lucerna, non minus illuminant plures, quam unum: & vox non minus auditur à multis, quam à singulis: ergo pariter valor hujus sacrificii ita potest multis communicari, ac singulis æqualiter prodesse. 3. Bonum spirituale proportionatur spiritui; sed spiritus v. g.

An-

Angelus, & anima rationalis, communicatur, non per partes, sed est totus in toto spatio, & totus in qualibet parte, si est Angelus, & totus in toto corpore, & totus in qualibet parte, si est anima: ergo cum fructus sacrificii sit spiritualis, communicatur sine sui divisione: ergo non minuitur, licet pluribus communicetur.

126 Respondeo cum Subt. Doct. sensum verborum Hieronymi esse, non minus prodesse Sacerdoti unicam Missam, vel Psalmum, devotè, & attentè, ac cum fervore spiritus dictum, quam centum remissè, frigidè, & cum tristitia spiritus, & anxietate cordis. Colligitur hic sensus ex his verbis ipsius immediatè præcedentibus, quæ dixit ad consolationem Monachorum, qui etsi pro multis orare tenentur: tamen non oportet tot Psalmos legere, cum hoc in fastidium vergeret, sed melius illis satisfacit, si pauciores pro eis recitentur cum hilaritate. Ita ait: *Melior est quinque Psalmorum decantatio cum cordis puritate, serenitate, & spirituali hilaritate, quam totius Psalterii modulatio cum anxietate cordis, & tristitia.* Nec desunt, qui negent, illa verba esse Hieronymi, quo stante, falsum erit antecedens.

127 Ad 1. Confirmationem nego consequ. Sacramentum Baptismi, ut ait Doct. 4. dist. 6. quæst. 2. est ablutio passiva, ideòque tot erunt Sacramenta Baptismi, quot homines abluti. Quare multiplicato Sacramento, etiam illius effectus multiplicatur. At verò Missæ Sacrificium pluribus applicatum est unum solum; atque adeo unum sortitur effectum ex opere operato. Ad 2. nego etiam consequ. Nequit enim fieri, quod valor finitus, inter multos divisus, equè illis respondeat totus: *nam finitum non est multis communicabile sine sui divisione*: & quod communicatur pluribus cum divisione, minus participatur à singulis, quam si communicaretur uni soli. Exemplar igitur

Tom. II.

tur pecuniæ rectius hinc venit, quam exemplar lucernæ, ut supra num. 102. notatum manet. Sicut enim pecunia inter plures divisa, singulis non correspondet tanta, ac uni soli tributa, sic pariter philosophari debet de fructu speciali Sacrificii Missæ. Deinde, dico cum Subt. Doct. verum esse antecedens, quando illa plura illuminabilia sunt partes illius illuminabilis adæquati, id est, quando sunt contenta intra eandem spheram respectu illuminantis: & idem est de voce immutante auditum multorum, qui intra ejus spheram continentur: nam qui sic respectivè non continentur, nec illuminantur, nec audiunt. At in proposito plures illi, pro quibus sacrificium applicaretur, non sunt per se partes unius, quod boni reddendæ virtute applicationis sit susceptivum adæquatum, sed unumquodque per se est adæquatum susceptivum.

128 Ad 3. Confirmationem dico, Deum quidem potuisse efficere, quod bonum spirituale Sacrificii Missæ ita communicaretur multis, ac quod æqualiter singulis prodesset: at verò non ita fecisse, sed voluisse, ejus valorem esse, sicut est in pecunia, vel in jejuniis, quæ inter multos divisa, minus prosunt. Quod autem talis fuerit Dei voluntas in hujus sacrificii institutione, nobis satis constat ex his, quæ adduximus ad nostræ sententiæ probationem. Deinde dico, possibile non esse, spiritum ita distribui, sed æqualiter communicari subiecto intra, & non extra spheram suæ virtutis, & activitatis: nam si possibile esset, fortè communicaretur etiam per partes, cum tunc esset divisibilis. Fructus verò sacrificii participabilis est minus, & magis, seu non æqualiter à singulis ex Christi voluntate, & institutione, quod sufficienter manifestum est ex dictis.

129 Objicies III. Quando Sacerdos offert Missam generaliter pro circumstantibus, etiamsi plurimi sint

Xx 2

cir-

circumstantes, non minus singulis prodest, quàm si solus quilibet eorum adesset: ergo similiter, quando Sacerdos Missam applicat pro pluribus, pro se celebrari postulantibus, etiam si in particulari pro illis applicetur, æquè prodest cuilibet eorum, ac si pro uno tantum offerretur. Antecedens constat: alioquin, melius esset audire Missam, cui nullus assistit, aut Missam privatam, cui pauci assistunt, quàm publicam, & solemnem, cui assistit omnis populus; sed hoc non est dicendum: ergo nec illud, ex quo sequitur, & consequenter &c.

130 Pro solutione hujus argumenti, & similium, recolendum est 1. fructus, & effectus Sacrificii Missæ, tres esse, nempe, *Impetratorium, Propitiatorium, & satisfactorium*. Mitto *Meritorium*; quia meritum solius est operantis, aut offerentis, cum sit operatio personalis. Ex his *Impetratorium* consistit in quadam virtute, quam ex Christi institutione habet sacrificium, ut à Deo impetret spiritualia, & temporalia bona, ad spiritualem nostram salutem conducentia. *Propitiatorium* consistit in virtute quadam ex Christi institutione, quam habet ad Deum cum peccatoribus placandum, & movendum, ut nobis sua clementia, & misericordia utatur, mediis auxiliis, quibus condignam pœnitentiam agamus, & remissionem consequamur peccatorum. *Satisfactorius* consistit in quadam virtute, in hoc sacrificio existente ex institutione Christi, ut Deus condonet, ac remittat pœnas, culpis jam remissis in Purgatorio correspondentes, media applicatione, quæ per hoc sacrificium fit, meritorum, & satisfactionis, quam æterno Patri Christus pro nobis dedit in passione, & Sacrificio Crucis. Hic effectus est sacrificii principalior, & applicabilis pro defunctis in Purgatorio, & pro vivis in gratia existentibus. Recolendum est 2. fructum Missæ tres habere partes, scilicet *generalem, specialem, & specialissimam,*

de quibus peractum est supra num. 111. §. *Siquæras* 3. Recolendum est 3. plures, ac doctissimos Theologos, cum Lugo, & Mastrio, docere, fructum ex opere operato sacrificio correspondentem, esse fructum *specialem*, qui solius est illi, qui stipendium dedit: cæteris verò solùm potest Sacerdos applicare per modum impetrationis ex opere operantis, sive ex merito personali. Unde dicunt, quòd quando Sacerdos orat in *Memento* pro amicis, propinquis, & circumstantibus, non applicat eis fructum satisfactionis ex Missa, sed impetrationis. Sed nunc admissio, omnes prædictos effectus esse *ex opere operato*.

131 Respondeo facile, concesso antecedenti, negando conseq. Plurimum, si non fallor, æquivocantur Adversarii. Dico igitur, quòd fructus *generalis* sacrificii ad omnes fideles pertinet, & Ecclesia ex Christi voluntate, & dispositione fidelibus, & præsertim circumstantibus, applicat illum; quin per hanc applicationem in minimo fraudetur, nec minuitur fructus *specialis satisfactorius*, qui est proprius, & peculiaris illius, qui stipem dedit. Unde, tam Ecclesia, applicando fidelibus sacrificium, quàm Sacerdos, offerendo illud pro amicis, & quibuslibet aliis suæ devotionis, nihil applicat de fructu speciali, quem totum quoad substantiam tenetur applicare illi, qui stipendium dedit; sed solùm applicat, & applicare potest fructum generalem, qui fidelibus correspondet, & de quo magis participant sacrificio assistentes. Nec minuitur ex eo, quòd pro pluribus applicetur; quia ex Christi institutione, & Ecclesiæ intentione, ad omnes pertinet, ut prosit cuilibet, juxta suum affectum, & majorem dispositionem. Ecclesia item relinquit Sacerdoti posse hunc generalem fructum specialiter applicare fidelibus, juxta illorum necessitatem, & Sacerdotis devotionem. Nec isti effectus impediuntur

tur à celebrante indisposito, eò quòd proveniant à virtute intrinseca, quam ex Christi institutione sacrificium habet, quod à bonitate Ministri est independentia. Modo quo, si Dominus eleemosinam tribueret, medio famulo vitioso, non ob hoc eleemosina vitaretur. Per hanc doctrinam intelligi, & solvi possunt plurima alia, quæ, brevitatis causa, judicavi omittenda.

QUÆSTIO X.

Plures resolvens casus, attinentes ad Missæ Sacrificium.

132 **P**RIUSquam aliquos proponamus, ac resolvamus casus, prænotandum est, Sacerdotem licitè, & nulla interveniente simoniæ labe, accipere posse justum stipendium Missæ. Ratio est; quia stipendium non datur pro ipsa Missa, quasi sit illius pretium, ut inquit Subtil. Doct. quæst. 20. quodlib. ad 3. *principale*, sed vel pro Ministri sustentatione, vel pro ipso externo ministerio, quæ sunt aliquid temporale. Unde justum Missæ stipendium mensurari non debet, nec potest, penes valorem sacrificii: sed vel ex lege Ecclesiastica, illud taxante, vel ex justa, & rationabili consuetudine, vel, si hæc deficeret, ex honesta Sacerdotis in unum diem sustentatione. Constat etiam hæc veritas ex illo Lucæ 10. *Dignus est operarius mercede sua*, quod egregiè probat Apostolus 1. ad Corinth. 9. At verò pro aliis Sacramentis ministrandis, non potest aliquid recipi, nec titulo sustentationis. Quare in Rituali Pauli V. statuitur, neminem posse quidquam recipere pro ministracione Sacramentorum, nisi in casu, quo post administrationem factam, aliquid gratis detur, aut sit in usu, ut est in aliquibus Diocesis, & ab Episcopo non prohibeatur. Ratio non est alia, nisi quia Ecclesia sustentationem Ministri de-

signavit in Missæ oblatione, & non in aliis Sacris ministeriis: sed pro aliis Sacramentis ministrandis sufficienter Ministris est provisum per decimas, aliosque Ecclesiasticos redditus, vel per eleemosinas generales, quæ Regularibus dantur. Nunc sic:

133 **C**ASUS 1. *Utrum omnes Sacerdotes teneantur aliquando celebrare? Et si teneantur, quoties in anno?* Duplicem continet partem, & sermo est de Sacerdote, alium titulum, quàm Sacerdotalem non habente: nam ratione Beneficii, Capellanæ, stipendii, aut contractus, extra dubium est, teneri celebrare. Respondeo affirmativè ad primam partem, & obligationem esse sub gravi. Est communior Theologorum sententia, quamvis plurimi cum Alensi, Vitoria, Lugo, & aliis, oppositum doceant, dummodo scandalum, aut contemptus, non sit. Suadetur ex Trident. sess. 22. cap. 1. dicente, Christum Dominum, illis verbis Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, Apostolis, et eorum in Sacerdotio successoribus, ut offerant, præcepisse ergo præceptum celebrandi datur Sacerdotibus: sed præceptum istud est de re gravi: ergo obligat sub mortali.

134 **S**ed quando, & quoties, obligat? Hæc est secunda pars, in cujus resolutione non parum variant DD. Silvester, et D. Antoninus referunt, Jurisperitos quosdam dixisse, Sacerdotem quotidie debere celebrare. Sed hoc communiter refutatur, tamquam sine fundamento dictum. Contrario sensu procedit Delgadillo, opinando, Sacerdotem, vi Sacerdotii, solùm teneri ad semel in tota vita celebrare. Fundatur in eo, quòd Tridentinum solùm declarat, Sacerdotibus imponi præceptum celebrandi ex illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*: non verò declarat, aut determinat, celebrandum esse in aliquo determinato tempore. Ex quo infert, in quolibet

vitz tempore prædictum præceptum impleri posse. Sed fallitur, ut constabit ex nostra resolutione. Paludanus, et Major, docent, teneri in Nativitate, et Resurrectione Domini, in Pentecoste, in Virginis Assumptione, et in omnium Sanctorum festivitate. Navarrus dicit, teneri in diebus illis, in quibus Laici Religiosorum consueverunt communicare. D. Thom. 3. part. quæst. 82. art. 10. in corp. Silvester, et alii, docent, teneri in præcipuis festivitibus anni. Hæc sententia est valde commendabilis. Denique Toletus, Azor, Leandrus, et recentiores plurimi, dicunt, in nullo determinato die teneri ad celebrandum: nihilominus teneri saltem ter celebrare in quolibet anno. Huic sententiæ adhærendo.

135 Dico cum nostro Gonzalez: *Quemlibet Sacerdotem, qua talem, teneri sub mortali celebrare in anno ad minus quater.* Monendi verò sunt Sacerdotes, ut saltem in *Dominicis, & in festis solemnibus* celebrent. Colligitur prima pars ex cap. *Dolentes de celebr. Miss.* in quo graviter reprehenduntur, qui vix quater in anno celebrant sacrificium: ergo si graviter reprehenduntur, signum est, quòd tales Sacerdotes in sui muneris adimplerione graviter deficient, et consequenter &c. Secunda pars constat ex Trident. sess. 23. cap. 14. *de Reformat.* ubi Concilium Episcopis commendat, et committit, ut maxime curent, Sacerdotes sacrificium celebrare, saltem in diebus dominicalibus, et solemnibus festis. Et quamvis hæc sit admonitio, et non præceptum: tamen innegabile est, hanc esse Concilii mentem, et Spiritum.

136 Casus II. *Quibus diebus teneantur celebrare Sacerdotes, animarum curam habentes?* Respondeo teneri omnibus illis diebus, quibus fideles tenentur audire Sacrum. Etiam tenentur celebrare aliquibus aliis diebus intra hebdomadam ad Parochianorum devotionem satisfaciendam.

Nec facile est assignare, quot dies in hebdomada debeant esse? Attendenda est in hoc, tam numerositas populi, quàm quantitas Beneficii. Huic autem obligationi satisfacit, si per alium celebret; quia sic salvatur finis. Suadetur 1. resolutionis pars, quæ communis est: nam si fideles in diebus festi tenentur audire Missam, pari ratione Minister deputatus ad illorum spiritualem curam, Missam celebrare debet, ut illam fideles audiant. Suadetur secunda pars: quia Parochi tenentur ministrare aliquoties Sacramentum Pœnitentiæ, extra tempus annualis confessionis præceptæ: ergo pariter, tenentur celebrare aliquibus diebus: præter festivos, & de præcepto, ad satisfaciendam devotionem Parochianorum. Hucusque locuti sumus de Missæ celebratione, non de sacrificii applicatione. Pro quo:

137 Casus III. *Quibus diebus teneantur Parochi applicare sacrificium pro populo sibi commissio?* Suppono 1. Constitutionem Benedicti XIV. expeditam die 19. Augusti, an. 1744. incipientem: *Cum super*, directam fuisse Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis Italis: in eaque præcipi, omnes animarum curam habentes, *Missam applicare pro populo sibi commissio*, omnibus diebus, quibus est præceptum audiendi sacrum. Præcipitur etiam in ea Constitutione, in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, Patriarchalibus, & Collegiatis, Missam conventualem omnibus diebus applicari pro Benefactoribus in generali, quin per hoc cesset obligatio applicandi *pro Populo* omnibus diebus festis. Suppono 2. hanc Constitutionem extra Italiam, cui expedita est, non obligare. Suppono 3. Parochum, aut animarum Curam habentem, *jure divino* aliquibus in anni diebus teneri applicare sacrificium *pro Populo sibi commissio*. Constat ex Trident. sess. 23. de Reformat. cap. 1. per hæc verba: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum*

Cu-

Cura commissio est, oves suas agnoscere, pro bis sacrificium offerre &c. Super quæ verba ipse Benedict. XIV. reprobatur omnem contrariam interpretationem, declarans, eam, & non aliam, esse Concilii mentem, ac ita Sacram Congregationem declarasse.

138 Supposito igitur, obligationem esse ex divino præcepto, juxta Tridentini mentem, applicare Missam, & offerre sacrificium pro populo sibi commissio, superest dubium: *Quibus diebus in anno hoc fieri debeat à Parochis, aut Beneficiatis?* Respondeo, non posse assignari pro omnibus regulam generalem, sed cum respectu ad redditum, & fructum ejuscumque, decidendum est. Si enim Curatum, aut Beneficium pingue sit, sentio, omnibus diebus, quibus tenentur fideles audire Sacrum, debere applicari pro populo. Si mediocriter sit, tenebitur applicare sacrificium pro suis ovis in Dominicis saltem, in primis diebus Paschalibus, & mysteriorum Domini nostri Jesu Christi festivitibus. Si autem tenue fuerit, suum munus, & obligationem implebit, applicando pro eis Missam, in Dominicis Adventus, & Quadragesimæ, in Paschate diebus primis, in corporis Christi festivitate, & in Jovis Sancti die. Sic resolvit Gonzalez, & videtur resolutio satis prudens. Unde obligatio applicandi pro populo suo sacrificium, quoad frequentiam dierum, taxanda est prudenter, non solum per ministerium, sed etiam per proventus, & emolumenta ipsius, remota prorsus ambitione, & coditia ab omni Ministro.

139 Casus IV. *Utrum Sacerdos celebrare possit omnibus anni diebus?* Respond. Sacerdoti ritè disposito licitum esse celebrare quotidie, exceptis tribus postremis diebus hebdomadæ Sanctæ. Constat prima pars ex cap. *Consulisti de celebr. Missar.* ex universalis Ecclesiæ praxi. Altera pars etiam constat: nam in primis

feria 6. Parasceves prohibitum est omnino Missam celebrare: eo enim die, ob memoriam illius sacrificii cruenti, quo hac die Christus pro mundi salute in Ara crucis oblatum est, consecratio non fit, sed juxta Ritus Ecclesiæ, solum à Sacerdote sumitur hostia consecrata pridie. Pariter de feria quinta Cœnæ Domini, & Sabbato Sancto, constat, unicam tantum Missam solemnem in qualibet Ecclesia celebrari posse, nedum juxta antiquam traditionem, & consuetudinem Sanctæ Ecclesiæ, sed etiam ex novo Decreto Sac. Congregat. & publica prohibitione Clementis XI. die 20. Aprilis 1707. & 3. Aprilis 1719. aliisque ipsius constitutionibus, in quibus interdictum est, amplius in die Jovis, aut Sabbato Sancto, in una, eademque Ecclesia, aliam, præter solemnem Missam, celebrare, non obstante quolibet privilegio, aut contraria consuetudine. Ex quibus demonstratur, ulterius manuteneri non posse, sed potius moderno tempore, falsam esse, & nullatenus sequendam opinionem Suarii, Soti, Barbosæ, Lugonis, Layman, aliorumque antiquorum DD. qui existimarunt, in Sabbato Sancto non esse prohibitum, privatim, ac secluso scandalo, celebrare post solemne Officium. Hoc idem admittebant in feria quinta, quamvis hac die communionem Sacerdotes de manu solemniter celebrantis accipiant, more laicorum, & exemplo Apostolorum, qui isto die de manu Christi Eucharistiam sumpserunt. Sunt itaque isti Authores corrigendi per præcitata Ecclesiæ Decreta, & illorum opinio nullo modo ulterius sequenda.

140 Excipitur verò festum S. Josephi, si incidit, ut anno 1761. incidit, vel Annuntiationis, in Jove Sancto: Tunc enim celebrari possunt aliquæ privatæ Missæ ante solemnem, ut commodius possit populus præceptum audiendi sacrum adimplere. Etenim talia festa, ex Sac. Congreg. 13. Septembris 1692. transferuntur.

runtur, quoad chorum, non autem quoad forum. Si verò talia festa occurrant die Parasceves, vel Sabbato Sancto, transferuntur etiam in foro, & quoad præceptum audiendi post Pascha Sacrum. Deinde, Forum Conscientiæ Carmelitanum, 1762. luce editum, ait, Kresling, & Reifensuelem existimare, non comprehendendi, nec prohiberi in prælaudatis decretis, posse in die Jovis Sancti unam Missam celebrare in informaria, seu valetudinario Conventuum, ad solatium infirmorum, qui divinis officiis assistere non possunt.

141 Et scito, quòd Ecclesia antiquitus celebrabat requiem Domini in sepulchro duobus integris diebus, nempe, in venere, & in Sabbato Sancto, in quibus ex Decreto Innocentii I. qui an. 402. electus est Pontifex, non licebat Missam celebrare. Unde Missa, quæ nunc temporis solemniter canitur pro initio celebritatis Resurrectionis Dominicæ, celebrabatur tunc, quando finita erat dies. Vide quæst. XI. num. 157. Ex tempore autem, quo Ecclesia celebrare cœpit Missam solemnem Resurrectionis ipso die Sabbati Sancti, prohibitio Innocentii pro Sabbato Sancto jam cessavit.

142 Casus V. *An eidem Sacerdoti liceat plures Missas celebrare eodem die.* Respondeo, non licere, nisi ex aliquo privilegio, vel in casu notoriæ necessitatis. Probat: nam pluries in eodem die celebrare, prohibitum est ab Innocentio III. cap. *consuluiti*, per hæc verba: *Excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die tantum Missam solummodo celebrare.* Cujus Decreti verba, etsi præceptum non videantur, seu præceptiva; tamen, ut talia, recepta sunt in usu ab Ecclesia: ita ut esset peccatum mortale, plures Missas ab eodem sub uno die celebrari. Idem statuit Honorius III. cap. *te referente de celebratione Missarum.*

143 Dixi: *nisi ex aliquo privilegio*: nam constat ex prædicto Decreto Innocentii, & ex antiqua universalis Ecclesiæ praxi, in die Nativitatis Domini plures Missas à quolibet Sacerdote celebrari posse. Est etiam extra dubium, posse celebrari tres Missas tantum. Nec tenetur quis, adhuc Parochus, ad tres Missas illo die celebrandas, ut Henricus & Silvester dixerunt: sed celebrare potest duas, aut tantum unam: nam cum sit indultum, seu privilegium, illo uti nemo tenetur. Hæc autem Missa, sine peccati gravi periculo, potest esse quælibet ex tribus, quamvis renuat Gavantus. Præterea: Benedictus XIV. concessit pro omnibus regnis, Catholico Regi subjectis, Sacerdotes posse in die commemorationis omnium defunctorum tres Missas celebrare: at verò solum pro prima, aut pro unica, potest stipendium recipi, sub poena restitutionis, & suspensionis à divinis, si Sacerdotes secus fecerint. Sed advertendum, Sacerdotem semper debere esse jejunum, nempe, quòd in priori, aut prioribus Missis, præcisè corpus, & sanguinem Domini sumpserit, sine ablutione.

144 Dixi etiam: *extra casum necessitatis*, ut ipse Innocentius exprimit. Quæ autem, & qualis hæc necessitas debeat esse? Non determinat Pontifex in cap. illo *Consuluiti*. Unum est certum, nempe, quòd sit sufficiens necessitas, ut Sacerdos jejunus pluries celebret, quando habet plures Parochias in diversis oppidis, & ob paupertatem nequit habere alium Sacerdotem coadjutorem. Et quamvis aliqui affirmant, solum in diebus festis talem Parochum posse pluries celebrare, & hoc bis tantum in eodem die: tamen plures DD. & non levi fundamento, sentiunt, prædictum Parochum pluries celebrare posse in eodem die, & etiam in diebus non festis, si opus fuerit, & necessitas id prudenter demandaverit. Ratio illorum est: quia in illo cap.

cap. *Consuluiti*, nec determinatur pluritas Missarum, nec quòd sit solum in festis, aut in aliis diebus. Nec determinat hanc, vel illam necessitatem, sed loquitur sic: *Nisi causa necessitatis suadeat.* Unde, si adsit vera necessitas, bis, aut ter in die festo, aut non festo poterit celebrari Missa. *Siquidem ubi eadem ratio, eadem debet esse juris dispositio.*

145 Nunc jam summatim referam casus, in quibus Authores antiqui, & moderni referunt, licere eidem Sacerdoti pluries eodem die celebrare. Et intelligitur hoc præter inopiam Parochi, habentis plures Parochias, de quo num. antec. Et pariter in casu, quo alius Sacerdos, qui nondum celebraverit, non possit commodè inveniri. I. casus est, quando jam fere dicta Missa, supervenit persona notabilis, ut Episcopus, aut Princeps, aut plures itinerantes, in diebus festis. II. est, ob nuptiarum benedictionem, quando est mos, aut constitutio Synodalis, ut præeunte Missa, benedictio detur: & aliàs differri nequit in alium diem, sine magna perturbatione, aut scandalo populi. III. est, quando in aliqua regione, v. g. in Angliâ, aut India, nequit Sacerdos unus satisfacere omnibus fidelibus unica Missa. IV. Casus est, quando aliter ægroto nequit ministrari Viaticum, nisi bis celebret aliquis Sacerdos. Intelligitur in omnibus his casibus de Sacerdote jejunato. Verum non desunt, qui cum Delgado hunc IV. casum excipiant, & asserant, Sacerdotem non jejunum posse celebrare ad conferendum Viaticum infirmo, si nec sint formæ consecratæ, nec alter Sacerdos jejunus. Hoc verò intelligi debet, si infirmus aliud Sacramentum suscipere non possit, & scandalum cesset. In his, & aliis casibus, in quibus à viris cordatis judicatur necessarium, ut Missa secundò ab eodem celebretur, docent plurimi Authores, esse licitum. Ego verò illorum sententiam.

tiam nec approbo, nec reprobo, sed tantum refero.

146 Casus VI. *An possit Sacerdos duplex stipendium pro una Missa accipere?* Sit exemplum: Petrus tribuit Sacerdoti stipendium pro duplici Missa, & Sacerdos applicat Petro fructum specialem pro uno stipendio, & specialissimum, correspondentem ipsi Sacerdoti, pro alio stipendio. Queritur: *Utrum liceat hoc?* Resp. negativè, pluribus de causis urgentissimis. Tum; quia pars specialissima Missæ est propria celebrantis, utpote beneficium personale, & alteri incommunicabile: nec potest illi renuntiare, aut alteri cedere. Tum; quia etsi applicabilis diceretur, valde scandalosum esset, quòd Sacerdos propter pecuniam huic fructui spirituali renuntiet, & rem spiritualem in turpe avaritiæ lucrum commutet. Tum, & maximè; quia contraria sententia proscripita est ab Alexandro VII. damnante hanc propositionem: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem.* Sed advertendum, quòd si quis pro una tantum Missa tribuit liberaliter duplicatum, aut quodcumque aliud excessivum stipendium, tunc satisfacit Sacerdos, applicando partem specialem unius Sacrificii tantum.

147 Casus VII. *An possit Sacerdos plura modica stipendia, accepta pro diversis Missis, ad unam restringere?* Sit exemplum: tribuit quis pro duabus, aut tribus Missis stipendium correspondens uni soli Missæ, juxta taxam Diœcesis, & Sacerdos in illis duabus, aut tribus Missis, pro illo stipendio celebrandis, convenit. Queritur nunc: *an in hoc casu possit Sacerdos propria auctoritate stipendium redigere, & pro illo unam tantum Missam celebrare?* Vel si ita eveniat: Si plures petentes Missam, & stipendium justum non dantes, possit tunc Sacerdos à diversis tot par-

va stipendia accipere, ut unum justum adæquent, & solam nram Missam celebrare pro illis? Affirmant plures casuistæ. Ratio illorum est; quia tunc fit injuria Sacerdoti, à qua potest se ipsum redimere, & indemnem servare. Et hoc, dicunt, quamvis pro quolibet modico stipendio Missam promittat celebraturum. Parificatur in famulo, cui merces condigna non tribuitur, qui potest suum resarcire damnum, etiamsi in principio, ob paupertatem coactus convenerit in inæquali, ac injusto stipendio. Similiter: qui ob necessitatem cogitur triticum pretio injusto emere, potest sine injustitia se compensare.

148 Sed hæc sententia, uti periculoso fundamento, & dispari ratione, nixa, omnino est improbanda, & post prohibitionem Congregationis Cardinalium ex directione Tridentini habitæ die 21. Julii, an. 1625. non est ad praxim ullatenus reducenda. Prohibitio hæc est: „Pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis, plura stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis, collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat, & præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ Eleëmosinæ præscriptæ fuerint: alioqui graviter peccant, & ad restitutionem tenentur.“ Ex quibus constat, quòd, licet attentò jure naturali, opposita sententia videatur satis probabilis, jam ad praxim nequit reduci, sine peccato gravi, & obligatione restituendi.

149 Casus VIII. *An possit quis retinere sibi aliquam partem stipendii Missæ, dummodo justum stipendium, juxta taxam loci, tribuat celebranti?* Sit exemplum: recipit quis quatuor drachma pro una Missa, & postea tribuit alteri duo drachma, juxta taxam Diocesis Calagurritanæ,

ut illam dicat, reservando sibi excessum stipendii accepti pro Missa. Quæritur: *An hoc liceat?* Sed non est sermo de Beneficiato, aut Capellano, qui annexum habent onus Missarum: nam isti, ut Sacra Congregatio in Decretis de celebratione Missarum, dubio 8. resolvit, potest justè, & ex æquo satisfacere, largiendo celebranti eleëmosinam congruam, taxatam in illa Diocesi, nisi aliud caveatur in fundatione. Ratio est; quia Beneficiarius habet titulum justum ad redditus omnes Beneficii retinendos, nempe, ipsum Beneficium, cui annexa est obligatio recitandi Divinum Officium, dignitas status, & alia onera, quæ constant ex foundationibus. Hoc supposito, affirmarunt plures Casuistæ cum Suarez, & Emanuele Sá, dicentes, nulli in eo injuriam fieri: scilicet, nec danti stipendium, cum pro eo Missa, quam petivit, celebretur: nec Sacerdoti, illam dicenti, cum ei detur justa eleëmosina, juxta Diocesis consuetudinem. Existimo tamen, quòd hodie hanc sententiam non defenderent.

150 Respondeo itaque negativè absolutè. Constat apertè: nam Alexander VII. oppositam sententiam damnavit, dum hanc proscripsit propositionem: *Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Ratio hujus condemnationis est; quia Sacerdos ille nullum jus habet retinendi, nec dimidiam, nec aliquam partem, illius stipendii, neque titulo gratuito; quia illi non fit donatio partis residuæ à vero Domino stipendii; neque à Sacerdote, illas Missas dicente: *neque titulo onerario;* quia ipse non subiit onus dicendi Missas: neque ratione laboris in quærendo Sacerdotem, qui Missas celebret; quia sua voluntate id facit, eò quòd non vult illas dicere. Neque ille labor est tanti momenti; ut retinere possit illam

lam partem. Unde injuriam faceret, & eleëmosinam pro Missis danti, & Sacerdoti illas celebranti. Sic etiam prædicta Congregatio Concilii decrevit, & oppositam sententiam expressè proscripsit.

151 Idem intellige, si illas Missas celebrans in illo minori stipendio conveniret, vel propter aliquem respectum, timorem, aut Missarum necessitatem. Tunc enim, nedum esset coactè, & contra celebrantis voluntatem stipendium elargientis. Sed rogas: *casu quo celebrans spontaneè cederet, & vellet pro dimidio illo stipendio celebrare, posset ille alius justè stipendium retinere?* Respondeo etiam negativè. Hæc negativa resolutio certissima est hodie: nam Benedictus XIV. per Constitutionem, incipientem: *Quanta cura*, editam 30. Junii, anno 1741. sub poenis *Excommunicationis ipso facto*, si Laicus est, & suspensionis, sibi reservatis utrisque, si est Clericus, tale lucrum prohibet, etiam in casu, quo celebrans spontaneè cederet. Advertendum est tamen, quòd, si excessivum stipendium tribueretur Sacerdoti titulo amicitiae, vel gratitudinis, aut propter ipsius Sacerdotis necessitatem, tunc potest iste excessum reservare, & alteri Missam pro stipendio juxta taxam commendare: quia tunc excessus ille tribueretur, non cum respectu ad Missam, sed ad illius Sacerdotis personam.

152 Si opponas: Julius II. dicitur, concessisse Generali Ordinis Minorum, ut in sua visitatione posset sic in Missarum multitudine dispensare, ut in qualibet Missa recitari possent novem orationes, seu collectæ, & quælibet collecta valeret pro una Missa. Item: Leo X. dicitur, hanc concessionem extendisse in futurum ad omnes Generales, ac concessisse Patribas nostri Ordinis, ut si eleëmosinæ pro pluribus Missis oblatae, essent tenues, possent cum una Missa pluribus satisfacere, ut refertur

Tom. II.

in Compendio Privilegiorum Fratrum Minorum, verbo *Missæ*. Respondeo, omnia hæc, & similia Privilegia, sive nobis, sive aliis Religionibus concessa, dato, quòd subreptitia non sint, ut mihi certum est, revocata omnino esse per supradicta Decreta Alexandri, & Congregationis, approbata, & confirmata autoritate Summi Pontificis, eò quòd in animarum præjudicium concessa sint, & Ecclesiæ justæ regiminis. Et colliges ex dictis; quòd si quis stipendium assignavit pro Missis celebrandis, v.g. centum aureos, quin explicet, quot Missæ celebrandæ sunt: tunc Missarum numerus regulari debet, juxta stipendium taxatum, vel ab illa Synodo, vel à consuetudine loci illius.

153 Casus IX. *An licitè possit Sacerdos dicere Missas anticipatè pro his, qui postea stipendia tribuent?* Atque ita, quando eleëmosinæ dantur illi, satisfacit, applicando Missas, jam celebratas illa anticipata intentione. Affirmarunt plures Casuistæ, ut subveniatur sic aliquorum Sacerdotum paupertati, qui, quando Missas celebrant, assignata stipendia non habent, ob quod in futurum reservant sibi earum applicationem. Verùm hæc sententia, quæ in Hispania viguit, examinari cepit à Congregatione Concilii sub Clemente VII. & tempore Pauli V. damnata est ab ipsa Congregatione, quæ ad Apostolicum Nuntium in Hispania scripsit: *In omnibus illius Regni Provinciis, tamquam pluribus nominibus periculosa, fidelibus scandalis, & offensionibus obnoxia, atque à vetustè Ecclesiæ more nimium abhorrens, prohiberetur.* Plures hac de re excitantur quæstiunculæ, quæ videri possunt apud Casuistas, seu Theologos Morales.

154 Casus X. *Acceptit Sacerdos pro una Missa ordinarium stipendium, quod sufficiens non est ad materiam gravem constituendam, & illam non applicat. Quæritur: quomodo peccat?*

Yy 2

Res-

Respondet cum Gonzalez, Mastro, Navarro, Bonacina, & aliis pluribus, præsertim modernis, contra Castro Palao, Sanchez, & aliquos alios, *graviter peccare*. Suadet sic: quamvis ordinarium stipendium sufficiens non sit ad peccatum mortale constituendum, tamen fructus spiritualis, quo in ordine spirituali privatur, qui dedit stipendium, atque cultus, & honor, qui Deo non tribuitur, non satisfaciendo obligationem contractam, magnus est, & excellentissimus: ergo si illam Missam non applicat, mortaliter peccat. Prob. consequent. à paritate: si quis voto, aut juramento tenetur celebrare Missam, & illam non celebraret, juxta omnes, etiam Adversarios, graviter peccaret: ergo pariter, qui accepto stipendio, tenetur celebrare, nam *votum, & juramentum* non obligant sub mortali, si materia gravis non est.

155 Dices: non debere attendi spirituale, quo privat, qui Missam omittit, sed materiæ, aut stipendii gravitatem: aliàs, qui recitationem Angelicæ orationis promissam omitteret, graviter peccaret, cum spirituale bonum, quod per hanc orationem consequitur, majus sit omnibus temporalibus. Sed negatur paritas, quæ non tenet: nam comparatio ad gravitatem, vel levitatem materiarum, fieri non debet in rebus diversi ordinis, quæle est temporale, & spirituale: *nam minimum supremi majus est supremo infimi*. Fit itaque comparatio in rebus ejusdem ordinis: atque in ordine spirituali magnum valde est bonum, quod per sacrificium accipimus, & pariter honor, & cultus per ipsum Deo præstitus, est verè maximus. Non verò sic, nec spirituale bonum in recitatione unius Angelicæ salutationis, nec cultus per ipsam præstitus, si comparetur cum sacrificio, & exercitiis aliis spiritualibus. Unde disparitas est manifesta.

156 Casus XI. *An compensatio*

occulta locum habeat in celebratione Missarum? Casus iste multipliciter poterat efformari, sed ex omnibus facilius est, ut propositus manet, & per cujus resolutionem resolvuntur alii, qui minus adhuc habent apparentiam veritatis, & fundamenti. Casus ergo est: Petrus debitor est Paulo Sacerdoti. Offert Petrus Paulo eleemosinam, cum obligatione celebrandi centum Missas, quod stipendium est debitum Paulo, & non solutum à Petro. Quæritur nunc: *Utrum possit tunc Sacerdos ille retinere sibi stipendium pro compensatione debiti, non soluti, & Missas, quas celebrandas accepit, non celebrare?* Ante resolutionem prænoto 1. Concurrere debere in casu omnes conditiones, quas Moralistæ assignant, ut occulta compensatio licita sit: nam si aliqua ex illis deficit, talis compensatio locum habere non potest. Cum autem una ex conditionibus sit, quod damnum tertii vitetur, si ex tali compensatione grave damnum proximo sequatur, non liceret illa compensatio, & maximè, si damnum occasionatum esset alterius ordinis, & estimabilitatis, quàm debitum. Prænoto 2. quod in contractibus rarissimè licita erit compensatio, cum ex contractu nova, & legitima oriatur obligatio adimplendi contractum.

157 Affirmativam resolutionem docuerunt aliqui Casuistæ, inter quos P. Viva, citans Tamburinum, Pejerinum, & Hurtadum. Advertunt verò, juxta prænotatum, semper esse cavendum tertii damnum. Unde, dicunt, si Missæ petantur, & accipiantur, non pro ipso debitore, Missas petente, sed vel pro anima purgatorii, vel pro infirmo, aut alia necessitate, tunc non licere talem compensationem. Alii verò sunt adeo laxæ conscientiæ, ut docuerint, quod si Petrus petat Missas, pro animabus celebrandas, & cum hac conventionem cum Sacerdote illi tribuat eleemosinam, si Petrus debitor erat

Sa-

Sacerdoti, potest iste cum illa eleemosina sibi occultè compensare, & nullum sacrificium celebrare. Nec injuriam, inquit, facit Sacerdos illis defunctis; quia tunc suo utitur jure; & Petrus est, qui tunc injuriam facit, eò quod debitum non solvit Sacerdoti illi. Doctrinam hanc pernitiosissimam legi in quodam manuscripto, mihi ad censuram, & calibrationem, à S. Inquisitionis Tribunali misso, quæ magnum in me produxit scandalum. Est etenim certissimum, quod si tunc Sacerdos ille Petro non manifestaret, Missas illas se non celebraturum, eleemosinamque illam retinere pro debito (sed tunc jam recompensatio non erat occulta, atque adeo extra casum propositum) sibi antea non soluto, animæ privarentur illis sacrificiis, quod maximum damnum illarum esset.

158 Respondet itaque ad casum, ut supra est propositum, *in illo, & similibus non habere locum occultam compensationem, omittendo, aut minuendo Missarum celebrationem*. Sic videntur mihi sentire debere, quotquot timoratae sint conscientiæ, ac spiritum ambitiosum fugere velint. Suadet itaque resolutio: Tum; quia adeo sublimis est hujus mysterii, ac ministerii, pietas, & sanctitas, ut quancumque speciem fraudis, & ambitionis detestari debeat celebrans. Et quis non videt, Sacerdotem illam eleemosinam accipientem cum onere tot Missas celebrandi, in quo intervenit contractus innominatus, *do, ut facias*, ambitionem, ac fraudem redolere, si se occultè compenset, & Missas non celebret? Tum; quia ex tali compensatione semper sequeretur gravissimum damnum tertii, in quo casu occulta compensatio non licet. Sequela patet: nam [misso, quod privaret se Sacerdos fructu specialissimo Missæ, sibi proprio, qui abs dubio pretiosior, ac estimabilior est, quacumque re terrena, ac temporalis] privaret Ecclesiæ, & fidelibus universis fructu generali sacrificii,

quem omnes participant ex Christi Domini voluntate, ac institutione: quod quidem in non leve damnum fidelium verteret. Tum; quia Deo privaret supremo cultu *latriæ*, qui per sacrificium, quod celebrandum accepit, ei præstatur, qui cultus primarius est finis, quem Dominus habuit in sacrificii institutione. Hæc benè perpendantur, ut arceatur ab Altari omnis dolus, fraus, & terrena ambitio.

QUÆSTIO XI.

De tempore, & loco ad celebrandum conveniente.

159 Summatim huc elucidabimus, quæ latè de tempore, & loco convenienti ad celebrandum Missæ Sacrificium, plures pertractarunt. Et quidem loquendo de tempore, certum est, præscriptum esse ab Ecclesia tempus celebrandi Missam, ita ut grave peccatum sit alio tempore celebrare illam. Tempus istud communiter dicitur esse *ab aurora usque ad meridiem*. Excipitur dies Nativitatis Domini, in quo ex ipsa Ecclesiæ dispositione potest dici Missa illic post dimidiam noctem. Sed quæritur: *An aliæ duæ Missæ possint celebrari in eadem nocte, seu ante auroram?* Respondet: *quod omnes Sacerdotes possunt in nocte Nativitatis Domini unam Missam celebrare: non tamen possunt in ipsa nocte successive ad primam alias duas Missas statim celebrare, nec fidelibus Sacram Communionem præbere, quocumque privilegio non obstante*. Unde, quamvis Suarius, Reginaldus, Valentia, Granados, Ægidius, Leander, & alii Authores antiqui affirmaverint, illorum assertio hodie falsa est, & impracticabilis. Sic apertè constat ex Decreto Sac. Congreg. Rituum. Cum enim PP. Congreg. Clericorum Regularium an. 1664. petierint ad hoc dubium responderi: *An liceat in nocte Nativitatis*

ta.

tatis Domini alias duas Missas celebrare, & communicare fideles? Responsio Sac. Congregationis hæc fuit: *Nullo modo licere, sed omnino prohibetur.* Sic habetur apud Ferrarium, quem unanimiter citant, & sequuntur Authores, præsertim moderni. Cùm autem abusus celebrandi successivè, tam intra, quàm extra Urbem, iterum resurgeret, Sac. Congregatio Visitationis Apostolicæ, refert Reyffensuel, & prælaudatus Ferraris, denuò observantiam prædicti Decreti præcepit die 18. Decembris an. 1702. alio simili Decreto tenoris sequentis: „ Non licet media nocte Nativitatis Dominicæ celebrare successivè alias duas Missas, & in eis fidelibus sacramentum exhibere: Sed utrumque est omnino prohibitum. “ Ex quibus constat, contrariam aliquorum praxim esse corrigendam, & omnino abolendam, ac nulli permittendum uti deinceps opinione antiquata huic nostræ contraria.

160 Sciendum tamen est, quòd olim excipiebatur etiam *dies in cæna Domini*, in quò Sacerdotes ad vespèram celebrabant Sacrum, in memoriam facti Christi Domini, & communicabant fideles, ut dictum manet Tract. antec. disp. 4. Sect. 2. quæst. 3. Conc. 3. Idem fiebat in Sabbato Sancto, in quo celebrabatur Missa circa initium noctis, ut notat Scotus in 4. dist. 13. quæst. 2. cum Lugo, Gavanto, Leandro, & aliis pluribus. Suarez verò, Fagundus, Berti, & aliqui alii existimant, Missam illam celebrari tunc temporis post mediam noctem Resurrectionis Dominicæ, sicut nunc fit in die Nativitatis. Hac igitur nocte excepta, prohibitum fuit justissimis de causis ab Ecclesia celebrare Missam, sive post mediam noctem, sive ad vespèram. Refertur tamen ab aliquibus, quòd in quibusdam Ecclesiis Venetiarum, & in Cathedrali Veronensi, ex peculiari indulto Sedis Apostolicæ celebratur Missa sub noctis ini-

tia in Vigilia Nativitatis Dominicæ. At verò multis ab hinc annis, tempus præscriptum Missam celebrandi communiter computatur *ab aurora usque ad meridiem.* Regula hæc, etsi ab omnibus admittatur, non omnes in intelligentia nominis *auroræ, & meridiei* omnino conveniunt. Dicam ego, quod hac in re ipsi dicunt.

161 Et in primis Subt. Doct. in 4. dist. 13. quæst. 2. §. *tertium principale*, vult, *auroram* vocari illam partem diei, cum radii solares incipiunt Emispherium nostrum illuminare, quod contingit, dicit, ante dimidiam horam, seu ante tres horæ quadrantes ortus solis: atque hanc esse horam, seu terminum ab Ecclesia præscriptum pro celebratione Missarum. Reginaldus opinatus fuit, solùm esse licitum celebrare Missam per unum quadrantem horæ ante solis irradiationem. Henriq. & Ægidius, per semihoram ante ortum solis. Azor, & Scorzia, per horam, & quadrantem ante radios solares manifestos. Diana, & Hurtado cum aliis, per horam, & dimidiam, ante ortum solis. Leandrus, Suarez, & plures alii duabus horis ante solis ortum. Navarrus, Fagundus, & Philibertus dicunt, quòd in Gallia, Germania, & Belgio hyemis tempore Missæ celebrari solent tribus, vel quatuor horis ante ortum solis. Sic etiam Reyffensuel, Tract. 14. quæst. 9. ubi dicit, receptam esse in illis partibus hanc consuetudinem, quia illa hora operarii ad elaborandum surgunt communiter, & ut ita commode audiant Sacrum, antequam aggrediantur laborem. Ex quo sentiendum judico, quòd etiam in Hispania tempore hyemis potest incipi Missa plusquam duobus horis ante ortum solis propter eandem rationem: nam quamvis in nostro Emispherio priusquam in partibus Septentrionalibus Sol oriatur, satis serò oritur, ac exeritur, operarios hora quarta, aut dimidia ante quintam surgere ad suos

la-

labores. Consuetudo etiam prævalet, ut vindemiæ temporibus dicatur Missa ante prædictam horam in diebus festis.

162 Præterea, notant communiter DD. Religiosos habere privilegia ad anticipandum tempus celebrandi Missam, stante rationali causa. Et præter plura, quæ refert Joannes à Cruce in Epitome, lib. 2. c. 5. dub. 6. extat privilegium Alexandri VI. concessum Monasterio de Monte Serrato, Ordinis S. Benedicti, extensum per Clementem VIII. ad totam Benedictinorum Congregationem, quo conceditur, posse Religiosos Missas celebrare duabus horis post mediam noctem. Quare, tam Benedictini, quàm alii Religiosi, participantibus eorum privilegia, uti sunt omnes, etiam non mendicantes, poterunt Missam celebrare illicò post duas horas mediæ noctis. Ita Joannes à Cruce, Diana, Lugo, & Leandrus disp. 6. quæst. 4. Sed notant, non posse celebrare Missam illa hora extra Ecclesiam sui Ordinis, vi hujus privilegii, quod ad celebrandum solùm intra suam Ecclesiam concessum est. Notant etiam, idem posse Sacerdotes Sæculares illis Conventibus convenientes. Et quamvis Fagundus cum aliis sentiat, prædictum privilegium revocatum esse per Trident. sess. 22. de evitandis in celebratione Missarum: negant tamen Lugo, Rodriguez, Joannes à Cruce, Salas, & multi Theologi Salmanticenses apud ipsos: eò quòd Concilium ibi solùm imponit Episcopis, ut remedium adhibeant omnibus illis. Ubi autem Episcopi non repugnant, dicunt, non est cur Regulares sua amittant privilegia. Quare de illis, tamquam non revocatis, loquitur Diana cum pluribus aliis.

163 Alius terminus, ultra quem nequit sacrificium offerri, est *Meridies*, qui significat illam diei partem, qua solis ascensus pervenit, ita ut incipiat inde descensus illius, & dicitur *hora duodecima* diei apud His-

panos. Circa illum non minus opinantur Authores, quàm erga terminum *Auroræ.* Communi usu receptum est, Missam inchoari posse aliquantulum post Meridiem. Sed quanto temporis tractu post meridiem poterit absque privilegio Missa inchoari? Leandrus disp. 6. quæst. 11. refert quatuor opiniones. Una dicit, quòd tertia parte horæ post meridiem. Alia, quòd semihora. Altera extendit ad tres horæ quadrantes. Et alia ad integram horam post meridiem. Unum est certum, nempe, quòd pro Viatico infirmo ministrando, pro alicujus Principis funerali; & etiam si in die festo Sacerdos post meridiem ad locum accederet, celebrare posset, si vellet. Sic pariter dicendum erit, dum aliqua magna festivitas, aut consuetudo dicendi Missam post meridiem occurrit. Unde experitur, quòd Matrini in magnis festivitatibus, absolutis jam officiis, dicitur Missa hora secunda post meridiem: & in quocumque die, in Ecclesia, quæ hispanè dicitur *Del buen sucesso*, transacta jam post meridiem una hora, absque ullo scrupulo celebrant.

164 Et advertendum est, quòd antiquitus agebantur Missæ in omnibus Ecclesiis hora *tertia, sexta, & nona.* Gerson in Sum. Theol. c. 4. de Euch. cum aliis pluribus, inter quos D. Thomas 3. p. 2. q. 83. art. 2. ad 3. & Scotus in 4. dist. 13. quæst. 2. §. *Tertium principale.* Celebrabatur itaque Missa, præsertim solemniter, in diebus festis, in *tertia*, quando Christus Dominus crucifixus est linguis Judæorum, ut dicitur Marci 15. Et etiam dicebatur in *sexta*, quando Dominus crucifixus est, & habetur Joan. 19. Et diebus jejuniorum præsertim quatuor temporibus, celebrabatur in *nona*, quando, ut dicitur Matth. 17. emisit spiritum. In hac fideles communicabant, & post nonam, nempe, *post horam tertiam vespertinam*, cibum capiebant.

165 Sed dubitatur: *Utrum bodiè, absque aliquo privilegio, possit Mis-*

sa

sa incipi ad horam nonam, seu tertiam post meridiem? Negat Suarez, Sotus, Fagundus, & Leandrus, dicentes, quod antiqua illa consuetudo differendi celebrationem Missæ usque ad horam tertiam post meridiem, contrario usu derogata est, seu abiit in desuetudinem. Ratio illorum est: Tum, quia usus celebrandi solùm usque ad meridiem approbatus fuit à Pio V. in Bulla, quæ affixa est in Missali; qui etiam Pontifex vespertinas Missas num. 157. memoratas, omnino prohibuit an. 1556. Tum; quia Eugenius IV. Bulla 11. concessit Benedictinis, posse differre Missæ celebrationem usque ad horam tertiam post meridiem, ratione itineris, aut alia justa causa simili: ergo si ad hoc necessarium fuit privilegium, non potest fieri sine illo.

166 At verò Navarrus, Vivaldus, Methodius, Salcedo, Angelus, Delgadillo, & alii, citantes Angel. & Subt. DD. affirmant, dicentes, nulli prohiberi. Ad primam rationem in oppositum respondent, communior usum celebrandi solùm usque ad meridiem, esse introductum potius in commoditatem celebrantium, quam ad antiquiorem, & afferentem mortificationem, damnandum. Modo quo communior usus celebrandi Missam, orto jam sole, non damnat eos, qui celebrare volunt initio auroræ, seu ante lucem. Nec illa S. Pii approbatio damnat antiquiorem usum: nam longè diversum est, aliquem usum approbare, ac alium damnare. Ad secundam rationem negant consequi, quia non semel contingit, concedi privilegium, quod absolutè non est necessarium, vel ob consolationem, vel ob majorem quietem conscientie illius, qui petit.

167 Sic Eugenius IV. concessit Abbatibus Cisterciensibus, & Martinus V. Hieronyminis, de quo participant cæteri Prælati Regulares, posse dispensare cum suis Subditis senibus, vel infirmis, non valentibus

sine tedio horas Canonicas recitare, ut in tempore infirmitatis, vel convalescentiæ, loco horarum aliquid recitent ad arbitrium Prælatorum. Videatur noster Rodriguez in Compendio Mendicantium. Hoc autem privilegium non erat necessarium, cum Prælati possit dispensare cum sibi subditis in recitatione horarum in casu necessitatis absque privilegio. Similiter conceditur Bullam Cruciatæ sumentis, posse vesci carnibus diebus prohibitis de consilio utriusque medici, corporalis, scilicet, & spiritualis. In quo nulla concessio intervenit, inquiunt Antonius Gomez, Rodriguez ad Bullam §. 9. & alii. Valet tamen privilegium ad majorem claritatem, & conscientie securitatem. Unde Rodriguez in qq. Reg. t. 1. quæst. 7. artic. 1. ita loquitur: „ Verum est, quod aliquando indulgetur alicui id, quod de jure communi conceditur, de quo in iuribus alicui casus dantur.... Et hac ratione Regulares à Sede Apostolica impetrarunt multa privilegia; quæ licet nihil aliud concedant, quam id, quod jure ipso communi poterant facere: hæc tamen privilegia operantur, ut facilius, & clarius jus habeant; & sic provideatur ipsorum conscientis timoratis, & litibus, quæ super eorum dubia oriri possunt, finis facilius detur. Quod volunt Summi Pontifices maximè in causis Regularium, observare.“ Videatur super hoc noster Portel in dubiis Regularibus, verb. *Privilegium*, & Joan. à Cruce in Epitome lib. 2. c. 1. dub. 1. dicens de privilegio: „ & licet aliquando non tribuat aliquid contra jus commune, aut præter illud: tamen ut verè dicatur privilegium, sat est, quod tribuat clarius, & facilius idem jus, quod tribuit jus commune.

168 Dilucidatis jam præcipuis dubiis erga horam, & tempus ad celebrandum, superest pertractare brevissimè de loco convenienti ad sacrificium.

ficiam. Et præmitto, in Ecclesiæ cunis, persecutionibus furentibus, præsertim prioribus tribus sæculis, in quolibet loco sacrificium fuisse oblatum, in agris, in solitudine, in domibus, in navibus, & in carceribus, ut scribit Dionisius, Alexandrinus Episcopus, apud Eusebium lib. 7. cap. 22. Hæc loca à fidelibus prælegebantur, ut oculos effugerent Paganorum. Postquam verò feliciora tempora illuxerunt, cæperunt ad Missas celebrandas erigi, & consecrari ædes, & templa, quibus fideles apposuerunt nomina *Basilicarum, Templorum, Oratoriorum, Martyriorum*, quæ vocabula à loco, qui ex omni parte cernitur, in quo oratur, & habetur memoria, vel Sanctorum monumentum, etymologiam suam deduxerunt. In his ergo locis Sacris, & ab Episcopo ad sacrificandum deputatis, possunt tantum ex Sacrorum Canonum, & Summi Pontificum dispositione sacra peragi. Unde juxta Canones, *privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & Oratoria dedicata tantum ad divinum cultum, peragi non potest Missæ Sacrificium*: salvo aliquo necessitatis casu.

169 Hoc jubet Episcopis Tridentina Synodus, sess. 22. ne in suis Diæcesibus aliter fieri patiantur. Quo decreto, de observandis, & visitandis, in celebratione Missæ nuncupato, revocata est facultas, quam olim habebant Episcopi, licentiam largiendi, ut in privatis Oratoriis agerentur Missæ, ex cap. *Missarum de Consecr.* disp. 1. Circa potestatis hujus abrogationem omne dubium eliminavit Paulus V. in sua Epistola encyclica anno 1615. In ædibus tamen, quas inhabitant, possunt Episcopi habere ad sacrificandum privata Oratoria: sed ut in privatis aliorum domibus erigantur, petenda est facultas ab Apostolica Sede. Potest itaque Missa tantum celebrari in *Ecclesia consecrata, aut benedicta, & in Oratorio ad hoc dedicato: non Tom. II.*

verò alio in loco. In Ecclesia polluta celebrari non potest: nisi casu quo, non posset fieri recursus ad habentem facultatem eam reconciliandi, adeo ut populus per multum tempus non audiret sacrum, aut divina Officia non peragerentur: aut si violaretur in die, quo aliquod solemniissimum festum occurreret in illa Ecclesia, & in illo populo non esset alia: & etiam pro Viatico infirmo ministrando, si nec essent formæ consecratæ, nec alius locus, in quo posset celebrari.

170 Quocumque modo polluat Ecclesia, si ante consecrata fuerat, non nisi per Episcopum reconciliari debet ex Rescripto Gregorii IX. ad Episcopum Astoricensem, cap. *Aqua*, de cons. Eccles. 9. Si autem consecrata non sit, sed tantum benedicta, reconciliari potest, Episcopo annuente, per simplicem Sacerdotem, cap. finali, *si Ecclesia*. Prælati Regulares, etiam locales, reconciliare possunt suas Ecclesias, etiam si sint consecratæ, ex Bulla Leonis X. videnda apud Rodriguez. Aqua verò benedici debet ab Episcopo, qui, si distet per tredecim, aut quatuordecim leucas, ab ipso Prælate benedici potest, ut Marchantius, & Potesta, docent.

171 Sed disputant Theologi, & Jurisconsulti: *An sacrificium peragi possit in navibus?* Negant permulti ob inconstantiam fluctuum, ac pericula subitæ tempestatis. Alii ex opposito affirmant, tranquillo stante mari: & si fortè subita excitaretur tempestas, debet servari, quod fieret in templis, si celebrantibus improvisum, & inopinatum impedimentum accideret. Exemplificant in aliis Episcopis, qui in navibus sacrificium obtulerunt. Viri per celebres, Pignatellus tom. 8. consult. 124. Cardinalis Petra in Commentar. ad constitut. 2. Urbani V. aliique permulti, tradunt, posse in navibus peragi sacrificium ex privilegio tantum Apostolicæ Sedis: atque ita fuisse

Zz

se

se concessum à Clemente VIII. & Paulo V. tranquillo cœlo. Unum est certum, nempe, quòd si diebus festis celebretur in Mari, debet esse, præsentem altero Sacerdote, qui calicem post consecrationem firmum custodiat, ad penitus evitandum effusionis periculum, ut DD. unanimiter requirunt.

172 Postremò extra Ecclesiam celebrari potest in altari decenter ornato, aliqua urgente necessitate, ut in Castris sub papilionibus; in plateis, vel in agro, si Ecclesiæ diruantur, aut terræmotu quatiantur: vel si angustia templi in magna aliqua populorum frequentia capere non valeat multitudinem confluentem: in quo casu consulendum Episcopum docent gravissimi Scriptores. Item pro nautis celebrari potest in litore. Ex dictis satis inferri licet, Religiosos non posse vi suorum privilegiorum celebrare extra Ecclesiam absque sufficienti causa. Oppositum defendunt Leandrus, & alii multi, quos citat, & sequitur noster Delgadillo, & Rodríguez. Ratio illorum, & quidem non contemnenda, est; quia Prædicatoribus, & Minoribus conceditur cap. *In his de privilegiis*, posse ubique extra Ecclesiam, etiam in domibus sæcularium, Altare erigere, & Missas celebrare. Idem concesserunt aliis Religiosis Sixtus IV. Bulla 33. & Julius II. Bulla 20. Nec dicta privilegia, inquit, derogat Trident. sess. 22. decreto de *observandis, & vitandis in celebratione Missæ*; quia ibi solùm committit Episcopis, ne permittant, Missas celebrari extra Ecclesiam. Unde dum Episcopus non contradicit, possunt suo uti privilegio Regulares. Confirmat noster Bruno de privilegiis Reg. part. 3. tract. 8. cap. 1. dicens, Tridentinum non derogasse privilegia Regularium, celebrandi ubique locorum; quia hoc privilegium continetur in jure; quod non derogatur per clausulas generales. Sicut simile privilegium Episcoporum non

fuit ibi derogatum, ut apud Barbosa declaravit Congregatio Cardinalium.

173 Sed dico, salvo meliori iudicio, cum aliis doctissimis Theologis, prædicta privilegia revocata fuisse per Tridentinum sess. cit. ubi expressè Episcopis præcipit: „ Ne „ patiantur, privatis in domibus, atque „ que omnino extra Ecclesiam, & „ ad divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, „ sanctum hoc sacrificium à sæcularibus, aut Regularibus quibuscumque, que peragi &c. Si ergo Concilium præcipit, & commendat Episcopis, ne permittant, regulares quoscumque celebrare extra Ecclesiam, & Oratoria, ad id dedicata, perspicuum est, mentem, & spiritum Concilii esse, ne Regulares utantur illis privilegiis, atque illis uti esse contra ejus determinationem, & voluntatem. Nec paritas de privilegiis Episcoporum urget; quia isti illa confirmata habent per Apostolicam Sedem.

Examinantur cætera ad sacrificium attinentia.

174 Contractè, & brevissimè, percurreremus præcipuas Missæ partes, de quibus D. Thomas, ac celeberrimi Authores egerunt prolixè. Præmissa itaque confessione, juxta illud Proverb. 18. *Justus in principio accusator est sui*, recitatur, aut à choro canitur *Introitus* ex vetusta consuetudine, qua ante sacrificium in Dei laudem decantabantur Psalmi: ideòque *Introitus* regulariter à Psalmis depromitur. *Introitu* significatur adventus ipsius Salvatoris, atque oracula Prophetarum de ipso Christo. Sequitur *Kirie eleison*, ex vetustissima consuetudine. Sunt verba Græca, idem sonantia, ac *Domine miserere*. Repetitur novies, ut à tribus SS. Trinitatis Personis impleretur misericordia adversus triplicem miseriam ig-

no-

norantiæ, culpæ, & pænæ, ut docet D. Thomas. Sequitur hymnus: *Gloria in excelsis Deo*, quo commemoratur cœlestis gloria, & qui canitur in festis, non in officiis luctuosis, quæ ad commemorationem pertinent miseræ præsentis.

175 Deinde Sacerdos salutat populum, dicens: *Dominus vobiscum*, per quam salutationem invitat illum ad preces sequentes. Respondet populus: *Et cum Spiritu tuo*, quo precatur, Deum quoque esse cum spiritu Sacerdotis, illique ad sacrificium peragendum assistere. Sequitur *oratio*, quæ collecta dicitur; vel quia fit nomine totius populi, collecti in unum cum spiritu Sacerdoti, vel quia Sacerdos omnium rationes compendiosè colligit. In fine illius respondet populus: *Amen*, id est, sic fiat, sicut postulasti. Sequitur *Epistola*, per quam populus instruitur de fidei mysteriis per Prophetarum, & Apostolorum doctrinam. Hac finita, dicitur, *Graduale, Tractus*, vel *Alleluia*, quæ idem significat, ac *Laudate Deum*, & est signum, tam laudis, quàm spiritualis exultationis: ideòque jejuniarum temporæ prætermittitur, substituto *Tractu*, qui juxta Innocentium III. significat Ecclesiæ gemitum. *Evangelium* ex primæva institutione dici in Missa, manifestum est ex Concilio Laodiceno, & Carthaginensi IV. Micrologus, Alcuinus, & alii, observarunt, Evangelium legi in *sinistra*, & ad aquilonem versus, ad demonstrandum, quòd lux Evangelii illuxerit cunctis gentibus, frustra contranitente diabolo. Finito Evangelio, recitatur *Symbolum* in Dominicis, & præcipuis festis, ad profitendum nos credere doctrinæ Christi per Evangelium annuntiatæ. Hucusque appellabatur olim Missa Catechumenorum; quia eo usque solum licebat eis Missæ interesse, & ex inde dimittebantur Catechumeni à Diacono, juxta dicta num. 7.

176 Sequitur *Offertorium*, quo Sacerdos sacrificii futuri oblationem

Tom. II.

Deo facit. Postea Sacerdos digitos abluit, tam propter reverentiam hujus Sacramenti, quàm ut ostendat, ait Germanus Constantinopolitanus, tom. 13. Bibliothecæ Patrum: „ pura mente, conscientia, & cogitatione (quæ sunt manus nostrarum animarum) cum timore, mansuetudine, ac moderatione accedamus „ ad mensam sanctam &c. “ Alludit etiam Pilati factò qui lavit suas manus coram populo dicens: *Innocens sum à sanguine justis hujus*. Matth. 27. Præparat se Sacerdos ad consecrationem, petens à fidelibus auxilium precum ad illam ritè peragendam. Unde conversus ad populum, ait: *Orate, fratres, ut meum &c.* Et paululum secretò orans, incipit Præfationem, per quam populum ad fervorem devotionis excitat, & mentem sursum attollendam. Præfatione finita, devotè divinitatem Christi laudat cum Angelis, dicens hymnum, quem Græci, *triumphale carmen* appellant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Hymnum hunc Deum unum, & Trinum esse proclamare, demonstrant sæpè sacræ litteræ.

177 Inchoat Sacerdos Canonem, idem sonantem secundum vocis significationem, ac *Regula* complectens ritum sacrificii peragendi. Recitatur *Canon* submissa voce: Siquidem Christus semetipsum offerens in cruce in silencio quoque oravit, septem verbis, vel sententiis exceptis, alta voce, prolatis, juxta Evangelistarum narrationem. Commemorantur in Canone antiqui Martyres, ex vetusta consuetudine, ut D. Ambros. lib. 4. de *Sacramentis* scribit. Denique sub variis ritibus, & sacris cæremoniis, consecrat Sacerdos verbis, & persona ipsius Christi. Facit multiplex signum Crucis super oblata, ante, & post consecrationem, quæ signa fiunt semper numero impari, semel, aut ter, aut quinquies. Super quod Micrologus cap. 14. dicit: *Semel propter essentiæ unitatem. Ter propter Trinitatem Personarum.*

Zz 2

na.

narum. *Quingies propter vulnera Christi Domini, & expressam representationem passionis ejus.* De hoc fusé D. Thom. art. 5. Innocentius III. lib. 3. de officio Missæ, cap. 11. & plurimi alii cum Alcuino. Consecratione peracta, fit hostiæ elevatio, ut adoranda exponatur populo, & ut representet Christum exaltatum, & mortuum, ait S. Germanus Constantinopolitanus.

178 Oratio Dominica quotidie in sacrificio dicitur ex Christi, & Apostolorum institutione, ait D. Hieronymus lib. 3. *adv. Pelagianos.* Hostiam in tres partes dividit Sacerdos, & unam in calicem immittens, sanguini immergit. Hæc fractio perantiqua est, teste Alexandrino, & Nazianzeno; illiusque fit mentio Canone cum frangitur, sumpto ex libr. Sentent. D. Prosperi de consec. dist. 2. Multæ traduntur significationes hujus in tres partes fractionis. Sed eam tantummodo proferemus, quæ ex D. Thoma, & Stephano Eduensi, cum aliis exprimitur pervulgato metro: *Tres partes factæ de corpore Christi signant, Prima suam carnem; Sanctosque Secunda sepultos. Tertia viventes; & hæc est in sanguine tincta.* Sequitur *Agnus Dei &c.* quod statuisse fertur Sergius I. Deinde sequitur perceptio Sacramenti, primò à Sacerdote, qui etiam aliis distribuere debet, si sunt communicaturi. Hoc peracto, tota Missæ celebratio in gratiarum actione terminatur: populo exultante pro sumptione Mysteriorum, quod significat cantus post sumptionem: Sacerdote per orationem gratias offerente, sicut & Christus, Cæna celebrata cum Discipulis, hymnum dixit, Matth. 20. Diaconus tandem populum dimittit, dicens: *Ite Missa est*, cui à Ministro nomine populi respondetur: *Deo gratias.* Tunc Sacerdos benedicens populum, cuncta concludit, legendo Evangelium.

179 Et nota 1. quòd osculum pacis, quod paulò post orationem Dominicam datur, est antiquissimum,

& in signum unitatis Christianorum, ait Chrysost. hom. 51. ad pop. Antiochen. In primitiva Ecclesia, refert Clemens, Tertullianus, & Chrysostomus, secernebantur viri à foeminis ad osculum pacis, & viri viros, foeminae foeminas osculabantur, modestiæ causa, & ad omnem vitandam impudicitiam. Nunc verò, malitia crescente, & charitate refrigescente, non datur osculum immediatè, sed mediante patena, vel imagine, aut alia re sacra. Sed in Missis defunctorum, in quibus non pro pace præsentem offertur sacrificium, sed pro requie mortuorum, pax omittitur. Nota 2. quòd licet Sacerdos, confessione finita, ante Introitum osculando Altare, dicat: *Oramus te, Domine, per merita Sanctorum, quorum reliquiae hæc sunt*, non ob hoc requiritur necessariò, quòd ibi sint, aut reponantur reliquiae Sanctorum: & multò minus, quòd in defectu reliquiarum, apponi possit in altari aliqua particula hostiæ consecratæ, ut ineptè existimarunt Guillelmus Durantes, Azor, Silvester, & alii alii. Fundantur in prædictis verbis. Sed negatur; quia *ly hæc* supponit pro Ecclesia universali, significata in illo altari, ut notavit cum Messina noster Joannes de Alcozer in Cæremoniali Missæ, tract. 2. Glossa 17. §. *Tambien.*

180 Restat aliquid insinuare de Altari, Calice, & indumentis sacerdotis. Et in primis certum est apud fere omnes, esse peccatum mortale celebrare Missam, sine Altari, aut sine Ara consecrata, ut præcipitur cap. *Altaria de consec. disp. 1.* Requiritur ergo ad Missæ Sacrificium Altare, dictum ab *altitudine.* Et hoc ad omne sacrificium offerendum in quacumque lege, & religione, necessarium fuisse; atque adeò antiqui in ædificiis à terra elevatis sacra faciebant suis diis superis, ut Virgilius Ecloga 5. refert. In veteri lege Altaria alia erant *terrea*, alia *lapidea*, alia *ænea*, alia *aurea*: de quo viden-

du-

du P. Berti lib. 33. cap. 22. §. 9. At verò apud Catholicos duplex est Altare, *fixum, & mobile*, seu portabile, aut portatile. In nova lege quædam altaria fuisse *lignea*, colligitur ex August. lib. 5. de Baptismo, cap. 20. At Romæ reservatur in titulo S. Pudentiæ ligneum altare, in quo fertur sacrum peregrisse Petrus Princeps Apostolorum. Verum jam ab anno 517. statutum fuit, ut altaria tantum lapidea chrisimatis unctione sacrentur: quam altarium consecrationem, ab Episcopo faciendam, commendant varii Canones apud Gratianum de Consecrat. dist. 1. & in 3. Decretalium, tit. 40. Unde utrumque est necessarium, & altare (hoc est Ara) esse lapideum, & esse consecratum. Sic enim constat ex cap. *Ecclesiarum*, & cap. *concedimus*, extra de consecrat. dist. 1. Et Scotus 4. dist. 13. quæst. 2. versu *de loco*, subdit: *Si altaria non fuerint lapidea, chrisimatis unctione non consecrantur.*

181 Altare fixum est, quod consecratur, ut ibi fixum maneat, & dicitur etiam *immobile*, & loco adherens. Altare mobile, quod etiam vocatur *Altare viaticum, Altare gestatorium, Tabula itineraria, & lapis portatilis*, est Ara, seu lapis consecratus, portabilis de loco in locum. Privilegium *Altaris viatici* concessum fuisse quibusdam Regularibus, legitur cap. *in his Decretalium*, tit. 33. de *Privilegiis.* Et Episcopis omnibus cap. *Quoniam* eodem tit. At verò quantum ad Regulares spectat, omnino privilegium illud revocatum fuisse, declaravit die 15. Decemb. anno 1703. Clemens XI. Episcopi verò jure utuntur Altare portatili in laicorum domibus, in quibus occasione visitationis, vel itineris hospitio excipiuntur, ut declararunt Innoc. XIII. Bened. XIII. & Bened. XIV. Et hæc addita sint dictis num. 169. In *aris viaticis* (sicut etiam in fixis) aliquæ includuntur SS. reliquiae, & sic dicitur decrevisse Sac-

Rituum Congreg. anno 1612. Sed dubium est, An si Altare, seu Ara, confringatur, consecrationem amittat? Communissima sententia est, quòd si fractio est notabilis, nec lapis capere potest hostiam, & calicem, consecrationem amittere, atque adeo celebrari non posse. Sed non desunt, qui cum Delgadillo affirmant, posse fieri altare portatile ex duobus lapidibus admodum libri colligatis, quorum unus calicem capiat, & alter hostiam. Contra hoc stat cap. extra de consecr. *Ecclesiarum* vel *Altaris*, in quo, teste Scoto, 4. dist. 13. quæst. 2. dicitur: *Si lapis benedictus fuerit imminutus, debet iterum benedici*: ergo quia per fractionem amisit benedictionem.

182 Altare debere operiri *linteis, mappis, seu tobaleis*, constat ex cap. *Si per negligentiam* de consecrat. d. 2. & in Missali reformato à Clementi VIII. §. 20. de præparatione Altaris, ubi sic habetur: „Hoc altare operiatur tribus mappis, aut tobaleis mundis, ab Episcopo, vel alio habente potestatem, benedictis: superiori saltem oblonga, quæ usque ad terram pertingat: duabus aliis brevioribus, aut una duplicata.“ De corporalibus Ecclesia cap. *consulto de consecr. d. 1.* & in Missali rubrica 1. de *præparatione*, sic disponit: *Corporale plicatum, quod ex lino tantum esse debet; nec serico, nec auro in medio intextum, sed totum album, & ab Episcopo, vel alio habente facultatem, cum palla benedictum.* Etiam ad sacrificium spectant *crux, & cerea lumina.* Crux in altari ante oculos statuitur, ut facilius excitetur memoria Crucifixi, & adoretur signum redemptionis nostræ. Bened. XIV. monet, crucem poni cum Imagine Crucifixi.

183 De calice, & patena. Materia Calicis, & Patenæ, non semper fuit, nec est ex eadem materia. Antiquitus fuit lignea, ut constat ex Concilio Triburiensi can. 18. & habetur in cap. *vasa de consecr.* Idem Con-

Concilium refert, Zepherinum Patenam præcepisse, calicem, & patenam fore vitream. Calices stannei pervetusti servantur adhuc Romæ in Ecclesia SS. Cosmæ, & Damiani, in foro Boario, & in Basilica Lateranensi. Postea verò in Concilio Rhenensi sub Eugenio III. can. 6. & refertur can. de consecrat. dist. 1. sic statutum fuit: „Calix cum patena, „ si non ex auro, saltem ex argenteo fiat. Si tamen quis pauper fuerit, stanneo saltem calice utatur. „ Ex ære autem, aut aurichalco „ calix numquam fiat. Nullo autem „ modo in ligneo, aut vitreo calice (idem est de patena) præsumat „ Missam celebrare.“ In Missali Romano rubrica 10. de defectibus &c. permittitur per calices ex quacunque decenti materia, dum illius cuppa sit aurea, vel argentea, vel stannea. Sed tandem in rubrica 1. de præparatione Sacerdotis, in Missali reformato, statuitur, ut semper calix sit aureus, vel argenteus: & quando pes non est aureus, vel argenteus; habeat saltem cuppam argenteam, & intus inauratam. Huic rubricæ, ut potè juniore, standum est. Excipitur casus, quo tanta esset paupertas Sacerdotis, ut inaurare cuppam argenteam non posset; quia tunc absque cuppa celebrare posset argenteo tantum calice, ut sentiunt communiter DD. qui & referunt, etiam nunc temporis aliquibus talibus calicibus in Ecclesiis pauperculis uti. Cavendum tamen est ab hoc, si possibile sit. Quid denique significant calix, patena, & corporale? explicavit Hildebertus Cenomanensis de Myst. Myssæ, tom. 21. versibus hisce.

*Ara crucis, tumulique calix, lapidisque patena,
Sydonis officium candida byssus habet.*

184 Sed dubitatur à Theologis, quando calix amittat consecrationem? An, nempe, per separationem pe-

dis à cuppa? & an, si intus iterum inauratur? In utriusque dubii resolutione sunt multi, qui affirmant, & qui negent. Dico 1. Si pes calicis est tornatilis, seu artificiosè, & sine fractione potest à cuppa separari, per separationem non amittit consecrationem; amitteret verò si cuppa rumpatur, vel per separationem à pede calix reddatur ineptum ad sacrificium. Dico 2. quòd si calix, & patena iterum inaurantur intus, non amitterent consecrationem. Ratio est; quia manet idemmet calix, & patena, & cum eademmet figura: ergo & manet illorum consecratio: modo quo Ecclesia consecrata non iterum consecratur, eò quòd lucida fiat de novo. Pysis, seu vas, in quo corpus Christi servatur, consecratione non indiget, sicut calix, debet vero benedici (& juxta communiorè opinionem, potest à simplici Sacerdote) ut præscribitur in Missali, rubrica 2. de ritu servando in celebratione Missæ.

185 De sacris celebrantium indumentis. Indumenta, quibus ad sacrificium Sacerdotes omnes utuntur, sunt: amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, & planeta, seu casula. Omnia ista plures habent significationes mysticas, quas relinquo apud DD. videndas, & brevissimè aliquas notabiliores percurram. De amictu sic loquitur Bruno Signensis: „ Amictus quidem, quo & collum „ stringitur, & pectus tegitur, interioris hominis castitatem designat: tegit enim cor, ne vanitates cogitet: stringit etiam collum, ne inde ad linguam transeat mendacium.“ Albam, quam etiam Ecclesiasticarum rerum illustratores vocant camissiam, subuculam, vestem talarum, designare vitæ innocentiam, ornamenta virtutum, bonorum operum perseverantiam, & vestem albam, qua Herodes illuxit Christo Domino, demonstrat lib. 3. Rationalis, cap. 2. clarissimus Mimatensis Episcopus, ex Hieron. adv. Pelag. Cingulum indi-

dicium est castitatis, ut docet Innoc. III. lib. 1. de Myst. Missæ, cap. 15. Manipulum, ait Honorius Augustodunensis, denotare pœnitentiam: & S. Bonaventura patientiam, atque humilitatem, quibus, tamquam clypeo munimur ad spirituale certamen. Ecclesia Latina per illum significat dolorem, & fletum, cui in altera vita merces copiosa rependitur. Ideò ponitur in sinistra; quia significat vitam hanc transitoriam.

186 Nomen Stolæ, quamvis à veteribus usurparetur pro quolibet indumento, frequentius verò accipiebatur pro splendido ornamento. Unde legimus Gen. 41. Joseph à Pharaone donatum Stola: Aaronem quoque, cæterosque Pontifices, Eccles. 45. indutos Stola sancta. Eadem ab Assuero vestitum Mardocheum, legimus Esther 6. S. Antoninus, & alii tradunt, deferri Stola in signum jurisdictionis: ideòque Sum. Pontificem, universalis Ecclesiæ Pastorem, semper ornatum stola procedere. Amalarius, & plurimi ab ipso laudati, docent, stola collo superposita demonstrari ministerium Evangelicæ prædicationis. At oratio à Presbyteris, illa se ornantibus, recitata commostrar, Stola Symbolum esse justitiæ, & immortalitatis, quam amissimus in Adami prævaricatione. Hanc immortalitatem Stola appellat August. lib. 6. in Genes. c. 27. Planeta, seu casula, est indumentum Sacerdotale, sic vocatum jam ab anno 633. in 4. Synodo Toletana. De Casula eruditè pertractant plurimi. Cardinalis Bona, & Stephanus Eduensis in Casula denotari existimant veterem, & novam Ecclesiam. Innoc. III. Hugo, Alcinus, aliique complures, duo præcepta charitatis: & nonnulli Authores inconsutilem Christi vestem.


187 Omnia prædicta indumenta sacra benedici debent. De cingulo dicunt aliqui, quòd in aliquibus locis non est consuetudo benedicendi cingulum. Sine quibus vestibus liceat

celebrare in easu urgentis necessitatis? videantur Authores de hac materia pertractantes. Nobis non licet in omnibus immorari. Sed advertendum, præceptum fuisse à Pontifice Zacharia ad ann. 742. in Synodo Romana, & refertur in can. nullus Episcopus, de cons. d. 1. neminem temerè, hoc est, absque rationabili causa, celebrare cooperto capite. Ex dispensatione verò Sum. Pontificis, cui tantum talis dispensatio Urbanus VIII. reservavit, potest Sacerdos celebrare, capite cooperto, vel amictu, vel alio levi, & honesto operimento. Henriquez, Fagundus, Angelus, Silverter, Navarrus, & alii affirmant, Sacerdotem licitè, & sine necessitate dispensationis, posse celebrare cooperto capite, si infirmitas, vel alia justa causa id exigat. Et notant communiter DD. sufficientem causam esse infirmitatem debilitatis capitis; frigoris intemperiem, & universaliter imminens periculum valetudinis. Verum pro Sacerdotibus sæcularibus, pro conscientis sedandis, consulendus est Episcopus, & pro regularibus suis Prælatus.

188 Benedictio denique paramentorum, quæ ad sacrificium necessaria sunt ex vetusto Ecclesiæ usu, & docetur à Tridentino sess. 22. c. 5. can. 7. contra Hæreticos Waldenses, jure ordinario ad Episcopum spectat, ut est commune apud DD. & constat ex cap. Vestimenta de consec. dist. 1. At verò Leo X. Bulla 6. quæ incipit Religionis honestas, concessit Prælati Fratrum Minorum, paramenta, & ornamenta, aliaque quæcumque ad divinum cultum, & usum fratrum necessaria, in quibus chrisma non intervenit, pro eorumdem fratrum usu tantum, valeant benedicere. Sine illa restrictione ad proprios usus tantum, concessit Julius II. & Innoc. VIII. sic: posse benedicere vestimenta, cæteraque ornamenta Ecclesiastica, tam sui Monasterii, quam etiam undequaque sint. Unde vestimenta om-

omnia, & etiam corporalia, possunt benedicere, *calice*, & *patena* exceptis; quamvis Delgadillo hoc etiam affirmet, & intendat suadere, ex concessione Innoc. VIII. & Gregorii XIV. facta Abbatibus Cisterciensibus, ut possint *calices*, etiam extraneos, consecrare. Dicendum est verò, *calicem*, & *patenam* consecrari debere ab Episcopo, & sic fert commu-

nis usus. De his privilegiis videantur noster Bruno de *privilegiis regularium*, Rodriguez, Joannes à Cruce, Portel, & alii de hac materia fusius peragentes. Nobis sufficiant, quæ fortè inerte, sed desiderio non errandi, scripsimus de hoc Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, ac sacrificio, quo nihil dignius, sanctius, ac venerabilius.




TRACT. VIII. DE ORDINIS SACRAMENTO.



ORDINIS SACRAMENTI DIGNITAS, AC EJUS encomia potius sunt admiranda, quàm dicenda. Justinus Martyr Epistola ad Smyrnenses scripsit: *Sacerdotium omnium bonorum, quæ in hominibus sunt, esse apicem.* Et Chrysostomus hom. 5. in cap. 6. Isaiæ inquit: „ Sacerdotium principalius est, ipso „ etiam regno venerabilius, ac majus... quamquam „ enim nobis admirabilior videatur regius thronus: tamen rerum terrenarum administrationem „ sortitus est. Sacerdotis verò thronus collocatus „ est in Coelis, & de coelestibus rebus judicandi „ habet potestatem.“ Nec mirum: etenim Sacerdotium Dei potentiam emulatur, Dei Vicarias substituit vices, dum corporis, & sanguinis Christi Domini, conficit Sacramentum, ac dum remittit peccata, quod solius Dei est elogium. O quanta est Sacerdotis dignitas! O quanta divinæ benignitatis, & misericordiæ in genus humanum effusio, ac liberalitas! Per Sacramentum denique Ordinis ad Dei Sanctitatis similitudinem non solum consecramur, sed & coelestis vitæ pignora per aliorum Sacramentorum administrationem in alios ubertim derivamus. Ut autem tantam dignitatem, ac donum explicemus, more hucusque servato, in 3. Disputationes hunc dividam Tractatum. In quarum 1. de Sacramento Ordinis in communi erit sermo. In 2. de Ordinibus in particuli pertractabimus, aliquaque de Episcopatu subjungemus. Et in 3. de Ministro, & subjecto Ordinis, quidquid necessarium visum fuerit dicemus. Sed prius, juxta principium uniuscujusque Sacramenti usque modo servatum, ecce, quod de illo docet Concilium Florentinum.

„ Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per „ cu-

„ ejus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicem cum vino, & patenæ cum pane porrectionem: Diaconatus verò per libri Evangeliorum dationem: Subdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem, & similiter de aliis, per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma Sacerdotii talis est: „ Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, & mortuis: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: „ Et sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano latè continetur. Ordinarius Minister hujus Sacramenti est Episcopus. Effectus augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus Christi Minister.



DISPUTATIO I. DE SACRAMENTO ORDINIS IN COMMUNI.

Priusquam de singulis Ordinibus sermonem instituamus in particulari, recta methodus, & scholastica ratio exigit, nonnulla de Sacramento Ordinis in communi disserere.

QUÆSTIO I.

An in Ecclesia sit Ordo, aut Ministrorum ordinatio? Et an sit verum Sacramentum?

DE Ordinis Sacramento pertractat cum Magistro Sententiarum Subt. Doct. in 4. dist. 24. & Scotistæ cum ipso: Thomistæ verò in additionibus ad tertiam partem à quæst. 34. usque ad 40. inclusivè. Nomen itaque *Ordo* multifariam sumitur. I. communissimè, pro gradu, nempe, quem habet res quælibet in suo genere. In quocumque enim rerum genere sunt aliquæ, quæ alias excedunt, & ab aliis exceduntur in perfectione. Sic accipitur *Ordo*, dum dicitur, ad Rom. 13. *Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt.* Et quando dicitur: *Entium in universo esse ordinem*, seu quamcumque participare suum gradum perfectionis, seu relationem prioritatis, & posteriori-

Tom. II.

tatis, ut Augustinus scribit. Sumitur II. *ordo* magis propriè, ut dum dicimus, in politia, seu republica servari ordinem, seu benè ordinatam esse: quatenus sunt in personis illius gradus superioris, & inferioris dignitatis, aut muneris, juxta exigentiam personarum talis reipublice, & munerum ad illius rectam gubernationem. Pariter dicitur in hac, vel illa domo esse *ordinem*, eò quòd muna illius inter domesticos distributa sint christiana, ac prudenti directione. III. sumitur *ordo*, tam pro aliquo gradu eminenti in republica, ut cum dicitur *ordo Senatorius*, *ordo Equestris*, quam pro communitatibus religiosis, ut vocitamus *ordo S. Dominici*, *ordo S. Francisci*. Sumitur denique propriissimè *ordo*, scilicet, pro gradu personarum, quæ ad sacras, & ecclesiasticas functiones destinantur, & ad hoc ordinatè dicuntur. Sic tantum in præsentì Tractatu sumitur *ordo*; & etiam pro ipsa actione, quam personæ istæ talibus ministeriis-

Aaa nis-

nisteriis deputantur, & magis propriè vocatur *ordinatio*. His scitis:

2 Dico I. *In Ecclesia Dei necessariò est Ordo, seu ipsius membrorum inter se subordinatio*. Veritas hæc per se patet: nam cum Ecclesia Dei sit respublica, & politia prudentissimè instituta, & constituta, reperi debet in ea ordo inter personas, quibus constituitur, & quævis in illa gaudere debet suo speciali gradu. Attamen solæ personæ illæ in præminentè gradu constitutæ, dicuntur habere gradum, seu ordinem. Hunc ordinem, ait Seraph. Doct. in 4. dist. 24. art. 2. quæst. 1. propter duplicem rationem omnino necessariam esse, videlicet, propter *plenitudinem, & propter relictitudinem*. Cum enim magna sit multitudo in Ecclesia, si ordo non esset, manifesta appareret confusio, & hæc est multitudinis fædatio. Unde omnis sapiens, qui, eo ipso, quod sapiens sit, amator est pulchritudinis, non producit multitudinem sine ordine. Inter hæc igitur maximè apparet Sapientia Dei, quæ inter omnia opera sua manifestatur in constitutione Ecclesiæ. Ita Seraph. Doct.

3 Nec in hoc omnino discrepant à nobis Novatores Hæretici Lutherani, & Calvinistæ: non enim audent affirmare, Evangelii prædicationem, & Sacramentorum administrationem ad omnes fideles ex æquo, & promiscuè pertinere, ut Kemnitius in examine Concilii Tridentini apertè docet, & docuerat Calvinus lib. 4. instit. cap. 3. Illorum pertinax error ab odio Ordinis Clericalis, & in laicos, quorum favorem ambiebant, nimia inclinatione, exortus est. Unde sibi non potuerunt temperare, quin multa effucierint adversus ejusmodi prerrogativam, & distinctionem Ministrorum Ecclesiæ à Laycis; quasi nihil sit discriminis inter eos, quod non pendeat ex hominum nutu, & arbitrio. Quare contendunt, omnes Christianos equaliter esse Sacerdotes, omnesque æqua-

lem habere potestatem: verùm ad vitandam confusionem, non possunt Ecclesiasticum ministerium exercere, nisi illi, qui ad hoc sunt deputati, & quæ deputatio agnoscitur per liberam amotionem ab officio illo. Consequenter dixit Calvinus cap. 4. omnes eos, qui ad obeundum munus Ecclesiasticum destinantur, generali nomine appellari *Clericos*, quia inter hos, & Laicos sit alia distinctio, quàm voluntaria, & extrinseca designatio: non verò aliquis ordo graduum, & ministeriorum, secundum quem Clerici laicis sint superiores, habeantque administrandi eis res divinas, & præsertim Sacramenta, jus, & potestatem. Contra hos errores:

4 Dico II. „In Ecclesia Dei necessariò est Ordo, & ordinatio graduum, & Ministrorum Ecclesiasticorum, quibus Clerici laicis sunt superiores, eisque res divinas administrare solùm ipsi possunt, ac debent.“ Conclusio est de fide quoad omnes suas partes, quam perpetuò universa Catholica Ecclesia credidit, ac docuit, & quam Tridentinum contra præfatos Hæreticos expressè definit sic sess. 23. cap. 4. „Sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, & semel ritè ordinatos, iterum Laicos effici posse, si Verbi Dei ministerium non exercent.“ Probat ex Sacra Scriptura, quæ pluries Ministrorum Ecclesiæ meminit, quos ipse Dominus regendis fidelibus præfecit, & ad hoc ordinavit, & consecravit. Joan. 20. refertur, quod Christus in Apostolos insufflavit, ac Spiritum Sanctum eis contulit, cum potestate plenaria remittendi peccata, & retinendi. Act. 3. fit mentio impositionis manuum, qua Paulus, & Barnabas ordinati sunt ab Apostolis, atque constituti Evangelii Præcones, & Ecclesiæ Præfecti, & Pastores. Idem fecit Paulus cum Timotheo,

theo, ut ipse refert, Epist. 1. c. 4. Et Act. 20. alloquens Paulus majores natu Ecclesiæ Ephesi, ait illis: „at- tendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.“ Et ad Cor. 4. Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, id est, Sacramentorum.“ Explicat Trident. sess. 21. cap. 2. Hæc itaque, & plurima alia Pauli loca, Act. 3. ad Hebr. 5. & ad Ephes. 4. videnda, luculenter significant divinam ordinationem, & institutionem, qua aliqui ex Christiano populo ad divina mysteria assumuntur, & ut ejus salutis procurandæ invigilent, Ministri, & Antistites præficiuntur. Qui quidem solemnè ritu ordinati per impositionem manuum, non sunt amplius computandi inter Laicos, sed ab eis segregati, & à negotiis sæcularibus, divino cultui dumtaxat inserviant, ac suo spirituali ministerio.

5 Probat etiam Catholica, veritas ratione Theologica: In omni republica benè ordinata, necesse est, quod sit aliquod caput, & etiam membra quædam digniora, quorum sapientia, & prudentia regatur, & gubernetur; sed Ecclesia Christi est respublica specialissima, prudentissima sapientia constituta, & ordinata: ergo ex vi illius institutionis exigit caput, & aliqua membra, quæ ex officio, dignitate, & præcellentiâ Christianum populum gubernent, & ad Deum dirigant. Major est per se nota: & idèd Prob. 11. dicitur: *Ubi non est gubernator, populus corrumpet*. Minor est innegabilis, etiam ab ipsis Hæreticis. Unde consequentia est legitima, illamque mirificè expendit, & declarat D. Dionisius lib. de Eccl. Hierarc. cap. 5. Nobis sufficiat nunc adversus Sectarios Trident. sess. cit. can. 1. anathematizans eos, qui dixerint: „Non esse in novo Testamento Sacerdotium visibile, & externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi ve-

Tom. II.

rum corpus, & sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi, sed officium tantum, & nudum ministerium prædicandi Evangelium: vel eos, qui non prædicant, non esse Sacerdotes.“

6 Dico III. *Ordo, seu Ecclesiastica ordinatio est verum, ac proprium novæ legis Sacramentum*. Ut expeditius veritas hæc demonstretur, notandum est 1. *Ordinem, & ordinationem* strictè loquendo non esse idem: vel adminus considerari debere duobus modis. Itaque *Ordo* propriè significat illum gradum, seu potestatem, qua quis constituitur in dignitate, & ministerio Ecclesiastico. In hac acceptione *Ordo* non est Sacramentum, sed gradus, & potestas collata per illud, seu est Sacramenti effectus. Sic intellexerunt Patres antiqui, Zepherinus Papa Epist. 2. Leo Mag. Gelasius, & alii plures. *Ordinatio* verò denotat collationem hujus gradus, seu actionem, qua quis accipit potestatem exercendi sacrum ministerium, & in hac acceptione est ipsum Sacramentum. Hoc in sensu antiquorum dixit Scotus dit. 24. *Dico, quod loquendo propriè de Sacramento, Ordo non est propriè Sacramentum. Quid ergo est septimum Sacramentum? Dico, quod ordinatio &c.* Quod si Sotus attentè legisset, quæ ibi Doct. Subt. acutissimè docet, non tam malignè illum interpretasset, dicens, Scotum hoc Sacramentum negasse. Est enim valdè diversum, *ordinem*, quo nomine significatur Sacramenti effectus, esse Sacramentum, ac negare sextum Ecclesiæ Sacramentum, quod ibi Scotus definit, ac probat validissimis rationibus. Jam verò *Ordo* usurpavit nomen suæ causæ, nempe, *ordinationis*: atque adeo ex communi usu, & loquendi modo, pro eodem accipiuntur, & accipiemus. Notandum est 2. in hac quæstione solùm esse controversiam adversus Hæreticos: an *Ordo*, seu *ordinatio* in universum, seu generatim obtineat dignitatem, & rationem veri Sacramenti? Siqui-

Aaa 2

dem

dem cum in Ecclesia sint plures ordinationes, de illis sigillatim non contendimus cum Hæreticis: nam de plurimis illorum adhuc controvertitur inter Theologos, nec circa hoc aliquid distinctè ab Ecclesia est definitum, ut sequenti disp. videbitur. His sic notatis:

7 Demonstratur 1. Catholica veritas ex Concilio Florentino, decreto Eugenii dicente: „ Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud per cujus traditionem „ confertur Ordo. “ Et ex Tridentino sess. 23. cap. 3. definiente sic: „ Cum „ scripturæ testimonio, & Apostolica „ traditione, & Patrum unanimi „ consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis, „ & signis exterioribus perficitur, „ gratiam conferri: dubitare nemo „ debet, Ordinem esse verè, et propriè unum ex septem Sacramentis. *Et sess. 7. Si quis dixerit, Ordinem, seu sacram ordinationem, non esse verè, et propriè Sacramentum à Christo institutum; anathema sit.* “ Mitto alia plura antiquorum Conciliorum similia dicta. Demonstratur 2. ex SS. PP. et perpetua Ecclesiæ traditione, et praxi, qua constat, hanc institutionem Ministrorum Ecclesiæ semper ut verum Sacramentum habitam fuisse, ut patebit discurrenti per singulas ætates. Demonstratur tertio ratione: de ratione veri Sacramenti est, esse *signum sensibile significans, & causans ex divina institutione gratiam invisibilem*; sed omnia hæc habentur in sacra ordinatione: ergo. Major constat Tractat. de Sacramentis. Minor probatur quoad triplicem suam partem: nam in primis est *signum sensibile*; quia confertur per actus, et verba externa, nempe, per manuum impositionem, aut alicujus rei traditionem, et cum certis verbis. Deinde, *quod sit ex institutione divina*, apparet ex Concil. cit. et ex dictis abundè Tract. de Sacrament. Et denique de *causalitate gratiæ*, cons-

tat manifestè; tum ex iisdem locis: tum ex pluribus Scripturæ locis, pro quibus sufficiat Epist. 1. Pauli, ubi ad Timoth. scribit: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyteri.* Et 2. *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum*: ergo in sacra ordinatione reperitur, quidquid ad verum Sacramentum est necessarium.

8 Dico IV. Sacramentum Ordinis metaphysicè, seu per genus, & differentiam, rectè definitur sic: *Est Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum, causativum gratiæ potestativæ.* Et physicè, seu per materiam, & formam, sic: *Est traditio materiæ, per quam spiritualis potestas traditur ordinato, sub præscripta verborum forma.* Utamque definitionem comprehendit hæc, quam Subt. Doct. dist. 24. tradidit, dicens: „ Ordinatio est institutio alicujus in „ gradu Ecclesiæ præeminenti, cui „ convenit aliquod ministerium circa Eucharistiam exhibendum, facta à Ministro idoneo, certa verba „ cum debita intentione proferentem, „ ministerium gradus illius aliquò „ signo visibili repræsentans, ex institutione divina efficaciter significans gratiam præeminentem, qua „ ordinatus dignè aliquod ministerium exequitur. “ Hoc idem habet Subt. Doct. in Reportatis. Quibus in verbis exactè definitur ordinatio, seu Ordinis Sacramentum, tam metaphysicè, quam physicè, ut consideranti patebit. Unde non est audiendus Vazquez immeritò vocans definitionem Scoti prolixam valdè. Debebat namque assignare aliquam particulam redundantem, quod non faciet.

9 Arg. 1. adversus II. conclusionem: nam adversus I. nihil est momenti, quod per ipsammet, & per dicenda in hoc argumento, satisfieri non possit. Inter fideles nulla est graduum distinctio, nec superioritas unius respectu alterius: ergo quòd alii exercent ministerium clericale, alii non exer-

exerceant, provenit unicè ex dispositione, & deputatione reipublicæ, modo prætenso ab Hæreticis supra in I. concl. n. 3. Prob. ant. Omnes Christiani per Baptismum æqualiter sunt sacerdotes, æqualemque potestatem habent: ergo, Prob. antec. ex Sacra Scriptura: nam ad Gal. 3. dicitur: *Quicumque baptizati estis, Christum induistis: non est Judæus, nec Græcus: non est servus, nec liber omnes vos estis unum in Christo.* Et Apocal. 3. omnes fideles Sacerdotes vocantur: *Genus electum, regale Sacerdotium.* Denique Christus ipse omnes nos fecit *regnum, & Sacerdotes*: ergo omnes Christiani per Baptismum &c. & consequenter, in Ecclesia non est Ordo, seu ordinatio præeminentiæ, & dignitatis Ministrorum, qua Clerici superiores sint laicis.

10 Respondeo negando utrumque antecedens. Ad probationem ex Sacra Scriptura, quam Hæretici pertinaci intelligentia adulterant, dico, loqui in 1. loco de æqualitate respectu prædestinationis ad gratiam, & gloriam, in qua Deus nullam personarum conditionem aspiciit, sed ad merita tantum attendit. *Non enim est acceptatio apud Deum; nam omnes unum corpus sumus in Christo, una fides &c.* In 2. & 3. loco intelligitur de Sacerdotio mystico, & interno, quo unusquisque interna sacrificia, & oblationes Deo offert; non autem de externo, & potestativo, quod quidem non spectat ad omnes ex Christi Domini dispositione, ut manifestum est in probationibus conclusionis. Sic etiam intelligitur, dum fideles vocantur *genus regale*, quatenus per Baptismum fiunt mystica membra Christi, qui est Rex Regum. Si aliter intelligeretur, omnes fideles dicerentur ex stirpe regia oriri, quod manifestè est absurdum. Unde negatur ultima consequentia. Neque talis æqualitas, & confusio Ecclesiam decet: imò ubique fit mentio de Subditis, & Præpositis in Ecclesia, quibus jubemur obedire. Hic præceden-

tiæ, & præstantiæ ordo omnino in Ecclesia Christi est necessarius, ut supra demonstravimus, præsertim num. 5.

11 Arg. 2. adversus tertiam conclusionem: Sacramentum debet constare rebus, & verbis; sed ita non est de ordinatione: ergo non est verum Sacramentum. Major constat ex sæpius dictis. Prob. minor. Tum; quia neutrum constat ex Scriptura, vel traditione: quin potiùs constat, Christum Apostolos ordinasse sine ullo signo externo, ut cum in ultima Cœna eos ordinavit Sacerdotes: ergo ordinatio hæc non est Sacramentum: ergo multò minus aliæ ordinationes, & consequenter ordinatio Sacramentum non est. Tum; quia ordinatio apud Græcos dicitur *impositio manuum*; sed impositio hæc non est actio sacramentalis, constans rebus, & verbis: ergo. Prob. minor. Illa impositio manuum solum significat electionem per suffragium, non autem consecrationem per signum aliquod sensibile: ergo. Prob. antec. Tam ex Scriptoribus Ecclesiasticis, quam profanis, juxta quos electiones antiquitus, & suffragia de eligendis, ferebantur per manuum elevationem, seu in altum extensionem, & porrectionem. Unde apud eosdem Authores, pro Magistratus, & Rectorum electione, & institutione, manus imponebantur, seu extendebantur super personas electas in signum talis electionis: ergo. Urgetur: Omne Sacramentum per se ordinatur ad sanctificationem suscipiendum; sed ordinatio per se non ordinatur ad sanctificationem ordinatorum; sed potiùs ad sanctificationem aliorum: ergo reverà non est Sacramentum.

12 Respondeo, negando minorem. Ad illius primam probationem dico, nobis constare ex perpetua traditione, & praxi Ecclesiæ, quæ est fidelis interpretis voluntatis Christi Domini. Ex quo evincitur, quòd ita fuit à Christo dispositum. Ad secundam probationem, potest dici 1. quòd cum

cum potestas, & autoritas Christi alligata non sit Sacramentis, nec sit ministerialis, sed principalis, & independens, poterat sine Sacramento suos Apostolos ordinare, sicut improbabile non est, eos sine ullo Sacramento confirmasse: & peccata remisit Magdalene sine ulla forma absolutionis sacramentalis. Ex qua doctrina neganda est consequentia. Dicitur potest 2. Christum usum fuisse manuum impositione, vel alia externa cæremonia, dum in ultima Coena Apostolos Sacerdotes instituit. Et defacto usus est verbis, dum eis potestatem dedit consecrandi, dicens Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Similiter pro signo externo panem, & vinum consecratum dedit eis. Ad secundam probationem illius minoris dico, verum esse impositionem manuum, & illarum elevationem electionem per suffragium antiquitus significasse: at verò ex usu, & praxi Ecclesie, jam factum est, ut usurpetur ad significandam Ecclesie Ministrorum Sacram consecrationem. Negatur igitur consequentia. Ad urgentiam Frassenius distinguit majorem: ordinatur per se ad sanctificationem suscipientium, vel per se primò, vel per se secundò, concedit: per se primò tantum, negat majorem, & consequentiam, distincta similiter minori. Licet enim ordinatio per se primò tendat in sanctificationem aliorum conferendam per Sacramenta: secundariò saltem tendit in dignam Sacramenti administrationem, quæ absque gratia Ministrum sanctificante, fieri non potest. Unde, ait, secundariò saltem ordinatur ad sanctificationem suscipientis. Sed mihi videtur ab opposito debere dici: nempe, per se primò tendere ad efficiendum dignum Ministrum, qui dignè exinde aliis Sacramenta administret.

13 Quæres 1. *Quando Christus Sacramentum Ordinis instituit?* Respondeo, quòd in ultima Coena. Ratio est; quia tunc Christus instituit

Apostolos Sacerdotes, illis potestatem tribuens conficiendi Eucharistiam; sed non potest rationabiliter assignari aliud tempus, vel occasio talis institutionis: ergo. Major constat ex Tridentino sess. 22., Corpus, & sanguinem suum, sub speciebus panis, & vini Apostolis obtulit, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat &c. *Et infra:* Si quis dixerit, illis verbis, hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes... anathema sit. Minor est certa: nam cum Sacerdotium sit ordo principalis, quoad præstantiam ministerii, sub Sacerdotali potestate comprehenduntur alii inferiores Ordines, quasi sub capite, & quasi consummatione, ac fine: ergo tunc cæteros Ordines instituit.

14 Sed observandum, duplicem distingui potestatem in Ecclesie Ministris, nempe, *ordinis, & jurisdictionis.* Potestas ordinis tendit in corpus Christi verum, & physicum in Eucharistia conficiendum, & fidelibus ministrandum. Unde hæc potestas etiam tendit in corpus Christi mysticum, videlicet, fideles per Sacramenta sanctificando. *Potestas verò jurisdictionis* dumtaxat circa corpus Christi mysticum occupatur, Ecclesiam, nimirum, & cætum fidelium regendo, gubernando, & moderando, ut salutem æternam fideles consequantur. Utrique potestati suus in Ecclesia correspondet ordo, & ordinatio: nam sicut inter Ministros, qui occupantur in Christi verum corpus conficiendum, & ministrandum, adest subordinatio, ita ut Lectores Ostiarii, & Ostiarii Acolylitis, Acolyti Subdiaconis, Subdiaconi Diaconis, & illi omnes subjiciantur Sacerdoti: ita est inter ipsos Ecclesie Ministros. Simples namque Sacerdotes subjiciuntur Curatis, Curati Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Primatibus, Primates Patriarchis, & Patriarchæ Summo Pontifici. Quare generatim loquendo,

du-

duplex in Ecclesia potest distingui ordo, sicut duplex autoritas, & potestas jurisdictionis, nempe, seu regiminis, & consecrationis, seu ministerii ad Altare, de quo pertractatur in præsentia.

15 Quæres II. *Quinam dicendi sint Clerici? Et unde vocantur tales?* Respondeo, Clericos generaliter nuncupari omnes, qui in Christi Ecclesia ex peculiari officio deserviunt, & divino cultui mancipantur. Erga hujus nominis *Clerici* ethymologiam, non omnes loquuntur unanimiter. Placet verò quod Gratianus d. 21. can. 1. affert. Clericos appellari existimat, quasi à Domini sorte, & hæreditate. Hinc D. Hieronymus Epist. ad Nepotianum scribit: „Propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, & pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse se possideat Dominum, & possideatur à Domino... quod si quippiam aliud habuerit, præter Dominum, pars ejus non erit Dominus... si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus, Dominus pars ejus fieri non dignabitur &c. Eandem sequens ethymologiam D. Ambrosius, lib. de fuga sæculi, cap. 2. scribit: „Cui Deus portio est, nihil debet curare, nisi Deum... quod enim ad alia officia conferatur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio, decerpitur. Hæc enim vera est Sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum, & quædam alienatio charissimorum, ut suis etiam abneget, qui servire Deo gestit. *Ivo Carnotensis serm.* de excellentia sacrorum Ordinum, in idem conspirat, per hæc verba, & quidem valde notanda: „Nemo enim ad hoc fieri debet Clericus, ut serviat voluptati, studeat curiositati, militet ambitioni. Nec aliud quærat, nisi ut Deum hære-

ditate possideat, quem elegit, & à quo electus est, quando in Clericum assumptus est. Hoc enim in Græco nomen Clerici sonat, quod de sorte sit Domini; quia & Dominus sortitus sit eum... Unde qui per Clericatus officium aliud quærit, quàm Deum, nec à Deo electus est, nec Deum elegit: qui in sorte sua creaturam Creatori, aut præposuit, aut equiparavit.

QUÆSTIO II.

Unitatem, & multipliciter Sacramenti Ordinis resolvens.

16 **S**tabilito jam, ordinationem esse unum ex septem Sacramentis novæ legis à Christo Domino institutis, in quo adversus Sectarios omnes conveniunt Catholici, præsens controversia duas difficultates examinare intendit. Cùm enim Ordo in numero septem Sacramentorum non numeretur, nisi pro uno: & aliundè certissimum sit, plures dari ordinationes, meritò examinare oportet 1. Qualis sit ejus unitas in pluralitate ordinationum? 2. Quanta illa pluralitas sit? seu quot sint illi ordines? Circa hæc secundam partem, quæ præcipua, ac difficilior est, Authorum dictamina adeo sunt varia, ut confusam illam reddant. Magister dist. 24. Sotus, Medina, Gratianus, quos alii sequuntur, dixerunt, quatuor Ordines minores, seu ordinationes, Sacramenta non esse. Strictiùs adhuc procedentes alii cum Durando, ordinationes etiam Diaconatus, & Subdiaconatus Sacramenta esse, negant. Unde solum Ordinem Sacerdotalem vocant Ordinis Sacramentum, & alii addunt etiam Episcopatum. Ut verò majori cum claritate procedamus.

17 Resolutio 1. *Sacramentum Ordinis est unum unitate generica; non verò specifica.* Est communis Theologorum, & docetur ab Scoto dist.

24.

24. dicente : Patet , quomodo Ordines illi septem.... dicuntur contineri sub Sacramento Ordinis, in quantum est unum Sacramentum. Et quærens: qualiter Sacramentum Ordinis est unum? Respondet: unitate generis propinqui &c. Probatur prima pars: Omnibus Ordinibus equaliter convenit, & propriè adaptatur definitio Sacramenti Ordinis, tam metaphysica, quàm physica: ergo quoad hoc habent unitatem, seu sunt unum unitate generica. Antecedens fit manifestum per dicta supra num. 8. definiendo hoc Sacramentum, & manifestabitur ampliùs, dum de Ordinibus in particulari pertractemus. Consequentia est indubia. Probatur secunda pars: Illa non sunt unum specificè, seu sunt specie diversa, quæ contrahunt, & participant aliquam rationem genericam, sub diversis rationibus specificis, et specialibus; sed Ordines sic se habent: ergo Sacramentum Ordinis non est specificè unum, sed multiplex. Probatur minor: Tum; quia, ut patet disp. 2. quæst. 2. conferuntur diversis materiis, et formis; sed ex diversa materia, et forma distinctum arguitur Sacramentum: ergo. Tum; quia Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus separatiim, et diversis subjectis conferuntur, habentque diversa munia, actus, et effectus specie diversos: ergo specie differunt.

18 Resolutio 2. Ordines sacramentales principaliter sunt septem, nempe, Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolytatus, Exorcistatus, Lectoratus, & Ostiariatus. Hæc est verior, ac communior sententia Theologorum cum D. Bonav. D. Thoma, subt. Doctore, Ricardo, Ægidio, aliisque majoris nominis Authoribus. Probatur de omnibus in communi; nam postea erit sermo de quolibet in particulari: 1. ex Concilio Tridentino sess. 23. Can. 2. sic definiente: „ Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia

Catholica alios Ordines, & majores & minores, per quos, velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur: anathema sit. Et eadem sess. c. 2. omnes illos enumerat, illorumque munera, et officia recenset. Et in Concilio Romano, sub S. Silvestro, omnes illi Ecclesiastici gradus, et ordinationes eodem ordine recensentur. Idem habent Concilia Carthaginense IV. Et Aquisgranense, celebratum tempore Stephani IV. ubi à capite 5. septem præfati Ordines referuntur, atque ea, quæ ad eorum institutionem spectant, traduntur. Probatur 2. eadem veritas ex Summis Pontificibus: nam ut refert S. Damasus in suo Pontificali, S. Cajus Papa constituit, ut in Ecclesia per illos omnes Ordines ad Episcopatum ascenderetur, sic statuens: Si quis Episcopus fieri mereretur, debet esse Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & exinde Episcopus ordinatur. Idem statuit Gelasius Epist. ad Episcopos Lucaniæ, et id ipsum habetur expressè in Pontificali Romano jussu Clementis VIII. et Urbani VIII. edito, et recognito. Accedunt D. Cyprianus, Hieronymus, et Scriptores rerum Ecclesiasticarum, maxime S. Isidorus lib. 7. ethymolog. cap. 12, Beda in Collectaneis, c. 10. de septem Ordinibus, qui cum pluribus aliis septem enumerant Ecclesiasticos Ordines. Denique videantur Scotus dist. 24. D. Bonaventura dist. 24. artic. 2. quæst. 2. D. Thomas in supplemento. quæst. 27. art. 2. hunc septenarium Ordinum numerum colligentes, et statuentes ex ordine, et respectu ad Sacram Eucharistiam, rationibus validissimis.

19 Arg. contra primam resolutionem: Ordo est unum ex septem Sacramentis Ecclesiæ: ergo debet esse unum non solum genere, sed etiam specie, et consequenter est unum unitate specifica. Probo consequenter, Tum à pari de aliis Sacramentis, quorum quodlibet est specificè unum, ut

Bap-

Baptismus: nam non sunt plura Baptismi Sacramenta specie distincta: ergo Ordinis Sacramentum distribui non potest in Ordines specie diversos. Tum: si esset unum solum genericè, et plura specificè, plura, quàm septem erunt Sacramenta; sed hoc est contra communem sensum Ecclesiæ: ergo. Probo majorem: Si solum in genere conveniunt Ordines, et differunt specie, ille conceptus genericus prædicaretur de singulis Ordinibus: ergo cum Ordo secundum se sit Sacramentum, singuli Ordines, tam majores, quàm minores, habebunt veram Sacramenti rationem distinctam in specie: ergo plura essent specificè Sacramenta Ordinis, et consequenter plura erunt Sacramenta, quàm septem, quod dicere absurdum est.

20 Respondeo negando consequentiam, & paritatem de Baptismo. Ratio disparitatis est, quod Baptismus, & alia ejusmodi Sacramenta conferuntur ad aliquos effectus ab illius subjecto percipiendos: Ordo vero potissimum confertur ad actus exercendos. Unde juxta actuum diversitatem distingui debent Ordines, per quos potestas ad agendum confertur: potentia enim distingui debent, juxta actuum diversitatem. Non est ergo consequens: Baptismus non dividitur in plures Baptismos specie: ergo neque Ordo dividi potest. Ad 2. probationem nego majorem, & distinguo ejus probationem: ille conceptus prædicaretur de singulis cum ordine, & subordinatione ad unum finem completum, & perfectiorem ordinem, concedo: aliter, nego antecedens, & sequelam ultimam. Etsi plures sint Ordines, ait Subt. Doct. dist. 24. tamen id non solvit primariam divisionem Sacramentorum in Septenarium numerum, cum omnes illi Ordines ad unum communem Ordinis conceptum, tamquam ad suum genus revocentur, & ad unum totale, & completum dirigantur. Patet exemplo: sicut enim in Eucharistia,

Tom. II.

tam panis, quàm calix consecratus seorsim ab invicem veram, & essentialem rationem Sacramenti obtinent, quin Eucharistiæ Sacramentum dicatur multiplex, eo quod utraque ordinetur species ad perfectam, & completam spiritualem animæ refectionem: ita etiam, licet omnes, & singuli Ordines diversa sint Sacramenta, utpote quæ diversis materiis, & formis constant; non tamen efficiunt distincta Sacramenta Ordinis, cum omnes ordinentur ad unum completum finem, nempe, ad Sacerdotium, seu ad solemnem Eucharistiæ confectioem, quæ, ut debito, & congruenti apparatu fiat, hanc Ordinum diversitatem exigit.

21 Omnes itaque Ordines, tam majores, quàm minores comprehenduntur sub hoc nomine communi Sacramentum Ordinis: quod cum sit unum unitate quidem generica, seu speciei subalternæ, non speciei infimæ, seu atomæ, numerum septenarium complet cum aliis sex Sacramentis. Et idem venit dicendum de Episcopatu, si sit Ordo, de quo, & de aliis postea erit sermo. Hæc est doctrina Subt. Doct. dist. 24. §. ad argumenta, quam confirmat instantia virtutum moralium, quæ Cardinales vocantur. Sicut enim virtutes morales dicuntur esse quatuor secundum genus, scilicet, Prudentia, Justitia, Fortitudo, & Temperantia, quamvis quælibet istarum ulterius in plures dividatur: ita Sacramentum Ordinis dicitur unum unitate generica, seu speciei subalternæ, licet postea dividatur in alias species. Hanc solutionem sequuntur Ægidius, Hurtado, & alii suppresso tamen nomine Scoti, à quo desumpta est: & quod plus est, Vazquez illam tribuit aliquibus, qui longa post Scoti tempora scripserunt. Hoc expendo; non quia illud judicem rarum, cum simile passim reperiatur: sed ut sciatur doctrinam Subt. Doct. maximè in scholis circumferri, licet Authoris nomen à multis ignoretur, aut taceatur voluntariè.

Bbb

22

22 Arg. 1. adversus 2. resolutionem: Anacletus Papa Epist. 13. cap. 1. scribit: *Amplius, quam isti duo Ordines, Sacerdotum, & Episcoporum, neque nobis à Deo collati sunt, neque Apostoli docuerunt: ergo nullus alius Ordo est Sacramentum.* 2. Plures non debent Ordines adstrui, quam qui numerantur in Scriptura, & Patribus; sed Scriptura non meminit Ordinum, nisi Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, quod idem Patres dicunt, præsertim S. Dionysius, lib. de Eccles. Hierarch. cap. 5. & Hieronymus in cap. 19. Isaia: ergo censent, tantum esse tres Ordines: ergo non sunt septem assignati à nobis. 3. Ordines Ecclesiae referuntur ad actus Hierarchicos; sed ordines Hierarchici, solum sunt tres, nempe, *purgare, illuminare, & perficere*, quorum primus congruit Diaconis, secundus Presbyteris, & tertius solis Episcopis, ut D. Dionysius refert: ergo non est numerus septenarius Ordinum. 4. Clemens epist. 2. ad fratrem Domini, dicit: Exorcistam non fieri ordinatione: & tempore Concilii Carthaginensis IV. celebrati tempore Sixti III. anno 436. materia Acolytatus tradebatur ordinato ab Archidiacono, & forma proferebatur ab Episcopo, ut constat ex can. 6. ergo ordinatio Acolyti non est Sacramentum: nam ut esset, materia debet applicari, & forma proferri ab eodem Ministro, ut illius actio sufficienter exprimatur. Patet in Baptismo, & aliis Sacramentis, præter Pœnitentiam, in qua cum iudicium sit, quod reus alius sit à Iudice, necessarium est. Præterquamquod longo tempore post Apostolos, Acolytatus fuit introductus. Denique: Alii duo Ordines minores fuerunt in Ecclesia olim, nempe, Psalmorum cantores, & laborantes, seu fossores, quales erant illi, qui fidelium corpora humabant, & quæ officia à Patribus antiquis absolutè nuncupabantur ordines; sed hoc satis indicat, Or-

dines minores potius ab Ecclesia, quam à Christo, institutos esse: ergo non sunt Sacramenta, vel plura sunt, quam septem assignata.

23 En Epilogaas plures, ac non vulgares difficultates, quæ in varia placita diviserunt Doctores, ut memorat Benedictus XIV. in sua Diocesana Synodo, tom. 1. lib. 8. cap. 9. Respondeo ad 1. Anacletum expressè loqui de Ordine tantum Sacramentali, & nobiliori Ecclesiae, qui quidem dumtaxat est duplex, nempe, Episcopatus, & Sacerdotium. Hoc in sensu locutus fuit etiam Damascenus Epist. 4. dicens: *Ordines sunt tantum duo in Ecclesia, id est, Apostolorum, quibus successerunt Episcopi, & Septuaginta Discipulorum, quibus successerunt Presbyteri.* Ad 2. dico, septem memoratos Ordines fuisse semper, & ab initio Ecclesiae, ex mente Tridentini, ex Concilio Romano sub Silvestro, ex Pontificibus, & antiquissimis Patribus, Ordines illos, tam majores, quam minores, ut rem in Ecclesia antiquam, & omnino certam, numerantibus, ut videri est supra num. 18. Unde parum officit, quod Scriptura expressè non numeret, nec quod aliqui Patres mentionem non faciant de singulis, cum hoc argumentum ab auctoritate negativa sit tantum. Ex quo negari potest major, vel omitti, negando consequentias illatas. Quare pulchrè Doct. Subt. inquit, quod Scriptura, & aliqui antiqui Patres nascentis Ecclesiae non meminerint Ordinum inferiorum, non quia non fuissent instituti, cum reverà fuissent: sed quia ob fidelium paucitatem conferri non poterant convenienter diversis personis, ob quod inferiora ministeria commendabantur, & supplebantur à Diaconis. Cum verò successu temporis in dies multiplicaretur fidelium numerus, nec jam Diaconi commissa sibi inferiorum Ordinum ministeria implere debite possent, ea ministeria, quæ ab invicem separabilia erant, fuerunt separa-

rata, & in diversos Ministros distributa. Hæc Doctor.

24 Ad 3. dico, D. Dionysium eo in loco tantum illorum trium Ordinum meminisse; quia ibi non erat ipsius propositum alios Ecclesiasticos Ordines recensere. Eos enim dumtaxat refert, qui sunt propriè Hierarchici, per quos aliquomodo præsentur populo Christiano Ministri Ecclesiae, ac important præcellentiam, & prælationem, ratione, nempe, actionum Hierarchicarum. Tres vulgò nominantur à D. Dionysio in libris de Cælesti, & Ecclesiastica Hierarchia; *purgare, illuminare, & perficere*, & juxta hanc triplicem actionem, tres ab ipso numerantur ordines Hierarchici, scilicet, *Episcoporum*, quibus convenit *actio perfectiva*, quatenus per Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, plenitudinem conferunt gratiæ, & Spiritus Sancti: *Sacerdotum*, quibus *vis illuminativa* tribuitur, eo quod per Baptismum mentem lumine fidei illustrent, ob quod apud Græcos vocatur Sacramentum illuminationis: & *Diaconorum*, quibus convenit officium purgandi fideles per Evangelii prædicationem, illos disponendo ad Eucharistiæ, & aliorum Sacramentorum susceptionem. At verò hæc actionum distributio non sic est accipienda, quasi unica singulis dumtaxat conveniat: nam Presbyteri, cum sint Diaconis superiores, non solum illuminandi, sed & purgandi virtutem obtinent: & Episcopi ratione suæ præminentiae possunt triplicem hunc actum exercere. Unde Ordines non Hierarchici dicuntur illi, quibus nulla in populum Christianum prælatio, sive præfectura competit: & tales censeri debent quotquot sunt Ordinum gradus Diacono inferiores. Ex hoc autem nullo modo inferre licet, alios non esse Ordines juxta prædictos Patres: nam Hieronymus cap. 2. Epist. ad Titum, inquit: *Episcopi, Presbyteri, & Diaconi debent magnopere*

re providere, ut populum, cui præsidet, conversatione, sermone, & scientia præcedant: verum, & inferiores gradus Exorcistæ, Lectoris, & omnes omnino, qui domui Dei serviunt. Et ipse Dionysius Ordinum etiam inferiorum meminit, dum cap. 3. ejusdem libri ait: *Ecclesiae Ministros alios in Ecclesia Scripturas legere, alios Ecclesiae fores custodire &c.* Pro ultimi argumenti solutione, excitandum venit dubium sequens.

25 Dubitabis: *An Cantorum, & Psalmistarum institutio sit verus ordo Ecclesiasticus?* Sunt Authores, qui affirmant, & etiam de elaborantibus, seu fossoribus, prout constat ex argumento. Juxta illos numerus Ordinum non est septenarius, sed octonarius, vel novenarius. Cui numero, si adjicias primam tonsuram, & Episcopatum, de quibus disp. 2. erit peculiaris sermo, undecim Ordines enumerabuntur. Respondeo negativè. Probatur: Tum; quia omnis Ordo Ecclesiasticus propriè dictus habere debet specialem respectum, & habitudinem ad Eucharistiæ conficiendam, seu dispensandam; sed officium psallendi secundum se talem habitudinem non habet: ergo non est verus Ordo. Tum: omnes Ordines, ut postea constabit, debent conferri ab Episcopis; sed cantores institui possunt à simplici Presbytero, ut definit Concilium Carthaginense IV. can. 10. & nunc ab Ecclesiis particularibus assumuntur, & instituuntur: ergo. Tum; quia non numeratur à Tridentino inter septem Ordines: ergo inter illos non debet reputari.


26 Nec officit, quod S. Clemens lib. 3. constit. Apostolic. in numerum Clericorum cantores computet, & inter Ecclesiasticos Ordines cum Lectoribus numeret: idem docuit D. Ambrosius, & D. Isidorus, alique plurimi Græci Scriptores: pariter Concilium Laodicenum Ecclesiasticæ disciplinæ, ac Canonibus, pro

Bbb 2

Cle-

Clericorum institutione cantores sub-
jicit, can. 24. decernens sic: *Quod
non oporteat sacro Ministerio dedi-
tos à Presbyteris usque ad Diaconos,
& reliquum Ecclesiasticum Ordinem,
id est, usque ad Subdiaconos, Lec-
tores, & Cantores, Exorcistas, &
Ostiaros... ingredi tabernaculi: ergo tunc
temporis Cantoratus erat Ordo Eccle-
siasticus.*

27 Dico igitur ad præfata mo-
numenta, constitutiones illas, & præ-
sertim loquentes de Cantorum insti-
tutione à solo Episcopo facienda, uti
habetur in Concilio Carthaginense
III. intelligendas non esse de Cantoratu
secundum se præcisè, sed ratione
Ordinis Lectoratus sibi adjuncti:
nam ut Martinus Bracharensis obser-
vat ibidem, solitum fuit temporibus
illis officium psallendi solis Lectori-
bus tribui, & ideo ad Episcopos
pertinebat eos, quos ex his idoneos
jubebat, seligere, & cooptare. Hanc
facultatem eligendi Cantores ex Lec-
toribus postea ipsa Concilia Sacerdoti-
bus concesserunt. Unde, quia ex
antiqua disciplina Cantoratus solebat
adjungi Lectoratui, attribuerunt Or-
dinis appellationem. Deinde, quando
veteres Patres, & Canones Ordinem
vocat Cantoratum, nomen *Ordinis*
non usurpant strictè, & in propria
significatione, sed latius, & prout
extenditur ad quædam officia, &
ministeria Ecclesiastica, & Ecclesie
propria, ut economi, fossores, seu
qui mortuorum corpora humabant,
& alia similia, quibus conferendis
tunc aliqui erant instituti ritus, &
cæremoniæ, sicut & ad eligendos Ab-
bates, Archidiaconos, Sanctimonial-
es Virgines, quæ, & alia ejusmo-
di, rationem, & dignitatem Eccle-
siastici Ordinis non habent; & quia
munia Ecclesie sunt, à veteribus a-
liquis acceperunt nomen ordinis.
Quare nego consequentiam argu-
menti.



QUÆSTIO III.

De Materia, & forma Sacramenti Ordinis in communi.

28 Sacramenta considerari de-
bent dupliciter, nempe,
*totaliter, & adæquatè, atque par-
tialiter, & inadæquatè:* seu secun-
dum suum esse totale, & secundum
suum esse parziale. Si primo modo
accipiatur, amplectitur omnem suam
rationem metaphysicam, quæ in cu-
juslibet Sacramenti definitione expli-
catur, & ipsi convenit in ratione
signi Sacramentalis completi, & ad-
æquati, completentis, tam ipsam
rem sensibilem, cui ipsa Sacramen-
talis significatio, & gratiæ practica
effectio, tribuitur, quàm ejusmodi
gratiæ formalis significatio, ac illius
receptio in subjecto disposito. Si ac-
cipiatur secundo modo, nempe, *par-
tialiter, & inadæquatè,* sic sumi-
tur Sacramentum secundum naturam,
& rationem physicam ipsius rei ex-
terioris, & sensibilis, cui Sacramen-
talis significatio advenit. Explicatur
doctrina hæc in artificialibus: nam
Sacramenta sunt res quædam artifi-
ciales, quæ ex Dei arbitrio, veluti
artificio divino, sic sunt efforma-
tæ, ut vim habeant gratiæ efficien-
dæ. Itaque statua considerari potest,
vel adæquate, & secundum rationem
completam statuæ, & sic includit
rem physicam, v. g. argentum, in
quod per artem inducitur forma sta-
tuæ, & ipsam formam illud in ra-
tione statuæ constituentem: & con-
siderari potest inadæquatè, & phy-
sicè, id est, secundum naturam phy-
sicam illius rei, in quam inducitur
forma illa artificialis: atque ita ni-
hil aliud est, quàm, vel marmor,
vel argentum, quod sua materia, &
forma physicè constat. Sic pariter in
Sacramentis est theologizandum. Vi-
deas pro pleniori notitia dicta tract.
de Sacram. præsertim disp. 1. quæst.
7. per totam.

29 Sequitur itaque, quod in Sa-
cramentis Ecclesie duplex distingui
potest materia, & forma, juxta du-
plicem prædictam considerationem:
una, nempe, *adæquata, & totalis,*
quæ convenit Sacramento totaliter,
seu in ratione signi Sacramentalis,
spectato: alia *inadæquata, & partia-
lis,* quæ Sacramento convenit, se-
cundum esse physicum illius rei sen-
sibilis, qua constat. V. g. in Baptis-
mo materia totalis, & adæquata il-
lius est aggregatum physicum ex
ablutione exteriori, & præscripta
verborum forma, quibus Baptismus
perficitur, & integratur: forma ve-
rò totalis est significatio practica gra-
tiæ, per quam compositum illud ex
re sensibili, & verbis constituitur
in esse signi, seu Sacramenti. At ve-
rò, si Baptismus inadæquate accipia-
tur, ejus materia est aqua elemen-
taris, & forma sunt verba, quæ de-
terminant materiam illam ad ablu-
tionem à peccato significandam. Qua-
re Augustinus tract. 80. in Joan. ait:
*Accedit verbum ad elementum, & fit
Sacramentum.* Hoc sic stabilito, du-
plex difficultas venit huc breviter re-
solvenda: nam tract. de Sacrament.
disp. 1. quæst. 7. & 8. dilucidata
manent fere omnia, quæ attinent
ad præsentem materiam. Hoc præ-
notato.

30 Prima difficultas est: *An qui-
libet Ordo, sicut alia novæ legis Sa-
cramenta, habeat determinatam ma-
teriam, & formam?* Est inquirere:
An Sacramentum Ordinis, per cujus
collationem tribuitur recipienti po-
testas aliqua spiritualis, stet essen-
tialiter in aliqua re, seu actu exte-
riori, sine verbis? aut è contra, dum-
taxat constet verbis, sine ulla re sen-
sibili? vel an integretur ex utroque,
tamquam ex materia, & forma par-
tiali, ac sensibili? Secunda difficul-
tas resolvenda est: an talis materia,
& forma fuerit à Christo Domino
in specie, vel tantum in genere, seu
generatim, determinata? Quod enim
uno, vel alio modo, determinata sit

à Christo, indubium est contra No-
vatores Sectarios, ex quò definitum
est in Tridentino adversus eos, Chris-
tum esse Authorem omnium septem
Sacramentorum, ut fusè tractat. de
Sacram. disp. 1. scripsimus, & ibi
est videndum. Est itaque hæc adver-
tendum, dupliciter potuisse determi-
nari materiam, & formam Sacra-
mentorum, nempe, vel in specie in-
fima, uti determinata est à Christo
aqua elementaris pro materia Baptis-
mi: vel solum in genere, nimirum,
constituendo aliquod signum sensibi-
le, significativum quidem potestatis
per illud collatæ, sed non determi-
nando ipsius modum, & speciem.
Hoc in sensu statuit Christus, ut
Matrimonii materia esset legitimus,
& mutuus contrahentium consensus:
non verò determinavit: an talis le-
gitimus consensus deberet esse pu-
blicus, & coram Parocho, ac Tes-
tibus, vel sufficeret privatus, &
clandestinus? Nec voluit determina-
re condiciones requisitas ad legiti-
mum consensum, sed totum hoc re-
linquit determinandum Ecclesie judi-
cio. His stabilitis:

31 Sit I. Conclusio: *Ordo quilibet
essentialiter constat aliqua re
sensibili, & exteriori, tamquam ma-
teria, & verbis, tamquam forma.*
Hæc est constantissima Patrum, ac
Theologorum doctrina, apud omnes
usu recepta, & Conciliorum autho-
ritate firmata. Quo stante mirum est,
Morinum voluisse illam vellicare cap.
de *Sacris Ordinationibus*, ubi dicit,
hanc Sacramentorum explicationem
per materiam, & formam ab anti-
quis Patribus, & Theologia non fuisse
usurpatam, sed à junioribus Theo-
logis inventam. Sed hoc judicium,
quàm falsum sit, & sine fundamen-
to, in tract. de Sacram. demonstra-
tum est, loquendo de materia, &
forma Sacramentorum, & ex di-
cendis iterum demonstrabitur. Pro-
batur Conclusio expressè ex Conci-
lio Florentino, initio hujus tracta-
tus videndo, in quo stabilitur, ma-
te-

teriam Sacramenti Ordinis esse illud, per cujus traditionem Ordo confertur, & formam esse verba materiam illam determinantia. Idem docet Tridentinum sess. 23. cap. 3. his verbis: *Patrum unanimi consensu perspicuum est, per sacram ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur; gratiam conferri.* Accedit Subt. Doct. docens in 4. hoc Sacramentum conferri aliquo signo sensibili, representante ministerium gradus, & per verba prolata cum debita intentione. Et in Reportatis inquit: *Patet, quod materia hujus Sacramenti est aliquod sensibile externum.... forma verò Sacramenti, secundum varias ordinationes; sunt certa verba, quæ scripta sunt in libris Episcoporum.*

32 Confirmatur urgenter: Juxta Concilium Florentinum, omnia novæ legis Sacramenta perficiuntur rebus, ut materia, & verbis, ut forma; sed quilibet Ordo est Sacramentum novæ legis: ergo. Major est axioma Theologicum, & ab omnibus Catholicis Scriptoribus receptum: apud quos in hoc discrepant Sacramenta novæ, & veteris legis, quod hæc solum constabant rebus exterioribus, sine verbis, nempe, vel oblata victimæ effusione sanguinis, vel sacrificiorum oblatione, vel aquæ benedictæ lustratione: Sacramenta verò novæ legis, non solum rebus constant, sed verborum formula perficiuntur, & conferuntur. Minor indubia est de aliquibus ordinationibus, quamvis non de omnibus, eò quod non omnes Theologi conveniant in omnibus, sed solum velint, Presbyteratum, & Diaconatum esse verum Ordinis Sacramentum. Sed quàm falsum sit hoc, postea videbitur, dum de illis in particulari disputemus. Nunc sic: sed nulla res aptius potest assignari pro Sacramenti Ordinis materia, quàm porrectio iumentorum, quibus exercentur actus eorum; nec pro forma assignari potest aptius aliud, quàm verba illa, per quæ potestas ad illos

actus exercendos significatur: ergo quilibet Ordo essentialiter constat &c.

33 II. Concl. *Materiæ, & formæ Sacramenti Ordinis determinatæ non fuerunt à Christo in particulari, seu in specie, sed tantum in communi, & in genere.* Sic omnes fere Theologi præsertim recentiores. Probatur: In Ecclesia Dei, tam Orientali, seu Græca, quàm Occidentali, seu Latina, est verum Ordinis Sacramentum, verumque Sacerdotium; sed ita non esset, si Christus materias, & formas talis Sacramenti in specie, & in particulari instituisset, ac determinasset: ergo. Maj. constat, tum ex Tridentino can. 1. de Ordine, dicente: *Si quis dixerit, non esse in novo Testamento Sacerdotium visibile, & externum: anathema sit.* Tum: quia aliàs, Ecclesia erraret in assignandis mediis necessariis ad salutem, quod asserere hæreticum esset, cum in his infallibilis sit ex Christi promissione: Verum autem Ordinis Sacramentum, & Sacerdotium omnino ad salutem est in Ecclesia universali necessarium, cum ab eo Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ad salutem maximè conducentia, pendeant, & quæ solum à Ministro legitimo per debitam materiam, & formam ordinato, confici, ac ministrari possunt. Prob. min. Ecclesia variare non potest, nec mutare ea, quæ sunt divinæ institutionis, & determinationis, ut per se est manifestum: ergo si variaret, aut mutaret materiam Sacramenti Ordinis à Christo determinatam, non efficeret Sacramentum, nec in illa esset verum Sacerdotium. Patet hoc: quia variata essentialiter materia, & forma Sacramenti, non efficitur Sacramentum. Nunc sic: sed in Ecclesia Latina, & Græca, diversa est materia, & etiam forma in Sacramento Ordinis conferendo, & in utraque est verum Sacramentum: ergo signum evidens est, non fuisse à Christo determinatas in specie, sed dumta-

taxat in genere, relinquendo potestati Ecclesiæ determinare illas in particulari.

34 Duplicem continet partem minor subsumpta, quarum prima demonstratur ex diversitate ritus utriusque Ecclesiæ: Latini namque Ordines conferunt traditione instrumentorum, & verbis expressè significantibus ministerium Ordinis, qui confertur: Græci verò absque ulla iumentorum traditione solum adjungunt impositionem manuum Episcopi, verbis ab ipso prolatis. Pariter utuntur differentibus verbis: nam apud Latinos in ordinatione Sacerdotis utitur Episcopus hac forma: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, & mortuis, in nomine Patris &c.* Apud Græcos verò dicit Episcopus: *Divina gratia, quæ infirma semper curat, & deficientia supplet, promovet hunc sacrum Diaconum in Presbyterum &c.* Hic ritus, in eorum ritualibus contentus, servatur apud omnes Græcos, nedum Schismaticos, sed etiam Catholicos, & qui communionem habent cum Ecclesia Romana, & quorum aliqui Romæ degunt, & vidente, ac annuente Summo Pontifice, Ordines eo ritu conferunt. Hic autem diversus Græcorum ritus numquam fuit improbatum à Latinis, nec Latinorum à Græcis: quin potiùs unanimi utriusque Ecclesiæ consensu, mutuo probavit, & ratas habuit semper, ac validas Ordinationes, quæ in illis sic conferuntur. Ex quo evincitur clarissimè secunda pars minoris subsumptæ, nempe, in utraque Ecclesia, Occidentali, & Orientali verum esse Sacramentum Ordinis: quin obstat, materiam, & formam diversam in specie, & in particulari, usurpari in illis.

35 Arg. Materia, & forma adeo sunt partes essentielles Sacramenti, ut sine illis Sacramentum esse non possit: ergo vel sine traditione instrumentorum non est ordinatio, & sic non erit valida apud Græcos: vel

si valet ordinatio, talis traditio materiæ non erit pars essentialis Sacramenti: quod utrumque est contra assertum in conclusione. Confirmatur: Christus ut docet Tridentinum, est Author omnium Sacramentorum: ergo materia, & forma illorum debent institui, & determinari ab ipso; & consequenter &c. Respondeo concesso antecedenti, claritatis gratia, distinguendo consequens, quod absolutè poterat negari in sensu, quo procedit: sine traditione formali, vel virtuali, & æquivalenti &c. concedo: sine formali præcisè, nego totam consequentiam. Ad confirmationem distinguo consequens: debent institui, & determinari ab ipso Sacramentorum Authore in genere, vel in specie, concedo: præcisè in specie, nego consequens.

36 Dico igitur, Christum verum esse Authorem omnium Sacramentorum Ecclesiæ, per hoc, quod illorum materias, & formas determinavit, ac instituit, vel in specie, uti in Baptismo, vel in genere, uti in Ordine. Instituit itaque Christus, quod Ordines conferrentur sub aliquo signo sensibili, expressivo potestatis per Ordinem quemlibet collatæ, verbis ad id convenientibus, & proportionatis adjunctis. At verò determinationem specificam, & specialem talis signi sensibilis, & verborum determinationem, commisit auctoritati Ecclesiæ, quæ id determinaret, quando, & prout judicaret conveniens. Hac stante facultate, Ecclesia Latina determinavit materias, & formas expressas, & specificas, quæ in ordinatione utuntur in ea: Græca verò, consentiente Romana, determinavit pro materia, & signo sensibili expressivo potestatis collatæ per Ordinem, impositionem manuum Episcopi, adjunctis certis verbis, id ipsum significantibus. Unde Græci adhibent signa æquivalentia, per quæ cum verbis idem significatur, quod per traditionem instrumentorum, & per verba apud Latinos. Ex quo conclu-

cluditur, talia signa non distingui formaliter, et significativè, sed materialiter, et quoad majorem, vel minorem expressionem.

37 Nec peculiare est hoc Sacramenti Ordinis, cum doctrina hæc adaptetur etiam aliquibus aliis Sacramentis. Patet 1. in Matrimonio, ut videri est supra num. 30. Idem apparet in Sacramento Pœnitentiæ, in quo Christus generatim pro materia assignavit tres actus pœnitentiæ, scilicet, *contritionem, confessionem, & satisfactionem*: in particulari verò non designavit, qualis debeat esse talis contritio? perfecta, nempe, vel sufficiat imperfecta, quæ attritio vocatur. Nec determinavit, an confessio facienda sit verbis, scripto, aut aliis signis? nec pariter: an satisfactio fieri debeat ante, vel post absolutionem. Hæc etenim omnia reliquit iudicio, ac determinationi Ecclesiæ. Ipsummet evenit in Sacramento Eucharistiæ, cujus materiam instituit panem triticeum, et vinum de vite: non verò designavit in specie infima, si talis panis debeat esse azy-mus, aut fermentatus, et vinum rubrum, aut album. Sequitur ergo, Christum materiam Ordinis determinasse, non aliter quàm in genere, et sub aliquo signo expressivo potestatis per quemlibet Ordinem collatæ: expressè verò non decrevit, sed arbitrio, et determinationi Ecclesiæ reliquit, quale ejusmodi signum sensibile debeat esse: an per instrumentorum traditionem, & per contactum; an per solam manuum impositionem?

QUÆSTIO IV.

An Ecclesia efficere possit, quòd aliquid sit alicubi materia essentialis alicujus Sacramenti, quæ talis non esset alibi?

38 **D**ifficultas præsens oritur ex resolutis quæst. anteced. Cùm enim dixerimus, Christum

Dominum Ecclesiæ commisisse potestatem designandi materias, et formas, Ordinum in specie, et in particulari, quæritur nunc: an Ecclesia efficere possit, ut res, quæ alicubi necessaria non est ad ordinationem, ut traditio instrumentorum, quæ non est in usu apud Græcos, evadat alibi materia essentialis, et necessaria, ut apud Latinos: quòd intelligitur, non solum ad licitè, sed ad validè Ordines conferendos: adeo ut absque tali materia ordinatio esset irrita. Idem est ferendum iudicium de forma. Non desunt, qui negativam teneant partem, existimantes, id esse impossibile.

39 Dico: *Ecclesiam id posse efficere*. Probatum assertio: quod in Sacramentis habet rationem veræ materiæ, & formæ, essentialis, & necessarium est ad substantiam, & valorem Sacramenti; sed tam instrumentorum traditio, quàm talis, ac determinata verborum prolatio, est vera materia, & forma Sacramenti Ordinis apud Latinos: ergo in Ecclesia Latina hæc omnia necessaria sunt ad valorem hujus Sacramenti. Maj. videtur innegabilis. Minor expressa est in Concilio Florentino, ubi sic declaratur in Decreto Eugenii IV. *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicem cum vino, & patenam cum pane porrectionem... forma autem Sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia &c.* Et prosequitur, assignando materias, & formas aliorum Ordinum. Consequentia videtur legitima. Nunc sic: sed apud Græcos prædicta materia non est, nec forma, & tamen Sacramentum Ordinis apud ipsos validum est: ergo Ecclesia efficere potest, aliquid alicubi esse materiam essentialiam alicujus Sacramenti, quæ alibi non sit talis. Explicatur: Ordinatio est quædam actio moralis, & institutio, qua confertur potestas ad aliquod exercitium

tium sacrum exercendum, & per quam homo constituitur in tali, vel tali gradu Ecclesiastico; sed hæc actio, & institutio ita potest ab Ecclesiæ legibus, & constitutionibus pendere, ut non valeat, seu irrita sit, si non apponantur conditiones, & solemnitates ab ipsa statutz, ac præscriptæ: ergo Ecclesia id efficere potest. Minor apparet in fere omnibus contractibus, & maximè in Matrimonii Sacramento. Taliter enim illud Christus instituit, ut ex parte contrahentium ad illius materiam solum legitimum consensum designavit, non determinando in particulari, quæ conditiones necessariæ sint ad talem consensum, sed relinquendo iudicio, ac dispositioni Ecclesiæ, ut solemnitates, & conditiones, quas vellet, præscriberet ad illius contractus, & Sacramenti valorem. Ex qua facultate evenit, quòd Tridentinum, cap. 3. *de reformatione Matrimonii*, decerneret, tamquam quid necessarium, & essentialis ad ejus valorem, quòd fieret publicè, & coram proprio Parocho, et tribus, vel duobus, testibus.

40 Arg. Si dicta vera sint, sequitur, quòd Ecclesia autoritate propria potest materiam, & formam præscribere, instituere, ac mutare, apponendo has, vel illas conditiones: quod quidem falsum est. Nego consequentiam. Non enim Ecclesia instituit, nec instituere potest, aut mutare materiam, et formam, Sacramentorum, quas utique Christus designavit: at verò, quando designatæ sunt à Domino universim, et in genere, nullum ritum determinando in particulari, sed relinquendo hoc Ecclesiæ iudicio, tunc simul statuit, ut conditiones, et ritus, ab Ecclesia determinati, et ad finem hunc proportionati, et convenientes, essent omnino necessarii, et essentialis, ad illius Sacramenti valorem. Sic in Matrimonio fecit, ut apparet ex dictis, et pariter in Ordine efficere potest. Quare Ecclesia, autho-

Tom. II.

ritate sibi divinitus commissæ, ac concessa, diversos, ac varios ritus, variasque verborum formulas instituere potest pro sacrarum ordinationum formis, et materiis, sicut apud Græcos, et Latinos, factum est. Potest etiam successu temporum, si conveniens judicet, ejusmodi ritus, et formulas variare, et immutare, sicut immutavit, et variare potest conditiones necessarias ad valorem Matrimonii.

41 Replicabis: Ergo Episcopus nullus apud Latinos validè conferret Ordines absque instrumentorum traditione, et verborum formæ expressione; quia hæc essentialia sunt, juxta ritum Ecclesiæ Latinæ. Ex quo ulterius: ergo nec Episcopus Græcus latino ritu ordinans, Sacramentum efficeret, eò quòd non uteretur materia, et formula, essentiali in sua Ecclesia. Concedo primam consequentiam propter rationem in illa assignatam. Veritas secundæ controvertitur à Theologis, aliis negantibus, concedentibus alijs. Sentiunt aliqui, quòd Latinus Episcopus validè non ordinaret ritu Græco, nec Episcopus Græcus latino ritu; eò quòd materia, et forma, in Ecclesia Latina usitata sit essentialis, et necessaria ad valorem Sacramenti, et de usitata in Ecclesia Græca iudicandum sit similiter. Alii existimant validè efficere Sacramentum Episcopum Latinum ordinantem ritu Græco, et Græcum ordinantem ritu Latino, quamvis non licitè id facerent, cùm talis ritus varietas prohibita sit eis. Alii denique opinantur, quòd Episcopus Latinus validè non ordinaret ritu Græcorum, secus verò Episcopus Græcus ordinans ritu Latinorum. Juxta hanc opinionem neganda est illa consequentia. Opinio hæc probabilior videtur: 1. Quia hæc est intentio universalis Ecclesiæ in Concilio Florentino, ubi ritus Latinus absolutè præscribitur, tamquam ab universali Ecclesia servandus. 2. Quia Latinus ritus complectitur quidquid essentialis

ccc con-

continetur in Græco; et addit insuper instrumentorum traditionem, ac verborum expressionem evidentiorum, potestatis per Ordinem collatæ: quæ quidem, tamquam quid essentialiale, in Latina Ecclesia stabilivit. Quare sicut non valet Matrimonium clandestinè contractum in regionibus, ubi promulgatum, atque acceptum est Tridentinum, irritans tale Matrimonium, quævis validum sit, ubi Decretum illud non est promulgatum: et pariter sicut ubicumque terrarum validum esset, si celebraretur, juxta præscripta à Tridentino; sic videtur dicendum de ritu Latino comparativè ad Græcum: nempe, quod valida sit ordinatio ab Episcopis Græcis facta Latino ritu, licet non valeat facta ab Episcopis Latinis ritu Græco.

42 Si contra hoc dicas 1. Quod constitutiones Leonis X. et Clementis VII. aliæque plures Apostolicæ Sanctiones prohibent reciprocam Ordinum susceptionem, Latinorum à Græcis Episcopis, et Græcorum à Latinis: respondet, tales receptiones ex utraque parte ex æquo prohiberi, quantum ad licitam, non quantum ad validam Ordinum susceptionem, et ad sic stabilendam, et firmandam concordiam, et pacem inter fideles utriusque Ecclesiæ Latinæ, et Græcæ. Consuetudo enim Græcorum fundata est in consensu Ec-

clesiæ Latinæ, Summiq; Pontificis, universalis Pastoris, concessionem, ac approbationem. Si dicas 2. validè baptizaret Latinus ritu Græcorum, validaque esset consecratio in pane fermentato facta à Sacerdote Latino: ergo pariter de ordinatione. Respondet concedendo anteced. et negando consequent. Non enim est paritas de ordinatione Ministrorum Ecclesiæ, ac de Baptismo, et Eucharistia. In illis namque Christus determinavit materias in specie, scilicet, in Baptismo aquam naturalem, et in Eucharistia panem triticeum. Unde, quod aqua sit frigida, vel calida, pura, vel turbida: similiter, quod panis sit azymus, vel fermentatus, rotundus, aut quadratus, invalidare non potest Sacramentum, cum omne id accidentale sit tali materiæ institutæ à Christo. At verò cum materia Ordinum non fuerit instituta à Domino in specie, sed tantum in genere, ut constat ex dictis, potest Ecclesia, cui facultatem designandi materiam in specie commisit, certas præscribere consuetudines, certosque ritus, in Ordinationibus ministrandis, quibus omissis, Latinorum ordinatio prorsus irrita, ac invalida esset. Constat manifestè in conditionibus appositis à Tridentino, irritantibus Matrimonium: de quo supra n. 39. sufficienter est dictum.

DIS-

DISPUTATIO II.

DE ORDINIBUS IN PARTICULARI.

DE Ordinibus Sacris in communi scholasticus ordo rectè exigit, ut fiat descensus ad illos in particulari, disputando sigillatim de eorum ritibus, materiis, & formis: Et pro clariori intelligentia, per prius prælibabimus aliqua de Episcopatu, & Prima tonsura.

QUÆSTIO I.

Quid sit sentiendum de Prima tonsura, & de Episcopatu?

43 **Q**uæstio præsens in quantum ad *Tonsuram*, unicè pertractat de illa, quæ appellatur *prima*. Etenim est duplex: una, quam Clerici deferunt in summitate capitis in modum *coronæ*, & sic appellari solet, quæ fit figura orbiculari: estque major, aut minor juxta Sacrorum Ordinum majorem dignitatem; distinguitque præcipuè Clericos à Laycis, veluti signum sui særi status, quo à profanis secerni debent. Hic ritus ab Apostolis traditur institutus, ut docet S. Isidorus, lib. de Div. Offic. cap. 1. Baronius tom. 1. Annal. & alii plurimi Authores magni nominis. Unde Concilium Carthaginense IV. Can. 44. & Anicetus Papa, Epist. ad Episcopos Galliæ, nutrire comam prohibent Clericis. Gregorius IX. cap. de vita, & honestate Clericorum, dicit: *Si quis ex Clericis comam nutriat: anathema sit.* Et Alexander III. scribens Episcopo Cantuariensi, inquit: *Clerici, qui comam nutriunt, & barbam, etiam inviti, à suis Archidiaconis tondeantur.* Tonsura hæc, ut ex Beda, & ex aliis patet, significat, debere Clericos habere animum elatum

Tom. II.

ad Deum, & cor à rebus, & vanitatibus sæculi omnimodè aversum: debere sæpius Christi passionem, & spinæ coronam, in memoriam revocare, & ad ludibrium, & quævis alia laboriosa, pro Christi amore patiendi paratos esse. Vide alia huc pertinentia disp. 1. anteced. post 2. quæst. num. 15. Alia *tonsura*, quæ vocatur *prima*, & de qua præsens est controversia, est illa, quæ semel celebratur ab Episcopo, abscindente extrema capillorum recipientis in modum crucis, & per illam constituitur in statu Clericali. De hac ergo quæritur: an sit ordo propriè dictus, & ab aliis septem supra disp. 2. quæst. 2. num. 18. enumeratis, distinctus?

44 Pro secunda quæstionis parte, sciendum est, quod in Episcopatu consideranda est duplex potestas, nimirum, *Ordinis, & jurisdictionis*, de quibus aliqua animadversa manent supra num. 14. videnda. Per potestatem *jurisdictionis* pertinet ad Episcopatum regere Ecclesiam, & Ecclesiasticos, ac etiam fideles alios in his, quæ ad religionem spectant. De hac potestate quæstio non est, cum certum sit, hanc jurisdictionem exercere posse, quin sit Sacerdos, & simplices Sacerdotes illam exercent. Per *potestatem Ordinis* competit Episcopo conficere, & dispensare Eucharistiam quod habet ex Sacerdotio,

Ccc 2

tio,

tio , ac alios Ordines conferre , ut *Sacerdotii , Diaconatus &c.* De hac igitur potestate Ordinis , seu de hac ordinatione in Episcopum , est præsens quæstio : an , nempe , *Episcopatus sit Ordo , & Sacramentum , à Sacerdotio distinctum ?* In resolutione difficultatis , tam de prima Tonsura , quàm de Episcopatu , valde diversè opinantur DD. de prima namque Tonsura fere omnes Canonistæ affirmant , quibus adhæret , inter aliquos alios , Angelus , docens in sua Summa , tonsuram esse Ordinem verum , atque ita illis septem , quos quæst. 2. num. 18. enumeravimus , octavum esse addendum. Cæteri verò Theologi cum DD. Angelico , Seraphico , & Subtili oppositum docent.

45 Non minor , quin potius major erga Episcopatum est Authorum dissensus , qui in tres sententias dividuntur. Magister Sentent. dist. 24. Alensis 4. parte , quæst. 20. negant Episcopatum esse Ordinem distinctum à Sacerdotio , seu per illum imprimi characterem distinctum : sed tamen in illius ordinatione character Presbyteratus magis intenditur , perficitur , atque ad munia alia ampliatur , nempe , ad Ordines conferendos , ad chrisma conficiendum &c. eo ferme modo , quo character Presbyteri per postremam manuum impositionem extenditur ad potestatem solvendi , & retinendi peccata. Solum in hoc sensu esse Ordinem , & Sacramentum , propugnant fere innumeri DD. cum D. Thoma , dist. 24. quæst. 3. art. 1. D. Bonavent. eadem dist. art. 2. Alberto Magno art. 39. Secunda sententia propugnat , Episcopatum , prout à Sacerdotio distinctum , seu prout præcindit ab illo , esse Ordinem propriè dictum. Sic Canonistæ communiter , & cum illis Altisiodorensis , Durandus , Paludanus , Bellarminus , quibus ex modernis Theologis accedit P. Berti , in quod etiam inclinat Frassenius. Si illis opponas , ex hac sequi senten-

tia , plures , quàm septem , esse Ordines , respondent valde diversè : nam alii concedunt , & Episcopatum vocant octavum : alii , ut septem Ordines non excedant , dicunt , Sacerdotium , & Episcopatum sub uno tantum ordine esse comprehensum. Unde litigium hoc purè philosophicum , aut fere de nomine , reddunt. Denique tertia sententia , veluti medians , defendit , Episcopatum esse Ordinem verum , ac propriè dictum : Sed tamen non sic adequatè à Sacerdotio distinctum , sicut cæteri Ordines inter se distinguuntur. Quid igitur in tanta varietate sentiendum ?

46 Dicò I. *Prima , seu Clericalis Tonsura , non est verum Ordinis Sacramentum : seu non est Ordo.* Ita communiter Theologi cum Angelico , Seraph. & Subt. DD. Oppositum propugnant Canonistæ fere omnes , & ex Theologis Major , & Angelus , verbo *Ordo* , docens , esse Ordinem à septem enumeratis distinctum. Prob. 1. Concilium Trid. sess. 23. cap. 1. postquam enumeravit Ordines ritè suscipiendos , non numerat Tonsuram inter illos , quin potius exprimit , esse dispositionem ad Ordines recipiendos , sic alloquens : *ut qui jam Clericali Tonsura insigniti essent , per minores , & majores Ordines , ad Sacerdotium ascenderent* : ergo juxta Concilium tantum est preparatio , & dispositio ad Ordines ritè suscipiendos , ut expressè docet , & explicat Cate. Rom. num. 29. Accedit Subt. Doct. sic dicens : *Nego Tonsuram esse Ordinem. Et cum dicis , esse signum rei sacræ : respondeo , non esse signum practicum effectivæ rei sacramentalis , id est , gratiæ.* Ex quibus Prob. 2. Ordo Ecclesiasticus propriè dictus est gradus , seu potestas aliqua , qua quis disponitur , ac idoneus constituitur ad aliquod ministerium circa Eucharistiam , vel conficiendam , vel ministrandam , exercendum ; sed per Tonsuram clericalem , talis potestas ad ullam sacram,

cram , & determinatam functionem , non confertur : ergo. Maj. constat ex definitione cujuslibet Ordinis. Minor apparet , quia nulla sacra , & specialis functio , competit tonsurato , quam exercere non possit etiam Laycus. Nec in verbis , quæ possent habere rationem formæ , significatur tale , nec formaliter , nec virtualiter. Etenim nihil aliud est , quàm simplex clericorum designatio , ut si postmodum judicatus sit idoneus , prædicta potestas ei tradatur. Unde Guillemus Parisiensis optimè concludit , sic dicens : *Clericatum non esse Ordinem , sed tantum veluti militiae titulum simplicem.*

47 Objiciant Adversarii. Per Tonsuram Clerici à laycis secernuntur , & ad ministeria Ecclesiastica deputantur : daturque illis potestas decantandi laudes divinas : & insuper tonsuratus gaudet privilegiis Clericorum , fitque capax possidendi Beneficium Ecclesiasticum : ergo Tonsura est verus Ordo , & Sacramentum. Confirmatur ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 2. graviter prohibente , *Episcopos promovere non subditos ad Ordines minores , vel primam Tonsuram* : ac declarat , eum fore suspensum , qui absque proprii Episcopi licentia , aut expresso consensu , tonsuratur ab alieno Episcopo. Et sess. 23. cap. 4. eadem prohibitionem ligat tonsuratos , & ordinatos Ordinibus minoribus. Denique inquit : „ Tonsura initiatus privilegio fori „ non gaudeat , nisi Beneficium Ecclesiasticum habeat , aut Tonsuram , & „ clericalem habitum deferens alicui „ Ecclesia ex mandato Episcopi deserviat : “ ergo Concilium ponit Tonsuratos inter ordinatos Ordinum minorum , ac pares facit illos , & consequenter tonsura ex mente Concilii est verus Ordo Ecclesiasticus. Accedit Innocentius III. cap. *cum contingat* , ubi expressè primam Tonsuram Ordinem appellat. Urgetur : Sacramentum Ordinis est signum rei sacræ ; sed Tonsura est tale signum :

ergo & Sacramentum. Prob. min. Tonsura significat hominem consecrari Deo in ministerio Ecclesiastico : ergo est signum rei sacræ.

48 Respondeo , omisso antecedente , negando consequentiam. Dico itaque , quod Tonsuratus ratione status clericalis distinguitur à laycis : non verò ratione Ordinis Ecclesiastici propriè dicti. Ordo enim propriè dictus significat aliquem gradum potestatis respectivè ad Sacramentum Eucharistiæ , qui gradus non competit solum Tonsuratis. Unde Ordo non refertur ad quodlibet officium Ecclesiasticum exercendum : aliàs omnia Ecclesiastica officia , quibus Ecclesiastici officiales ab aliis distinguuntur , veri Ordines Ecclesiastici censerentur , quod apertè est falsum. Nec officium psallendi res divinas est munus speciale , & proprium Tonsuratis , sed commune est omnibus fidelibus , ut cernitur. Et si decantatio accipiatur cum aliquo speciali ritu , & solemnitate in Choro competit Clericis omnibus , quorum numero utique est Tonsuratus. Nec sequitur , Tonsuram esse Ordinem , ex quo privilegiis Clericorum gaudeant tonsurati : nam qui solemnem professionem in religione approbata emittunt , gaudent etiam immunitatibus , & privilegiis Clericorum : & tamen illa professio non est Ordo Ecclesiasticus propriè dictus. Cum ergo tonsurati sint intra statum Ecclesiasticum , capaces sunt ex Ecclesiæ dispositione Beneficiorum Ecclesiasticorum. Non verò est idem , sed valde diversum , *status Ecclesiasticus , & Ecclesiasticus Ordo propriè dictus.* Ad Confirmationem nego consequentiam. Tridentinum loco adducto manifestè distinguit primam Tonsuram ab Ordinibus minoribus , & consequenter illam arcet ab Ordinum numero , ut videri est in ipso Concilio. Nec quod eandem prohibitionem , ac poenam statuat pro Tonsuratis , & Ordinibus minoribus initiatis oppositum convincere potest : id enim fecit , non ut

ut significet, Tonsuram esse Ordinem, sed esse statum quemdam ex quo quis, si illis legibus, & statutis, contraxerit, ad Sacerdotium per Ordines minores ascendere non possit. Ad Innocentium dico, Tonsuram vocare Ordinem, late sumpto nomine *Ordinis*, nempe, pro gradu Ecclesiastico, quo Clerici à laicis distinguuntur: non autem proprie, & rigorose, sumpto *Ordine* pro Sacramento: quo sensu locutus est Sixtus V. dum Tonsuram vocavit characterem clericalem; scilicet, esse notam, seu signum, quo ad statum clericalem tonsurati destinantur. Ad urgentiam nego utramque consequentiam. Quando dicitur, quod Sacramentum est signum rei sacræ, intelligitur de signo practico gratiæ, per quod traditur etiam potestas exercendi in Ecclesia aliquos actus sacros in Ordine ad Eucharistiam; quod utique nec significat, nec efficit tonsura, sed solum disponit ad illam.

49 Dico II. *Episcopatus ex se est verus Ordo: sed non à Sacerdotio adequate distinctus*. Assertio duplicem continet partem, & per illam satis diversitas opinionum conciliari valet. Prima igitur pars, quæ communior est contra Authores relatos pro 1. sententia num. 45. probatur 1. ex Trident. sess. 23. cap. 4. dicente: *Docet sacrosancta Synodus in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum &c.* Ergo juxta Concilium Episcopatus est Ordo verus, & proprie dictus, non minus quam ordinatio Sacerdotum, ac cæterorum Ordinum, & consequenter à Sacerdotio distinctus. Idem affirmatur in Conc. Carthaginensi IV. dicente: *Episcopus, cum ordinatur, duo Episcopi teneant, & ponant codicem Evangeliorum super caput &c.* Ergo Episcopatus est vera ordinatio: atqui hæc est distincta à Sacerdotali, & post ipsam: ergo. Prob. 2. eadem pars ex Sac. Scrip. Paulus alloquens de ordinatione Thimotei in Episcopum, sic ait Epist. 1. cap. 4. „ No-

„ li negligere gratiam, quæ data est „ tibi per prophetiam cum impositione „ tione manuum Presbyteri ut „ resuscites gratiam Dei, quæ est „ in te, per impositionem manuum „ mearum: “ ergo in ordinatione Episcopi confertur gratia per prophetiam, hoc est per formam, & per impositionem manuum, veluti per materiam, de quo postea num. 59. Ergo consecratio, & Episcopalis ordinatio, est verus Ordo, verumque Ordinis Sacramentum. In eandem veritatem conspirant SS. PP. & præsertim Dionisius, qui lib. de Hierarc. Ecclesiastica, cap. 5. tres Ecclesiasticos Ordines expressè enumerat, scilicet, *Diaconorum, Presbyterorum, & Episcoporum*. Pariter Epiphanius, Anacletus Pontifex Epist. 3. Nazianzenus, S. Leo, & alii omnes, qui de Episcopatu faciunt mentionem, semper illum appellant Ordinem; & quidem distinctum ab aliis ordinibus, & à Presbyteratu, non solum in officio, & dignitate, sed etiam in potestate, & Ordine. Ob quod apud eos Episcopi dicuntur constituti in primo Ordine Ecclesiastico; Presbyteri in secundo; Diaconi in tertio; Subdiaconi in quarto.

50 Erga mentam N. Subt. Doct. Hugo Cavellus sentit, in oppositam sententiam inclinasse: at verò Hiquæus meliori judicio affirmat, Doctorem à tali controversia se abstinuisse in Oxoniensi dist. 24. & eam sub dubio reliquisse, propter reverentiam, & communem antiquorum Theologorum sententiam, quam in propriis fundamentis relinquens, transit ad id, quod de numero Ordinum erat certum in Scholis. At verò in Parisiensi, seu in reportatis, satis aperte nostram sententiam docet, sic dicens in 4. dist. 24. num. 7. „ Episcopatus est Ordo, & habet gradum eminentiorem, cui conjungitur omnis gradus inferior, & consequenter autoritas, & potestas „ exequandi omnem actum pertinentem ad quemcumque gradum in „ Ec-

„ Ecclesia. “ Hoc ulterius probat ex eo, quod competunt soli Episcopo quidam actus, qui aliis Ordinibus non competunt. Ex quo probatur adhuc conclusio ex Scoto: Episcopatus est potestas ad actus Sacramentales distinctos à potestate Sacerdotii, & actibus illi, qua tali convenientibus: ergo est ordinatio, & Ordo distinctus à Sacerdotio. Antecedens constat: nam ad solos Episcopos spectat potestas, & actus ordinandi Presbyteros, & Diaconos, consecrandi chrisma, & confirmandi: ad Presbyteros autem solum spectat conficere Eucharistiam, & remittere peccata, quod etiam Episcopis competit. Consequentia sequitur: inde namque sumitur distinctio ordinationum, & Ordinum.

51 Secunda assertionis pars, scilicet, quod Episcopatus, esto in se proprie sit Ordo, non tamen à Sacerdotio adequate distinctus, sicut cæteri Ordines mutuo inter se distinguuntur, demonstratur ex eo, quod Sacerdotium existere potest sine Episcopatu, ut contingit in Sacerdotibus, qui Episcopi non sunt: Episcopus verò consistere non potest sine Sacerdotio, cum nullus, qui Sacerdos non sit, Episcopus possit esse, quoad potestatem Ordinis. Quare ex Christi institutione, & voluntate, quæ nobis constat ex traditione Ecclesiæ, Episcopatus essentialiter includit Presbyteratum, ita quod sine eo irrita sit Episcopalis ordinatio. Non sic de cæteris Ordinibus: nam quamvis inter illos aliqua sit connexio, & subordinatio, ratione cujus nequeat unus suscipi, nisi post alium, ut Presbyteratus post Diaconatum, & iste post Subdiaconatum: tamen quantum ad substantiam, & valorem, unus ordo alium essentialiter non involvit, nec ita necessario præsupponit, ut ordinatio Presbyteri irrita foret, si Diaconatus non præcederet. Ex quibus sequitur, non esse eandem rationem, nec comparisonem Episcopatus cum Sacerdo-

tio: qualis est: Sacerdotii cum aliis ordinibus. Ergo in sua formali ratione, & adequate conceptu, includit Sacerdotium, & consequenter ab eo adequate non est ordo distinctus. Itaque Episcopatus distinguitur à Sacerdotio, veluti Ordo perfectissimus à minus perfecto: adeo ut Episcopatus ex se nihil aliud sit, quam perfectio consummata, & ultimum Sacerdotii complementum, per quod, qui Episcopus consecratur, fit Sacerdos perfectus, & fecundus, potens creare, & gignere alios Sacerdotes: potensque vasa sacra consecrare, chrisma conficere, & confirmare, quod simplex Sacerdos non habet. Ob datam rationem Trident. sess. 23. cap. 6. enumerans septem Ordines, à Sacerdotio, tamquam à supremo, incipit, nulla Episcopatus facta mentione: ergo si Episcopatus recensetur à Concilio Ordo omnino, & adequate distinctus à Sacerdotio, non prætermisisset illum: ergo censet, Episcopatum omnimodè, & adequate non distingui à Presbyteratu, sed veluti gradum perfectissimum à minus perfecto tantum.

52 Arg. adversus 1. assertionem 1. Sacra Scriptura Presbyteros, & Episcopos, sub uno conceptu comprehendit, & pro eodem habet: ergo Episcopatus ex se non est Ordo distinctus à Sacerdotio. Prob. antec. Apostolus 1. ad Philip. & 1. ad Titum, Episcopos, & Presbyteros, pro eodem usurpat: ergo. Prob. antec. Apostolus ad Philippenses sic scribit: *Omnibus Sanctis, qui sunt Philippis, Episcopis, & Diaconibus*: & ad Timotheum scribens, præscribit conditiones Episcopi, & Diaconi, sic dicens: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.... Diaconos similiter pudicos, non bilingues &c.* Nunc sicut sed non ommitteret monere, & salutare Presbyteros, nec conditiones ad Sacerdotes requisitas omisisset, nisi putasset, eos sub Episcopatu, aut sub Episcopi nomine, contineri: ergo juxta Apostolum, Sacerdotium,

&

& Episcopatus, est idem Ordo in se indistinctus. Confirmatur urgens: Episcopatus, ut præscindit à Sacerdotio, solùm importat, juxta Div. Hieronymum, dignitatem quamdam Episcopi supra cæteros Sacerdotes, & Ministros Ecclesiæ: ergo non est specialis Ordo Ecclesiasticus. Prob. antec. ex Hieronymo tom. 6. in Commentariis Epistolæ ad Titum; cap. 1. ubi inter alia ait: *idem est Presbyter, qui & Episcopus.... communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur.* Et Epist. ad Evagrium: *Presbyteri semper unum ex se electum in exceliori gradu collocatum, Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat; aut Diaconi eligant ex se, quem Archidiaconum vocent:* ergo juxta D. Hieronymum, Presbyteratus, & Episcopatus est idem ordo, solùmque in potestate, & dignitate, per electionem collata, distinctus: quod quidem est distingui dumtaxat jure Ecclesiastico, non jure divino, quod necessariò requiritur, ut esset distinctus Ordo.

53 Hoc argumentum aliquibus visum fuit validissimum, & propter illud noster Castro, & Vazquez, scripserunt, reverá D. Hieronymum non distinxisse in nostro sensu Ordines istos, & existimasse, Episcopum jure divino non esse superiorem Presbytero: at verò jure Ecclesiastico constitutum esse supra illum. Dicunt etiam D. Hieronymum discrepasse ab Aerio in hoc, quòd Aerius dixerit, malè Episcopos collocatos esse supra Presbyteros, jure etiam Ecclesiastico. Sed quàm falsum sit asserere, Hieronymum existimasse, Episcopos superiores esse simplicibus Sacerdotibus dumtaxat jure Ecclesiastico, avertè ex pluribus ipsius locis demonstratur. Epist. 1. ad Heliodorum constituit *Diaconatum* tertium gradum inter Ordines Ecclesiasticos, *Presbyteratum* secundum gradum, & *Episcopatum* constituit primum. In cap. 2. Jeremiæ Episcopos vocat primum

Ordinem, Ecclesiæ Reges, & filios de stirpe David. In Matth. 25. dicit, Apostolos instituisse Episcopos, & Presbyteros, per singulas Civitates. Et cap. 19. contra Jovinianum asserit, sicut Presbyteros, & Diaconos, teneri Episcopos potiori jure ad cælibatum. Epist. denique ad Evagrium, & Nepotianum docet, quòd sicut cæteri Sacerdotes differebant ab Aaron, Sacerdote Summo, sic Presbyteros differre ab Episcopo. Ex quibus, aliis omissis, constat manifestè, non fuisse Hieronymi sententiam, nec mentem, Presbyteros æquales esse Episcopis.

54 Respondeo itaque ad argumentum, claritatis gratia, distinguendo anteced. sub uno conceptu comprehendit, & pro eodem habet, in re, & veritate, seu sumptis rigorosè, nego: latè sumptis, & solùm in voce, aut expressione, concedo anteced. & nego consequent. Et sic cætera sunt distinguenda, & intelligenda. In illo itaque tempore, in quo scribebat Paulus, ob fidelium paucitatem, iidemmet fungebantur utroque munere, Episcopali, nempe, & Sacerdotali, cum Episcopus sit necessariò Sacerdos: ideòque non omisit, sed in Episcopis salutabat, & monebat etiam Sacerdotes, in quibus eandem virtutes requirebat, quamvis munere in aliquibus actibus diversa essent, & inæqualia. Tunc enim, ut mirificè advertit Chrysostomus, nomina *Sacerdotis, & Episcopi* adhuc erant communia, quamvis distincta essent officia. *An*, inquit Chrysost. *unius Civitatis multi erant Episcopi? nequaquam, sed Presbyteros isto nomine appellavit. Præcedente verò tempore, proprium cuique distributum est nomen.* Imò quandoque ipse Episcopus vocabatur *Diaconus*, eò quòd, propter rationem traditam, Diaconatus gerebat officium.

55 Hoc, & non aliud, intendit D. Hieronymus: quare ad confirmationem nego anteced. Ad probationem,

nem, rectè intellectis locis, juxta doctrinam ex Chrysostomo traditam, nego consequentiam. Maximus D. solùm vult, quòd ante Corinthianum Schisma, in quo fideles vocitabant: *Ego sum Pauli, & ego Cæphæ*, Presbyteri, & Episcopi, vocabantur eodem nomine, & ideò dicit, *idem est Presbyter, qui & Episcopus.* Et cum in singulis urbibus non esset Episcopus, negotia Ecclesiastica communi Presbyterorum consilio, sic illis commisso, gerebantur: at verò ex hoc numquam voluit Hieronymus, simplicem Presbyterum æqualem esse in potestate Episcopo. Ultimo loco loquitur de stilo Episcopum eligendi in aliquibus Civitatibus, qui, ut constat ex historiis, diu permansit: at verò electus, & in Episcopum sic præsentatus, ordinabatur postea, & consecrabatur. Denique est observandum, D. Hieronymum, & alios PP. quandoque nimium extollere Presbyteros: hoc verò ita fecit: Tum, ut reprimeret Diaconos, qui se insolenter efferebant super Presbyteros, eò quòd erat penes illos administratio rerum Ecclesiasticarum, ac eleemosinarum distributio: Tum, ut humiliaret nonnullos Episcopos, qui videbantur minus facere Presbyteros. Ideò Epist. ad Evagrium dicit: *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quòd non facit Presbyter?* In quibus docet, Episcopos, & Presbyteros in Sacerdotali Ordine non discrepare: benè verò in potestate ordinandi.

56 Arg. 2. Ordo verus, & propriè dictus, refertur ad Eucharistiam conficiendam, vel ministrandam, ac à cæteris Sacramentis distinguitur per aliquem respectum, & habitudinem ad illam; sed Episcopatus ex se, & prout à Sacerdotio distinctus, non dicit talem respectum: ergo prout sic non est verus Ordo. Maj. ex definitione cujuslibet constat: nam omnes conferunt aliquod ministerium erga Eucharistiam. Minor videtur certa: quamvis enim Episcopus al-

Tom. II.

tior sit, & sublimior simplici Sacerdote, non tamen altior est in potestate consecrandi; quia in illa, quoad valorem saltim, Episcopus, & quilibet Sacerdos sunt æquales. Conseq. sequitur. Confirmatur: Ordo verus habet tempus præfixum, ab Ecclesia determinatum, & in Canonibus sancitum, in quo, & non in alio tempore conferri possit, nempe, Ordines majores in Sabbatis quatuor temporum, & ante Dominicam Passionis, & Paschatis; sed non sic Episcopatus, qui conferri potest quovis die Dominico, & festivo: ergo non est verus Ordo.

57 Respondeo faciliter negando minorem: quia Episcopus, ut talis, habet ordinare Sacerdotes, consecrare templa, Altaria, vasa, & vestimenta sacra, quæ omnia referuntur ad sacrificium, & Eucharistiam conficiendam: & quidem proprius quàm cæteri Ordines, adhuc majores: nam Diaconatus, & Subdiaconatus dicuntur habere ad Eucharistiam veram habitudinem, ex hoc precisè, quòd assistant, & ministrent conficienti. Magis itaque est Sacerdotem efficere, quàm illi ministrare. Argumenti confirmatio, si quid probaret, sequeretur, quatuor Minores propriè non esse Ordines; quia sicut habetur cap. *de temporibus ordinationum*, licitum est Episcopis conferre illos Dominicis, & aliis diebus, ut de facto faciunt. Unde illa temporis assignatio unicè pendet ab Ecclesia, tam pro Ordinibus majoribus, quàm minoribus, & Episcopatu, quia substantiam, nec valorem tangat illorum: atque adeo nego majorem, si intelligatur in illa, illud esse essentialè ordinationi.

58 Arg. 3. adversus 2. partem: Si Episcopatus est Ordo propriè dictus, necessariò est à Sacerdotio adæquatè distinctus: & sic plures quàm septem, erunt Ordines; sed oppositum stabilitum manet supra disp. 1. quæst. 2. num. 18. Ergo vel non est Ordo, vel à Sacerdotio adæquatè

Ddd

dis-

distinctus. Prob. maj. Si est Ordo propriè dictus, constare debet materia, & forma distincta; sed hoc ipso adæquatè à Sacerdotio debet esse distinctus: nam distinctio unius Sacramenti ab alio ex distinctioe materiæ, & formæ petitur, ut videri est in omnibus, & apparet in ipsis ordinibus inter se collatis: ergo. Nego min. & concessa majori probationis, nego minorem, & paritatem desumptam ex aliis Sacramentis. Dico igitur, quòd Episcopatus essentialiter includit Sacerdotium, & ideò adæquatè non distinguitur ab eo, sicut cæteri Ordines; qui inter se sunt distincti, mutuò separabiles, & non se essentialiter includentes. Unde distinguuntur distinctioe includentis ab incluso, non excludentis ab excluso, & consequenter non est adæquata distinctio inter Sacerdotium, & Episcopatum. Vide dicta supra num. 51. In hoc eodem sensu constat Episcopatus materia, & forma distincta à Sacerdotio.

59 Si interrogas: *Quænam sit materia, & forma in ordinatione Episcopi?* Respondeo, quòd materia est impositio manuum trium Episcoporum supra ordinandi caput: & forma sunt hæc verba ab illis simul prolata: *Accipe Spiritum Sanctum.* Quæ verba, licet ex se generalia sint, & non determinata ad specialem effectum Sacramenti hujus: tamen determinant illum, ut hinc, & nunc prolata à tribus Episcopis Ministris, manus supra illius caput imponentibus, & dicentibus: *Accipe Spiritum Sanctum:* nam sic significatur satis, se eum accipere in suum consortium ad gradum Episcopalem. Probatur resolutio: nam ad Timot. 4. in quo sermo est de illius ordinatione in Episcopum, dicitur: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per Prophetiam:* id est, per verba ista: *Accipe Spiritum Sanctum: cum impositione manuum Presbyteri,* id est, Episcoporum: ergo manuum impositio est materia proxima, & ver-

ba prædicta sunt forma. Accedit Trident. sess. 23. can. 4. definiens: non frustra ab Episcopo ordinante dicitur *Accipe Spiritum Sanctum:* ergo tunc confertur gratia ex opere operato: idem enim est, *accipe Spiritum,* ac *accipe gratiam* hujus Sacramenti propriam: ergo illa manuum impositio est materia, & verba sunt forma.

60 Et adverte 1. contra aliquos, impositionem libri Evangelii super cervicem ordinandi in Episcopum, non esse materiam partialem hujus Sacramenti. Ratio est; quia hæc libri impositio à Diacono fiebat olim, & hodie ab uno ex Capellanis: & materia in omnibus Sacramentis, Pœnitentiæ excepto, à proferente formam debet applicari. Adverte 2. sufficere ad valorem ordinationis Episcopi, formam ab uno solo Episcopo proferri: siquidem illa Episcoporum multiplicatio potiùs ad auctoritatem consecrationis conducit, quàm ad necessitatem. Modo quo in re gravi consilia plurium peritorum, idem omnino consiliantium, petimus, quorum quodlibet consilium sufficit, nec ampliùs peteretur, nisi materia esset ita gravis. Consuevit itaque Ecclesia ob gravitatem, & ad auctoritatem actionis, tres simul Episcopos ad consecrationem convenire: non verò quia necessitas id postulet, cum ab uno solo, sicut in aliis Sacramentis, materia, & forma, ponatur sufficienter. Et si dicas: ergo solus, qui prior absolveret verba, consecraret, & non cæteri Episcopi. Respondeo per doctrinam traditam tract. de Baptismo, et de Eucharistia disput. 4. sub quæst. 1. num. 599. dum resolvitur: *an plures Sacerdotes possint eandem materiam consecrare?* Vide ibi. De Chorepiscopis nihil restat præter dicta Tract. de Confirmatione, quæst. 5. post Conclus. 3. nu. 60. nisi quòd non erant Episcopi consecrati, nec illorum poterant uti facultatibus sacris: erant verò, nominabantur, & interpretabantur, *Vicarii Episcoporum,*

rum, ut tradit D. Isidorus lib. 2. de Officiis Eccl. c. 6.

QUÆSTIO II.

De singulis Ordinibus Minoribus in specie: ac de eorum materia, & forma.

61 Satis constat ex hucusque dictis, & præsertim disp. anteced. quæst. 2. resol. 2. num. 18. Ordines Ecclesiasticos, & quidem propriè dictos, esse septem numero: ubi etiam diversitatem opinandi retulimus, & objectiones plures solutæ inveniuntur. Placet nunc de singulis inquirendum, ac firmandum; quæ sit materia, forma, ac exercitium cujuslibet illorum? Procedemus in illis, juxta ordinem, & ritum, quo conferrî solent, nempe, 1. de *Ostiariorum*: 2. de *Lectorum*: 3. de *Exorcistis*: & 4. de *Acolytis*.

62 Primus itaque Ordo est *Ostiariorum*. Existentiâ illius, & antiquitas, valde commendatur, ac demonstratur à PP. Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ. Ex PP. Græcis S. Dionysius lib. de Eccles. Hierarch. cap. 3. S. Ignatius Martyr, Clemens Romanus, Epiphanius, & alii cum Concilio Laodiceno, de eo expressam mentionem faciunt. Latini PP. idem docuerunt, præcipuè Cornelius Papa, Concilium Romanum sub Silvestro, cap. 2. Carthaginense IV. cui præsens aderat D. Augustinus, Toletanum I. sub Innocentio I. celebratum. In eadem conspirant veritatem Principes Theologiæ cum Florentino, & Tridentino. *Materia remota* hujus Ordinis communiter convenientibus Theologis, sunt Ecclesiæ Claves. Aliqui addunt etiam cymbalum ad convocandum populum: at verò campanarum pulsatio, nec cymbali traditio erat antiquitas; nec hodie pronuntiatur ab Episcopo forma, quando traditur campana, sed quando claves traduntur: ergo signum est, non esse materiam: quia hujus

applicatio eo tempore debet fieri, quo proferuntur verba formæ. *Materia proxima* est traditio clavium, quas Episcopus porrigit ordinando. Forma, quæ expressè traditur in Concilio Carthag. IV. hæc est: *Sic age, quasi rationem Deo redditurus pro his rebus, quæ sub bis clavibus recluduntur.* Unde Ostiariatus sic physicè definitur: *Est traditio clavium, per quam spiritualis potestas traditur ordinato, sub præscripta verborum forma ad aperiendas portas Ecclesiæ dignis, & claudendas indignis.* Metaphysicè definitur sic: *Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum, causativum gratiæ potestativæ ad aperiendas portas Ecclesiæ dignis, & claudendas indignis.*

63 Quæres: *Quæ sint officia, & munera Ostiariorum?* Respondeo, esse aliqua. 1. Aperire dignis januas Ecclesiæ, et claudere indignis. Sic eos monet Episcopus, dum confert ordinem hunc. *Indigni* intelliguntur, nedum infideles, sed etiam qui inter fideles sunt indigni, ut *Hæretici, publici excommunicati, interditi, publici peccatores, Christianæ Religionis impugnatores, ac derisores*, ut advertunt Patres, et Concilium Constantiense. 2. Munus est, ut observat Catechismus Rom. num. 33. curare, ne layci immediatius ad Altare accedant, dum Sacra celebrantur Mystera. 3. Est, campanas pulsare, et sic populum ad Divina Officia convocare. Pulsatio hæc tantam apud Christianos veteres venerationem obtinuit, ut campanas pulsaturi induerentur superpelliceis. Denique antiquitas fuit etiam Ostiarii munus esse Ecclesiæ thesaurarium. Has omnes functiones luculenter explicat Pontificale Romanum. *Et advertendum,* quòd dum dicitur: *Claves Ecclesiæ esse materiam Ostiariatus,* intelliguntur quæcumque claves, quæ verè sint tales, et aptæ ex communi usu ad aperiendum, et claudendum quodlibet aliud ostium, aut arcam

de materiali enim est ad significandam formaliter illam potestatem, quod claves sint, vel non sint, ipsiusmet Ecclesiae.

64 Effectus hujus Ordinis sunt 1. Causare in recipiente *per se secundam gratiam, & per accidens primam*, modo quo de cæteris Sacramentis vivorum resolutum manet Tract. de Sacramentis, disp. 3. quæst. 1. concl. 2. num. 196. Secundus effectus est *imprimere characterem*, in quo radicatur potestas, quæ Ostiario tribuitur ad aperiendum, & claudendum Ecclesiae portas, modo num. ant. expresso. In super jus tribuit ad divina auxilia, quibus Ostiarius sua munera dignè impleat. Si opponas, quòd omnia hæc exercere potest quilibet alius, quamvis hoc Ordine non sit deputatus: ergo nulla specialis potestas per talem Ordinem tribuitur. Respondeo, Ostiarium ea exercere munera, veluti publicus Minister ab Ecclesia deputatus, & ex officio, quomodo non exercet, qui non est ordinatus. Et hoc idem dicitur de ministeriis cæterorum Ordinum minorum. Plurima de characterè Sacramentali dilucidata invenies Tract. de Sacramentis, disp. 3. quæst. 5. per totam: adeo ut otiosum, tam in hoc, quàm in cæteris sequentibus Ordinibus, esset, aliqua alia proferre de novo.

65 Secundus Ordo est *Lectoratus*. Ejus physica definitio hæc est: *Traditio libri Prophetiarum, qua spiritalis potestas traditur Ordinato, sub præscripta verborum forma, ad legendas Prophetias, & alias sacras lectiones in Ecclesia*. Definitio metaphysica illius: *est Sacramentum novæ legis à Christo institutum, causativum gratiæ potestativæ ad legendum Prophetias, & alias lectiones sacras, in Ecclesia*. Ex quibus deducitur, materiam remotam hujus Ordinis esse librum Prophetiarum, & proximam actualem traditionem illius: formam verò esse verba ab Episcopo prolata, & dicente: *Accipe po-*

testatem, & esto verbi Dei relator. Hic Ordo confert *per se 2. gratiam, & per accidens 1. Imprimi characterem, qui radicatur potestatem canendi, ac legendi in Ecclesia Prophetias, & alias lectiones sacras*. Insuper ad Lectorem attinet Catechumenos instruere in fidei mysteriis.

66 Qui adhuc gradum provehitur, litterarum scientia debet esse sufficienter instructus, adeo ut distinctè legat, & verborum sensum intelligat, vim accentuum sciat, ne defectu, & confusione prolotionis ad risum audientes moveat. Et advertendum, quòd Lectoribus nedum est permissum legere Prophetias, ut contendit Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. cap. 7. sed etiam utriusque Testamenti omnes libros, ut traditur in Concilio Laodiceno Can. 29. Et in Carthaginense 3. Can. 45. Et etiam ut ex hoc Concilio Can. 23. colligitur, legi possunt in Ecclesia, præter Sacras Scripturas, piæ, & probatæ instructiones, & Martyrum passiones, præsertim dum celebrantur illorum anniversarii dies. Sicut & advertit Concilium Toletanum IV. licitum est, publicè legi in Ecclesia scripta Doctorum Orthodoxorum.

67 Tertius Ordo ex Minoribus est *Exorcistatus*. Hic Ordo sic physicè definitur: „ Est traditio libri „ Exorcismorum, qua spiritalis potestas traditur Ordinato, sub præscripta verborum forma ad Dæmones depellendos ab Energumenis, & fugandas tempestates. *Metaphysicè definitur sic: Sacramentum „ novæ legis à Christo Domino institutum, causativum gratiæ potestativæ ad depellendos Dæmones ab „ Energumenis, & fugandas tempestates. „ Materia remota est liber Exorcismorum, & proxima actualis illius traditio. Forma sunt verba, quæ Episcopus profert, dum materiam tradit, dicens: Accipe, & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super Energum-*

menos, sive baptizatos, sive Catechumenos. Hic Ordo gratiam confert, sicut diximus de aliis, & imprimi Characterem, in quo radicatur potestas, quæ illi confertur, & jus ad auxilia, quibus dignè impleat suum ministerium. Advertendum verò, non esse necessarium, librum solùm continere exorcismos: sicut pariter de Lectoratu est dicendum, scilicet, non esse necessarium solùm continere Prophetias, aut lectiones sacras, librum ipsi traditum: nam si unus liber lectiones sacras, Prophetias, ac simul Exorcismos contineret, uti in Breviario contingit, esset vera materia utriusque Ordinis.

68 Hujus Ordinis meminerunt utriusque Ecclesiae Patres, & antiquissimi Scriptores, ut Baronius ad ann. Christi 56. tom. 1. advertit. In primitiva Ecclesia fuerunt Exorcistæ in duplici differentia: quidam namque habebant vim ejiciendi dæmones ex gratia gratis data, & absque ordinatione, & de his intelligendus est S. Clemens, dum lib. 8. constit. cap. 26. dixit: *Exorcistam non ordinari*. Alii erant Exorcistæ per ordinationem, qui hujus Ordinis virtute potestatem habebant ejiciendi dæmonia ab Energumenis, & de his est Sermo præsens. Exorcistarum officium, et munus est, super Energumenos manus imponere, illos exorcistare, seu super illos exorcismos pronuntiare, nubes, tempestates, atque omne maleficium ex industria, vel pactu cum dæmone proveniens, per exorcismos depellere. Nec obstat, quòd non semper dæmones, aut tempestates, abigantur, aut non statim: maxima enim est semper potestas exorcistarum, et exorcismorum Ecclesiae virtus. Sed Deus interdum, occultis de causis, ita permittit, sive ad punitionem, majoremque Energumenorum probationem, sive propter Ministri infirmitatem fidem, et patientiam, aut circumstantium indignitatem, sive ad aliorum terrorem, & instructionem.

69 Dicuntur itaque *Exorcistæ*, eò quòd exorcismis, nempe, adjurationibus sacris, quasi totidem verborum tormentis, & spiritualibus flagris, non quidem voce humana, sed ut Cyprianus loquitur, *potestate divina*, dæmones egredi ab obsessis corporibus compellant. Et ne quis dedignaretur, hoc subire munus, ipse Dominus, & Apostoli nobis exemplum reliquerunt, exorcizando energumenos, & dæmones ejiciendo, ut passim scripturæ testantur. Sed advertendum est 1. cum Magistro Sententiarum. Exorcistam debere habere spiritum mundum: nam qui malignum spiritum expellere vult de corpore alieno, expellere debet per prius de corde suo: ne medicina, quam propinat aliis, sibi non prosit, & dicatur ei: *Medice, cura te ipsum*. Advertendum 2. quòd exorcizans non potest uti ullis ritibus novis, aut diversis ab his ab Ecclesia præscriptis, aut solitis. 3. Quòd nihil fiat ab Exorcista in dæmonibus ejiciendis, nisi invocato Christi nomine. 4. Quòd exorcizans non utatur cum dæmone, nisi verbis imperativis, coactivis, & comminatoriis, ut D. Augustinus lib. 10. de Civit. cap. 22. monet. Denique, quòd Prælati facultatem exorcizandi Energumenos restringere solent aliquibus particularibus viris probatæ vitæ, propter prudentes rationes, quas ad hanc providentiam habent.

70 Si opponas, quòd Christus Dominus de omnibus in eum credituris dixit: *in nomine meo dæmonia ejicient*: ergo potestas hæc omnibus fidelibus ex Christi voluntate est communis. Nego consequent. Certum itaque est, promissionem factam fuisse à Christo fidelibus: non verò pro omnibus, & singulis, sed tantum pro aliquibus: nec semper, sed aliquibus conditionibus positis, dum scilicet, ipsa res id postulaverit ad majorem gloriam Dei, & juxta divinæ providentiæ leges, & sub conditione, quòd quis acceperit talem po-

potestatem, vel immediatè à Deo per aliquod donum gratis datum, vel per ministerium hominum ab Ecclesia collatum, de quo in præsepi agimus. Explicatur doctrina hæc: eodem modo, quo Christus dixit: *in nomine meo dæmonia ejicient*, addidit ibidem: *linguis loquentur nobis, serpentes tollent*; sed non omnes fideles linguis loquuntur novis, nec tollunt serpentes: ergo necesse non est, juxta promissionem Dominicam, ut fideles omnes ejiciant dæmonia.

71 Quartus, & ultimus Ordo ex Minoribus, est *Acolythus*. Adhuc apud Theologos controvertitur materia, & forma hujus Ordinis. Cùm enim in illius receptione tradatur, tum candelabrum cum cereo extincto; tum urceolus vacuus, & verba utrique correspondentia proferantur ab Episcopo, hinc orta est Theologorum divisio. Richardus, & alii cum D. Bonavent. dist. 24. contendunt, essentialem materiam hujus Ordinis consistere in candelabri traditione cum cereo extincto, & formam in verbis huic traditioni correspondentibus. At verò Durandus, Paludanus, & alii alii dixerunt ab opposito, scilicet, traditionem urceoli vacui esse totalem materiam, & verba correspondentia illi traditioni, esse formam. Nobis verò cum cæteris Theologis dicendum est, hunc Ordinem habere duplicem materiam, & formam partialem, ex quibus una materia, et forma totalis, Acolythatus coalescit. Ratio est manifesta: quia Acolytho confertur in ordinatione potestas ad duas actiones exercendas, nempe, ad urceolos implendos vino, et aqua, ad Missæ Sacrificium, necnon et ad accendendum cereos, et deferendum eos ante Sacerdotem: ergo materia hujus ordinationis equaliter consistit in traditione utriusque, et forma in correspondentibus verbis: ergo ex utroque adæquata materia, et forma, illius coalescit: adeo ut quælibet ipsarum

solùm sit materia, et forma partialis. Hoc ampliùs clarebit ex dicendis.

72 Igitur Ordo *Acolythi* physicè definitur: *Est traditio candelabri cum cereo, & urceolorum, qua spiritalis potestas traditur ordinato sub præscripta verborum forma ad portandum candelabrum cum cereo ad Altare, & urceolos præparandos, ac ministrandos in Missæ Sacrificio*. Metaphysicè sic definitur: *Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum, causativum gratiæ potestativæ ad portandum ad Altare candelabrum cum certo, & urceolos præparandos, & ministrandos, in Sacrificio*. Unde hic Ordo duas habet materias partiales, quarum quælibet traditur correspondentibus verbis; atque adeo duas habet etiam formas partiales. Una materia remota est *candelabrum cum cereo extincto*; et alia *urceolum vacuum*. Advertendum verò, quòd quamvis candelabrum esset cum cereo accenso, et urceola cum aqua, et vino, validus esset ordo: nam tunc solùm esset accidentalis variatio. Materia proxima est ipsa materia remota traditio. Forma sunt verba Episcopi, dum materiam tradit, sic dicentis: *Accipe candelabrum cum cereo, ut scias, te ad accedenda Ecclesiæ lumina mancipatum, in nomine Domini. Accipe urceolos ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini*. Per hunc Ordinem confertur gratia, ac imprimatur character, in quo fundatur jus ad consequenda auxilia, quibus sua munera dignè, ac laudabiliter adimpleat.

73 Tria distincta officia exercet in Ecclesia *Acolythus*, qui etiam vocatur *Ceroferarius*, quæ continentur in Pontificali Romano. Primum est *ceroferarium*, seu candelabrum, quo cereus defertur, ferre: ob quòd *Acolythi* appellantur à quibusdam: *luminis, & cerei gestatores*. Per hanc luminis gestationem significatur spiritalis lux, quæ adversus erroris te-

nebras, per Evangelium nobis affuset. Et dum à duobus *Acolythis*, duo deferuntur luminaria, hoc fit propter duplicem dilectionem *Dei*, nempe, & *proximi*, vel propter duo testamenta, quibus illuminantur homines. Secundum officium, & munus *Acolythi* est Ecclesiæ luminaria accendere: ideòque, ut ait Concilium Carthag. IV. dum ordinatur, accipit candelabrum cum cereo non accenso, ut sciat, se ad accedenda Ecclesiæ lumina mancipari. Tertium est, vinum, & aquam in urceolis, seu ampullis, ministrare ad sacrificium. Quartum officium *Acolythi* est gestare thuribulum cum igne, & incenso. Et observat Honorius Augustodunensis, quòd dum *Acolythus* thuribulum versat in omnem partem, designat S. Paulum, qui prædicando, portavit per universum mundum Christi odorem. Dignitas hujus Ordinis supra cæteros Minores, ex eo colligitur, quòd immediatius inserviat Missæ Sacrificio.

74 Pro complemento quæstionis, statuendum venit tempus, in quo Christus instituerit Ordines prædictos: quod etiam manebit stabilitum pro Subdiaconatu, & Diaconatu. Et supponitur hæc, quatuor prædictos Ordines esse verè Sacramenta à Christo instituta, sicut sunt cætera. Veritas hæc, ultra dicta supra disp. 1. quæst. 1. & quæst. 2. præsertim n. 18. demonstratur ex Concilio Florentino ibi adducto, quod postquam statuit, Ordinem esse Sacramentum, & ejus materiam esse illam rem, quæ traditur ab Episcopo, & formam esse verba, quæ ab ipso proferuntur, doctrinam hanc declarat specialiter in Ordine *Sacerdotali, Diaconatus, & Subdiaconatus*. Hoc factò, subjungit: *Sic etiam debere intelligi in reliquis Ordinibus*. Ergo censet Concilium, reperiri materiam, & formam Sacramenti in minoribus, seu inferioribus Ordinibus: ergo omnes prædicti Ordines veram Sacramenti rationem obtinent. In idem conspirat

Trident. sess. 22. cap. 2. ubi Ordinem distribuit in septem species: & sequenti cap. absolutè dicit, Ordinem verè esse Sacramentum novæ legis, nullam faciendo distinctionem inter Ordines, qui Sacramenta sint, & qui non sint: ergo nullum Ordinem hoc ipso à ratione Sacramenti excludit. Hanc suam mentem ulterius declarat Concilium can. 3. Mitto alia loco supra cit. videnda.

75 Nunc resolvendum censeo, Christum Dominum omnes Ordines instituisse in ultima Cœna. Est contra plurimos Theologos, existimantes, diversis temporibus illos instituisse, & dicentes, *Ostiarium* instituisse, dum eiecit è templo profanantes illud, emendo, & vendendo *Lectovatum*, quando librum Isaïæ aperuit in medio Doctorum, & Seniorum populi. Alii intendunt ortum accepisse à Prophetis: quibus dictum est: *Clama, ne cesses &c.* Sic Sentent. Magister. Ordinem *Exorcitarum* instituisse, quando aures surdi, & muti tangens, dixit: *Epheta, quod est, aperire*, seu quando è Magdalena septem dæmonia eiecit: *Acolythus* denique Christum instituisse, dicunt, dum dixit: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris &c.* Verum dicimus, prædictos ordines *adumbratos, & figuratos*, fuisse illis temporibus, & occasionibus, non verò propriè, & formalitèr institutos: hoc quidem fecit Dominus, quando in nocte Cœnæ instituit *Sacerdotium*. Vide supra numer. 13. ubi quæritur generalitèr: *Quando Christus Sacramentum Ordinis instituit?*



QUÆSTIO III.

*De Ordinibus Majoribus in specie,
ac de eorum materia, &
forma.*

76 **T**res sunt Ordines, qui vocantur *Majores*, & *sacri*. Et merito; quia per illos constituuntur Ministri, qui immediatè deserviant Altari, & idèò nuncupantur *majores*. Et quia hos Ordines recipientes tenentur ad divinum officium, votoque castitatis mancipantur, atque ita à mundo segregati Deo specialiter consecrantur, *sacri* nuncupantur. Sunt itaque Ordines *istii Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus*: ex quibus Presbyter per Ordinem destinatur ad consecrandum, & offerendum corpus, & sanguinem Domini in sacrificio: Subdiaconus, & Diaconus, ut immediatè inserviant, & ministrent in Altari Sacerdoti sacrificanti. De his tribus Ordinibus hìc venit suo Ordine pertractandum, & 1. de Subdiaconatu.

77 *Subdiaconatus* physicè sic definitur: „ Est traditio calicis vacui cum patena vacua, & libri Epistolarum, per quam spiritualis potestas traditur ordinato, sub præscripta verborum forma, ad ministrandum Diacono necessaria ad sacrificium, & canendum solemniter Epistolam. *Metaphysicè sic*: Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum, causativum gratiæ potestativæ ministrandi Diacono necessaria ad Eucharistiam, & solemniter canendum Epistolam. Dicitur institutum fuisse hoc Sacramentum in nocte cœnæ, quando Dominus præcinsit se linteo, & lavit pedes Discipulorum. Ex his constat, materiam remotam hujus Ordinis esse duplicem partialem, & ex eis consurgit una totalis. Una est calix sine vino, & patena sine ostia: alia est Epistolarum liber. Idem est sentiendum de formis correspondentibus.

Dum igitur traditur calix, et patena, verba, in quibus forma consistit, sunt hæc: *Videte cujus ministerium vobis traditur: ideò vos admonéo, ut ita vos exhibeatis, quòd Deo placere possitis.* Existimo cum potesta, huic formæ solùm esse essentielle verba ista: *Videte cujus ministerium vobis traditur.* Forma traditionis libri Epistolarum hæc est: „ Accipite librum Epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Patris, et filii, et Spiritus Sancti. Unde ipsa calicis, patenæ, et Epistolarum libri actualis traditio, est materia proxima. Et advertendum tam pro hoc, quàm pro aliis Ordinibus, quòd forma proferri potest in singulari, vel in plurali, si unus, vel plures simul tangunt materiam, dum ordinantur.

78 Per dicta resoluta est controversia hucusque adhuc satis agitata erga hujus Ordinis materiam essentialem, et formam. Viguerius itaque in sola libri Epistolarum traditione materiam ordinationis Subdiaconi stabilivit, et totalem formam in verbis correspondentibus illi traditioni. E converso procedunt Castro Palao, Vazquez, Ægidius, et alii, existimantes, totalem materiam stare in calicis, et patenæ traditione, et formam in verbis correspondentibus tali traditioni. Medina addidit, traditionem sacrarum vestium pertinere etiam ad materiam hujus Ordinis, et ad formam verba correspondentia illi. Verùm additio hæc nostræ sententiæ satis voluntaria, et sine fundamento reputatur, cum per talem traditionem nulla potestas significetur. Quòd autem hic Ordo duplicem habeat materiam, et formam, partialem, ex quibus integratur, et coalescit una totalis, et adæquata, respectivè, constat apertè ex diversis potestatibus, quæ Subdiacono conferuntur per traditionem illorum instrumentorum; quæ potestates in se sunt dis-

distinctæ, ut indicant verba correspondentia cuilibet traditioni. Unde in traditione calicis cum patena, tribuitur potestas ministrandi Diacono in Sacrificio Missæ: et in traditione libri Epistolarum potestas canendi Epistolam. Quod utique observari debet in quolibet Ordine, duas materias, et formas partiales habente. Et insimul observari debet, characterem imprimi in ultima traditione materiæ: nam cum character sit indivisibilis, imprimi non potest, quoadusque verificetur Sacramentum Ordinis: quod, si duplici materia partiali constet, verificari non potest, quin utraque tradatur cum forma correspondenti. His non obstantibus, valde probabilis est sententia asserens, hunc Ordinem consistere in sola calicis, et patenæ traditione, in qua dicit, imprimitur character, ut D. Thom. in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 1. sentit.

79 Ordinem, & gradum Subdiaconi, cognitum fuisse ab exordio nascentis Ecclesiæ, constat, tum, ex can. 42. Apostolorum: tum ex ferè omnibus veterum monumentis. In hujus veritatis confirmationem plurima antiquissima Concilia possemus adducere. Officia, & munera præcipua Subdiaconi, constat hujus Ordinis definitionibus. Et si dicas cum Belarmino, Ordinem Subdiaconi non fuisse olim reputatum inter Ordines Sacros: respondeo, id fuisse; quia tunc adhuc non erat annexum huic Ordini votum continentiae. Licitum eis fuit aliquando uxorem ducere, aut saltem ducta uti: & tunc non permittebatur eis vasa sacra tangere, licèt ad id facultatem haberent ratione ordinis: ideòque talium Ordo non habebatur inter Ordines Sacros. Nunc verò Subdiaconi, ratione Ordinis, tenentur 1. ad cœlibatum, si ve continentiam perpetuò servandam. Sic stabilitum est in Concilio Eliberitano, Can. 33. in Turonense, Aurelianense, & aliis antiquissimis Synodis Nationalibus, in quibus præci-

Tom. II.

pitur Subdiaconis cœlibatus. Ob quod Trident. sess. 24. can. 9. damnat anathemate eos, qui dixerint, *initiatos Sacris Ordinibus non teneri ad castitatem servandam perpetuò.* At verò hæc lex continentiae non semper ubique terrarum Subdiaconos constrinxit, sed tantùm Presbyteros, & Diaconos. Et addit Morinus, quòd quamvis Subdiaconatus per plura sæcula non habuit in universam Ecclesiam Romanam annexum continentiae votum: tamen post sexcentos à Christi nativitate annos, jam per universum occidentem cœlibatus erat Subdiaconis perpetua lege conjunctus. Tenentur 2. Subdiaconi, virtute suæ ordinationis ad Officium Divinum recitandum, in quo omnes Theologi, & Canonistæ, conveniunt.

80 Quæres: *Si in ordinatione Subdiaconi traderetur calix sine patena, aut patena sine calice: vel si calix & patena, non essent consecrati, esset validus ordo ille?* Respondeo negativè ad primam partem. Ratio est, quia potestas per hunc Ordinem collata est ad ministrandum calicem, & patenam in ordine ad sacrificium. Quare tam calix, quàm patena sunt partes essentielles materiæ, modo quo panis, & vinum in calice, & patena à Sacerdote oblatum sunt essentielles partes materiæ ex qua sacrificii. Sic noster Gonzalez. Ad secundam partem affirmat Potesta cum aliis: negat verò Gonzalez citatus. Ratio illius est: quia materia hujus Ordinis est significativa potestatis collatæ Subdiacono ad ministrandum Diacono in ordine ad sacrificium, quod utique fieri debet per materiam aptam ad sacrificium, qualis non est calix, & patena non consecrati. Nec officit, quòd tunc consecratio esset valida; quia hæc valida est, etiam si fiat in vasi inepto: non verò validus est Ordo, cujus materia alia non est, quàm vasa apta ad sacrificium. Aliàs sequeretur, quòd si loco calicis, & patenæ traderetur ex-

Ecc

cu-

cutulla, & discus, validus esset Ordo, quod dicit nemo, cum consecratio in illis esset valida, quamvis omnino illicita. Si dicas: validus esset Ordo Presbyteratus, si traderet calix, & patena cum vino, & pane, estó patena, & calix consecrati non esset: ergo paritet. Negatur consequent. & paritas: quia materia Presbyteratus non est calix, & patena, sed solúm sunt continentem materiam, quæ unice est panis, & vinum: at veró in Subdiaconatu materia est calix, & patena apti ad sacrificium, quales non sunt, si consecrati non sint.

81 *Diaconatus.* Varia est Theologorum sententia erga Diaconatus materiam, & formam. Opinandi varietas ex eo oritur, quód in hac ordinatione Episcopus imponit manus, tradit librum Evangeliorum, & etiam stolam, & dalmaticam. Unde noster Medina docuit, materiam proximam hujus Ordinis in his tribus traditionibus consistere. Verúm hæc sententia, quoad traditiones stolæ, & Dalmaticæ, nullius est fundamenti. D. Bonav. et Durandus cum aliquibus aliis, contendunt, solam impositionem manus Episcopi esse totalem materiam, & verba correspondentia esse totalem formam. D. Thomas, & Thomistæ frequenter volunt, materiam Diaconatus esse adæquatè traditionem libri Evangeliorum. In hac inclinatur sententiam N. Gonzalez, Frassenius, Delgadillo, & plurimi alii ex Scotica Schola sentiunt, materiam proximam hujus Ordinis integrari ex impositione manus Episcopi, & traditione libri Evangeliorum: formamque integrari ex verbis correspondentibus duobus prædictis. Quare hic Ordo constat duabus materiis, & formis partialibus. Hæc sententia aptior mihi videtur, & dicitur de Acolythatu, & Subdiaconatu, conformior.

82 Probatur hæc sententia: Concilium Carthagiense IV. cap. 4. materiam, & formam Diaconatus sta-

tuit in impositione manus Episcopi, cum verbis correspondentibus, dicens: *Diaconus, cum ordinatur, solus Episcopus manum super ejus caput ponat*: ergo ut Episcopus Diaconum ordinet, debet ei manum imponere: ergo talis manus impositio necessaria est ad hunc Ordinem. Accedit D. Dionisius de Eccles. Hierarch. cap. 5. docens: *Episcopum Sacerdotem, & Diaconum consecrare per manus impositionem*: ergo manus impositio est materia, saltem partialis Diaconizationis. Deinde Florentinum in Decreto Eugenii docet, materiam Diaconizationis stare in libri Evangeliorum traditione, quod etiam constat ex Trident. Catechismo, ac Pontificali Romano: ergo utraque est materia essentialis in hac ordinatione, & consequenter forma integratur ex verbis correspondentibus utrique. Denique: materia, & forma hujus Ordinis illa est, per quam significatur potestas illi collata; sed hæc in Diacono duplex est, nempe, ad immediatè serviendum Sacerdoti in sacrificio, (quæ quidem est principalior) & ad canendum solemniter Evangelium: ergo per materiam, & formam, debet significari. Nunc sic: Sed prima potestas non significatur per libri Evangeliorum traditionem, sed expressius per manus impositionem: ergo utraque est materia essentialis. Minor constat à paritate in Subdiaconatu, in qua per traditionem libri Epistolarum non significatur munus inserviendi Diacono in sacrificio, sed per traditionem calicis, & patenæ: & ideó in illa duplici traditione docuimus, sitam esse illius materiam totalem.

83 Constat igitur, materiam hujus ordinationis integrari ex impositione manus Episcopi, quæ fit sub his verbis: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus ejus, in nomine Domini*: & ex traditione libri Evangeliorum, quæ postea fit sub hæc forma: *Accipe potestatem legendi Evan-*

Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini. Ex quibus sic venit definiendus Diaconatus definitione physica: „ Est impositio manus, & „ traditio libri Evangeliorum, quibus spiritualis potestas traditur ordinato sub præscripta verborum forma ad ministrandum Sacerdoti in „ Sacrificio Missæ, & canendum solemniter Evangelium. *Definitione metaphysica sic*: Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum, causativum gratiæ potestativæ ad ministrandum Sacerdoti in „ Sacrificio Missæ, & canendum Evangelium solemniter. “ Institutum fuisse dicitur, dum in ultima cœna Christus Discipulis dedit suum corpus, & sanguinem. Causat gratiam, & imprimit characterem, modo jam expresso in aliis. Et advertendum, quód ante librum Evangeliorum ordinati sunt Diaconi, & tunc Ecclesia usa est alia materia potestatis illius Ordinis significativa: aut talem potestatem tunc significare voluit per Episcopi manus impositionem cum verbis ad id significandum proportionatis. Hac facultate Ecclesiam gaudere diximus pluries ex eo quód Christus ei commisit, materiam, & formas Ordinis designare in specie, ut videri est supra præsertim disp. 1. quæst. 3. conc. 2. & quæst. 4. num. 38.

84 Ad Diaconum, præter munera ex vi Ordinis concessa, spectat etiam Evangelium prædicare de licentia Episcopi: solemniter baptizare in casu necessitatis: Eucharistiam ministrare, deficiente Sacerdote, & necessitate postulante: pixidem é Sacrarario eruere, & ad aliud altare deferre. Alia plura fuerunt antiquitus Diaconorum munera, inter quæ fuit præcipuum, Ecclesiæ Thesaurio, & oblati à fidelibus Eleemosinis, præesse, & eas pauperibus erogare, juxta decretum Episcopi, vel Presbyteri. Colligitur sic ex 2. ad Cor. cap. 8. ubi dicitur: *Misimus etiam cum*

Tom. II.

illo fratrem, cujus laus in Evangelio, per omnes Ecclesias, nempe, Silam, qui ordinatus fuerat comes peregrinationis Pauli, ut cum eo colligeret gratuitas fidelium oblationes, ut Baronius ad Christi ann. 51. advertit. Et S. Leo serm. de S. Laurentio, qui erat levita, id est, Diaconus, ait: non solum ministerio Sacramentorum, sed etiam ex dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ præminebat. Fuit etiam Diaconi munus, quando fideles sub utraque specie communicabant, calicem, seu Christi sanguinem dispensare. Unde legitur in vita S. Laurentii, dixisse S. Sixto: *Experire, utrum dignum ministerium elegeris, cui commisisti dominici sanguinis dispensationem.* Hujus consuetudinis meminit S. Cyprianus, serm. de lapsis, dicens: *solemnibus adimpletis, Diaconus calicem presentibus offerre cœpit.*

85 Objicies adversus 1. partem: Tum; quia per manus impositionem, & per verba illis correspondentia nulum denotatur ministerium peculiare Diaconi: ergo non sunt partialis materia, & forma. Tum: quia cap. 3. *Presbyter*, dicitur: *manus impositionem, quæ fit in ordinatione Subdiaconi, ritu Apostolorum introductam fuisse*: ergo non potest esse materia essentialis, & consequenter tota materia consistit in libri Evangeliorum traditione, & forma in verbis correspondentibus illi. Objicies adversus 2. partem: Scotus dist. 24. §. *de secundo* affirmat, quód actus legendi Evangelium in Diacono non est proprius, sed minus perfectus: proprius enim, & perfectissimus est, quem habet circa Eucharistiam: ergo ex mente Subt. Doct. traditio libri Evangelii non est materia.

86 Respondeo ad 1. Nullum denotatur ministerium &c. si absolutè, & generaliter accipiantur, concedo: si determinatè, prout hic, & nunc, & juxta subjectam materiam, nego. Patet à simili de Episcopatu supra num. 59. in quo omnes nobiscum

Eec 2

con-

consentiunt. Etenim tam manus impositio, quam verborum prolatio, fit ab Episcopo, intendente, ac demonstrante, ordinare illum in Diaconum. Ad 2. nego conseq. Et dico, sensum illius textus esse, introductam fuisse ab Apostolis; quia ipsi ea usi sunt primò, seu talem manuum impositionem promulgarunt; non quia sua auctoritate, sed Christi Domini id instituerint. Confirmatur à simili de Extrema-Unctione, quæ instituta fuit à Christo, et promulgata à B. Jacobo, ut suo loco manet dictum. Ad ultimum nego conseq. Itaque Scotus solùm ibi dixit, legere in Ecclesia non esse proprium actum Diaconi, cum hoc etiam Subdiacono conveniat: non tamen negat, esse essentialia. Modo quo, qui negat, animal esse proprium hominis, eò quòd etiam conveniat equo, non negat, esse de essentia illius. Et prænotandum, quòd antiquitus aliquando permissum est Subdiacono legere Evangelium, nempe, non ex proprio officio, sed ex defectu præsentia Diaconi, ad ejus vicem supplendam; at verò hoc exquebatur sine stola.

87 *Presbyteratus.* Quanta, quam sublimis, ac veneranda sit Sacerdotis excellentia, et dignitas, declaratur à D. Bernardo, et aliis PP. Sufficiat D. Ambrosius lib. de dignitate Sacerdotali cap. 2. dicens: *Ece aurum non pretiosius est plumbo, quam regia potestate altior est dignitas Sacerdotalis.* Presbyteri itaque vocabulum senectutem sonat; non tam annorum numero attendendam, quam sanctitate, et gravitate morum, juxta illud sapientia 4. „ Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cæni autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. “ Unde qui Græcè dicuntur *Presbyteri*, latinè dicuntur *Seniores*, non quidem tam ætate, quam prudentia, & morum maturitate. Erga materiam, & formam hujus sacri Ordinis celebris exurgit inter DD. controver-

sia, & non minor, quam præcedens de Diaconatu, orta ex eo, quòd in Ecclesia Latina, Sacerdos ordinatur duplici cœremonia, scilicet, traditione Patenæ cum hostia, & calicis cum vino, & impositione manuum Episcopi. Hæc impositio est duplex: una fit ante instrumentorum porrectionem ab Episcopo, & duobus Sacerdotibus simul, & de ista non dubitatur esse cœremoniam, non pertinentem ad Sacramenti essentiam. Alia fit in fine Missæ ab Episcopo, imponente super Sacerdotis caput manum, & dicente: *Accipe Spiritum Sanctum: quorum remisit &c.* Et de hac impositione est inter Theologos controversia valde celebris.

88 D. Bonav. Durandus, & alii plures existimant, totam materiam proximam ordinationis Sacerdotis sitam esse in sola impositione manuum Episcopi, & formam in verbis correspondentibus illi, nempe: *Accipe &c.* Alii, quibus Delgadillo adhæsit, defendunt, materiam integrari ex traditione calicis cum vino, et patenæ cum hostia, atque ex impositione prædicta manuum Episcopi: et pariter, formam integrari, et coalescere ex verbis correspondentibus utrique. Pro hac citari solet Scotus, dist. 24. §. de 3. versu *si quæras.* Verùm Scotus ibi solùm dicit: *Videtur probabile.* Quod autem probabile sit, absque controversia est, cum plurimi Theologi tam veteres, quam moderni, id pro viribus affirmant. Cæteri Doctores docent, materiam hujus ordinationis adæquatè consistere in instrumentorum porrectione, nempe, in patena, & calice cum pane, & vino, & formam in verbis correspondentibus. Hæc videtur probabilior. Verùm ad æquivocationem vitandam, & clariorem hujus controversiæ intelligentiam, advertendum existimo, *Presbyteratum* dupliciter accipi posse, scilicet, vel in quantum præcisè dicit characterem Sacerdotalem cum potestate consecrandi, vel prout etiam dicit potestatem absolvendi à peccatis.

tis. Si sumatur dumtaxat sub primo conceptu, certissimum videtur, ad illius essentiam non posse pertinere impositionem manuum. Ratio; quia ante illam jam habet potestatem consecrandi, & defacto consecrat, aut formam consecrationis profert simul cum Episcopo in Missa. Si verò sumatur perfectè, & completè, seu etiam cum potestate absolvendi, longè probabilius apparet, Sacerdotem talem potestatem accipere, dum Episcopus manus imponens super illum, ait: *Accipe Spiritum Sanctum: quorum remisit peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.* Unde, sumpto Presbyteratu pro utraque potestate, consecrandi, & absolvendi, quod est potestas in corpus Christi physicum, & mysticum, dici debet constare, aut integrari, ex duplici memorata materia, & forma partiali. Sed quia hîc loquimur de ordine, & potestate ad consecrandum.

89 Dico, Materiam totalem Presbyteratus stare in traditione calicis cum vino, & Patenæ cum hostia: & formam in his verbis, tunc ab Episcopo prolatis: *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, Missasque celebrandi, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.* Constat expressè ex Florentino, decreto Eugenii dicente: „ Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem Forma Sacerdotii talis est: *Accipe potestatem offerendi sacrificium: “* Ergo censet, impositionem manuum non esse materiam Ordinis Sacerdotalis. Urgetur ex eo, quòd sola hac traditione consecrat ordinatus in Missa simul cum Episcopo, quo peracto, sequitur impositio manus: ergo hæc non attinet ad essentialia Presbyteratus. Confirmatur: Episcopus, dum porrigendo calicem, profert illa verba: *Accipe potestatem &c.* verè confert potestatem offerendi sacrificium: sunt enim vera, & habere debent

effectum, quem significant; sed potestas hæc est character Sacerdotalis, & est ante manuum Episcopi impositionem: ergo. Ex quibus sic definitur physice Presbyteratus: „ Est traditio calicis cum vino, & patenæ cum hostia, qua spiritualis potestas traditur ordinato sub præcripta verborum forma, ad consecrandum, & offerendum Deo Patri corpus, & sanguinem Christi Domini. *Metaphysice sic:* Est Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum, causativum gratiæ potestativæ ad consecrandum, & offerendum Deo Patri corpus, & sanguinem Christi Domini. “ Hunc Ordinem instituit Dominus, quando in nocte cænæ panem, & vinum, in suum convertit corpus, & sanguinem, dixitque Discipulis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Sed notandum, quòd dum dicitur, calicem cum vino, & patenam cum pane esse materiam Sacerdotii, tunc sumitur *continens pro contento:* nam solùm panis, & vinum sunt materia hujus Sacramenti, calix autem, & patena, sunt continentes.

90 Objiciunt Adversarii plurima loca, tum Conciliorum, tum SS. Patrum unanimiter affirmantium, Presbyteratum conferri per manus impositionem, quod etiam de Diaconatu sentiunt. Ut autem omnibus illis satisfacias, prænotari debet, *manuum impositionem* multifariam apud antiquos sumi. Apud aliquos idem est, *Episcopum manum imponere*, ac ordinare, seu ipsum exercitium ordinandi. Apud alios ipsa instrumentorum traditio ab Episcopo vocata est etiam *manuum impositio.* Deinde Sacerdotium sumitur pluries ab ipsis *integrè, completè, & perfectè,* scilicet, nedum in quantum dicit potestatem consecrandi, sed etiam solvendi, & retinendi. In hoc sensu integratur ex duplici potestate respiciente corpus Christi physicum, & etiam mysticum; seu corporis Christi consecra-

tionem, & fidelium absolutionem: quarum prima dicitur *potestas Ordinis*, & secunda *potestas jurisdictionis*. Per hanc doctrinam, & per dicta solvuntur quaecumque objecta: nam vel loquuntur de *impositione manuum* in duplici prima acceptione: vel de Sacerdotio integrè, & omnino complete, utramque potestatem includente: atque ita verum est, impositionem manuum Episcopi, quæ fit post datam auctoritatem consecrandi, ingredi rationem Sacerdotii: non verò aliter.

91 Et advertendum 1. potestatem absolvendi præstitam Sacerdoti per secundam manus impositionem, exerceri non posse extra casum necessitatis sine jurisdictione. Unde sine ista dicitur & est, potestas *radicalis*, seu *Ordinis*. Sed quia probabile est, hanc potestatem Sacerdotem accipere per characterem, & potestatem consecrandi, videtur affirmandum, quòd Sacerdos, qui propter aliquod accidens, nondum accepit potestatem absolvendi per talem manus impositionem, si occurreret extrema aliqua necessitas, & non esset alter Sacerdos, qui absolutionem præstare posset, debebat absolvere sub conditione, sic: *Si habeo potestatem: Ego te &c.* Ratio est; quia tunc debet succurrere proximo possibili modo: & sententia asserens, potestatem absolvendi conferri simul cum potestate consecrandi probabilis est, non obstante contraria probabiliore opinione. Advertendum 2. quòd talis Sacerdos debet adire alium Episcopum, qui super eum imponeret manus.

QUÆSTIO IV.

De contactu materiae Ordinis necessario, tam in Ministro, quam in subiecto.

92 **O**mnes in eo conveniunt, quòd materia, seu instrumentum cujuslibet ordinationis de-

beat tangi à recipiente Ordinem, & à Ministro conferente. Verum quia contactus alius est *physicus*, alius *moralis*, dubitatur: *an sufficiat quilibet ad valorem ordinationis?* Contactus physicus est duplex, nempe, *immediatus*, & *mediatus*. Dum materia tangitur in se ipsa, & nullo alio mediante, dicitur contactus immediatus: dum tangitur, mediante alio, scilicet, calix v. g. mediante aliquo velo, dicitur contactus *physicus mediatus*. Contactus moralis non est *physicus*, nec *mediatus*, nec *immediatus*, sed stat in aliqua actione, per quam significaretur, materiam acceptare, quin illam ullo modo tangeret: ut si quando Episcopus dicit: *Accipe &c.* manum extenderet, caputque inclinaret, significando illam acceptare, sed non tangendo, nec mediatè, nec immediatè. Circa hanc difficultatem Albertus, Cajetanus, Victoria, Diana, & plures alii dixerunt, necessarium non esse contactum physicum, sed moralem sufficere. Cæteri Theologi verius contrarium sustinent, & cum illis.

93 Dico I. *Ad valorem Ordinis necessario requiritur, quòd ordinatus physice tangat instrumenta, quæ sunt materia illius Ordinis, quem suscipit.* Probatur: Tum ex perpetua praxi, et consuetudine Ecclesie, qua semper provisum est, ut ordinatus materiam tangat physice: ergo per hanc praxim declarat Ecclesia Christi Domini institutionem, et voluntatem: ergo cum hæc sit voluntas, et institutio Christi, talis contactus necessarius est ad Ordinis valorem. Et certè, ut Ægidius notat, ex hac praxi, potius quam ex aliis speculativis Nationibus, res ista est decidenda. Tum ex Pontificali Romano disertè curante, et præcipiente, instrumenta ordinationis, quæ ab Episcopo porriguntur, simul ab ordinato physice tangi: ergo signum est, quòd ejusmodi contactus sit necessarius: non enim in re tan gravi mo-

momenti licet recedere à communi praxi, et ritu Ecclesie. Tum denique; quia illud *Accipe* ab Episcopo prolatum, dum instrumentum ordinando tradit, aptius salvatur, cum physico contactu, quam sine illo, ut per se est manifestum: siquidem cum illo absolutè, et sine aliqua restrictione, aut explicatione, verum est, quòd ordinatus accipit rem, quam Episcopus porrigit, et accipere jubet verbo illo: *Accipe*; sed non ita verificari potest in opposita sententia: ergo non hæc, sed nostra est sequenda.

94 Dico II. *etiam est necessarium, quòd ordinans per se ipsum instrumenta tangat, & porrigat ei, quem ordinat.* Sic constat ex Pontificali Romano, et Conciliis, præsertim Carthaginense IV. can. 5. ubi dicitur: *Accipiat ordinandus de manu Episcopi, vel tradat ei Episcopus &c.* Ergo. Confirmatur: Materia Sacramenti ab eo debet tradi, et applicari, à quo forma profertur, et confertur Sacramentum; sed solum ordinans formam pronuntiat, & Sacramentum confert: ergo. Hinc refertur ab aliquibus apud Frassenium, Clementem 8. jussisse, iterum ordinari sub conditione aliquos, qui à Sagiensi Episcopo ordinati fuerant, non tradita eis, sed solum ostensa materia ordinarum: ergo Summus Pontifex censuit, id necessarium esse: aliàs non jussisset, sic ordinatos iterum ordinari sub conditione. Nec obstat, quòd aliquando in ordinatione Acolythi Archidiaconus tradebat candelabrum: siquidem hic ritus immutatus, & emendatus est per Pontificale Romanum, ubi dicitur, *quòd Episcopus Acolytho tradat candelabrum cum candelâ.*

95 Ex dictis colligitur, sufficere contactum *mediatum physicum*, supra num. 93. explicatum. Ratio est; quia per illum verificatur acceptio, & traditio materiae, atque ita traditio potestatis collatæ: quod quidem non verificatur per solum contactum

moralem, per quem unice significatur voluntas recipiendi id, quod traditur; non verò ipsa receptio. Hac ratione Ecclesia contactum physicum observat, & præcipit, quòd verè denotat, & urgeter arguit, omnino necessarium esse, eò quòd Christus Ecclesie commisit materias Ordinis, & modum illas tradendi, determinare. Unde qui contactum hunc physicum mediatum cum contactu morali confundunt, ut aliqui cum Mastrio, & Reiffenstuel, faciunt, difficultatem in quæstionem de nomine reddunt. Intelligentur itaque est contactus moralis in sensu supra expresso. Quod autem verificetur per talem mediatum contactum vera acceptio, & traditio materiae, evidens fit ex eo, quòd qui fiunt Sacerdotes, nec vinum, nec panem tangunt immediatè, sed mediante patena, & calice, veluti materiam illius Ordinis continentes. Quare, si solum tangeret calicem cum vino, habentem superpositam patenam cum pane, per talem contactum verè Ordinem reciperet. Et est ratio; quia ex communi modo loquendi, qui tangit calicem, dicitur tangere patenam in eo sustentatam, sicut dicitur tangere vinum in eo inclusum. Si dicās, quòd in Rituali præscribitur tangere calicem, & patenam: ergo hic contactus est necessarius. Respondeo non esse necessarium necessitate Sacramenti: benè verò necessitate præcepti. Et ideò graviter peccaret, eò quòd non exequeretur id, quòd ab Ecclesia in re gravissima est præscriptum.

96 Arg. Contactus physicus materiae necessarius non est ad verba illius formæ: *Accipe &c.* verificanda, nec ad traditionem, & acceptionem materiae: ergo sufficit moralis contactus. Prob. anteced. quoad primam partem: Verba illa: *Accipe* verificantur, quamvis ordinandus eodem instanti prolotionis verborum instrumentum non tangat: ergo contactus ille non est necessarius ad ver-

borum formæ verificationem. Prob, quoad secundam partem: Absque hujusmodi contactu physico plura traduntur, & acceptantur: ergo ad traditionem, & acceptionem non est necessarius. Antecedens constat: Tum; quia ut Paulus Equum donet Petro, & iste donationem accipiat, necesse non est, quod equum physicè tangat. Tum; quia ad Matrimonium necessaria est mutua traditio, & acceptatio corporum, & tamen nullus contactus physicus requiritur: ergo nec ad valorem Ordinis requiritur contactus physicus materiæ.

97 Respondeo, negando antecedens quoad utramque partem. Et pro prima parte, prænotari debet, aliud esse, Ordinantem physicè tangere materiam, & aliud valde diversum, simul omnino cum verborum formæ prolatione hunc materiæ tactum physicè existere. Non enim est necessarium, quod contactus materiæ sit simul physicè cum verborum prolatione, sed sufficit, quod sit simul moraliter: nam in compositis moralibus sat est unio moralis, ut forma materiam determinet: sic namque contactus ille moralis perseverare censetur, donec integra ordinatio per-

ficiatur. Unde sufficit, quod in aliquo instanti prolationis formæ materiæ tangatur à recipiente. Ad secundam antecedentis partem conc. quod contactus physicus non est necessarius ad traditionem, & acceptionem, sumptam genericè, & in communi, & nego, quod necessarius non sit ad aliquam in particulari, & in specie, qualis est, quæ requiritur in ordinatione. Nec querenda est alia ratio, quàm consuetudo, & praxis Ecclesiæ, quæ semper curat, & providet, ut ordinatus materiam tangat physicè: qua praxi, consuetudine, & providentia declarat, sic Christum instituisse: vel sic Ecclesiam determinasse, autoritate sibi à Domino concessa, designandi materiam, formam, & ritum Ordinum in particulari. Per hoc patet ad illud de Matrimonio, negando consequentiam, & paritatem: nam ex Ecclesiæ praxi, & non ex rationibus speculativis: hæc res decidenda est, ut supra dixi. Adde, quod in materiis, & formis Sacramentorum tenenda est tutior pars: aliter dubitaretur de Sacramenti valore: cum qua dubitatione non licet illud conferre, nec recipere, extra casum necessitatis.

DIS-

DISPUTATIO III.

DE MINISTRO, SUBJECTO, ET REQUISITIS SACRAMENTI Ordinis.

NEdum in Tractatu de Sacramentis in genere, verum etiam ex toto decursu hujus operis, satis apparent quamplura, quæ in controversiam fusiùs hinc solent agitare Theologi. Quare non multum immorabor in aliquibus, quæ restant, apperendis; aliis relictis, quæ de Ministro, & subjecto, aliorum Sacramentorum, facile in Ordinis Sacramento possunt colligi.

QUÆSTIO I.

De Ministro Sacramenti Ordinis pertractans.

98 **Q**Uamvis omnes Theologi in eo consentiant, quod solus Episcopus est Minister ordinarius hujus Sacramenti, sicut & est Confirmationis, tamen apud ipsos est controversia non levis circa Ministrum extraordinarium ex commissione Papæ. Ante resolutionem propositæ difficultatis suppono cum omnibus, non Sacerdotem non posse esse Ministrum Ordinis, adhuc ex commissione Papæ: & etiam solum Summum Pontificem conferre posse Sacerdoti facultatem ordinandi. Hoc supposito, prædictam commissionem alii valde ampliant, alii valde restringunt, ex quo oritur, quod vix unus conveniat cum alio. Aureolus, Angelus, Panormitanus, & alii, quos citat, & sequitur Hurtado, affirmant, posse Papam committere potestatem conferendi omnes Ordines, etiam Sacerdotium, Sacerdoti non Episcopo. Amicus, Martinonus, Frassenius, Hiquæus, & plurimi alii, negant de Presbyteratu: concedunt verò de Ordinibus minoribus, Subdia-

Tom. II.

conatu, & Diaconatu. Per oppositum Thomistæ communiter negant de omnibus Ordinibus Sacris, quibus Delgadillo adhæret, & affirmant de minoribus. At verò Adrianus, & Major, quos citat Hurtadus, negant etiam de Ordinibus minoribus.

99 Dico 1. *Solus Episcopus est Sacramenti Ordinis Minister ordinarius.* Sic definitur in Florentino, dicente in Decreto Eugenii: *Ordinarius Minister hujus Sacramenti est Episcopus.* Statuitur etiam expressè in Tridentino sess. 21. can. 7. Scotus dist. 24. idem docet, dicens: *Potestas, quam addit Episcopatus supra Sacerdotium, respicit aliquem actum sacramentalem, scilicet, confirmare, & Ordines conferre, actus sunt proprii Episcopo.* Constat eadem veritas ex Scriptura: nam Christus in ultima Coena ordinavit Apostolos in Sacerdotes: & ipsi Apostoli post Ascensionem Domini ordinaverunt Episcopos, Presbyteros, & Diaconos. Idem docuerunt SS. PP. maximè Dionisius lib. de Eccles. Hierarch. cap. 5. referens ritum ordinandi Episcopum, Sacerdotem, Diaconum, & alios initiatos inferioribus Ordinibus à Pontifice, seu Episcopo. Nec officit, quod olim Chorepiscopi conferebant Ordines Lectoris, Exorcistæ, & Subdiaconi,

Fff

ut

ut constat ex Concilio Anthiocheno, ubi dicitur de illis, quod ordinent Lectores, Exorcistas, & Subdiaconos: nam vel erant Episcopi, ut sunt hodie Episcopi titulares, qui carent plebe, vel si non erant, id faciebant ex commissione Sedis Apostolicæ.

100 Dico II. Pontifex committere potest Sacerdoti administrationem Ordinum minorum. Est communis contra Adrianum, & Majorem. Probatur ex Concil. Trident. sess. 23. in qua Abbatibus conceditur facultas initiandi, & ordinandi sibi subditos minoribus Ordinibus, per hæc verba: „ Abbatibus, & aliis quibuscumque „ quamvis esemptis, non liceat in „ posterum intra fines alicujus Diœ- „ cesis consistentibus, etiamsi nul- „ lius Diœcesis, vel esempti esse di- „ cantur, cuiquam, qui regularis si- „ bi subditus non sit, Tonsuram, vel „ minores Ordines conferre: „ ergo possunt conferre sibi subditis Tonsuram, & Ordines minores. Patet: nam Concilium supponit, Abbates ex Sedis Apostolicæ privilegio posse minores Ordines conferre suis subditis, solùmque prohibentur, ne illos conferant laicis, quamvis sibi subditis. Presbyteri Cardinales eodem gaudent privilegio ex consuetudine.

101 Dico III. Ex commissione Pontificis potest simplex Sacerdos conferre Ordines majores, Subdiaconatus, & Diaconatus, in sententia verè probabili. Probatur: de facto ad posse valet consequentia; sed Summi Pontifices facultatem hanc concesserunt Abbatibus Ordinis Cisterciensis: ergo cum nequeat dici, illam concessisse in re tam gravi sine legitima potestate, videtur fatendum, in Papa residere, et consequenter &c. Minor constat ex Decreto Innocentii VIII. emanato an. 1489. pro Abbate Cisterciensi, & aliis quatuor Abbatibus, sic dicente: *Ne Monachi dicti Ordinis pro suscipiendis Ordinibus Subdiaconatus, & Diaconatus extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, tibi, & successoribus tuis, ut quibus-*

cumque dicti Ordinis Monachis, quos ad id idoneos reperitis, Subdiaconatus, & Diaconatus, Ordines ritè conferre, liberè, ac licitè possitis, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, tenore præsentium de speciali dono gratiæ indulgemus. Alias similes Pontificias concessionem referunt Victoria, & Rodriguez in Bullario, & Navarrus, qui dicit, hoc privilegium revocatum esse à Tridentino sess. 28. cap. 8. quod etiam fatetur Vazquez. Verum talis privilegii revocatio nullo modo suadet, facultatem ad illud iterum concedendum in Summo Pontifice non residere.

102 Gonetus respondet, Pontificem in illo privilegio concedendo usum fuisse opinione probabili, quam probabilior existimavit, licet reverà sit minus probabilis. Eadem utuntur solutione Thomistæ in materia de voto solemnium, dum objicitur eis, Sedem Apostolicam cum aliquibus Monachis in voto castitatis, gravissimis de causis, dispensasse. Dicunt enim, Papam talem facultatem non habere, secutumque fuisse opinionem probabilem in tali dispensatione. Verum, salva pace, videtur mihi, argumentum de facto ad posse, & maximè in rebus his gravissimis, esse satis convincens: nec Summi Pontifices dispensassent, si de sua potestate ad id concedendum non essent adminus moraliter certi: aliàs ex hac commissione, & dispensatione, maxima sequeretur inconvenientia in Ecclesia, quæ à suo supremo Pastore non sunt inducenda, sed releganda. Si dicas; Subtil. Doct. etiam sensisse, Papam non posse committere simplici Sacerdoti conferre prædictos sacros Ordines: nam dist. 24. versu *Etsi circa*, dicit: *Episcopus, & solus, est Minister in Sacris Ordinibus: in aliis autem, non sacris aliquando ex commissione aliqui privilegiati, ut Abbates.* Respondeo cum Hiquæo in comm. Scotum ita sensisse cum DD.

DD. antiquis, eò quòd nullam concessionem invenerunt in canonibus, nec decretis Pontificiis, erga Sacros Ordines, sicut erga Ordines minores. Si ergo vidissent, credendum est, quòd eodem modo affirmassent: nam præcipua fundamenta, ut teneant, simplicem Sacerdotem ex commissione posse confirmare, & conferre minores Ordines, sunt; quia sic constat ex dispensatione jam facta, ex qua colligunt, posse fieri. Ergo perinde dicerent in proposito, si vidissent posteriores concessionem Pontificum. Quare dici debet, talem sententiam esse Scoti, & aliorum DD. antiquorum, quantum ad assertionem; non tamen quantum ad ipsorum mentem.

103 Dico IV. Sacerdos necessario debet ordinari ab Episcopo, quin possit ex commissione validè ordinari ab alio. Est contra Aureolum, Angelum, & alios antiquos. Probatur: Ubi hulla concessio Pontificia, nec praxis aliqua stat in contrarium, ritus servari solitus censeri debet esse ex divina ordinatione; sed nusquam legitur concessio facta simplici Sacerdoti ad alium Sacerdotem ordinandum, sicut legitur, & constat, de aliis Ordinibus: ergo signum est, quòd ex divina institutione Sacerdotium conferri debet à solo Episcopo. Patet hoc: quia cum Ecclesia sollicitè provideat in his, quæ ad confectionem, & ministrationem spectant Sacramentorum, nec umquam concesserit simplici Sacerdoti facultatem ordinandi alium Sacerdotem, sicut concessit facultatem conferendi alios Ordines, tam minores, quàm majores, signum est, quòd dispensatio hæc concedi non potest. Et ut occurrat instantiæ de probabilitate contrariæ sententiæ, quam in aliis Ordinibus secuti sunt Pontifices: ergo & sequi poterant in Sacerdotio. Respondeo, quòd admissa tali probabilitate, illam nec ausi sunt sequi Pontifices, nec possunt sequi, propter ingentia incommoda, quæ nasceren-

Tom. II.

tur ex illa: nam si alia opinio esset verà in re, tunc talis sic ordinatus in Sacerdotem, nec verè consecraret, nec à peccatis absolveret: & si fieret Episcopus, nec Chrisma Confirmationis benediceret, nec aliquem in Sacerdotem ordinaret. Cum autem hæc incommoda cessent, licet quis in re Subdiaconatum, & Diaconatum non reciperet, Pontifices aliquando concesserunt potestatem conferendi hos Ordines non Episcopo, ut supra diximus num. 101. Ultra illas concessionem aliqui ferunt, eandem factam esse sub Innocentio VIII. Prælati nostræ Religionis in India in prima conversione indorum, quando illi soli laborabant illic: numquam verò concesserunt potestatem conferendi Sacerdotium, non Episcopo, quamvis de hoc stet probabilis opinio.

104 Dico V. Episcopum excommunicatum, hæreticum, & degradatum, validè ordinare, quamvis illicitè. Sic sentire debent, quotquot asserunt, Episcopatum esse verum Ordinem, verumque imprimere characterem, uti cum omnibus Canonistis, & quamplurimis Theologis, docuimus disp. 2. quæst. 1. num. 49. Unde qui contendunt, non esse Ordinem distinctum à Sacerdotio, ac proinde potestatem Episcopalem non esse juris divini, sed juris humani, & officii ab Ecclesia collati, consequenter dicent, invalidè ordinare, cum extra controversiam sit, quòd jurisdictio ab Ecclesia collata potest à Pontifice suspendi. Probatur assertio: Episcopus hæreticus, excommunicatus, suspensus, degradatus, & simoniacus verè consecrat, & verum Eucharistiæ Sacramentum conficit; posita vera materia, forma, & intentione: ergo & verè ordinaret, si observaret, quæ servanda sunt, in Ordinum collatione. Prob. consequ. Ideò verè consecraret, quia potestatem consecrandi accipit Sacerdos à Christo, & ejus character per nulla scelera deleri potest; sed idem om-

Fff 2

ni-

nino sentiendum est de Episcopatu, & Charactere Episcopali: ergo. Unde sicut per degradationem non auferitur à Sacerdote potestas consecrandi corpus, & sanguinem Christi, sed dumtaxat prohibetur illius potestatis usus, ob quod per prohibitionem redditur illegitimus, non verò invalidus, sic pariter potestas ordinandi non auferitur, nec auferri potest quoad valorem ab Episcopo.

105 Arg. S. Leo. Epist. ad Episcopum Constantinopolitanum, dicit: *Extra Ecclesiam Dei nec rata sunt Sacerdotia, nec vera sacrificia.* Et Damasus Epist. 4. de talibus Episcopis ait: *Reiterari necesse est, quod legitime actum, aut collatum minime probatur:* ergo ordinatio ab Episcopo hæretico, degradato, aut excommunicato facta nedum illicita, sed invalida est, & irrita. Accedunt plurima juris Canonici decreta, in quibus dicitur, Episcopos Simoniacos, degradatos, & excommunicatos, non posse conferre Ordinis Sacramentum. Respondeo, omnia hæc intelligenda esse de potestate legitima quoad exercitium, aut exercenda sine peccato: nam quæ sine peccato facere non possumus, absolutè fieri non posse dicuntur, atque irrita, & nulla appellantur. Unde, ut glossa explicat, S. Leo solùm declarare intendit, Sacerdotia ab Hæreticis collata non esse rata, quoad gratiam, seu rem Sacramenti, licitum usum, & executionem. S. Damasus solùm ibi agit de ordinatis à Chorepiscopis, quos, quia negat, veros Episcopos esse, consequenter in eis veram ordinandi potestatem non agnoscit. Quare illorum ordinationem irritam existimat, & necessariò reiterandam.

QUÆSTIO II.

De subiecto capaci Sacramenti Ordinis.

106 **E**X perpetua, & numquam interrupta Ecclesiæ tra-

ditione constat omnibus fidelibus; certumque est certitudine fidei apud ipsos, ad Ordinis valorem requireretur virile jure divino. Infames Hæretici Pepusiani mulieres in Sacerdotes ordinabant, atque etiam in Altaris Diaconissas, & Episcopas, teste Augustino, hæresi 27. & Epiphonio hæri. 49. Hunc errorem jam extinctum suscitavit Lutherus, ut refert Alfonsus de Castro, lib. 10. adversus hæreses, verbo *Mulier*. Supponimus igitur, omnes viros baptizatos, & habentes rationis usum, capaces esse hujus Sacramenti, & quæritur: *an etiam fœminæ, Catechumeni, infantes, & amentes illius sint capaces?* De infantibus dixit Durandus dist. 25. quæst. 2. in quam sententiam inclinat Sotus lib. de iust. Sacerd. lect. 5. de Sacramento Ordinis, rem valde dubiam esse, an validè ordinari possint? Contra illos procedunt cæteri Theologi.

107 Dico I. *Fœminæ sunt incapaces Sacramenti Ordinis.* Ita omnes Catholici. Probat ex ipsa Christi institutione, qua solùm voluit viros, & non fœminas habere Ordinis gradum in Ecclesia: ergo jure divino exclusæ sunt fœminæ, & consequenter ratione sexus sunt incapaces. Antecedens probatur ab Scoto dist. 25. quæst. 2. ex eo, quod Christus Dominus nec Matrem suam, quam in majori possibili dignitate constituit in Cælo, & in terra, posuit in aliquo gradu Ordinis in Ecclesia. *Et Subdit:* ratio autem naturalis huic dicto consonat, quam Apostolus innuit 1. ad Cor. cap. 11. nam natura non permittit, mulierem, saltem post lapsum, tenere gradum Eminentem in specie humana: siquidem & dictum sibi in pœnam peccati sui, Gen. 2. sub viri potestate eris: ergo ex institutione divina Mulier subiecta est viro, atque adeo nequit esse capax gradus eminentis in Ecclesia, in qua præset, & publicè doceret ex officio, quod reprobat Apost. 1. ad Timo-

moth. dicens: *Docere autem Mulierem non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* S. Epiphanius contra Pepusianos hanc addit rationem, nempe, quod ab exordio mundi nulla mulier umquam legatur Deo obtulisse sacrificium, nec inter fideles, nec infideles: & Deus in lege Scripta ex solis viris elegit Sacerdotes, & Levitas ad ministerium Altaris: ergo potiori jure postulabat Evangelica lex, ut mulieres arcerentur ab omni Ordine Ecclesiastico, & Altaris ministerio. Omitto alias rationes, præsertim congruentiæ, videndas apud D. Thomam, D. Bonav. & alios DD.

108 Objicies cum Hæreticis Pepusianis 1. Ad Galat. 3. dicitur: *In Christo Jesu non est servus, neque liber, non est masculus, neque fœmina:* ergo in lege Evangelica non est discrimen, distinctio, seu differentia personarum, seu inter masculum, & fœminam: ergo Sacramentum, quod vir recipere potest, etiam fœmina poterit. 2. Fœminæ quædam fuerunt Prophetissæ, tam in veteri, quàm in nova lege: nam Maria soror Moysis, ex Num. 12. & Anna, filia Phaniel, ex Luc. 2. & quatuor filię Philippi Diaconi, ut patet ex Histor. Eccles. illustratæ sunt dono prophetiæ; sed Prophetia non importat minorem dignitatem, quam Ordo Ecclesiasticus: ergo pari ratione possunt mulieres promoveri ad illum. 3. Mulieri competere potest judiciaria potestas: ergo & Ecclesiastica Præfectura. Antecedens constat ex 4. Judicum, in quo dicitur, quod Debora judicavit Israël, & præfuit ei. 4. In pluribus Conciliis, Canonibus, & Patribus fit mentio Diaconissæ, Subdiaconissæ, Presbyteræ, & Episcopissæ in primitiva Ecclesia: ergo capaces sunt horum Ordinum. 5. Ad Corinth. 1. dicitur: *Docere mulierem non permitto:* ergo non est de jure divino, sed humano, aut Ecclesiastico: ergo mulier solùm ex humana dispositione incapax est ordinis.

109 Respondeo ad 1. loqui de indistinctione, quantum ad justificationem, & gloriam consequendam, ut inquit Doctor; non autem quantum ad officium, gradum, & honorem Ecclesiasticum. Ad 2. disting. minor. Non importat minorem dignitatem, nec valde diversam, ac impotentem æquiparari cum Ecclesiastico Ordine, nego: sumpta dignitate nudè, transeat: & nego consequent. Per donum Prophetiæ non constituitur mulier supra virum in ordine Ecclesiastico, nec habet potestatem supra laicos, quod quidem haberet, si ordinaretur. Hujus præminentia privata est jure divino. Et patet; quia sua Mater purissima fuit incomparabiliter super omnes Prophetissas, non autem fuit superioritate ordinis, ut constat ex supradictis. Ad 3. nego consequent. Potestas judiciaria temporalis est, non spiritualis: quare illa fœminæ competere potest, non ista ex Christi dispositione, & ex rationibus pro conclusione adductis. Ad 4. nego consequent. In Conciliis, & Patribus, Diaconissa, Presbyterissa, & Episcopissa vocabantur illæ, quarum viri, separatione facta quoad thronum, transierant ad Subdiaconatum, Diaconatum, Presbyteratum, & Episcopatum. Vel cum Scoto, quod fortè in Græcia, ubi Sacerdotes licitè utuntur matrimonio, prius contracto, uxor illius dici potest *Presbyterissa*: at verò apud Latinos, ubi castitas, non conjugalis, sed simpliciter, est annexa Ordini, potest dici *Presbyterissa* aliqua bona matrona vidua, & inter alias mulieres magis perfecta. Vel illa, quæ in aliquo collegio aliis præest, ut Abbatisa inter moniales. Sed ista per hoc non habet gradum altiore ordinis. Consimiliter potest dici ad illud de Diaconissa, quod illa, cui competit ex ratione Abbatisæ, vel præfecturæ allicujus collegii, legere Homiliam in matutino, vocari potest Diaconissa. Hucusque Scotus.

110 Colliges 1. nedum asserentes, omnes Ordines, etiam minores, esse Sacramenta, dicere debere, foeminam omnium illorum esse incapacem; sed etiam negantes, minores Ordines Sacramenta esse, dummodo alias affirmant, institutos fuisse a Christo, non ab Ecclesia. Si enim Ecclesia non sentiret, foeminam jure divino incapacem esse Ordinis, credibile est, quod aliquando alicui santissimae foeminae Ordinem alicujus Ordinis minoris contulisset, quod nec Christus Matri suae concessit, nec Ecclesia alicui alteri. Haec ratio etiam probat contra Paludanum, non posse recipere foeminam primam Tonsuram, quae dispositio praevia est ad Ordines, & in statu Ecclesiastico constituit recipientem, ut constat ex dictis. Colliges 2. Hermaphroditam, in quo praevalet foemineus sexus, incapacem esse Ordinis; secus si in illo praevalet sexus virilis. Ratio; quia prior proprie est foemina, posterior proprie est homo. Si aequae inclinet in sexum utrumque, etiam incapax est; quia non est homo proprie.

111 Dico II. *Catechumeni non sunt capaces Sacramenti Ordinis: bene vero infantes baptizati.* Est communis contra aliquos paucos antiquos Theologos. Probatur 1. pars: Baptismus est janua Ecclesiae, & ejus Sacramentorum; sed Ordo est Ecclesiae Sacramentum: ergo cum Catechumenus baptizatus non sit, non est capax recipiendi Ordinem. Praemissae ex saepius declaratis sunt manifestae. Et quamvis negaretur, Ordines minores esse Sacramenta, ratio eodem modo urget; quia innegabile est, esse ad minus Ordines Ecclesiasticos, tribuentes potestatem aliquam in Ecclesia, intra quam solus est baptizatus. Secunda pars est D. Thomae, D. Bonav. Scoti, & Doctorum communiter. Probatur a simili de aliis Sacramentis imprimis characterem, quae pueri possunt suscipere valide, nempe, Baptismus, & Confirmationem: ergo & ordinem.

Veritas haec, loquendo de Ordinibus minoribus, & Subdiaconatu, expressè supponitur in cap. de *Clericis promotis per saltum*, ubi dicitur: *Puer minoribus Ordinibus ordinatus non debet iterum ordinari.* Eodem modo loqui debet de amente, qui numquam usus est ratione. Excipitur, si aliquando usus est antequam in dementia incidere, & voluntatem habuit non recipiendi Ordines; quia tunc merito reputaretur in tali voluntate in dementia permanere.

112 Arg. contra primam partem: Tum; quia Catechumenus per fidem conjungitur Christo, ejusque efficitur membrum: ergo redditur capax meritorum Christi. Sed Christi merita communicantur nobis per Sacramenta, veluti per instrumenta suae passionis: ergo Catechumeni capaces sunt Sacramenti Ordinis. Tum; quia olim in Ecclesia Alexandrina *Lectores* indifferenter assumebantur ex fidelibus, & Catechumenis; sed *Lectoratus* est unus ex Ordinibus minoribus: ergo. Respondeo ad 1. distinguendo antecedens: conjungitur inchoative tantum, concedo: proprie, nego antec. & consequent. Catechumenus itaque per solam fidem ipsius statui correspondentem, non fit Christi membrum proprie, & perfectè: hoc namque fit per unionem visibilem cum Ecclesia visibili, sed tantum inchoative. Quare nondum est capax illorum donorum, quae Christus voluit communicari fidelibus, suae Ecclesiae actu visibiliter unitis, per Sacramenta a se instituta. Ad 2. dico, Ecclesiam Alexandrinam Catechumenos aliquando assumpsisse, non ad Ordinem, sed ad actionem *Lectoris*, & *Psalmistae*: caeterae vero Ecclesiae non nisi baptizatos ad talia officia assumpserunt semper. Ex dictis inferes, Catechumenum contrahentem Matrimonium, non recipere gratiam sacramentalem, quam Sacramentum hoc causat baptizatis: non enim est capax Matrimonii, ut Sacramentum est, sed solum ut est contrac-

tractus naturalis, & civilis. Ex qua doctrina conclusio roborari potest.

113 Arg. contra secundam partem assertionis: Ad Sacramenti validam receptionem necessaria est intentio recipientis, vel propria, si est adultus, vel interpretativa, si est parvulus: talis est intentio parentum, vel Ecclesiae in parvulorum baptismo; sed si parvulus ordinaretur, non esset propria voluntas, & intentio, ut per se est manifestum, cum careat rationis usu: aliunde nec interpretativa: nam cum ordo non sit de necessitate salutis, sicut Baptismus, voluntas parentum non est interpretative quoad Ordinis susceptionem voluntas filiorum: ergo parvulus est incapax Sacramenti Ordinis. Deinde, ad Ordinem sufficere non potest voluntas aliena, sicut ad Baptismus: Tum; quia si in Baptismo sufficit, ideò est, quia est necessarius ad salutem: Tum; quia Baptismus est deletivus peccati, quod aliena voluntate fuit contractum; sed neutrum istorum reperitur in Sacramento Ordinis: immò jam adultus licite posset velle non esse Ecclesiasticus: ergo nulla est ratio, aut congruentia, ut dicatur, sufficere ad ejus receptionem voluntatem alienam. Confirmatur: Per illa verba formae ordinationis: *Accipe potestatem &c.* denotatur actio, seu acceptatio recipientis: ergo requiritur recipientis consensus; quia non datur sine illo humana actio: ergo cum in parvulo repugnet consensus, etiam repugnat Ordinis susceptio. Urgetur: Absurdum videtur, parvulum, omnino carentem usu rationis, dici, & esse Sacerdotem, Episcopum, & etiam Papam; sed omne hoc sequeretur, si valide ordinaretur, & maxime, si Episcopatus est verus Ordo, uti nos diximus: ergo. Haec sunt Durandi argumenta, quae ab aliquibus vocantur levissima, ab aliquibus satis fundata.

114 Respondeo negando majorem rotundè cum Scoto d. 4. quæst.

3. ubi affirmat, parvulum non baptizari in fide Parentum, neque Ecclesiae &c. ut communiter dicitur a pluribus: nam ut bene Gonetus advertit, in parvulis ad recipienda Sacramenta, quorum sunt capaces, ut *Baptismus, Confirmationem, & Eucharistiam* necessaria non est intentio, nec ipsorum, nec Parentum, nec Ecclesiae, pro ipsis consentientis, & cujus voluntas sit voluntas parvulorum interpretative; sed solum requiritur ex institutione Christi ad illorum valorem, respectu parvulorum, quod ipsis applicetur materia, & forma cum intentione debita. Unde Baptismus parvulorum est validus ex Christi institutione, etsi parentes reniterentur. Idem ergo dicendum est cum proportionem de Sacramento Ordinis, nempe, quod, renitentibus etiam ipsis Parentibus, valide ab infante reciperetur, debite applicata materia, & forma ab Episcopo. Advertendum verò, quod talis parvulus, cum ad annos discretionis pervenisset, non teneretur in Ordine in infantia sibi collato perseverare, sed posset illi renuntiare, & matrimonium contrahere: nam independenter ab ejus voluntate non potest Ecclesia illum obligare ad votum continentiae. Ad confirmationem nego antecedens: quia illa actio, seu tangentia facta a parvulo non erit moralis, aut meritoria, bene verò sufficiens ad Sacramenti valorem. Ratio est; quia potestas, quae per Sacramentum Ordinis datur, non confertur per modum donationis, pacti, aut contractus, ad quod requiratur acceptatio, sed per modum operationis efficaciae, respectu cujus recipiens merè passivè se habet: modo quo confertur per Baptismus gratia, & potestas, recipiendi alia Sacramenta, & participandi bonis communibus Ecclesiae. Unde per illa verba: *Accipe potestatem &c.* non invitaretur ad eam recipiendam rationabiliter, & moraliter, sed significaretur dantis potestas, & vera traditio. Parifi-

rifica in Baptismo, in quo infanti dicitur: *Accipe Sal Sapientiae. Accipe signum Crucis Domini nostri Jesu Christi.*

115 Ad confirmationem nego, absurdum esse, infantem Presbyterum denominari, cum hæc denominatio non fiat ab actu, seu exercitio ministerii, sed à potestate per externum signum collata infanti, & permanente in caractere. Sic dicitur rationalis, quamvis nullum rationis actum exercere possit, & fidelis ab habitu fidei sibi infuso per Sacramentum Baptismi. Idem sentiendum est de Episcopatu in sententia asserente, esse verum Sacramentum, verumque Ordinem, ac imprimere verum characterem, qui est potestas utendi in Ecclesia tali munere. Imò etiam in opinione negante, ac dicente, Episcopatum solum esse extensionem characteris, & potestatis supra Sacerdotium. Si opponas: parvulus non potest validè contrahere Matrimonium: ergo nec fieri Episcopus. Consequentia patet; quia Episcopus cum Ecclesia sibi tradita contrahit Matrimonium. Nego consequent. quia Episcopatus non est verum Matrimonium, ut per se est notum, sed solum similitudinarium, & mysticum. Vel dico, duo esse distinguenda in Episcopatu, nempe, *potestatem ordinis, & potestatem jurisdictionis*, de quibus satis diximus disp. 1. quæst. 1. num. 14. Potestas jurisdictionis stat in Pastoralis Cura animarum, & spiritali matrimonio cum Ecclesia, cujus gubernationem suscipit. Infanti itaque conferri potest primum, non verò secundum; quia hoc præsupponit libertatem, & consensum, non tamen illud. Et idem responderi potest ad illud de Papatu.

116 Hoc adhuc stante, non displicet doctrina Gonetii. Distinguit enim dignitatem Presbyteralem, Episcopalem, & Papalem, & dicit: puerum incapacem esse Papatu, eo quod potestas Papalis, quæ omnium maxima est, sit potestas mystici capitis in-

fluentis in membra totius Ecclesie per directionem, gubernationem, & dogmatum fidei propositionem. Et cum repugnet, quod infans influat per modum mystici capitis in Ecclesie membra; quia hic influxus debet in membra derivari, media regulationis, qua infans caret, consequenter repugnat in eo potestas Papalis. Quare Deus de facto non confert potestatem hanc, nisi personæ, quam Ecclesia, ut ad hoc munus idoneam elegerit. Unde si electio aliter fieret, nulla esset, utpote repugnans legi, ac juri naturali.

QUÆSTIO III.

Qua lege cœlibatus annexus sit sacris Ordinibus?

117 **L**ex cœlibatus, seu perpetuæ continentie in suscipientibus sacros Ordines intelligi potest ante, & post Ordinis susceptionem: nempe, quod quis nec nubat, nec possit nubere, postquam aliquem ex sacris Ordinibus suscipit: & quod qui jam conjugatus initiatur Ordinibus sacris, ex tunc perpetuam continentiam servet. Unde difficultas in utroque sensu promovetur, & in utroque Theologi dividuntur. Turrianus cum aliquibus aliis paucis contendit, nedum teneri jure divino non contrahere conjugium, post Ordinem sacrum susceptum, sed etiam eodem divino præcepto obligari non amplius uti conjugio eos, qui Ordines sacros susceperunt, post Matrimonium contractum. Major, Medina, & alii negant, conjugatos ante sacros Ordines teneri post eorum susceptionem ad continentiam jure divino, & affirmant, divina lege esse hominibus vetitum post Ordinem contrahere Matrimonium. Cæteri verò Theologi unanimiter sentiunt, non divino jure, sed præcepto, & jure tantum Ecclesiastico teneri ordinatos in sacris ad continentiam, sive Matrimonium contraxerint

rint ante, sive post Ordinis susceptionem. Et addunt, justissimè ab Ecclesia prohibitum esse carnale commercium cum uxore sua talibus sic ordinatis. Hæc audientes Græci Schismatici, prurientes auribus, Ecclesiam Latinam insultant, quod ordinatos post conjugium jubeat separari ab uxoribus, & conjugio non vacare amplius. Huic audacie consentientes novatores Hæretici, & ulterius procedentes, clamitant, injustè ab Ecclesia statutum fuisse, illos, qui jam Ordinibus sacris sunt initiati, Matrimonium contrahere non posse: addentes, talem legem antiquis Conciliis repugnare, ac post multos Ecclesie sæculos à Pontificibus introductam fuisse. Hanc igitur difficultatem resolvendo per partes:

118 Dico I. *Nec uxorati ante ordinem Sacrum, nec uxorati post illum, tenentur ad continentiam cum suis uxoribus jure divino, sed tantum Ecclesiastico præcepto.* Ita frequenter Theologi cum D. Thoma 2.2. quæst. 88. dicente: *Non est essentialiter annexum debitum continentie Ordini Sacro; sed ex statuto Ecclesie.* Unde videtur, quod per Ecclesiam possit dispensari in voto continentie, solemnizato per susceptionem sacri Ordinis. Idem sentit Doct. Subt. 4. dist. 37. versu: *Dico igitur.* Probatur quoad primam partem: Tum: Ecclesia non dispensat in his, quæ sunt de jure divino, nec tolerat aliquid lege divina prohibitum, ut per se est manifestum; sed Ecclesia cum Græcis dispensat, & permittit, ut qui Ordines Majores susceperunt, maneat in usu Matrimonii antea contracti, vel saltem tolerat talem Græcorum consuetudinem: ergo talis conjugalibus usus non est illis prohibitus jure divino, sed Ecclesiastico tantum. Probatur minor: quia talis Græcorum praxis non improbat ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi, in quo inter Patres de hac materia expresso fuit sermo: pariter nec in Concilio Lugdunensi, nec Florenti-

Tom. II.

no legitur, objectum fuisse Græcis, quod eorum Sacerdotes uterentur conjugio ante ordinationem sacram contracto: nec ipsis imposita fuit lex continentie, quæ in Ecclesia Latina viget: ergo. Tum S. Gregorius Magnus Subdiaconis Siciliæ permisit uti uxoribus ductis ante ordinationem, quamvis vetuerit, tales ordinari in posterum, nisi continentiam promitterent unâ cum uxoribus; sed hoc non permisisset, si intellexisset, jure divino prohibitum esse: ergo solum est prohibitum Ecclesiastico jure. Tum denique; Ecclesia statuit multis canonibus, ut qui Sacris Ordinibus initiandi sint, votum continentie emittant; sed si continentia divino jure esset illis annexa, necessaria non esset lex Ecclesie, aut votum, ad talem continentiam ex parte ordinandorum obligans: ergo continentia jure tantum Ecclesiastico annexa est Sacris Ordinibus.

119 Secunda pars, nempe, quod solum ex Ecclesiastico præcepto tenentur ad continentiam, qui Matrimonium contraxerunt post Ordinem Sacrum, probatur: tum rationibus præcedentibus: si enim Matrimonii usus prohibitus non est jure divino illis, qui ante Ordinem nupsent, nulla ratio assignari potest, cur ex divino præcepto sit prohibitus illis, qui post Ordinem sacrum contraxerunt Matrimonium, ex suppositione, quod sit validum: non enim prohibetur ordinatis in sacris ratione contractus, qui sacramentalis est, & bonus, sed ratione usus, qui solus videtur opponi cum sacro ministerio. Quare Tridentinum manifestè significat, dumtaxat esse juris Ecclesiastici, tales ordinatos Matrimonium contrahere non posse, dum sess. 24. can. 9. ait: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Religiosos castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto; anathema sit.* Unde, ut vides,

Ggg

tale

tale Matrimonium solum Ecclesiastica lege est prohibitum, ac irritum, non ex divina lege, aut præcepto. Tum: quia si Matrimonium jure divino pugnaret cum sacris Ordinibus, non posset Pontifex dispensare, ut initiatus sacris Ordinibus nuberet: non enim dispensat in divino jure; sed hoc dici nequit, cum constans sit apud Doctores, quod Ecclesia pluries in hoc dispensavit: quod quidem D. Thomas asserit de Presbytero, quamvis neget de Religioso professo: ergo.

120 Dico II. „ Lex Ecclesie prohibet ordinatos in sacris nubere „ post ordinationem: & latinis non „ permittit uti Matrimonio antea „ contracto, sed omnes illi tenentur „ ad perpetuum cælibatum. „ Quare Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, & Episcopi nubere non possunt; & si nubant, Matrimonium ex Ecclesie statuto est nullum. Est communis inter Catholicos contra Græcos Schismaticos, & Hæreticos, tam Calvinistas, quam Lutheranos, blaterantes, legem cælibatus esse iniquam, & Matrem libidinum. Probatur 1. à Subt. Doct. ex cap. *Placuit*, ubi sic legitur: *Placuit, Episcopos, Diaconos, & Subdiaconos, secundum priora instituta, abstinere ab uxoribus.* Id est, ait Glossa, *non contrahere.* Probatur 2. ex Conciliis: nam sic expressè decernitur in Concilio Apostolorum. Et in Conc. Nicesariensi dicitur: *Presbyter, si uxorem duxerit, deponatur.* Sic in aliis pluribus Conciliis, in quibus pro universali Ecclesia sic est statutum. Et denique id expressè, & novissimè definitur in Tridentino. Unde nulli ordinato in sacris licet apud nos Latinos, Matrimonium contrahere, vel si contraheret, irritum esset: neque uti contracto ante ordinationem. Quare, si quis post Matrimonium contractum ordinari vult, vivente uxore, ab ea separari debet, & curare, ut ipsa Monasterium ingrediatur, & castitatem voveat, nisi gravioris adeo sit etat-

is, quod non timeatur de illius incontinentia: nam in cap. *de conjugatis*, sic habetur: *Nullus conjugatorum est ad Sacros Ordines promovendus, nisi ab uxore, continentiam præfidente, fuerit absolutus.*

121 Hæc continentie lex, quæ continuò servata est in Ecclesia Latina, abrogata est in Græca, & permissum Ministris Altaris cum propriis uxoribus cohabitare, salvo eo tempore, aut hebdomada, qua sacris ministeriis sunt assessuri: nam tunc prohibentur uxoribus uti, ex statuto ipsius Ecclesie, quam regulam etiam Benedictus XIV. assignavit quibusdam Græcis ad gremium Ecclesie Romanæ reductis. Sed quando illa lex in Ecclesia Græca cæperit abrogari, & uxorius usus licitus esse his, qui Matrimonio copulati erant ante sacram ordinationem? Dubium, & incertum est, sicut sunt historiæ de hoc pertractantes. Aliqui sentiunt, abrogatam fuisse in Concilio Ancyrano, approbato à Leone IV. & celebrato ante Nicænum. Alii aliter sentiunt: & D. Hieronymus lib. 1. *contra Vigilantium*, testatur, quod suo tempore Orientalis Ecclesia solum Clericos Virgines, aut continentes, accipiebat: vel si uxores habuissent, mariti, quoad actum conjugalem, esse desistebant. Quod extra dubium videtur, est, quod tempore sextæ Synodi, inceptæ sub Agathone, & absolutæ sub Leone II. anno 683. licitum fuisse in Ecclesia Græca usum conjugalem his, qui uxores duxerant ante Sacram ordinationem: quem morem usque ad hæc tempora servant Græci, Ecclesia Romana permittente: excepto tempore illo, quo secundum suam vicem sacris altaribus inserviunt. Sed advertendum ex pluribus, qui diu in Græcia commorati sunt, & Ecclesie Græcæ ritus, & consuetudines observarunt, & noverunt, quod Episcopi Græci non cohabitant cum uxoribus, quas duxerant ante Sacram ordinationem, ut patet ex canone 12. ejusdem sextæ Syn-

Synodi. Nec Græci nunc ordinari eligunt in Episcopum, nisi vel professum religione, vel qui perpetuam castitatem servet, & non habeat uxorem.

122 Dico III. *Justè, ac utiliter statutum est ab Ecclesia, ut castitatem servant, sacris Ordinibus initiati.* Prob. 1. In antiqua lege illi, qui tractaturi erant res, multò minus sacras, & sanctas, quam est ministerium sacrum novi Testamenti, jubebantur ab uxoribus abstinere: ergo potiori jure in Ecclesia Catholica sic decerni debet, & consequenter &c. Consequentia patet argumento à minori ad majus. Demonstratur antecedens: Tum Exodi 19. in quo, Israëlita, cum legem accepturi essent, jubentur, ne suis uxoribus appropinquarent. Item Exodi 12. qui Agnum Paschalem erant comesturi, jubebantur *renes accingere*, id est, exponit D. Gregorius Hom. 22. in Evang. *Voluptates carnis edomare.* Tum: nam ut colligitur ex 1. Paralip. 24. & ex Lucæ 1. Sacerdotes per vices ministrantes in Tabernaculo, debebant abesse à domo, & uxoribus, toto tempore vicis sue: ergo justum est, quod Sacerdotes nostri, perpetuò vacantes sacro Ministerio, perpetuam servant continentiam. Sic arguit, & meritò Innocentius I. Epist. 9. ad Victricium Episcopum. Tum: ex 1. Reg. ubi David, & comites non fuerunt admissi ad panes propositionis, nisi protestarentur, *se continuisse à mulieribus.* Ex quo factò rectè colligit D. Hieronymus in cap. 1. ad Titum, nostros Sacerdotes perpetuam debere servare continentiam, eò quod corpus Christi, illis panibus significatum, continuò consecrant, edunt, & ministrant, ac Virginis filium, sponsum Virginum, & omnis puritatis fontem, quotidie attrectant manibus. Alia sunt plura Scripturæ loca, ex quibus manifestè deducitur eadem veritas, & confutantur Hæreticorum responsa, quæ frivola omnino sunt, at-

Tom. II.

que futilia.

123 Probatur secunda conclusio: Conjugalis usus est non leve impedimentum, ut sacri Ministri rectè suo fungantur officio: ergo rectè, & justè illis prohibetur, ac cælibatus commendatur, & castitas præcipitur. Prob. antecedens ex eo, quod ad officium sacrorum ministrorum pertineant præcipuè duo, scilicet, *sacrificare, & orationi vacare*, ac contemplationi; sed consuetudo conjugalis valde obstat his duobus actibus: ergo. Antecedens quoad primam partem videtur manifestum: nam cum sacrificium Altaris sanctissimum, & augustissimum sit, valde decet, ut qui offerunt illud, quadam insigni puritate, ac munditia mentis, & corporis polleant; & quidem, ut supra dictum est, potiori jure, ac ratione, quam in veteri lege. Quoad secundam partem non est antecedens minus verum: siquidem actus conjugalis non parum aciem mentis hebetat, atque ab oratione, & contemplatione divinarum rerum animum distrahit, ac avertit. Idcirco Apostolus 1. ad Corinth. conjugibus suadet continentiam ad tempus, ut orationi meliùs vacare possint. Nunc sic: sed Evangelici Sacerdotes semper incumbere debent orationibus, & sacrificiis offerendis: ergo semper debent à conjugio abstinere.

124 Si quæras: *Quo tempore Ecclesia præceperit continentiam sacris Ordinibus initiatis?* Respondeo cum communiori Theologorum sentire, talem legem ab Apostolis constitutam esse. Est contra prædictos Hæreticos, volentes, hanc legem post sæculum quartum ortam fuisse. Prob. 1. ex Epist. 2. Clementis, qui successor ferè immediatus fuit D. Petri, scripta ad Jacobum, & quæ probata est usu totius Ecclesie, in qua hæc habentur, ut sibi data, & monita à D. Petro: *Ad Dominica Mystera tales eligantur, qui ante ordinationem uxores suas non cognoverint; quod si post ordinationem Ministro Altaris*

Ggg 2

con-

contigerit proprium invadere cubite uxoris; sacrarii non intret limina, nec altare contingat: nec ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, nec ad Domini corporis portationem accedat &c. Prob. 2. ex Concilio Carthaginensi II. Can. 2. ubi legitur: Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiam custodes, etiam ab uxoribus, se abstineant; ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Quid clarius? Denique probatur ex illis verbis Apostoli ad Titum: Oportet Episcopum continentem esse; sed nomine continentem significatur abstinencia, etiam a conjugali amplexu, ut exponit D. Hieronymus, sic dicens: Continentem addidit, nempe, ab uxoris etiam amplexibus: ergo. Unde notat Bellarminus, Paulum usum non fuisse nomine castum, quod etiam convenit conjugatis, suo jure utentibus, sed nomine continentem, quod abstinenciam importat ab omni conjugali commercio.

125 Et advertendum, quod licet Diaconis, Presbyteris, & Episcopis, ab initio prohibitum fuerit contrahere matrimonium, non tamen Matrimonium ab illis contractum nullum fuit ab initio, sicut est nunc jure Ecclesiastico. Constat ex Concilio Anagyrao Can. 10. ubi solum dicitur: Diaconos, qui professi continentiam in ordinatione, postea duxerint Matrimonium, debere cessare a ministerio: non vero dicitur, debere separari ab uxoribus, sed eis permittitur laica communio: Sed si tale Matrimonium invalidum esset, debuissent separari ab uxoribus, seu potius concubinis, nec ipsis communio laica, in tali concubinato manentibus, permitti posset: igitur tale matrimonium tunc non erat, sicut nunc, irritum jure Ecclesiastico. De Subdiaconatu jam diximus disp. 2. sub q. 3. num. 79. non semper habuisse annexam obligationem continentie, si-

cut nunc habet, ob quod in primitiva Ecclesia computatum non fuit inter Sacros Ordines. Vide ibi.

126 Arg. cum Turriano adversus primam partem 1. resolutionis: Sacerdotes, & Levitae veteris Testamenti, jure divino prohibebantur suis uxoribus commisceri tempore suae vicis: ergo Sacerdotes, & Levitae novi Testamenti tota vita tenentur continentiam servare. Prob. consequ. Eo illi jure divino ad illam continentiam tenebantur, quia eo tempore pertractabant divina mysteria, quae hanc puritatem animae, & corporis exigebant; sed Sacerdotes, & Levitae novi Testamenti toto vitae suae tempore mysteria divina tractant: ergo si &c. Nego consequentiam, & paritatem. Disparitas est, quod de Sacerdotibus, & Levitis veteris Testamenti habemus plura testimonia Scripturae, quibus Deus jubet, eos ab usu matrimonii abstinere tempore suae vicis: at vero de Sacerdotibus, & Levitis, novi Testamenti nullum adest divinum testimonium, quo id eis praecipiat: imo plures sunt rationes, & auctoritates in oppositum, ut videri est ex supradictis, & praecipuum num. 119. Et quando argumentum aliquid convinceret, solum esset, sacros homines jure divino teneri abstinere ab usu conjugii, eo tempore, quo ministrantur altari, quo etiam tempore ab uxoribus se abstinent Graeci, exemplo Sacerdotum, & Levitarum veteris Testamenti.

127 Arg. cum Medina adversus secundam partem: Etsi indultum sit Graecis, ut uti possint matrimonio ante Ordinem sacrum contracto; numquam tamen cum illis est dispensatum, ut possint uxores ducere, post Sacros Ordines susceptos: ergo signum est, Ecclesiam in hoc dispensare non posse: ergo quia hoc est altioris juris, quam humani: ergo est juris divini. Confirmatur 1. Juxta Concilia, & Patres, conjugia carnalia prohibita sunt hominibus sacris, quia sunt personae Deo consecratae, non

non minus, quam vasa consecrata; sed ex natura ipsius consecrationis, v. g. Calicis, provenit, quod nequeat ad alios usus deservire: ergo pariter, ex ipsa sacrorum Ordinum natura, & institutione provenit, quod non liceat ordinatis in Sacris Matrimonio contrahere: ergo non praecipit ex Ecclesiae prohibitione, sed naturali, & divino jure. Confirmatur 2. Major olim imponebatur poena illis, qui Matrimonium contraherent post Ordines Sacros, quam illis, qui utebantur Matrimonio antea contracto: ergo illud erat majus peccatum, quam istud: ergo si istud adversatur legi Ecclesiasticae, illud adversatur legi divinae.

128 Nego omnes consequentias ex antecedenti deductas. Et quod Ecclesia dispensaverit aliquando, & dispensare posse in tali praecipito, constat manifeste ex num. 119. Itaque, licet praecipitum de non contrahendo Matrimonium ante sacros Ordines sit solummodo Ecclesiasticum, sicut est de non utendo matrimonio ante Ordines sacros contracto; tamen Ecclesia prudenter judicavit, & voluit in favorem Matrimonii jus jam possidentis, cum Graecis dispensare in Matrimonii jam antea contracti usu, & non in Matrimonio contrahendo. Ad Confirmationem 1. nego mio. Praecipitum enim prohibens prophanum usum calicis consecrati tantum est Ecclesiasticum, sicut & ipsa calicis consecratio. Ob quod Ecclesia, aliqua urgente necessitate, dispensare potest, ut vasa consecrata Deo applicentur ad usus prophanos: atque pariter cum homine sacro ad contrahendum Matrimonium. Unde falsae sunt consequentiae. Ad 2. Confirmationem concessa antecedente, & prima consequentia, nego secundam. Major vero est 1. peccatum, quam 2. quamvis neutrum sit divino jure prohibitum, sed Ecclesiastico tantum. Unde non est mirum, quod ab Ecclesia statuta fuerit major poena pro peccato illorum, qui post Ordines sa-

culos nubunt, quam pro peccato eorum, qui nubunt matrimonio ante ordinationem contracto.

129 Arg. cum Haereticis adversus 2. & 3. resolutionem 1. Matrimonium est juris naturalis ad naturalem procreationem, & etiam juris divini, ex illo Gen. 1. Crescite, & multiplicamini ergo nulli potest ab Ecclesia prohiberi, vel prohibetur injuste. Confirmatur ex eo, quod Apostoli uxores habuerunt, easque duxerunt secum, ut videtur constare ex 1. ad Corinth. Ergo pariter Clerici uxores habere debent. Distinguo ant. est juris &c. permissivè, & respectu totius humanae communitatis, concedo: praecipivè, & respectu cujuslibet particularis, nego antecedens, & consequentiam: alioquin sequeretur, quod Christus Dominus, BB. Virgo, Baptista, alique innumeri viri, & foeminae Virgines, peccassent contra jus divinum, & naturale, quod cogitare impiissimum esset. Praecipitum ergo illud Gen. Crescite &c. non obligavit singulos homines, ut pulchre ait D. Ambrosius, nisi eo tempore, quo paucitas hominum id exigebat, ut terra repleretur: non vero postquam hic finis per totas generationes est consecutus. Deinde: Ecclesia nulli prohibet simpliciter nuptias, nec ulli invito legem imponit continentiae, sed tantum exigit, veluti onerosam conditionem ab his, qui Ordines sacros suscipere volunt, quod propter reverentiam Ordinis, & sacri ministerii, continentiam profiteantur: at vero illis liberum omnino est, suscipere, vel non suscipere Ordines, & consequenter nubere, vel continentiam servare. Ad Confirmationem dico, de solo Petro constare, quod uxorem habuerit. Et si qui alii Apostoli, quod non constat, uxorati fuissent ante vocationem ad Apostolatam, certum est omnino, ab uxoribus abstinuisse, ex quo primo constituti sunt Apostoli, & Christo adjuncti sunt, ut demonstrat D. Hieronymus lib. 1.

contra Jovinianum, ex illis verbis, suo, & aliorum nomine prolatis, Marth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Et quod inter hæc omnia, relicta ab eis, intelligantur uxores, quoad consuetudinem conjugatam, patet ex responsione Domini, quod sit omnia relinquere, interpretantis: *Omnis, qui reliquerit Patrem, aut Matrem, aut uxorem.* Nec intelligi debet Paulus de uxoribus, sed de plis mulieribus, quæ sorores ab illis vocatæ sunt, & quæ Apostolos sequebantur, et in rebus ipsis necessariis opem ferebant, vel pecunia, vel ministerio suo.

130 Arg. 2. cum Ipsismet Hæreticis: Apostolus 1. ad Timoth. dicit: „Oportet, Episcopum esse unius uxoris virum. Et, Diaconi sint unius uxoris viri. Et, unusquisque uxorem suam habeat. Et, melius est nubere, quam uri. Et, novissimis temporibus aliquos introducturos esse doctrinam dæmoniorum, prohibentem nubere. Et ad Hebr. 13. ait: Connubium esse honorabile in omnibus: ergo & in Sacerdotibus. Confirmant: Lex de cœlibatu Sacerdotum non solum est observatu impossibilis, sed etiam innumera peccata, & scandala causati ergo est iniqua. Probatur antec. Christus dicit: *Non omnes capiunt verbum istud*, nempe, non sunt capaces cœlibatus: ergo. Hæc sunt præcipua, quæ Hæretici objiciunt ex Scriptura, ut temerè persuadeant, legem Ecclesiasticam de cœlibatu perniciosam esse, iniquam, atque adeo nullam. At verò omnia ea cavilosa sunt, & frivola.

131 Respondeo itaque, Paulum in primo loco non intendere, quod quis ut Episcopus sit, vel postquam jam talis constitutus est, uxorem actu habeat. Sed tantum vult, quod ante suam ordinationem, non nisi unam tantum habuerit: ut sic declaret, Bigamos ordinandos non esse, sed removendos ab altari. Idem intelligendum est de Diaconis. Quod A-

postoli intentum non fuerit aliud, patet ex eo, quod cap. 5. ejusdem Epist. vult, viduam, unius viri uxorem, eligi in Diaconissam: implicat autem, quod vidua actu virum habeat. Illud, nempe, *melius est nubere, quam uri*, verum erit in illis, qui mancipati non sunt voto castitatis, & nolunt vincere Dei auxilio tentationes carnis, atque adeo peccant voluptuosè: alias Christus non laudaret, ut laudat, illos, *qui se contraverunt propter Regnum Cœlorum*, scilicet, qui ex amore Dei abstinere à veneris, & servant castitatem. Alio in loco Paulus loquitur de Hæreticis, cujusmodi fuerant Manichæus, Martion, & Tatianus, qui damnarunt inuptias, ut simpliciter illicitas, & per se malas. Nec obest, quod dicat: *novissimis temporibus*: nam ex 1. ad Corinth. & ex 1. Joan. Totum Ecclesiæ tempus dicitur *novissima hora, & finis sæculorum*. In ultimo loco monet fideles, ut connubium suum in omnibus reddant honorabile, nempe, ex omni parte, sive ex parte Sacramenti, sive ex parte fidei mutuò datæ, sive ex parte prolis susceptæ, & benè educatæ, quæ sunt tria bona Matrimonii. Unde immediatè addit: *fornicatores enim, & adulteros judicabit Deus.* Ad confirmationem nego antec. & consequ. Lex itaque bona est in se, & sancta: at verò ex humana nequitia veniunt scandala: non quidem solum ex cœlibatu, sed etiam inter uxoratos, in quibus adulteria non desunt. Quod autem non omnes apti sint cœlibatui, quid inde? Isti nec apti sunt Sacerdotio, nec coguntur ad illud. Non ergo impossibilis est continentia: nam aliquibus bonum est *mulieres non tangere*: & dictum est etiam: *Qui sine uxore es, noli querere uxorem.* Unde adveniente jam plenitudine temporum, prædicebatur ex tunc innumeræ futuræ virginæ, quæ sequerentur Agnum; *quia virgines sunt.*

QUÆS-

QUÆSTIO IV.

In qua plura resolvuntur dubia, ex jam dictis emanata.

132 Quæres 1. *Quo jure Bigamus sit incapax Ordinis?* Tam Theologi, quam Canonistæ, uniformiter sentiunt, Bigamum irregularem esse, ac Ordinis incapax. Constat ex Apostolo 1. ad Timoth. & 1. ad Titum, dicentem, Episcopum unius uxoris debere esse virum, quæ ratio eadem est pro Sacerdote, Diacono, & Subdiacono. Sic constat etiam ex can. 17. Apostolorum, ubi sic dicitur: *Siquis secundis nuptiis fuerit copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deserviunt.* Et quidem disconvenientia, quam bigamia habet cum Clericali statu in eo præcipuè consistit, quod per Sacros Ordines Clericus desponsatur Ecclesiæ, quæ desponsatio exprimit conjunctionem divini Verbi cum natura humana, & Christi cum Ecclesia, quæ una est. Bigamus autem nequit illam repræsentare; quin potius bigamus tollit unitatem unius cum una, carnem in plures dividendo. Quare defectu hujus significationis, bigamus incapax est ordinis. Unde ab Innocentio III. cap. *Debitum*, sic bigamia definitur: *Bigamia est irregularitas, subjectum impediens, propter Sacramenti defectum, ad Ordines suscipiendos.*

133 Bigamia triplex est, juxta Theologos, & Canonistas, nempe, *vera, interpretativa, & similitudinaria.* Vera consurgit ex duplici matrimonio legitimo, carnali copula consummato. Interpretativa contrahitur ex matrimonio cum non virgine, seu cum corrupta, quamvis virginem illam putaret: nam contrahitur etiam ab ignorante, eo quod ignorantia non tollat defectum Sa-

cramentalis significationis, in quo bigamia consistit. Similitudinaria invenitur in eo, qui contraxit Matrimonium post solemne votum castitatis, aut Sacros Ordines, & illud consummavit. Est itaque tunc similitudo bigamiæ, fundata in duobus matrimoniis, uno spirituali cum Deo, alio carnali, quamvis irrito, & nullo. Est ergo nunc difficultas: *An bigamus incapax sit Ordinis jure divino, vel tantum humano, & Ecclesiastico?* Petrus de Soto cum Glossa, cap. 2. de *Bigamis*, affirmavit, jure divino esse Ordinis incapax. Contraria via procedunt Theologi ceteri, & Canonistæ. Cum quibus.

134 Dico: *Tantum jure Ecclesiastico est bigamus incapax Ordinis.* Probatur manifestè ex eo, quod Pontifex sæpè dispensavit, ut bigami ascenderent ad Ordines: nam Martinus VII. cum bigamo dispensavit, ut Subdiaconus fieret: & Lucius Papa alium bigamum creavit Archiepiscopum Panormitanum: ergo cum Pontifex non dispenset in jure divino, signum est, quod bigamus solum est incapax Ordinis jure Ecclesiastico, & ab Ecclesia inducto.

135 Si dicas cum Soto, esse de jure divino, constare ex 1. ad Timoth. *Oportet Episcopum esse irreprehensibilem, & unius uxoris virum &c.* Unde Cœlestinus III. cap. *de Bigamis*, & Martinus I. can. *siquis viduam*, dicunt cum bigamis non esse dispensandum ob præfatum Apostoli testimonium. Respondeo, illud tantum fuisse præceptum Apostoli. Quæ autem constituta sunt auctoritate Apostolica, vim non obtinent juris divini, sed humani. Patet ex Canonibus Apostolorum, qui solum obligant jure, & præcepto Ecclesiastico, atque adeo dispensare potest in illis Summus Pontifex. Unde can. *finali*, dist. 82. dicitur: *Licet Presbyter fornicarius, secundum Canones Apostolorum, debeat deponi: tamen juxta auctoritatem B. Papæ Silvestri, si in vitio non perduraverit, poterit*

terit cum eo dispensari, debita in-juncta pœnitentia. Non ergo sunt incapaces Ordinis bigami jure divino, sed Ecclesiastico tantum, aut humano. Nec verba Cœlestini, & Martini aliud suadent, quàm quòd in illis tales Pontifices intendisse significare, irregularitatem bigamiæ fundari in præcepto Apostoli: atque adeo ob reverentiam illi debitam, in ea non esse dispensandum passim, & sine urgente causa. Non tamen negant, Summos Pontifices in ea dispensare posse, ut constat ex facto Pontificum n. antec.

136 Quæres II. *An sacris initiati obligentur ad continentiam per legem Ecclesiasticam immediatè? An mediante voto castitatis?* Paludanus cum aliquibus aliis, dixit, solo præcepto Ecclesiastico teneri ad continentiam ordinatos Ordinibus sacris. Ab opposito N. Medina, Cajetanus, & alii opinantur, tales non teneri ad continentiam ex lege Ecclesiæ, sed ex voto annexo ex Ecclesiastico præcepto. Sed verior videtur sententia asserens, teneri ad continentiam, tam ratione legis Ecclesiasticæ, quàm voti castitatis, Ordini sacro annexi. Prob. prima pars: Ecclesia expressè præcipit, ordinatos in Sacris servare castitatem: ergo obligantur ad continentiam ratione hujus præcepti. Antecedens, præterquamquod abundè constat ex dictis, patet ex Concilio Elibertino, Hispaniæ celebrato, circa annum 320. ubi cap. 33. sic statuitur: *Placuit in totum præcipere Episcopis, Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis, abstinere se à conjugibus suis &c.* Ergo cum hoc præceptum obligatorium sit, ratione illius tenentur ad continentiam. Secunda pars etiam constat: nam votum castitatis per se obligat ad illam servandam ratione ipsius voti, & præcisivè ab alia lege; sed qui in sacris ordinantur, emittunt, & emittere debent votum castitatis: siquidem cap. nullus, præcipitur nullum admitti ad sacros Ordines, quin emit-

tat votum castitatis: igitur tam ratione præcepti, quàm voti tenentur castitatem servare.

137 Ex his colliges 1. quòd si quis, quando sacros Ordines suscipit, non emitteret, saltem implicitè, votum continentiam, solum teneretur ad illam ex Ecclesiastica lege. Votum autem implicitum ab ordinato elicitur, eo ipso, quòd voluntariè recipit Ordinem sacrum, nisi aliàs haberet affectum oppositum. Unde, si luxuriaretur, non committeret sacrilegium: esset tamen in continuo peccato inobedientiæ; quia præceptum Ecclesiasticum de emittendo votum obligat, non solum in ipsa Ordinis receptione, sed etiam postea toto tempore vitæ. Nec dicas, esse præceptum positivum, quod pro semper non obligat: siquidem est negativum virtualiter, sicut est præceptum restituendi, cujus obligatio perseverat semper, & pro semper. Unde sicut præceptum restituendi virtualiter, aut æquivalenter prohibet alienum retinere, ita præceptum continentiam, impositum initiatis Ordinibus sacris, virtualiter, aut æquivalenter prohibet ad sacrum statum ascendere, aut sine voto continentiam in illo permanere. Colliges 2. Eum, qui ante rationis usum ordinatus est, ratione voti non teneri ad castitatem. Ratio est; quia iste non emisit votum explicitè, ut per se patet; nec implicitè, aut interpretativè, cum nullum caput sit ad interpretandum, istum vovisse castitatem. Colliges 3. neque teneri ad castitatem ratione Ecclesiastici præcepti: difficile namque apparet, Ecclesiam obligare vel le arduo continentiam præcepto illum, qui nullo modo consensit in suam ordinationem. Sic clarè innuit Subt. Doct. dist. 27. §. Dico igitur.

138 Quæres III. *An obligetur ad continentiam, qui suscepit sacrum Ordinem, ob metum cadentem in virum constantem?* V. g. ob metum mortis ab aliquo sibi inferendæ &c. Intelligitur talis obligatio ratione voti,

ti, & præcepti Ecclesiastici. Hanc difficultatem resolvunt negativè Angelus, Navarrus, Villalobos, Sanchez, Ægidius, & alii. Affirmativè verò resolvunt Paludanus, Sotus, Abbas, & D. Antoninus. Prima sententia, quæ etiam sequitur à Delgadillo, probatur: quia votum sic factum est irritum, ut constat ex cap. 1. & 6. de his, quæ vi &c. Et tale votum merito à jure irritatur, seu potius declaratur irritum; quia censeri prudenter non potest, prædictum votum Deum acceptare: ergo non teneretur ad continentiam ratione talis voti. Aliunde non obligaret ratione præcepti Ecclesiastici: nam Ecclesia non obligat cum tanto dispendio, cum jugum Christi Domini suave sit; & patet in præcepto jejunii, auditionis sacri &c. Ergo ad continentiam non maneret obligatus, nec ratione voti, nec ratione præcepti. Hæc sententia satis fundata videtur mihi.

139 Secunda sententia à suis defensoribus suadet: Tum; quia ex opposito sequeretur, eum, qui in naufragio, vel gravi infirmitate positus, religionem vovit ad votum non teneri, cum id voverit, ut fugiat mortem; sed sequela est falsa: ergo. Tum; quia accessorium sequitur naturam sui principalis; sed tunc Ordo esset validus: ergo & votum. Tum: qui ob metum fit christianus, legem Christianam observare tenetur: ergo à simili, qui ob metum vovet, tenetur ad votum. Tum: Deus acceptat juramentum promissorium injustè extortum: ergo & votum. Verum ad hæc omnia facilè responderi potest. Ad 1. negatur sequela: nam metus cadens in virum constantem, de quo est difficultas, est ille, qui injustè ponitur, & ab extrinseco, ad extorquendum consensum; non verò ille, qui ab intrinseco provenit, & ex propria electione. Ad 2. distinguo major. sequitur naturam sui principalis, quando est par ratio in utroque, concedo: quando non est, sicut non est in præsentem, nego maj.

Tom. II.

& concessa minor. nego consequent. Tunc Ordo esset validus; quia ponuntur omnia necessaria ad ejus essentiam, & valorem: at verò voto deest acceptatio Dei, essentialiter requisita ad ejus valorem, ob quod ab Ecclesia declaratur irritum. Replicabis: In Concilio Toletano VIII. cap. 7. dicitur, *ordinatos invitè, teneri in statu Ecclesiastico permanere.* Respondeo, loqui de illis, qui postea per liberam Ordinis administrationem, ratum habuerunt susceptum Ordinem: quod quidem verum est. Ad 3. nego consequent. Disparitas est manifesta: nam omnes jure divino tenentur baptizari. Unde tunc ad nihil obligaretur, ad quod antea non teneretur: at verò ordinatus suscipit obligationem, ad quam non tenebatur. Quare est necessarium, ut liberè hanc obligationem sibi imponat, aut statum subeat, cui illa obligatio est annexa. Ad 4. potest negari suppositum: nam juramentum, ut tale, non acceptatur à Deo, quando alteri fit; sed solum adducitur in testem: ideòque non vult, quòd adducatur in testem alicujus falsitatis. Quare juramentum faciens semper debet habere intentionem adimplendi. Manet itaque obligatus quis ad adimplendum juramentum injuriosè extortum, non autem simile votum; quia voti valor dependet ab acceptatione, quæ in Deo non est, quando votum extorquetur injustè: juramentum autem, ut tale, & in quantum Deus adducitur in testem adimplentionis, subsistit independentè ab hujusmodi acceptatione.

140 Quæres IV. *An qui ante annos pubertatis ordinarentur in sacris, tenerentur ad continentiam?* Supponitur, quòd haberent sufficientem usum rationis. Anni pubertatis, qui etiam vocantur anni nubiles, in viris sunt quatuordecim, & in fœminis duodecim: ante quorum impletionem jus connubia prohibet, eò quòd præsumitur, generationi nondum es-

Hhh

se



se aptos, ac carere cognitione requisita ad tantum negotium. Delgado cum Villalobos, & aliis, resolvunt negativé. Ratio eorum est; quia Tridentinum sess. 25. cap. 15. irritat votum solennae Religionis ante prædictam ætatem: ergo pariter dicendum erit de voto sacro Ordini adjuncto. Et addunt, idem esse dicendum, si ante adimplerionem sexdecim annorum ordinarentur; quia Tridentinum loco citato irritat votum solenne religionis, emissum ante annos sexdecim. Alii verò Theologi resolvunt difficultatem affirmativé. Ratio est; quia spectato juré naturæ, qui jam sufficientem usum rationis habent, validé se possunt Deo, & alicui statui obligare: ergo si Ordo acciperetur cum sufficienti usu rationis, & ut supponitur, validus esset, validum etiam esset votum annexum sacro Ordini. Nec utrobique militat eadem ratio, ut prædicti Authores intendunt: Tum; quia in professione religiosa à jure sic est expressé dispositum, & non in Ordine sacro. Unde si nulla est talis professio, nihil mirum, quòd nullum sit votum continentis illi annexum: ergo é converso: si tunc validus esset Ordo, liberé, ac voluntarié acceptus, etiam esset votum. Tum; quia si Ecclesia irritasset solemnem professionem, factam ante annum vigessimum quintum, hoc ipso, qui ante prædictam ætatem ordinaretur, v. g. impleto anno vigesimo tertio, non teneretur ad continentis votum. Sequela patet; quia juxta ipsos, eadem est omnino ratio. Sed hæc sequela videtur absurda: ergo. Tum denique; quia in rebus à jure dispositis, argumentum à simili regulariter non valet, quamvis alioquin eadem ratio videatur aliquomodo currere: aliás sicut jejunamus pridie Nativitatis Baptistæ ob ejus cultum, & sanctitatem, ita etiam, & urgentiori ratione, jejunandum esset pridie Nativitatis BB. V. Mariæ. Necessarium est ergo, quòd utrobique ea-

dem sit ratio, quia sufficiat aliqualis similitudo, ut teneat argumentum. Et hæc sententia videtur mihi verior, quàm prima.

141 Quæres V. *Quæ requirantur ex parte ordinati ab Ecclesia ad debitam ordinationem?* Respondeo requiri *ætas congrua: sufficiens scientia: non habere interstitia: Beneficium, aut Patrimonium; & quòd Ordines certis temporibus conferantur.* Notanter dixi ad *debitam, seu licitam, ordinationem*: quia hic non loquitur de valore Sacramenti Ordinis: certum est enim, quòd licet deficerent omnes illæ conditiones, validus esset Ordo, posita materia, forma, & intentione. Explicanda igitur sunt requisita memorata, seu conditiones, sigillatim de unaquaque, sed breviter, obiter resolvendo aliqua dubiola, seu parvæ difficultates, suo ordine ad quamlibet ex conditionibus peculiariter pertinentes. Sit ergo sermo

142 *De ætate.* Quamvis standum sit usui; ab Ecclesia permissio, in ætate necessaria ad suscipiendam primam Tonsuram, & Ordines Minores, Tridentinum sess. 23. cap. 4. de *Reformatione*, videtur insinuare, ætatem novem annorum necessariam esse illi, qui primam Tonsuram recepturus est. In illo enim requirit certam scientiam, quæ regulariter non datur ante novenum annum. Pro minoribus Ordinibus insinuat ætatem duodecim annorum. Capite 12. expressé determinatur, quòd nullus promoveatur ad Subdiaconatum ante annum vigesimum secundum: ad Diaconatum ante vigesimum tertium: & ad Presbyteratum ante vigesimum quintum. Sed notandum, sufficere attingere primam diem ultimi anni; quia sic verificatur habere prædictum annum, saktém inchoativé, & sic est in usu ex consuetudine. Decretum hoc Tridentini comprehendit etiam Regulares, non obstantibus eorum privilegiis, ut Concilium declarat ibidem. Quare revocatum manet pri-

vi-

vilégium, Fratribus Minoribus ab Innocentio VIII. concessum, ut Generalis, & Provincialis dispensare possent, ut sibi subditi, anno vigesimo secundo completo, promoveri possent ad Presbyteratum. Dicitur, Pium V. voluisse, Mendicantes, non obstante Tridentino, suis uti privilegiis: hanc verò concessionem Gregorius XIII. per motum proprium revocavit. Et ut occurramus aliquibus instantiis, ortis ex variis Pii, & Gregorii placitis, de quo N. Rodriguez pertractat, dicendum est, nunc nullo modo posse Regulares uti dicto privilegio, vivæ vocis oraculo concesso: nam Gregorius XV. & Urbanus VIII. annularunt talia privilegia, vivæ vocis oraculo concessa. Quod idem fecit N. Sixtus V. per Constitutionem contra malè promotos, quæ incipit: *Sanctum, & salutare.*

143 Et sciendum, eum, qui *temeré*, vel *mala fide* ordinatur ante ætatem legitimam, à Tridentino præscriptam, incurrere *ipso facto* suspensionem impositam à Pio II. & confirmatam à Sixto V. & Clemente VIII. Qui verò non *mala, sed bona fide*, Ordines suscipit ante legitimam ætatem, non incurrit prædictam suspensionem, cum constitutio loquatur de suscipientibus *mala fide, & temeré*, ut denotant verba illa: *presumpserit.* Antem, qui bona fide Ordinem suscipit ante legitimam ætatem, si postea id cognoscat, possit ante illius ætatis adimplerionem, sine peccato celebrare? Variant Doctores. Navarrus, & Ledesma affirmant. Ratio eorum est; quia Concilium solum prohibet ordinationem ante ætatem à se præscriptam; non exercitium Ordinis, sine peccato recepti: ergo extendendum non est; *quia odia non sunt extendenda, sed potius restringenda.* Villalobos verò, & Diana negant. Fundantur in eo, quòd si in jure prohibita est ante legitimam ætatem ordinatio: ergo & Ordinis exercitium. Utramque sententiam existi-

Tom. II.

mo probabilem; sed semper in tali casu recurrendum est ad Episcopum, facta relatione veritatis, ut ille provideat, quòd justum fuerit.

144 *De scientia* Illiteratus inhabilis est ad licitè Ordines suscipiendos. Qualis autem debeat esse scientia, & quanta? Explicatur à Tridentino, sess. 23. cap. 4. dicente, „ quòd „ recepturus primam Tonsuram, „ sciat legere, & scribere: quòd re- „ cepturi Ordines minores linguam „ latinam intelligant. *Et addit cap. „ 14. atque ita de gradu in gradum „ ascendant, ut in eis cum ætate „ vitæ meritum, & doctrina major, „ accrescat.* In Subdiacono, & Diacono petit scientiam ad suum ministerium necessariam. De Presbyteris agendo, præcipit, ut sint idonei „ ad populum docendum ea, quæ „ scire omnibus necessariam est ad „ salutem, ac administranda Sacra- „ menta, diligenti examinatione præcedenti, idonei comprobentur. Si verba hæc strictè accipienda forent, Sacerdotes strictius examinandi essent. At verò jam fert usus, ut reputetur sufficiens ad Sacerdotium, qui mediocrem notitiam habet lingue latinæ, ac Sacramentorum materiæ, formæ, & Ministri. Et notatur à DD. minorem scientiam, quàm in sæculari, sufficere in Religioso, eò quòd iste non ordinetur in curam animarum. Unde dixit D. Hieronymus: *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium.* Quare secure potest Episcopus litteris Prælatorum acquiescere, in quibus fidem faciunt, pollere ordinandum scientia sufficienti. Sic affirmant quamplures Theologi.

145 *De interstitiis.* Interstitia sunt intervalla temporis decurrentia inter receptionem duorum Ordinum Majorum: nam Minores simul jam conferuntur in Hispania, ut communis Episcoporum usus demonstrat. Talia interstitia assignantur à Tridentino sess. 23. cap. 11. præscribens, quòd inter Subdiaconatum, & Dia-

Hhh 2

co-

conatum, ac inter istum, & Sacerdotium integer annus mediet. At verò iudicio Episcopi relinquitur, ut interstitiis dispenset, prout postulaverit necessitas, vel utilitas Ecclesiæ. Sed queritur: *An annus, qui inter duos Ordines fluere debet, sit Ecclesiasticus, an solaris?* Annus solaris est, qui continet 366. dies, & sex horas, quæ sex horæ non reperiuntur in anno bissextili. Annus Ecclesiasticus est, qui fluit inter duas celebrationes ejusdem festi mobilis: v. g. inter Quadragesimam, & Trinitatem, hujus, & præteriti anni. Respondeo cum communi DD. sufficere annum Ecclesiasticum: de quo extat declaratio quædam adducta à Farinato, quæ est hæc: „ S. D. N. „ ex sententia Congregationis dixit, „ attendendum esse cursum quatuor „ dictorum interstitiorum: non au- „ tem tempus duodecim mensium „ completorum.

146 Si interroges: *An Prælati Provinciales dispensare possint interstitia in suis subditis?* Respondeo, nostros Provinciales dispensare, quamvis liberum sit Episcopis admittere, vel non admittere hanc dispensationem. Hoc fit ratione communicationis privilegiorum, in quibus nos, & aliæ Religiones communicamus. Hoc autem privilegium concessit Gregorius XIV. Ordini Cisterciensium. Et quamvis Gregorius XIII. expresserit, hoc privilegium sibi uni religioni concessio, communicandum non esse ab aliis: hoc non obstante, dictum privilegium participant aliæ Religiones. Ratio esse potest; quia Clemens VIII. motu proprio, ex certa scientia, et de plenitudine potestatis nostra privilegia confirmat, et innovat omnes concessionem à Sede Apostolica factas, etiamsi ab aliquo Pontifice fuerint revocata. Videatur Fr. Joannes de la Cruz in Epitome lib. 2. cap. 4.


147 *De Beneficio, & Patrimonio.* Congruam sustentationem, seu Patrimonium requiri in Ordinando, cons-

tat expressè ex Tridentino sess. 21. cap. 2. per hæc verba: „ Ne quis „ deinceps Clericus sæcularis, quam- „ vis aliàs sit idoneus, ad sacros „ Ordines promoveatur, nisi prius „ legitimè constet, eum Beneficium „ Ecclesiasticum, quod sibi ad victum „ honestè sufficiat, pacificè posside- „ re Patrimoniumque, vel pensio- „ nem, talia esse, quæ eis ad vi- „ tam sustentandam satis sit, atque „ illa deinceps absque licentia Epis- „ copi alienari, aut extingui, vel „ remitti, nullatenus possint, donec „ Beneficium Ecclesiasticum sufficiens „ sint adepti, vel aliunde habeant, „ unde vivere possint. Antiquorum „ Canonum pœnas super his invo- „ cando. “ Ex quo ab Authoribus inferitur, Episcopum ordinantem, & ordinatum, graviter peccare, si faciant contra formam hujus decreti: nam materia verè est gravis. Et ordinatus incurrit suspensionem cap. Nemo, dist. 7. positam. Non tamen videtur illam incurere, si Patrimonium distraheret; quia suspensio solùm est imposita contra eum, qui se ordinat sine Patrimonio. Religiosi professi sine alio titulo possunt Ordines recipere, ut colligitur ex illis verbis: *Clericus Sæcularis*, & Pius V. sic ordinavit in quadam constitutione. At verò istius congruitatis, seu sufficientiæ judicium pertinet ad Episcopum: qui tenetur ad sustentandum ordinatum, qui degere non potest sine aliquo indecenti exercitio. Et notetur, quòd si aliquis carens Beneficio, aut Patrimonio congruo, pactaret cum Episcopo, se numquam ab ipso alimentum petiturum, & hoc pacto illum ordinaret, talis Ordinis collatio simoniaca esset.

148 *De temporibus conferendi Ordines.* Diximus disp. 2. quæst. 1. num. 57. Episcopatum conferri posse die Dominica ex statuto, & praxi Ecclesiæ. Prima Tonsura, quovis anni tempore conferri potest. Ordines minores conferri possunt in quavis die Dominica, necnon uni, aut alteri per-

personæ, in quovis festo die. Usus verò in Hispania fert, quòd Ordines Minores conferantur ante Sabbatum quatuor temporum, nempe, in die veneris, quod videtur introductum, ne quis reciperet eodem die Ordines Minores, & aliquem ex majoribus: hoc verò nullo jure invenitur prohibitum. Quare aliquando Episcopus eodem die Ordines Minores, & simul Subdiaconatum, confert. Agendo de Ordinibus majoribus,

in cap. *Dilectis*, & in Tridentino sess. 23. cap. 13. disponitur, ne duo Ordines majores eodem conferantur die: qui dies debet esse Sabbatum quatuor temporum anni: necnon Sabbatum ante Dominicam Passionis, & Resurrectionis, ut fert usus, & constat ex cap. *De eo autem*. Et hæc dixisse sufficiat de Tract. Ordinis, quæ in Dei laudem, & honorem cedant. Amen.



TRACT. IX. DE SACRAMENTO MATRI- MONII.



AM, DEO MISERICORDE DONANTE, Pervenimus ad ultimum Sacramentum, quod est Matrimonium, pro modulo nostro explanandum. In hujus Tractatus elucubratione noster labor in 4. Sententiarum accipiet finem, atque opus Theologicum R. P. Gonzalez suam habebit consummatam completionem. Matrimonium igitur maximum est naturæ bonum, & individua duorum societas, sine qua torpesceret privata cujusque foelicitas. Ideò merito in ipso mundi exordio dixit ipse Deus: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adju-*

torium simile sibi. Per hoc Sacramentum ex filiorum procreatione renovatur genus humanum, atque optima fit Reipublicæ coadmentatio. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. cap. 2. in Joan. valde commendat Matrimonii dignitatem, ac honestatem, ex eo, quòd Christus adesse voluerit nuptiis Cana Galileæ, & ibi signare primum miraculum suæ divinæ potentiae. Verùm aliud est in ipso majori adhuc commendatione dignum. Est enim symbolum fœderis, ac mystici conjugii, quo Christus Dominus Ecclesiam immaculatam sibi sponsam conjunxit. Unde dixit Apostolus: *Matrimonium esse magnum Sacramentum in Christo, & in Ecclesia: virtute cujus in Dei filios adoptamur, & ad cœlestem hæreditatem destinamur.* Plura, & scitu quidem dignissima, ac valde necessaria continet hic Tractatus, quem plures Theologi prætermittunt, eò quòd ad Jurisperitos, & Canonistas perti-
nere

nere magis, quam ad Theologos videatur. Ut verò ejus difficultates proponantur, ac resolvantur expeditius, in plures disputationes, juxta morem solitum, est dividendus. Prius verò conveniens est, ut perlegas, quid Concilium Florentinum de hoc Sacramento edoceat.

Sic ait: *Septimum Sacramentum est Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi, & Ecclesiae, secundum Apost. Ephes. 5. dicentem: Sacramentum hoc magnum est in Christo, & in Ecclesia. Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de presenti expressus. Assignatur autem triplex bonum Matrimonii. 1. est Proles suscipienda, & educanda, ad cultum Dei. 2. est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. 3. Indivisibilitas Matrimonii, propter hoc, quod significat indivisibilem conjunctionem Christi, & Ecclesiae. Quamvis, autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere; non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.*

DISPUTATIO I.

DE ESSENTIA, ET EXISTENTIA SACRAMENTI MATRIMONII.

Matrimonium considerari potest, ut est contractus quidam civilis, atque institutus ad humanæ naturæ debitam propagationem; & etiam ut est Sacramentum à Christo institutum ad conjugum sanctificationem, & ad sanctæ, & piæ procreandam, ac educandam prolem. De Matrimonio sub prima consideratione, juris civilis Doctores, ac Canonistæ extensius pertractant, quam Doctores Theologi: quinimo plures ex istis Tractatum de Matrimonio prætermittunt solent. Sed immerito quidem: nam quamvis Tractatus hic magis ad Canonistas, & Jurisconsultos quam ad Theologos pertinere videatur, non ideò subterfugere debet considerationem istorum. De illo strenuè, pariter ac diffusè pertractat, ac disputat, inter alios, Subt. Doct. cum quo, & ad hujus Sacramentalis operis completionem, non pauca, etsi brevi calamo, scholasticè elucidabimus.

QUÆSTIO I.

De natura, essentia, & divisione Sacramenti Matrimonii.

I Considerari potest Matrimonium 1. ut contractus naturalis in officium naturæ ad genus humanum propagandum. 2. Ut contractus civilis ad facunda fœde-

ra inter cives Republicæ. 3. Ut Sacramentum novæ Legis, ad gratiam conjugibus communicandam, & piæ, ac sanctæ educandam prolem. Sub hoc respectu pertractatur præcipuè hic de Matrimonio: nam quamvis considerari possit, ut contractus, & ut Sacramentum: tamen cum in Lege Evangelica contractus Matrimonialis elevatus sit ad rationem Sacramenti: adeo ut contractus Matrimonia-

nialis inter fideles non detur, qui, simul non sit Sacramentum: ideò necessarium non est, Theologicè loquendo, dividere Tractatum de Matrimonio, in quantum est contractus, & in quantum est Sacramentum. Hic igitur contractus viri cum muliere, ad licitam filiorum procreationem, variis nominibus appellari solet. 1. *Matrimonium*, & sic dicitur à *Matre*; quia, plusquam Patris est quasi munus, seu officium Matris, quæ in suscipienda, & educanda prole plus operis, oneris, & laboris impendit. Unde Canonistæ Matrimonium interpretantur, quasi *Matris munus*. 2. Dicitur *Conjugium*, à conjunctione, seu jugo, quo personæ diversi sexus in perpetua societate junguntur. 4. Dicitur *Connubium* à velo, quo conjuges, pro modestia, & pudore teguntur, dum nuptialem benedictionem accipiunt. 5. Vocatur *Nuptiæ* propter eandem rationem; & quia mulier constituitur per illud sub viri potestate. De hoc igitur Sacramento egregiè pertractat Subt. Doct. 4. dist. 26. & cum ipso

2. Notandum est. 1. Matrimonium tripliciter accipi posse. 1. Pro vinculo, quo conjuges invicem constringuntur: Et sic est relatio mutue obligationis, qua hinc inde traduntur corpora, & uterque conjugum potestatem habet in corpus alterius, in ordine ad finem matrimonialis contractus. Sumitur 2. pro ipso contractu in fieri, ex quo illud vinculum, tamquam ejus effectus, exurgit. 3. Sumitur pro Sacramento, seu signo sensibili gratiam causante. Notandum 2. Matrimonium tripliciter adhuc considerari posse, nempe, *legitimum, ratum, & consummatum*. Dicitur *legitimum*, quod contrahitur legitimo tantum consensu. Tale fuit in Lege naturæ, & Mosaycæ; & tale est etiam, quod inter Infideles celebratur, quod quidem non est Sacramentum. Dicitur *ratum*, quando præter rationem prædicti contractus,

habet etiam rationem Sacramenti, cujus efficacia, & dignitate contractus ille naturalis, aut civilis confirmatur, & ratificatur. Unde solum inter baptizatos datur Matrimonium ratum; cum ad hoc necessarium sit, quod tale Matrimonium rationem habeat Sacramenti, quæ ratio verificari non potest, quin contrahentes sint baptizati. Dicitur denique *Matrimonium consummatum*, quando per conjugalem copulam perficitur.

3. Ex quibus sequitur, quod Matrimonium, in quantum contractus, est viri, & femine mutua corporum translatio per mutuum, & legitimum consensum, pro illorum usu, ad prolem procreandam, & debitè educandam. Dicitur: Viri, & femine mutua corporum translatio, aut traditio, ut significetur subjecta hujus contractus, nempe, vir, & femina: materia illius remota, nempe, contrahentium corpora: Et materia proxima, quæ est translatio, & dominium mutuum conjugum in suum corpus. Dicitur per mutuum, & legitimum consensum, ut significetur, non quemcumque consensum sufficientem esse ad Matrimonium, sed dumtaxat legitimum, illum, nempe, celebratum inter personas mutuo habiles, seu ad contrahendum nullum dirimens impedimentum habentes. Matrimonium, in quantum vinculum, est conjunctio maritalis viri, & femine, individuum vitæ societatem retinens. Matrimonium in quantum Sacramentum, sic definitur physicè: „ Est conjunctio Sacramentalis viri, „ & femine, per mutuam corporum translationem, pro usu eorum „ ad procreandam, & debitè educandam prolem. *Metaphysicè definitur sic*: Est Sacramentum novæ legis „ à Christo Domino institutum, causativum gratiæ unitivæ conjugum, „ ut piæ, sanctæque vivant, & onera Matrimonii subeant. „ Harum definitionum intelligentia satis ex dictis constat. Similiter constat etiam, quod Matrimonium legitimum est, „ quod

„ quod legitimo, & mutuo consen-
 „ su viri, & foeminae, per mutuum
 „ corporum traditionem contrahitur.
 „ Ratum est, quod rationem Sacra-
 „ menti obtinet, sed nondum carna-
 „ li copula est consummatum. Con-
 „ summatum est, quod carnali co-
 „ pula est perfectum.

4 Ex his constat, plura in Ma-
 trimonio distingui posse. 1. Mutuus
 nubentium consensus. 2. Externus con-
 tractus, seu pactio, verbis, aut sig-
 nis expressa. 3. Mutua corporum
 traditio. 4. Nexus, seu vinculum re-
 sultans ex illo contractu. 5. Jus in
 unoquoque ad alterum. 6. Obligatio
 mutua ad debitum reddendum. 7. Usus,
 & consummatio Matrimonii, quae
 in carnali copula consistit. Unde exur-
 gunt tres difficultates, hinc resoluenda.
 Sed perprius est sciendum: Tum,
 quod veteres Hæretici, Nicolaitæ,
 Simoniani, Marcionitæ, & alii si-
 miles docuerunt, nuptias esse malas,
 & illicitas. Julianus Pelagianus, &
 Wiclephus reponebant essentiam Ma-
 trimonii in ipsa carnali conjunctione.
 Catholici verò Doctores deliramenta
 hæc impugnantes, non omnino con-
 veniunt in assignanda ratione intrin-
 seca, & formali, in qua hoc Sacra-
 mentum consistit.

5 Dico I. *Matrimonium in se li-
 citum est, & honestum.* Est de fide
 contra Hæreticos præcitatos, qui res-
 puebant Matrimonium, tamquam rem
 turpem, & suggestam à Dæmone.
 Prob. manifestissimis scripturæ testi-
 moniis. 1. Ex Joan. 2. Ubi Domi-
 nus factu suo, ac suæ Matris, &
 Discipulorum præsentia, nuptias ma-
 nifestè probavit, necnon primo suo-
 rum miraculorum declaravit bonas,
 ac honestas esse. Et 1. Cor. 7. ait
 Apostolus: *Si acceperis uxorem, non
 peccati; & si nupserit virgo, non
 peccavit.* Et ad Hebr. 13. *Honorabi-
 le conjugium in omnibus, & thorus
 immaculatus.* Et 1. ad Timoth. 2. di-
 cit de muliere, *quod salvabitur per
 filiorum generationem*, id est, in sta-
 tu conjugali. Et Matth. 19. de pri-

ma origine Matrimonii ait ipse Chris-
 tus: *Quod Deus conjunxit, homo non
 separet.* Et sic de aliis sacris locis.
 Deinde ipse Apostolus 1. Cor. c. 7.
 approbat Matrimonii usum, dicens:
 „ Uxori vir debitum reddat: simili-
 „ ter autem & uxor viro. Mulier sui
 „ corporis potestatem non habet, sed
 „ vir Nolite fraudari ad invicem,
 „ nisi fortè ex consensu ad tempus,
 „ ut vacetis orationi. “ Eandem ve-
 ritatem luculenter probat Subt. Doct.
 dist. 16. quadruplici efficacissima ra-
 tione, dicens, quod indissolubiliter
 jungi marem, & foeminam ad pro-
 lem procreandam, religiosèque edu-
 candam, est actus honestus, tum ex
 circumstantia finis, tum ex bono pro-
 lis, tum ex bono familiae, & tum ex
 bono civitatis; quod totum ibi cla-
 rissimè demonstrat, & singulari eru-
 ditione. Vide illum loc. cit. & inve-
 nies alia plura ad honestatem nup-
 tiarum attinentia.

6 Arg. 1. Res, cujus usum non
 permittit Apostolus, nisi ex indul-
 gentia, seu venia, non caret culpa:
 Ergo in se non est licita: nam ut
 S. August. lib. de pec. orig. c. 38.
 inquit: *Evidenter enim, dum tribuit
 veniam, denotat culpam.* Nunc sic
 Sed Apostolus non nisi ex indulgen-
 tia concedit conjugii usum: nam 1.
 Cor. 7. ait: *Hoc autem dico, secun-
 dum indulgentiam, non secundum im-
 perium: Ergo Matrimonium non est
 licitum.* 2. Quod hominem revocat
 à Cœna cœlesti, seu gloria æterna,
 bonum non est; sed hoc facit Matri-
 monium, juxta illud Lucæ 14. *Uxo-
 rem duxi, ideo non possum venire:*
 ergo. Deinde Apost. ad Rom. 8. ait:
*Qui in carne sunt, Deo placere non
 possunt.* Quem textum Hieron. lib.
 1. contra Jovin. de illis intelligit,
 qui carnali vinculo Matrimonii sunt
 constricti. Et 1. Corinth. 7. exhor-
 tans ad continentiam, dicit, se hor-
 tari ad id, quod honestum est: er-
 go ex Apost. videtur Matrimonium
 non esse honestum. Denique: Libi-
 do separari non potest ab usu con-
 ju-

jugii, cum natura sua indita sit ip-
 si; sed libido, seu voluptas illa sem-
 per ex se culpam habet, saltem ven-
 nialem; nam teste Apost. ad Rom. 7.
 & ad Galat. 5. repugnat legi mentis:
 ergo.

7 Respond. ad 1. disting. ante-
 ced. cujus usum, qui fit ex inconti-
 nentia, culpa non caret, concedo:
 Usus simpliciter nuptiarum, aut ad
 concupiscentiæ remedium, aut susci-
 piendam prolem, nego. Solutio est
 S. August. lib. de bono conjug. cap.
 10. dicentis: *Non nuptias, sed illum
 concubitum secundum veniam conce-
 dit, qui fit per incontinentiam, non
 sola causa procreandi, & aliquando
 nulla causa procreandi; quem nuptiæ
 non fieri cogunt, sed ignosci impe-
 trant.* Ad 2. nego consequent. & di-
 co, verbis illis parabolæ significari
 impedimenta, quibus conjugati abs-
 trahuntur sæpe à divinarum rerum co-
 gitatione: nam, ut ait Apost. 1. Co-
 rinth. *Qui cum uxore est, sollicitus
 est, quæ sunt mundi, quomodo pla-
 ceat uxori, & divisus est.* Hoc au-
 tem non fit conjugii vitio, sed cul-
 pa hominum, qui carnaliter se amant
 mutuò, & quem amorem carnalem
 introduxit primorum parentum trans-
 gressio. Ad 3. dico, Apostol. illos
 significare, qui secundum carnem vi-
 vunt, non secundum spiritum. Hanc
 Apostoli sententiam accommodans S.
 Hieron. solum vult, quod conjuges,
 dum vacant carnali operi, non pos-
 sunt simul vacare orationi, & rebus
 divinis. Ob id Apost. conjuges mo-
 net, ne fraudent ad invicem, nisi
 ex consensu ad tempus, ut vacent
 orationi. Ex quibus negatur conseq.
 Ad ultimum disting. major. Separari
 non potest ab usu conjugii, quoad
 actum ipsum, concedo: quoad in-
 tentionem agentis, nego. Potest enim
 consensus ferri in solum actum, &
 ejus finem, nempe, prolis genera-
 tionem; non verò in libidinem con-
 junctam actui. Concludendum ergo
 est, quod Matrimonium secundum
 se, ex sua institutione, ac proprio

Tom. II.

fine, semper est bonum, & hones-
 tum, etiam post lapsum. Accidit ve-
 ró ex peccato, ut actui ejus conjunc-
 ta sit semper libidinis turpitudine, quæ
 in ipsum Matrimonium non redundat,
 nisi fortè ex mala intentione contra-
 hentis. Hanc doctrinam approbat Au-
 gustinus lib. de bono Viduitatis cap.
 8. & Catechism. Rom. de Matrim.
 num. 15. luculenter explicat, virum,
 & mulierem honestè Matrimonio posse
 copulari variis de causis, ibi vi-
 dendis.

8 Dico II. *Essentia Matrimonii
 non consistit in usu illius, seu car-
 nali conjunctione.* Prob. Tum ex Mat-
 th. 1. ubi Beatissima Virgo appella-
 tur conjux S. Josephi, quamvis Vir-
 go semper permanserit: *Joseph, in-
 quit Angelus, fili David, noli time-
 re accipere Mariam conjugem tuam:*
 ergo. Tum ex SS. PP. qui constanter
 docent, naturam Matrimonii non con-
 sistere in corporum commixtione, sed
 in animorum conjunctione. Satis sit
 adducere S. August. lib. 1. de Nupt.
 & concup. cap. 1. ubi dicit: „ Ne-
 „ que enim fallaciter ab Angelo dic-
 „ tum est ad Joseph: Noli timere
 „ accipere Mariam conjugem tuam.
 „ Conjux vocatur ex prima fide des-
 „ ponsationis, quam concubitu nec
 „ cognoverat, nec fuerat cognitu-
 „ rus: nec perierat, nec mendax
 „ manserat conjugis appellatio, ubi
 „ nec fuerat, nec futura erat car-
 „ nis ulla commixtio.“ Idem constat
 in multis, qui verum contraxerunt
 Matrimonium, fueruntque veri con-
 juges: qui tamen ex communi con-
 sensu à copula carnali abstinerunt,
 ut S. Elzearius cum S. Delphina, &
 S. Henricus Imperator, qui in con-
 jugio perpetuam virginitatem serva-
 verunt. Tum denique: Contractus
 Matrimonii eo ipso perficitur, quo
 conjuges potestatem in sua corpora
 mutuò sibi tradunt; sed hanc pos-
 sunt sibi tradere, etsi postea nus-
 quam ea sint usuri: nam usus rei,
 de qua contrahitur, non pertinet ad
 contractus essentiam, sed est quid
 con-

lil

con-

consequens illam: ergo. Si dicas, quod Apost. Ephes. 5. innuit non obscure, conjunctionem carnalem ad essentialiam, aut saltem ad integritatem Matrimonii pertinere, dum inquit: *erunt duo in carne una*. Respond. his verbis Apost. non designasse usum Matrimoni, sed dumtaxat translationem dominii in corpus utriusque conjugis: & quæ licet sua natura, & radicali jure ad usum conjugalem referatur, seungi tamen potest ab illo: non enim necesse est, ut qui in aliquam rem habet jus, eo utatur.

9 Dico III. *Matrimonium formaliter, & essentialiter consistit in mutuo conjugum vinculo, seu nexu*. Est dicere, quod essentia Matrimonii reponenda non est in mutuo consensu, aut in externo contractu, aut in mutua corporum traditione, aut in jure, quod conjuges invicem habent, aut in obligatione mutua ad debitum reddendum: Consistit verò in eo vinculo perpetuo, qui inter conjuges resultat ex interno consensu, & externo pacto. Hæc est sententia Div. Thomæ 4. dist. 27. quæst. 1. art. 2. Scoti dist. 16. & est conformior doctrinæ Trident. sess. 24. cap. 1. de Reform. ubi sumit Matrimonium pro ipso vinculo, quo conjuges invicem constringuntur.

10 Prob. 1. Matrimonium in eo formaliter consistit, quo posito, ipsum ponitur, & quo ablato, tollitur: hoc enim axiomate communi utuntur Philosophi ad essentias rerum inquirendas; sed posito illo vinculo, quo utriusque conjugis animi junguntur, ponitur Matrimonium, & eo sublato, aufertur: ergo ejus essentia consistit in tali vinculo. Prob. minor. Tum; quia Matrimonium est constans, ac perpetua juris, ac dominii utriusque conjugis in alterutrum possessio: nam ex 2. Corinth. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit* &c. Sed nihil est in Matrimonio permanens, præter ipsum vinculum, ut constat ex singulis, quæ

in Matrimonio reperiuntur: ergo. Minor constat: nam quædam præcedunt Matrimonii vinculum, & quædam subsequuntur. Præcedunt mutui consensus, exterior contractus, & corporum traditio, quæ aliquando possunt esse sine vinculo, & Matrimonio, ut dum alter, vel uterque contrahentium, ex impedimento dirimente est inhabilis ad contrahendum. Consequentia vinculum sunt jus exigendi, & obligatio debitum reddendi, & ipse usus Matrimonii: quæ tolli possunt per solemnem professionem, ipsis consentientibus, vel per votum simplex castitatis, & aliis pluribus de causis. Nunc sic: ergo neque præcedentia, neque subsequentia vinculum Matrimonii sunt de illius ratione formali: nam illis deficientibus per possibile, vel impossibile, Matrimonii vinculum permanet. Prob. 2. Matrimonium rectè definitur, *conjunctio maritalis viri, & feminae*: ergo in illo vinculo formaliter consistit: Unde Catechism. Rom. part. 2. de Sacram. Matrim. num. 5. postquam multa, quæ in eo occurrunt, eumeravit, dicit: *Nihil tamen horum Matrimonii vim, & rationem propriè habet, nisi obligatio illa, & nexus, qui conjunctionis vocabulo significatus est*. Et benè; quia Matrimonium firmum est, & stabile: Consensus verò internus, & externus contractus, sunt quid transitorium: mutua corporum traditio, & conjugum obligatio sunt quid consequens Matrimonium jam constitutum: conservatio speciei per susceptionem prolis est finis secundarius Matrimonii, non primarius, & essentialis: ergo in nullo ex his consistere potest, & consequenter &c.

11 Arg. 1. Omnia Sacramenta novæ Legis, præter Eucharistiam, consistunt in actione transeunte, & non in esse permanenti: ergo Matrimonium non consistit in maritali vinculo, resultante ex mutuo conjugum consensu, & perseverante usque ad mortem unius. 2. Sacramentum forma-

maliter est signum sensibile; sed illud vinculum inter conjuges perseverans non est tale: ergo formalis ratio Matrimonii in illo vinculo non consistit. 3. Ratio formalis, & essentialis Matrimonii præcisè consistit in eo, quod à Deo assumitur, tamquam instrumentum ad gratiam causandam; sed vinculum illud ad talem gratiam causandam non assumitur: nam cum semper perseveret, sequetur, quod ad ejus præsentiam Deus continuò gratiam produceret in animas conjugum: ergo.

12 Respond. ad 1. disting. anteced. quod utique poterat negari: quoad fieri, concedo: quoad factum esse, nego. Verum itaque est, quod Matrimonium, quantum ad causam efficientem, seu in fieri, consistit in aliquo transeunte, nempe, in mutuo conjugum consensu: si verò spectetur ejus ratio formalis, & quidditativa, quantum ad id, quod est res, & Sacramentum simul, & ita in præsentia sumitur, consistit in aliquo permanente, & perseverante, scilicet, in vinculo, seu nexu, ex mutuo conjugum consensu orto, tamquam à causa efficiente. Ad 2. disting. maj. 1. Est formaliter signum sensibile, vel in se, vel in sua causa, concedo: præcisè in se, postquam est jam causatum, nego maj. Matrimonium itaque dici potest signum sensibile, quatenus verba, seu nutus, exprimentia consensum internum, sensibilia sunt, & causæ efficientes prædicti vinculi conjugalis. Ex quo disting. major. 2. Quatenus dumtaxat est Sacramentum, concedo: quatenus est Sacramentum, & res Sacramenti simul, nego. Necessarium itaque non est, quod id, quod est res Sacramenti, & simul Sacramentum, sit per se aliquid sensibile: aliàs corpus Christi in Eucharistia, quod non est sensibile, non haberet veram, & perfectam rationem Sacramenti. Sufficit igitur, quod sit, aut fuerit sensibile in sua causa, seu in fieri, ut dictum manet.

Tom. II.

13 Per hanc doctrinam respond. ad 3. majorem esse veram de signo sensibili, quod dumtaxat habet rationem Sacramenti: non tamen de eo, quod est res, & Sacramentum simul. Nec est necessarium, quod Sacramenta ad productionem gratiæ concurrant per id, quod est res, & Sacramentum simul, seu per suam quidditatem in facto esse: sed sufficit, quod illam conferant per suam causam efficientem, seu per id, quod habet tantum rationem Sacramenti. Quare in Matrimonio sufficit, quod mutui conjugum consensus, qui est causa efficiens illius Matrimonii, & habet tantum rationem Sacramenti, assumatur ad causandam in conjugibus gratiam sanctificantem: Et maxime cum ad gratiæ productionem non concurrant physicè, sed tantum moraliter, ut diximus Tract. 1. de Sacram. disp. 3. quæst. 2. Ex quibus sequitur, quod essentia Matrimonii, ut est quid permanens, consistit in vinculo illo perpetuæ obligationis, seu juris mutui inter marem, & feminaem, quod ortum est ex consensu, & contractu sensibilizato translationis, & mutua corporum traditione.

14 Ut doctrina hæc clarius intelligi possit, placet afferre, quod doctissimus Arcudius lib. 7. cap. 2. docet, & ex ipso Frassen adducit. Matrimonium igitur, in quantum Sacramentum dupliciter considerari potest, vel in fieri, vel in facto esse. Si consideretur *in fieri*, tota ejus essentia in ratione contractus sita est. Natura verò contractus in eo consistit, quod unus exhibeat aliquid, & alter acceptet: nam si quid horum desit, contractus nihil valet. Unde si quis largiatur aliquid alicui, nihil valet donatio, illo non acceptante. Igitur, si mulier per verba de presenti corpus suum tradiderit viro, & vicissim vir mulieri suum, & invicem acceptaverint, Matrimonium oritur statim. Christus itaque hujusmodi actus dandi, & acceptandi ad

Iii 2

Sa-

Sacramenti excellentiam extulit: ita ut gratiam Sacramentalem producant, & sint causa, ac signum illius; quia Sacramentum est rei sacræ signum. Si verò Sacramentum Matrimonii consideretur jam celebratum, & in facto esse, tota ejus ratio formalis, & essentialis sita est in ipso nexu, seu vinculo Matrimoniali, quod vinculum Christus D. ad eminentiam Sacramenti sublevavit. Unde communiter à Theologis dicitur *res, & Sacramentum simul*. Res quidem; quia est effectus Sacramenti in fieri: Sacramentum verò; quia vinculum illud immediatè respicit, & producit gratiam in conjugibus. Quare Sacramentum in fieri immediatè tantum gratiam confert, hoc est, mediante vinculo, quo posito, gratia statim producit. Explicatur in Sacramentis characterem imprimendis, in quibus character dicitur *res, & Sacramentum*: Res, tamquam effectus Sacramenti, & Sacramentum, tamquam qui immediatè gratiam efficit. Neque hinc duo Sacramenta intelligi debent, alterum in fieri, alterum in facto esse, sed unum, & idem, sub diversa consideratione.

QUÆSTIO II.

An Matrimonium sit verum Sacramentum? Et quando à Domino fuit institutum?

15 **O**mnès Catholici unanimiter consentiunt, quòd Christus D. ad Sacramenti dignitatem elevaverit Matrimonium, seu prædictum naturalem contractum. Contra hanc veritatem reclamant omnes illi, qui dixerunt, nuptias non esse licitas, sed à Dæmone fuisse inventas. De his diximus n. 4. Et August. lib. de Hæresibus docet cum S. Yræzo, Saturninum, Simonis Magi Discipulum, hominibus suasisse vagum concubitum. Eundem errorem tribuit S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. Marcionistis, & Manicheis: qui omnes

antiqui Hæretici, ex erronea sua doctrinâ de Matrimonio, negaverunt esse verum Sacramentum, à Christo institutum. Eandem catholicam veritatem sæculis posterioribus aperte impugnaverunt Lutherus, & Calvinus, negantes magna cum petulantia, Matrimonium Sacramentum esse, & blaterantes, Ecclesiam in hoc maximè errasse. Durandus in 4. dist. 26. q. 3. aliqua ex parte videtur illis consentire: nam quamvis dicat, manifestam esse hæresim, negare Matrimonium esse Sacramentum; quia id cap. ad abolendam de Hæreticis, est definitum: Tamen affirmat, æquivoce esse Sacramentum cum aliis sex, eò quòd gratiam non conferat suscipientibus, nec sit signum illius: sed dumtaxat rationem Sacramenti habeat, quatenus est signum rei sacræ; nempe, conjunctionis Christi cum Ecclesia. Ut itaque contra hos, & alios, procedamus, & veritatem declaremus.

16 **C**onclusio I. *Matrimonium est verum novæ legis Sacramentum, à Christo D. institutum.* Est de fidei & prob. 1. ex Florentino, ubi Matrimonium inter septem novæ legis Sacramenta computatur, ut videtur in Trident. sess. 24. cap. 1. his verbis: „Cum igitur Matrimonium in lege Evangelica veteribus communibus per Christum gratiam præstet: merito inter novæ legis Sacramenta annumerandum, SS. PP. nostri, Concilia, & universalis Ecclesie traditio, semper docuerunt: Unde can. 1. sic decernit: Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè, & propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, & Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque conferre gratiam: anathema sit: Definita est expressè eadem veritas in Concilio Senonense, sub Clemente VII. celebrato an. 1528. cap. 39. Prob. 2. ex perpetuo usu, & constanti traditione Ecclesie

Ca-

Catholicæ, quæ Matrimonium inter cætera Sacramenta semper tenuit, ac enumeravit.

17 **P**rob. 3. ex SS. PP. & Pontificibus, qui unanimiter profitentur, gratiam annexam esse Matrimonio, & esse Sacramentum, cum cæteris novæ legis computandum. Sic S. Ambr. lib. 1. de Abrahamo c. 7. Cyrillus Alex. lib. 2. in Joann. c. 22. August. pluribus in locis, & sic de aliis. Pariter Siricius Papa Epist. 1. cap. 4. S. Evaristus Epist. 1. quæ est ad omnes Episcopos Africanos, cap. 2. affirmans, hanc esse traditionem ab Apostolis, & eorum successoribus acceptam. Consonat in omnibus Subt. Doct. dist. 26. ubi docet: „Ecclesiam tenere, Matrimonium esse septimum inter Sacramenta: & de Sacramentis Ecclesie non est aliter sentiendum, quàm Ecclesia Romana sentit.... dici debet, quòd contractui Matrimoniali annexit Deus Sacramentum propriè dictum, saltem pro Lege Evangelica: & tunc oportet dicere, quòd institutum fuit à Christo, sicut universaliter dictum est de Sacramentis Ecclesiasticis.“ Et ibidem num. 11. variis congruentiis hanc veritatem suadet. Idem fecit Seraph. Doctor dist. 26. art. 2. quæst. 2. per triplicem congruentiæ rationem, & concludit: „Concupiscentia inclinat ad multas; quia luxuriosus non est una contentus: in Matrimonio verò datur gratia homini, ut soli uxori velit conjungi.... Concupiscentia inclinat ad delectationem, non ad utilitatem; quia luxuriosus non quærit, nisi satisfactionem appetit sensitivi: in Matrimonio verò datur gratia, ut non recognoscat uxorem, nisi propter prolem; & ita excluditur delectatio appetitiva per copulam utilem. Concupiscentia fastidium generat post impletionem. Unde luxuriosus, postquam unam cognovit, illam respuit, & ad aliam vadit: in Matrimonio verò datur gratia

, ut semper velit esse cum una &c. Hæc Doct. Seraph. inter alia plura, ipsius propria.

18 **A**rg. 1. cum Hæreticis: Unum Sacramentum non pugnat cum alio, sed Matrimonium pugnat cum Sacramento Ordinis: nam qui initiantur sacris Ordinibus, arcentur à Matrimonio: ergo. Confirmat. Omnium Sacramentorum institutio constat ex Scriptura; sed nihil constat in illa de Matrimonio: nec Catholici Theologi probant aliquid ex Scriptura de ipso: ergo non est Sacramentum. Respond. disting. min. Pugnat cum Sacramento Ordinis, ratione sui, & absolute, nego: ratione status, & ex Ecclesie dispositione, concedo. Itaque cum Sacerdotes novæ legis debeant toti Deo vacare, ideò conveniens fuit, ut Matrimonio privarentur: nam ait Apost. 1. ad Corinth. *Qui cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Et ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo, impleat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Vide Tract. 8. de Sacram. Ordinis, disp. 3. quæst. 3. per totam, ubi plura invenies ab Ecclesia stabilita circa Græcos, & Latinos in Sacris ordinatos. Ad confirm. disting. minor. Nihil constat aut implicitè, aut ex traditione, nego: explicitè, transeat. Concilia, & PP. non incongruè probant hanc veritatem ex Evangelio, ubi Christus dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et Apost. ad Ephes. 5. *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam: quia, scilicet, Sacramentum hoc magnum est in Christo &c.* Sic ratiocinantur PP. Tridentini. Deinde, quamvis nullum textum formalem, aut virtuales ex Scriptura haberemus, sufficit, quòd ex traditione habeamus: nam de Matrimonio ait Trident. *Merito inter Sacramenta novæ Legis annumerandum, SS. PP. nostri, Concilia, & universalis Ecclesie traditio, semper docuerunt.*

19

19 Arg. 2. Si Matrimonium esset Sacramentum, pariter esset quid melius, & præstantius virginitate; sed hoc apertè repugnat Apostolo, dicenti ad Corinth. 1. *Qui Matrimonio jungit virginem suam, benè facit: & qui non jungit, melius facit*; ergo virginitas est præstantior, & consequenter, Matrimonium non potest esse Sacramentum. Negari poterat major quia nihil conducit ad Sacramenti rationem, quod una res præstantior sit alia: ratio enim Sacramenti non petitur ex majori, aut minori rei nobilitate, sed ex divina voluntate, & institutione. Et patet: nam licet Martyrium nobilius, & excellentius sit Poenitentia: tamen rationem Sacramenti propriè dicti, non habet, ut Theologi docent. Deinde disting. maj. Matrimonium esset quid præstantius virginitate, reduplicativè, & præcisè sub respectu, aut ratione præcisa Sacramenti, concedo: absolutè, & quatenus dubitaxat est status conjugalis, & sic comparatus cum statu virginali, nego. Hic enim virginalis status longè præstantior est conjugali statu, ut egregiè probant Augustin. lib. de Virginitate cap. 39. dicens: *Et certa ratione, & Sanctarum Scripturarum auctoritate, nec peccatum esse nuptias invenimus, nec eas bono, nec virginali continentia, vel etiam virginali æquamur.* Et Hieron. in c. 13. Matthæi, exponens Parabolam de fructu seminis, cujus aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum protulit, hæc habet: *Centesimum fructum virginibus, sexagesimum viduis, & continentibus; trigesimum verò casto Matrimonio deputamus.* Unde lib. 1. Joÿin. docet ipse Hieronym. unum ex illius erroribus esse, quod asserat, virginitatem Matrimonio non esse præferendam.

20 Arg. 3. Tum; Matrimonium contrahitur cum pacto de pecunia numeranda inter futuros conjuges: ergo non est verum Sacramentum. Prob.

consequenter Nullum Sacramentum conferri potest absque peccato Simonia, cum pacto de certa pecunia tradenda pro ejus administratione, & collatione: ergo. Tum; Sacramenta novæ Legis gratiam producant, dum perficiuntur, & consummantur; sed hoc dici non potest de Matrimonio: ergo non est Sacramentum. Prob. minor. Carnalis copula est pars, perfectio, & consummatio Matrimonii; sed absurdum est asserere, quod per illam gratia conferatur: ergo. Respond. ad 1. disting. anteced. quatenus est Sacramentum, & sub ratione talis, nego: sub ratione contractus civilis, & quoad ea, quæ in Matrimonio sunt temporalia purè, concedo antec. & nego consequent. Igitur pecunia datur, & accipitur in Matrimonio, non quidem cum respectu ad Sacramentum, sed præcisè pro civili contractu, ut conjuges pascantur dote, & onera ex Matrimonio oriunda facilius sustinere possint. Hoc autem sine peccato simoniæ fieri potest, sicut pascimur de pretio Calicis, etiam consecrati, quoad valorem argenti, vel auri, & laboris artificis, sine respectu ad consecrationem. Ad 2. nego, copulam carnalem partem esse hujus Sacramenti, ex dictis quæst. 1. conclus. 2. num. 8. Igitur sine copula Matrimonium essentialiter est tale, tam in ratione Sacramenti, quàm in ratione contractus civilis. Unde essentialiter perficitur, & completur mutuo conjugum consensu debitè facto. Sic S. Ambros. lib. de Instit. Virginis cap. 6. ubi dicit sic: *Defloratio virginitatis non facit conjugium, sed pactio conjugalis.* Et sic uniformiter cæteri PP.

21 Pro aliorum solutione advertite 1. non officere, quod Gratianus quæst. 2. Can. *Cum societas*, affirmet, copulam carnalem esse partem Sacramenti, neque sine ea Matrimonium Sacramentum esse: nam Gratianus hac in re valde erravit, & rejicitur ab omnibus Theologis. Unde,

de, ut Magister Sententiarum dicit, error maximus est asserere, sine copula carnali Matrimonium perfectum non esse: aliàs inter Mariam, & Joseph non fuisset conjugium, vel non fuisset perfectum, quod nefas est sentire. Tantò enim sanctius est, atque perfectius, quanto à carnali opere immunius. Ita Magister. Nec officit Glossa in cap. *honorantur* quæst. 2. & in cap. *Quidquid* quæst. 1. dicens: In Sacramento Matrimonii, potiùs quàm in aliis Sacramentis, intervenire posse pecuniam; quia in hoc Sacramento non confertur gratia Spiritus Sancti, sicut in aliis. Hæc enim Glossa, ut erronea rejicitur ab omnibus Theologis, & à peritioribus Jurisperitis, utpote conficta ab aliquo Canonista, prorsus ignaro Theologiæ, & fidei.

22 Adverte 2. Matrimonium significare unionem inter Christum, & Ecclesiam: Apostolo dicente: *Magnum Sacramentum in Christo, & in Ecclesia.* Ad hanc autem significationem necesse non est, ut perperam senserunt aliqui, quod in Matrimonio interveniat copula carnalis, adeo ut sine illa non habeat rationem Sacramenti. Haberet utique: nam quamvis conjunctio per copulam, ut communiter dici solet, significet conjugium Christi cum natura humana, hæc significatio non constituit rationem Sacramenti, nec conjunctio Christi cum Ecclesia, quam Matrimonium non consummatum significat, illam rationem Sacramenti adæquatè constituit. Ratio est; quia talis significatio dumtaxat est mystica, in qua perfecta ratio Sacramenti stare non potest: nam Sacramentum est signum rei sacræ, sanctificantis nos, id est, gratiæ sanctificantis suscipientes tale signum. Quare Matrimonium non habet rationem completam Sacramenti, quatenus dumtaxat significat Christi conjunctionem cum Ecclesia per Incarnationem: sed præcisè obtinet hanc dignitatem, prout ratione gratiæ sanctificantis, qua invicem con-

junguntur conjugum animi, repræsentat illam unionem Christi cum Ecclesia per charitatem, & gratiam sanctificantem, quam ei infundit. Et de hac conjunctio, quam Matrimonium repræsentat, loquitur Apostolus, ut ait Serap. Doct. dist. 26. art. 2. q. 3. & Mag. sent. ex D. August. & S. Leone Papa. Sic inquit: *Figurat enim illam unionem Christi, & Ecclesiæ, quæ est in charitate, sed non illam, quæ est in naturæ conformitate.....* Nec ideò tamen minus sanctum est conjugium; quia ut ait Augustinus, est etiam conjugium signum spiritualis conjunctionis, & dilectionis animorum, qua inter se conjuges uniri debent. Unde Apostolus ait: *Viri, diligite uxores vestras, ut corpora vestra.* Hucusque Magister.

23 Conclusio II. *Matrimonium ante legem Evangelicam non fuit verum, ac propriè Sacramentum: sed tantum in sensu improprio.* Sic S. Thomas in 4. dist. 27. quæst. 2. Ubi docet, Matrimonium institutum fuisse in officium naturæ in statu innocentia: deinde in statu naturæ corruptæ additum fuisse illi, ut esset remedium: Et tandem in lege nova à Christo fuisse institutum in Sacramentum. Idem docuit Subt. Doct. dist. 26. n. 13. Ubi cum dixisset, Matrimonium esse Sacramentum septimum inter Ecclesiæ Sacramenta, & de illis non esse aliter sentiendum, quàm sentit Ecclesia Rom. subdit: „ Ideo dici potest, quod contractui „ Matrimoniali annexuit Deus Sacra- „ mentum propriè dictum, pro lege Evangelica: alioquin non esset „ Sacramentum novæ legis: Et tunc „ oportet dicere, quod institutum „ fuit à Christo, sicut universaliter „ dictum est supra de Sacramentis „ Ecclesiasticis.“ Contrarium docuerunt aliqui, docentes Matrimonium in lege naturæ, ac scripta verum fuisse Sacramentum. Ita inter cæteros Launoius lib. *de regia in Matrimonium potestate*; ubi more suo, crudè

dé congestis testimonijs veterum, ostendere conatur, apud veteres Matrimonium verum fuisse Sacramentum ante Christum.

24 Conclusio nostra definita est in Florentino, decreto Eugenii pro unione Armenorum. Et in Trident. sess. 7. c. 1. & postea sess. 24. can. 1. ut videri est expressé supra num. 16. Probatur deinde; Tum: si Matrimonium fuisset Sacramentum ante legem Evangelicam, non diceretur Sacramentum novæ legis, sed omnium legum, & statuum fuisse Sacramentum æqualiter; sed hoc est falsum, & contra Concilia: ergo. Tum: ad Sacramentum propriè dictum requiritur, quòd sit signum præticum, & efficax gratiæ; sed Matrimonium veterum talem efficaciam annexam non habuit: ergo. Prob. min. Non in statu innocentia: „ nam omnia Sacramenta efficaciam habent ex meritibus Passionis Christi exhibitæ, vel prævisæ, ait Subt. Doct. si autem status innocentia: perseverasset, Passio Christi nec fuisset exhibitæ, nec prævisæ. “ Nec in lege naturæ, aut lapsæ: nam ibi non legitur aliud Sacramentum, quàm pro originali in parvulis delendo. Nec in statu legis scriptæ, seu Mosaycæ; quia nec ibi legitur institutio Matrimonii alterius rationis inter Judæos, quàm inter alias Nationes. Unde usque ad Christi institutionem solùm habebatur Matrimonium, ut civilis contractus, sicut inter alias Nationes habetur: nec ullo modo computabatur inter Sacramenta, quæ in lege veteri agnoscebantur. Nec Sacramenta antiqua habebant vim conferendi gratiam ex opere operato, excepta Circumcisione, sed solùm quamdam externam, & legalem sanctitatem, ut dictum est Tract. de Sacramentis. Nec etiam erat Sacramentum ad instar aliorum Sacramentorum illius legis, conferendo, nempe, aliquam externam, et legalem sanctitatem.

25 Arg. In statu innocentia: dictum est: *Masculum, & fæminam*

creavit eos, & benedixit eis, dicens, crescite &c. Quæ benedictio duravit pro omni statu: ergo in omni lege fuit verum Sacramentum, et signum gratiæ, aut benedictionis. Confir. 1. ex SS. PP. Leone Papa, Chrysost. et August. qui docere videntur, Matrimonium à tempore creationis hominis, et semper fuisse Sacramentum: nam dicunt: *Cum Sacramentum conjugii apud fideles, & infideles existat*: ergo à fortiori fuit apud fideles Patriarchas. 2. Matrimonium fuit post peccatum institutum, et habuit vim contra concupiscentiam: ergo fuit causa gratiæ: nam per hanc solam frenatur concupiscentia. Denique: Ideo tantùm Matrimonium est Sacramentum; quia significat unionem Christi cum Ecclesia; sed illam unionem significavit Matrimonium Adæ cum Eva: ergo.

26 Resp. neg. conseq. ex illa enim benedictione, & ex verbis, ac factis Dei minimè arguitur institutio Sacramenti: nam dicta sunt, & facta etiam pro bestiis, ut patet Genesis legenti. Illa enim Matrimonia solùm adumbrabant futuram Christi conjunctionem cum Ecclesia: Hæc verò adumbratio, seu figuratio nihil concludit pro ratione Sacramenti veri, & propriè dicti; sicut nec figuræ Baptismi, vel Eucharistiæ, ut Agnus Paschalis, fuerunt Sacramenta. Ad primam Confirmationem dicendum est, PP. non loqui de Sacramento propriè, & strictè, prout hîc loquimur, sed de Sacramento largè, & impropriè; quatenus ab initio fuit signum, & figura mysteriosæ unionis Christi cum Ecclesia: non autem docent, quòd tunc fuerit signum efficax gratiæ. Ad 2. distin. ant. Contra concupiscentiam, ut officium naturæ, & remedium naturale, concedo: ut Sacramentum effectivum gratiæ, nego. Fuit itaque post peccatum remedium contra concupiscentiam, præbendo modum licitum sed dandi illam, & propagandi speciem hu-

humanam, ac ne carnis ardor se extenderet ad illicita: nunc autem addit vires supernaturales in eundem finem, & ad ferenda onera conjugii, atque ad sanctificandum conjuges. Ad 3. dist. maj. Quia significat practicè, id est, producendo gratiam, unionem Christi cum Ecclesia, concedo: quia significat merè speculativè, steriliter, & figuraliter, neg. maj. & similiter dist. min. & nego conseq. Isto dumtaxat sensu significabat Matrimonium Adami cum Eva, & cetera antiquarum legum Matrimonia futuram unionem Christi cum Ecclesia.

27 De tempore quo, & quando Christus hoc Sacramentum instituit, aut Matrimonium ad dignitatem Sacramenti elevavit? non conveniunt Doctores. Aliqui dicunt, quòd hæc institutio facta est in nuptiis in Cana Galileæ celebratis; quia tunc præsentia sua nuptias generaliter approbavit, & sanctificavit. Sed approbatio, & sanctificatio hæc non videtur convincere institutionem nuptiarum in ratione Sacramenti. Alii aliter sentiunt. Sed, ut advertit Ponticius dist. 49. necessarium non est, ut certè sciamus, ubi, vel quando hunc contractum, jam divinitus institutum, & approbatum ab origine mundi, Christus ad dignitatem Sacramenti elevaverit. Sufficit enim certò scire, & cum Ecclesia credere, hoc ita aliquando fecisse: non enim scripta sunt omnia, quæ dixit, & fecit. Hoc non obstante Subt. Doctor dist. 29. num. 13. existimat, hoc Sacramentum institutum fuisse, dum Christus Matth. 19. dixit: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fæminam fecit eos... Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Licet enim, inquit Doctor, ibi tantùm approbaverit contractum institutum ab origine mundi, Genes. 2. & per consequens contractum illum institutum supposuit: ad rationem verò Sacramenti illum elevavit, dum præfata verba Matth. protulit. Et hæc Tom. II.

est sententia communior apud Theologos.

28 Ex dictis cognosces, in quo Matrimonium, in quantum contractus, differat à Matrimonio, in quantum est Sacramentum, & in quo conveniat. Differunt; quia in quantum contractus ab origine mundi Matrimonium fuit institutum, & etiam inter infideles contrahitur, & invenitur: at verò in quantum Sacramentum à Christo fuit institutum, & solùm datur inter baptizatos; quia Baptismus est janua omnium Sacramentorum. Sub 1. consideratione non causat gratiam: bene verò sub 2. In quantum Sacramentum significat unionem Christi cum anima, & cum Ecclesia, atque unionem hypostaticam Verbi Divini cum natura humana: ut contractus verò hanc significationem non habet. Denique, ut Sacramentum habet causare gratiam sanctificantem, quæ radicat quoddam jus ad divina auxilia, tempore opportuno conjugibus præstanda, ut pacificè, & sanctè in charitatis vinculo vivant, ac debitè filios procreent: ut contractus verò præcisè hæc privilegia non habet. Conveniunt, tum; quia in quantum contractus, & in quantum Sacramentum, exigunt subiecta ad generationem apta. Tum, mutuos, ac legitimos consensus sensibilizatos. Tum, sub utroque respectu sunt medium honestum ad debitam conservationem, & propagationem naturæ, causantque in contractibus nexum indissolubilem.

QUÆSTIO III.

De indissolubilitate, ac dissolubilitate Matrimonii pertractans.

29 Hanc excito, & præmitto difficultatem, quasi præviam, ad plura, quæ dicenda sunt, clariorem intelligentiam. Igitur erga Matrimonii indissolubilitatem tot, & ad-

„ divina prohibuit ; cūm veritas per „ se dicat : Quod Deus conjunxit , „ homo non separet . “ Ex quo infertur , S. Pontificem de Matrimonio consummato textum intellexisse ; cūm ratum *causa religionis* dissolvi possit . Per hoc solvi possunt omnes Objectiones ab Adversariis excogitatae , conjungendo doctrinam datam de indissolubilitate in actu primo , & quasi radicaliter , quam omne Matrimonium ex se habet . Sed advertendum , dici *radicalis* , aut *in actu primo* , non in rigore metaphysico ; quia sic repugnaret dissolvi *exercitē* , & *in actu secundo* . Sed dicitur talis per connaturalem quamdam exigentiam , quam habet Matrimonium ad perpetuitatem , si non adsit causa superior , qua conveniens sit illud dissolvere . Sic cum aliis pluribus advertit Sanchez .

34 Dico 3. *Matrimonium ratum dissolvi omnino potest per Professionem Religiosam unius consortis ; & per Pontificiam dispensationem* . Resolutio debet intelligi de professione solemni in Religione ab Ecclesia approbata , ut tali . Est de fide , constans expressē ex Trid. sess. 24. can. 6. sic dicente : *Si quis dixerit , Matrimonium ratum , non consummatum , per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi : anathema sit* . In hoc omnes DD. conveniunt : non verō in assignando jure , quo Religiosa professio dissolvat Matrimonium ratum . Unī dicunt , hoc habere naturali jure . Ratio illorum est ; quia Matrimonium ratum non habet aliud vinculum , quā quod ex consensibus nascitur , & quod est spirituale , ad distinctionem vinculi consummati , quod est carnale . Unde , sicut iste dissolvitur per corporalem mortem , ratum dissolvi debet per mortem spiritualem , aut mysticam , qualis est professio Religiosa . Alii sentiunt , dirimere jure divino per Christi concessionem , quam Ecclesia habet traditione . Alii docent solūm jure Ecclesiastico dirimere .

Tres istae sententiae sunt probabiles ; secunda verō nobis magis placet .

35 Secunda assertionis pars , scilicet , per potestatem Pontificiam Matrimonium ratum dissolvi posse ; quod idem est ac dicere , Papam in illo posse dispensare , communior est , ac verior , quamvis contra se habeat plures , ac graves AA. Papae negantes talem potestatem . Sporer par. 4. n. 401. Sanchez lib. 2. disput. 14. & alii plurimi sentiunt , id esse omnino certum . Et si opinio , asserens , Matrimonium ratum indissolubile esse *formaliter* , & *exercitē* , jure Ecclesiastico dumtaxat , tenenda sit , nostra opinio per se nota est , cūm Papa sit supra Ecclesiasticum jus . Et quamvis jure divino tale Matrimonium esset indissolubile , nullo modo vincit , Papam non posse in illo dispensare . Ratio est ; quia in votis , Juramentis , aliisque obligationibus de divino jure , potest Papa dispensare : Et hoc , vel quia ex traditione in Ecclesia à Christo accepit hanc commissionem : vel quia dispensare potest in eo , quod est de divino jure , si radicetur , aut ejus obligatio fundetur in actu , aut actibus humanis . Est ratio est clara : nam actus humani , in quibus talis obligatio fundatur , aut radicatur , potestati Papae , tamquam supremi Legislatoris , & Ecclesiae Pastoris universalis , subjiciuntur . Confirmatur : nam Diana apud Sporer , septem Sum. Pontifices nominat , qui dispensarunt in triginta Matrimoniis ratis , & Sporer addit aliud ab Innocentio X. solutum ; sed sine temeritate cogitari non potest , tot Sum. Pontifices , & toties , in Matrimoniis ratis dispensasse , sine certa , & legitima potestate : ergo Papa illam habet , & consequenter &c.

36 Arg. Talis potestas , nec commissione Christi convenit Papae ; nec illi competere potest , ex eo quod vinculum Matrimonii rati fundetur in actibus humanis : ergo rationes , in quibus nostra opinio fundatur , falsae sunt :

sunt : ergo Papa talem potestatem non habet . Prob. antec. quoad primam partem : Christus Dominus potestatem dissolvendi Matrimonium absolute omni homini negavit , dum Matth. c. 19. dixit : *Quod ergo Deus conjunxit , homo non separet* , in quibus verbis ostendit , vinculum Matrimonii esse de divino jure : ergo . Prob. antec. quoad secundam partem : Si Papa dispensare posset in Matrimonio rato , quia in actibus humanis fundatur , etiam posset in Matrimonio consummato : sed hoc dici non potest : ergo nec illud . Nego antec. Ad 1. ejus probationem dico , textum alegatum , & alios , intelligi de Matrimonio consummato , *quo vir , & femina , fiunt una caro* , ut num. 33. manet dictum . Ad 2. probationem respondeo per dicta supra num. 30. nempe , quod omnimoda indissolubilitas Matrimonii consummati non fundatur in consensibus , sed in elevatione ad significandam unionem Verbi Divini cum natura humana , & Christi cum Ecclesia , *per humanitatem , seu assumptam carnem* . Hæc autem significatio non radicatur in actibus humanis , sed originem trahit à voluntate Christi , qui voluit talem significationem Matrimonio consummato præstare . Nec obstat , talem habuisse indissolubilitatem ab origine mundi , ut constat ex illo Gen. *Hoc nunc os ex ossibus meis &c.* Nam Adam , cognoscens tunc Incarnationis mysterium , & significationem tribuendam Matrimonio à Christo , propheticè fuit locutus , & pro ut statuendum erat à Verbo Divino incarnato futuris temporibus .

37 Dico IV. *Matrimonium fidelium consummatum est omnino indissolubile jure divino* . Prob. Tum ex cap. 19. Matth. in quo cum Christus interrogetur à Phariseis : *Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa ?* Respondet Div. Magister : *Non legistis , quia qui fecit hominem ab initio , masculum , & feminam fecit eos... propter hoc dimit-*

*tet homo Patrem , & Matrem , & adhærebit uxori suæ , & erunt duo in carne una . Itaque jam non sunt duo , sed una caro . Quod ergo Deus conjunxit , homo non separet ; sed hinc expressē locutus est Christus de Matrimonio consummato , quo , & non rato , conjuges sunt duo in carne una , & sunt una caro : ergo indissolubile est tale Matrimonium jure divino . Tum , ex Apost. 1. Corinth. cap. 7. ubi dicit : *His autem , qui Matrimonio juncti sunt , præcipio , non ego , sed Dominus , uxorem à viro non discedere* . Tum , ex proximè dictis , nempe ; quia Christus Matrimonium consummatum fidelium elevavit ad significandam Verbi Divini unionem cum natura humana , & Christi cum Ecclesia *per ipsam carnem assumptam* : ergo cūm talis unio indissolubilis sit omnino , tale debet esse Matrimonium consummatum , utpote talis unionis significativum . Unde Apost. ad Ephes. cap. 5. referens verba Genesis : *Propter hoc relinquet homo &c. & erunt duo in carne una : subjungit : Sacramentum hoc magnum est ; ego autem dico in Christo , et in Ecclesia* . Ex quo sequitur evidenter , per Matrimonium consummatum significari indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia , per carnem assumptam , & Sacramentum Incarnationis per unionem hypostaticam .*

38 Arg. Christus Matth. cap. 19. dicit : *Quicumque dimiserit uxorem suam , nisi ob fornicationem , et aliam duxerit , mæchatur* : ergo à contrario : *Qui dimiserit uxorem suam ob fornicationem , et aliam duxerit , non mæchatur* : ergo in Lege Evangelica , & inter baptizatos Matrimonium consummatum non est omnino indissolubile jure divino ; quia dissolvi potest per adulterium . Respond. neg. utramque consequent. Christus igitur loquitur prædictis in verbis , docens indissolubilitatem Matrimonii consummati quoad vinculum , & dissolubilitatem quoad thorum . In quo duo docet . I. Quod , qui uxorem dimit-

mittit, nisi causa adulterii, *mæchatur*; quia dimittendo illam, si casta, & innocens sit, infidelis est Matrimonio, & frangit jus, quod acquisivit conjux. Omne autem vitium contra Matrimonii fidem, quamvis adulterium non sit, *mæchia* vocatur. Docet II. quod, si dimissa uxore, cum alia nupserit, *mæchatur*; quia hæc secunda non est uxor sua: ideoque contra fidem primi Matrimonii peccat, & est adulter. Quare prædicta verba debent explicari, & Cornelius super textum, cum communi Expositorum, sic explicat: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, mæchatur: si alteram duxerit, mæchatur.* Ex quo convincitur, quod per adulterium potest conjux innocens separare, seu dissolvere Matrimonium quoad thorum, & quod, si dissolveret quis sine hac causa, seu conjuge innocente, *mæchatur*: non verò, quod possit dissolvere quoad vinculum; quia si ita per adulterium dissolveret, etiam *mæchatur*. Confirm. hæc doctrina ex Trident. sess. 24. can. 7. ubi damnat dicere, errasse Ecclesiam, docendo, doctrinæ Evangelicæ, & Apostolicæ conforme esse, adulterium non esse causam, ut vinculum Matrimonii dissolvi possit.

39 Dico V. *Matrimonium consummatum, etiam non baptizatorum, est indissolubile jure, & præcepto divino.* Constat manifestè ex verbis Christi cit. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*: ergo hæc inseparatio est de jure divino. Nunc sic: sed præcepta divina omni homini, tam baptizato, quam non baptizato, obligant: ergo. Deinde: Christus prædictis verbis derogavit permissum Mosaycæ Legis, de libello repudii; quo Judæi Matrimonia poterant dissolvere: nam sic dicit Dominus: *Ab initio autem non fuit sic*: in quo significatur, Matrimonium consummatum indissolubile fuisse jure divino. Et ut occurratur argumentis, est sciendum, quod Moyses ex divina

dispositione dispensavit cum Hebræis in indissolubilitate Matrimonii, permittens, cum certis causis, & circumstantiis, maritos repudiare mulieres, & illud Matrimonium sic dissolvere, ut constat ex Deuter. cap. 24. In hoc verò non tantum Moyses, sed ipse Deus dispensavit. Causa fuit, advertunt Expositores, & colligitur ex illis verbis Christi, Matth. cap. 19. *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras*: Causa, inquam, fuit; quia duri erant corde; feroces, & cum uxoribus inhumani; plures interficiendo, si illis non placebat suum consortium. Ad hanc igitur vitandam inhumanitatem concessum fuit eis à Deo, mediante Moyse, ut Matrimonia dissolverent. Pro alio argumento solvendo:

40 Quæres I. *An infidelis conversus ad fidem, seu factus fidelis, teneatur cohabitare cum conjuge in infidelitate permanente?* Idem est ac inquirere: an tunc conjux fidelis Matrimonium consummatum possit, quoad vinculum dissolvere? aut quoad thorum saltem? Duplici in sensu difficultas excitari potest: An in casu, quo conjux manens in infidelitate, sine injuria Creatoris, vel Religionis, velit cohabitare cum conjuge converso ad fidem, iste teneatur cum illo cohabitare? aut non teneatur? vel an potius possit fidelis Matrimonium dissolvere, & aliud contrahere? Certum est apud omnes, quod si infidelis non vult cohabitare cum conjuge converso, sine contumelia Creatoris, aut contemptu Religionis, aut cum periculo inducendi ad peccandum, aut absolutè cum converso cohabitare non vult, poterit iste dissolvere Matrimonium. Constat ex I. ad Corinth. cap. 7. *Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subiectus est frater, aut soror hujusmodi.* Quæ verba sic recepit, ac semper intellexit Ecclesia.

41 Dico I. *Fidelis non tenetur cohabitare cum conjuge infideli, quamvis*

vis iste velit. Est contra plures, consentiente nobiscum Sanchez, lib. 7. disp. 33. cum pluribus aliis. Prob. Tum: infidelitas non est minus, quin potius magis, quam adulterium, contra bonum prolis; sed propter adulterium potest conjux innocens non cohabitare cum adultero conjuge: ergo potiori ratione poterit conjux fidelis non cohabitare cum infideli. Tum ex dicendis n. seq. Nec obest, quod Apost. I. Cor. c. 7. dicit: *Etsi quæ mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum ea, non dimittat virum*: ergo cohabitare debet in tali casu. Nego igitur consequ. quia prædicta verba in exordio Ecclesiæ solùm habebant rationem consilii. Hoc significant antecedentia verba Apostoli, in quibus, cum declaret, præceptum Dei esse, conjugatos non posse Matrimonium dissolvere, loquens immediatè de Matrimonio infidelium, quorum unus convertitur ad fidem, sic dicit: *Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater habet uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* In quibus per verba: *Ego dico, non Dominus*, significat, non esse præceptum divinum, sed consilium suum. Hoc autem Apostoli consilium convenientissimum fuit illis temporibus: nam cum tunc conversiones essent frequentissimæ, si conjux infidelis cohabitare volebat sine injuria creatoris cum infideli, hæc habitatio erat valde conveniens, propter spem conversionis conjugis infidelis: qui in ipsa volitione, & desiderio significabat amorem intentum erga conjugem fidelem, & non esse aversum Religioni Christianæ, sine cujus injuria vivere volebat in mutua societate.

42 Dico II. „ In exordio Ecclesiæ non poterat conversus ad fidem „ Matrimonium dissolvere: potest „ verò temporibus istis, si consors „ infidelis non vult converti. „ Ita plures Doctores. Prob. I. pars ex laudatis Apost. verbis: *Si quis frater*

uxorem habet fidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: ergo in primitiva Ecclesia licitum fuit consorti fideli habitare cum infideli, qui in Matrimonio volebat permanere, sine injuria Creatoris, religionis, nec conjugis fidelis: ergo quamvis cohabitare non posset, ut dictum est num. ant. tamen Matrimonium non poterat dissolvere. Ratio est; quia dissolvere Matrimonium solùm conceditur infideli converso, quando infidelis discedat ab eo: *quod si infidelis discedit, discedat*: Et in tempore, quo licebat conjugi fideli habitare cum infideli, in duobus casibus dumtaxat reputabatur discedere, nempe, si cohabitare nolebat sine Creatoris contumelia, aut quin fidelem induceret ad Dei offensam. 2. Pars prob. ex verbis Apost. *quod si infidelis discedit, discedat.* Ex quibus arguitur sic: Non licet hodie conjugi fideli cohabitare cum infideli, qui non vult converti; sed idem reputatur hodie, infidelem nolle converti, ac velle discedere à fideli, quamvis contrarium protestaretur se intendere: ergo potest fidelis Matrimonium dissolvere, si infidelis non vult converti, quamvis cohabitare velit sine injuria Creatoris. Min. constat: quia cum hodie proffibita sit conjugi converso cohabitatio cum infideli, propter cultus disparitatem, idem est, infidelem cohabitare velle cum conjuge fideli, & nolle converti, ac velle inducere ad peccandum consortium fidelem: nam vult cohabitationem, quæ illicita, & prohibita est infideli. Hac doctrina concordari possunt duæ sententiæ, quæ versantur erga hanc difficultatem. Sed advertendum est, quod priusquam Matrimonium hoc dissolvatur, quærendum est ab infideli, si converti velit, & monerè illum ad conversionem: si enim converti vult, Matrimonium dissolvi non potest.

43 Quæres 2. *An Matrimonium infidelium fiat Sacramentum, quando*

do baptizantur? S. Thom. in 4. dist. 39. quæst. 1. Art. 1. & cum ipso Capreolus Art. 3. Bellarminus, & alii, affirmativam tuentur partem. Negativa verò conformior videtur Subt. Doct. dist. 39. quam tuentur frequentius Scotistæ, & ex extraneis Vazquez disp. 2. de Matrim. cap. 10. Conink, & alii plurimi Theologi. Prob. hæc sententia 1. Sacramentum Matrimonii essentialiter est contractus initus inter baptizatos; sed talis non esset in præsentia: nam contractus fuit, dum erant infideles: ergo dum postea baptizantur, non potest fieri Sacramentum. Confir. Dum infideles baptizantur, non existit materia proxima, nec forma Sacramenti Matrimonii; sed sine illis Sacramentum non potest verificari: ergo nec tunc contrahunt, nec recipere possunt Matrimonii Sacramentum. Prob. maj. materia, & forma hujus Sacramenti sunt ipsi contrahentes, contractus, & mutua corporum acceptatio per verba, aut signa mutuum consensum manifestantia, ut videbitur disp. 2. q. 1. sed dum illi recipiunt Baptismum, nihil horum, ex vi talis receptionis verificatur, nec existit; quia ea omnia jam transierunt: nec sunt præsentia pro illo instanti, ut requiritur in materia, & forma cujuslibet Sacramenti: nec fortè cogitant de Matrimonio in Baptismi receptione: ergo. Prob. 2. si Matrimonium elevaretur tunc ad esse Sacramenti, gratiam sibi propriam necessariò causaret: hoc enim proprium est cujuslibet Sacramenti; sed illam tunc non causaret: ergo. Prob. minor. quod non est Sacramentum, nec fuit, non potest dare gratiam sacramentalem; sed Matrimonium inter infideles, & ante Baptismum contractum, non fuit Sacramentum, ut supponitur, nec existit, cum baptizantur; quia tunc nullum apparet signum illius: ergo.

44 Arg. Tum ex cap. *Quanto de divort. Matrimonium inter infideles est verum, sed non ratum:* (hoc est,

gratia formatum) *inter infideles autem est verum, & ratum:* ergo hoc ipso quòd conjuges baptizantur, & fideles fiunt, Matrimonium infidelium fit ratum, & Sacramentum. Tum; Matrimonium infidelium fit indissolubile per Baptismum: ergo fit Sacramentum: nam indissolubilitas venit ex Sacramento. Tum: Deus potuit velle, ut conversi per Baptismum, ex vi præcedentis contractus, reciperent gratias, quas fideles recipiunt, dum contrahunt: ergo sic videtur dicendum; quia ita Dei bonitas magis commendatur.

45 Respondeo neg. conseq. Et enim Canon ille per Matrimonium ratum inter fideles, unicè intelligit illud, quod contraxerunt post Baptismum, & quod fuit verum Sacramentum, ac indissolubile prorsus, etiamsi alter apostatet à fide per hæresim, vel paganismum. Non ergo loquitur in casu nostro de contractu in infidelitate inito, quod non est adeo indissolubile, quin uno converso, hic possit separari ab alio, si velit, aut non possit cohabitare sine periculo fidei, aut gratiæ. Vide dicta num. 40. & sequent. Ad 2. neg. antec. nam si unus conjugum maneat in infidelitate, potest conversus ab illo discedere: non autem si contrahitur inter fideles. Non igitur eandem habet indissolubilitatem, etiam post Baptismum, contractus initus inter infideles, quàm qui fit inter fideles. Nec Matrimonium est indissolubile omnino, nisi propter rationem stabilitam supra num. 39. Ad 3. nego consequent. nam circa Sacramenta nihil debemus asserere, si ne fundamento in Scriptura, vel in Conciliis, vel in Ecclesiæ traditione. Unde, quia in aliis, quæ in usu consistunt, non nisi in suo fieri, gratia confertur; ergo de isto ita est dicendum.

46 Quæres III. *An si fidelis legitime contrahat cum infideli, ex dispensatione super impedimento dirimente, disparitatis cultus, esset ex par-*

parte fidelis verum Sacramentum? Affirmativam partem docent plures Theologi, & ex nostris Frassen, Hiquès in Com. & alii non pauci, existimantes, conformius esse menti Doctor. Respondeo verò: Talis contractus, nec ex parte fidelis esset Sacramentum. Ita plures DD. tam ex nostris, quàm extraneis. Quod hæc sententia plusquàm opposita conformior sit menti Subt. Doct. patet ex ipso dist. 39. sic dicente: *Tali contractui non esse annexum Sacramentum fidei christianæ, nec etiam ibi esset bonum Sacramenti, scilicet, indissolubilitas... Et propterea Ecclesia prohibuit tale Matrimonium.* Ex quibus prob. 1. Illud Matrimonium ex neutra parte esset indissolubile: ergo nec Sacramentum; quia indissolubilitas ex Sacramento venit: & ideò apud infideles non censebatur indissolubile. Prob. antec. juxta dicta ex Apost. Si infidelis non vult habitare cum fidei, potest iste discedere ab eo, & Matrimonium dissolvitur; sed hoc non liceret, si Sacramentum validum semel fuisset: ergo. Prob. min. Quando unus conjugum cadit in paganismum, vel hæresim, ligatus manet fidelis, quamdiu apostata vivit; sed hoc est, quia Sacramentum valet: ergo pariter. Prob. 2. Sacramentum hoc essentialiter est unum, constans uno contractu inter duos, marem, & foemina, & uterque facit unum subjectum capax; sed infidelis cum fidei non sunt unum subjectum capax hujus Sacramenti: ergo. Prob. minor. Juxta Scripturam, Concilia, & PP. solus contractus baptizatorum est subjectum capax, aut materia apta hujus Sacramenti; sed contractus iste verè non est baptizatorum; licet baptizatus sit unus conjugum: ergo. Confir. Essentia Matrimonii consistit in mutuo, & debito utriusque conjugis consensu, & conjux uterque debet esse capax ejus; sed conjux infidelis non est capax consensus, qui faciat, vel sit Sacramentum: ergo. Denique: Si lex ju-

Tom. II.

beret, quòd contractus venditionis non valeat, nisi inter nobiles, non valebit, si alter sit ignobilis; sed lex Ecclesiæ non vult, quòd iste contractus valeat inter cultu dispares, seu inter fidelem, & infidelem: ergo si fieret, Sacramentum non esset.

47 Arg. 1. Nihil deest tali contractui, ut Sacramentum sit: ergo est. Prob. antec. Si quid deesset ad Sacramentum pro fidei, maximè consensus infidelis; sed hic non deest: ergo. Prob. minor. Infidelis consentit, ut fidelis faciat, quod fit in Ecclesia, non sibi, sed fidei; sed iste intendit Sacramentum: nam intendit, quod faciunt fideles: ergo idem intendit infidelis. 2. Si ex duobus fidelibus contrahentibus unus haberet peccatum mortale, divideretur effectus Sacramenti: ita ut ille gratiam non reciperet, & reciperet innocens; sed ita est de valore Sacramenti, quoad fidelem, cum infideli: ergo similiter contractus esset Sacramentum pro fidei, & non pro infideli: atque ita effectus, & ipsum Sacramentum divideretur in eis. Nego antec. & distingo minor. Non deest materialiter, & invalidè, concedo: Validè, & debitè, nego min. & probationem. Infidelis itaque non respicit hunc contractum, nisi ut civilem, aut naturalem: non enim agnoscunt, nec credunt, contractum sacramentalem, ut fideles: ideòque non possunt illum intendere, ut talem. Ex hoc sequitur, non consentire validè, & debitè: nam ad hoc deberet ipse infidelis capax esse talis intentionis, & Sacramenti, quod divisibile non est. Unde ad 2. nego minor. Nam aliud est dividi Sacramentum, & aliud dividi effectum. Hoc quotidie accidit, non tantum in duobus subjectis, sed etiam in eodem. Patet in eo, qui baptizatur, vel ordinatur cum obice peccati: quo casu gratiam non recipit; benè verò characterem. Ipse tamen Baptismus, & Ordo, indivisibiles sunt: er-

LII

go

go pariter indivisibile est Matrimonium. Est igitur de essentia hujus sacramentalis contractus, ut sit inter duos, & pro duobus; ac proinde non valet pro solo uno. Hinc:

48 Quæres IV. *Quid debet fieri in illo casu, ut tale Matrimonium sit Sacramentum?* Respondeo quod debent de novo contrahere, & ita Sacramentum recipient. Resolutio est contra negantes antecedentem resolutionem. Prob. 1. Si conjuges conversi de novo contrahant, dabitur vera materia, & vera forma cum debita intentione, & per Baptismum sunt subjecta capacia gratiæ Sacramentalis: ergo adsunt omnia essentialia Sacramenti. Sed hoc stante, est verum Matrimonii Sacramentum, & habet suum effectum: ergo. Antecedens constat: nam adsunt contrahentes, & exprimunt mutuam consensum, & sunt capaces Sacramenti per Baptismum, atque cum intentione debita id faciunt: ergo cum nulla lege prohibeatur in illis circumstantiis illa renovatio consensus, id videtur asserendum, ut omni certitudine recipient hoc Sacramentum. Prob. 2. Si quid impediret contrahere de novo, maximè, quia donatio reciproca suorum corporum jam facta, & consummata supponitur; sed hoc minimè impedit: ergo. Major est fundamentum sententiæ contrariæ. Prob. minor. Tum; quia illa mutua donatio non fuit facta sub præsentis statu, conditione, & intentione: ergo possunt resilire à præcedenti contractu, & sibi invicem redonare corpora ad hunc effectum: hoc enim nulla lege est prohibitum. Tum: illa prior conjugum donatio non est fortior, nec indissolubilior ea, quæ fit per vota solemnia Religionis; sed hæc vota iterari, & renovari possunt ad novam gratiam, & novum meritum: ergo & contractus Matrimonialis, ad finem adeo sanctum, quale est bonum Sacramenti.

49 Dices: Ille secundus contractus nihil operaretur: ergo non face-

ret Sacramentum: nam istud requirit contractum validum, qualis non esset ille secundus. Prob. anteced. Si quid operaretur contractus iteratus, posset iterari sæpius, & toties fieret Sacramentum; sed hoc est falsissimum, & contra praxim fidelium: ergo. Maj. constat: nam eadem est ratio de 3. & 4. &c. ac de illo 2. ergo si contractus secundus, post Baptismum factus, esset Sacramentum, de posterioribus idem esset dicendum. Respond. neg. antec. Ille enim contractus, post Baptismum initus, redderet materiam aptam Sacramento, & fieret à subjecto capaci illius: atque cum debita intentione, sine qua Sacramentum recipi non valet. Unde operaretur gratiam, & indissolubilitatem hujus Sacramenti propriam; quia tunc adesset debita materia, forma, ac subjecta Sacramenti capacia. Cæteri verò posteriores contractus nihil adderent de novo, & supponerent jam Sacramentum factum: atque adeo ad summum, si ex christiana devotione fierent, conducere possent ad meritum.

QUÆSTIO IV.

An inter fideles separari possit in Matrimonio ratio Contractus à ratione Sacramenti?

50 **D**ifficultas hæc ab aliis promovetur sic: *An Matrimonium fidelium possit esse validum, in quantum contractus, quin sit Sacramentum?* Casus esset, si duo fideles contractum Matrimoniale celebrassent cum intentione non faciendi, nec recipiendi Sacramentum, sed unice Matrimoniale vinculum à ratione Sacramenti segregatum. Plures sunt Theologi, etiam Scotistæ, quos Sporer part. 4. cap. 1. sec. 4. citat pro parte negativa: ipse verò docet partem affirmativam. Hanc docet etiam Dupasquier quæst. 3. de *Matrim.* de mente Scoti. Verum, si non fallor, negativa sententia docetur

tur à Subt. Doct. dist. 26. Ubi loquens de fidelium Matrimonio, ita inquit: „ In quocumque contractu „ in Lege Evangelica concomitatur „ Sacramentum: quia illud signum, „ quod requiritur, ex institutione „ divina est Sacramentum: “ ergo ex Scoto quoties adhibentur necessaria ad valorem Matrimonialis contractus, necessariò fit Sacramentum. Quare.

51 Sit Conclusio: *In Matrimonio inter fideles baptizatos inseparabilis est ratio contractus à ratione Sacramenti, supposita Christi institutione.* Unde fideles nequeunt celebrare validè Matrimoniale contractum, quin simul recipient validum Sacramentum: nec contrahent validum Matrimonium in quantum contractum, si expressè nolint recipere, in quantum Sacramentum. Prob. Tum: Christus, auctor Sacramentorum, non aliter Matrimonii Sacramentum instituit, quàm elevando contractum Matrimoniale ad esse Sacramenti Matrimonii: ergo cum elevatio hæc à Christi voluntate pendeat *in fieri, & conservari*, nulla inferior voluntas talem elevationem auferre potest, aut à contractu Matrimoniali separare. Tum; Matrimonium, utpote contractus humanus, non potest esse validus per consensus ab Ecclesia reprobato, & ex ejus institutione insufficientes, & non aptos ad Matrimonium, quod Christus instituit in ea fidelibus: nec Ecclesia agnoscit in se alium Matrimoniale contractum. Nunc sic: sed consensus excludentes à Matrimonio rationem Sacramenti, non sunt apti Matrimonio, quod Christus in sua Ecclesia dereliquit: ergo fideles baptizati nequeunt validum facere Matrimonii contractum, si nolint recipere, tamquam Sacramentum, aut quin, ut tale, sit validum. Min. constans est: nam tale Matrimonium Christus in sua Ecclesia non dereliquit: quin potiùs in ea Matrimonium instituit, quod contractus, & insimul Sacra-

Tom. II.

mentum esset. Tum: velle celebrare Matrimoniale contractum, qui non sit Sacramentum, aut nolle recipere illud, est velle contrahere Matrimonium Gentilicum, aut Judaicum, & non Matrimonium Christianum; sed fideles sic intendentes contrahere, non haberent consensus sufficientes ad valorem Matrimonii, in quantum contractus: ergo non contraherent Matrimonium validum; sub ratione contractus. Maj. certa est omnino; quia Matrimonium Christianum illud est, quod Christus instituit, & suæ Ecclesiæ reliquit, separando illud à Gentilico, & Judaico, ob elevationem ad esse Sacramenti. Prob. minor. Consensus sufficientes ad valorem Matrimonii, in quantum contractus, ordinari, & approbari debent à Principe, cui contrahentes, & contractus subjiciuntur; sed consensus fidelium, intenduntium contrahere Matrimonium Gentilicum, aut Judaicum, & non Christianum, ordinati non sunt, nec approbati à Christo, Ecclesiæ Principe, nec ab ipsa Ecclesia, cujus subditi contractum hunc celebrant: ergo insufficientes sunt in baptizatis ad Matrimonialis contractus valorem.

52 Arg. 1. Christus, dum Sacramentum Matrimonii instituit, non fecit irritum contractum Matrimoniale, sed unice suæ Ecclesiæ, & fidelibus illum ad esse Sacramenti elevavit: ergo baptizati contrahere possunt Matrimonium validum, in quantum contractum, si velint sic dumtaxat efficere illum, & non recipere, nec facere Sacramentum. Patet consequens; quia Sacramentum facere, & recipere ab intentione facientis, & recipientis pendet. Tum: potest quis velle non baptizatum lavare, & formam Baptismi pronuntiare, & nolle Sacramentum Baptismi efficere, nec baptizare: ergo pariter. Tum: quia id de facto contingit in Hæreticis Lutheranis, & Calvinistis; qui, non agnoscentes Matrimonium, ut Sacramentum, sed

Llla

pu-

puré ut civilem contractum, nihil aliud intendunt: ergo nec aliud valet, nec ipsi faciunt. Ergo si Catholicus, vel ex malitia, vel ex errore non intenderet nisi contractum, non efficeret, nec reciperet Sacramentum; quia deesset debita intentio ad illud.

53 Resp. ad 1. Christum Dominum contractum Matrimoniale non annullasse, nec alium novum instituisse, sed illum perfecisse, & ad esse Sacramenti elevavit. Et ideó in non baptizatis, qui incapaces sunt recipiendi illum, ut Sacramentum, mansit, sicut erat antea, ut contractus. At veró, dum ad excellentiam Sacramenti illum elevavit, hac ipsa elevatione, ut Ecclesiæ Monarcha declaravit, non esse capaces contrahendi Matrimonium baptizatos, quin simul Sacramentum reciperent. Unde connexio hæc contractus Matrimonialis, & Sacramenti in baptizatis, unicé pendet á voluntate Christi, quia voluntati contrahentium illam relinqueret: qui contrahentes, quamvis liberi sint ad contractum celebrandum, non sunt liberi ad non recipiendum Sacramentum, semel quód celebrent contractum. Quare in ipsa met elevatione suam voluntatem declaravit, nempe, habiturum non esse pro consensibus legitimis contrahendi Matrimonium illis, quibus baptizati intentionem recipiendi Sacramentum excluderent. Per hoc patet ad 2. quia in illo casu esset materia vera, & forma Baptismi; esset subiectum, & Minister aptus, & solum deficit intentio. Talis autem materia, & forma non consistunt in re, nec in actione civili, subjecta Superiori, sed subjecta, & communi cuilibet privatæ personæ. Consensus veró ad contractum Matrimoniale, super quem *ex Christi institutione* Sacramenti ratio cadit, consistunt in actione civili, cujus legitimitas, sine qua contractus non valet, non subicitur contrahentium dispositioni, sed Christi. Dominus igitur, ut Monar-

cha supremus, in ipsa elevatione contractus ad esse Sacramenti disposuit, quód in sua Ecclesia consensus non esset legitimi ad contractum matrimoniale, si intentionem recipiendi Sacramentum excluderent: & quód baptizati capaces non essent celebrandi contractum talem, quia *expressé, aut tacité* Sacramentum velint recipere.

54 Ex hac doctrina solutio ad 3. apparet clara. In Hæreticis itaque negantibus, Matrimonium esse verum Sacramentum, contractus esset concubinatus: nam in ipsa negatione, Matrimonium volebant ut contractum, et non ut Sacramentum. Tales itaque consensus non sunt legitimi inter baptizatos ad contractum Matrimoniale, nec ipsi capaces sunt, ut sua voluntate illum separent á ratione Sacramenti. Si veró duo Hæretici contrahere velent Matrimonium, quod Christus suæ Ecclesiæ disposuit: non tamen, quód Papistæ (sic Catholicos vocant) celebrant, validé contraherent, et Sacramentum reciperent, modó non haberent impedimentum dirimens, Ratio est; quia in ipsa intentione celebrandi Matrimonium, quod Christus Ecclesiæ instituit, haberent intentionem recipiendi Sacramentum, saltem virtuale. Quare si baptizatus quilibet Matrimonium contraheret cum expressa intentione recipiendi illud, ut contractum, et non ut Sacramentum, nec ex defectu intentionis reciperet Sacramentum: nec validus esset contractus ex defectu consensus, qui cum tali exclusionem non esset legitimus, nec contrahens baptizatus capax esset celebrandi Matrimoniale contractum.

55 Advertendum est veró, quód si duo fideles contractum Matrimoniale celebrassent, non advertendo, aut invincibiliter ignorando, esse Sacramentum: Tunc veré reciperent illud. Ratio est; quia in illo consensu expresso includitur virtualiter

in-

intentio faciendi, & recipiendi Sacramentum Matrimonii: etenim contrahere intenderent Matrimonium, quod in Ecclesia celebratur: Et hoc *ex Christi elevatione*, & voluntate inseparabile est á ratione Sacramenti. Si dicas: *Nihil volitum, quin præcognitum*: ergo si invincibiliter ignorarent esse Sacramentum, non possent habere intentionem faciendi, & recipiendi illud. Respond. nihil volitum formaliter, & expressé, aut directé, & immediaté, quin præcognitum, concedo: mediaté, indirecté, & virtualiter, nego. Hocsecundo modo potest quis velle, quod non cognoscit; quia ad hoc sufficit, quod cognoscat, & velit *directé, & formaliter* id, in quo continetur; modó non habeat voluntatem exclusivam illius contenti, aut si esset talis, quod si illud cognosceret, non vellet.

56 Pro aliis observa 1. Ecclesiam quinque prioribus sæculis tolerasse Matrimonia fidelium cum infidelibus, cum nullum aderat præsens subversionis periculum. Constat pluribus exemplis SS. Mulierum. Sic Eunice, Timothei Mater, licet fidelis, teste S. Luca, act. 16. nupserat Gentili, Apostolorum ætate. S. Cæcilia sponsum habuit Valerianum infidelem: Monica Patritium infidelem: Clotildis Regina nupsit Clodovæo, Francorum Regi, adhuc Ethnico. Hujusmodi autem conjugia Ecclesia toleravit, omni secluso periculo perversionis, ob utilitatem, quam ex his poterat referre, sive per conversionem infidelium ad fidem. Et de facto Monica Patritium, Cæcilia Valerianum, Clotildis Clodovæum, acquisivere Christo. Sive per protectionem; quia viri Gentiles rem Catholicam in gratiam suarum uxorum promovebant, aut saltem non ledebant. At veró quamvis interdum Ecclesia connubia hæc toleravit, nihilominus propter adjuncta pericula, generatim illa improbavit, & ante 12. sæculum irrita fecit.

57 Observa 2. Matrimonia orthodoxorum cum Hæreticis illicita esse, & invalida, saltem ex dispositione Ecclesiæ. An veró licita fieri possint, & consequenter valida, per dispensationem, non conveniunt Theologi. Æstius in 4. dist. 39. & cum ipso affirmant alii, connubia hæc per se omnino mala, ac proinde illicita esse. Inquiunt enim, quód tale conjugium numquam iniri potest, absque evidenti periculo, vel seductionis, vel profanationis Sacramenti: sive ex parte Sacerdotis, qui notorié indigno Sacramentum administrat: sive ex parte Hæretici, qui illud indigné recipit: sive ex parte Orthodoxi, qui (si contrahentes sunt Ministri) Hæretico ministrat, & ab eo percipit: vel saltem occasio est ipsi percipiendi indigné Sacramentum, quod certé, inquiunt, charitas non patitur. Et addunt, numquam licitum esse communicare cum Hæretico notorié excommunicato in rebus sacris. Si opponatur illis, plures ab Ecclesia concessas esse, nempe, á Clemente VIII. Duci Barriensi, ut Catharinam Henrici IV. Francorum Regis, sororem, sed hæreticam, duceret: ab Urbano VIII. an. 1625. Henriciæ, Ludovici XIII. sorori, ut Carolo, Anglorum Regi, hæretico, nuberet; has dispensationes, ut nullas, ac per vim extortas, rejiciunt illi Theologi.

58 Ex altera parte stant Theologi, Azor, Sanchez, Poncius, & alii, egré ferentes, injuriam fieri SS. Pontificibus, cum velut nullæ, ac abusivæ appellantur illorum dispensationes, quas concesserunt, ob publicum Ecclesiæ bonum, Regnorum pacem, ac concordiam familiarum. Et addit Poncius, nullum se legisse auctorem, qui scripserit, conjugium Catholici cum hæretico ita illicitum esse, ut nullo casu ex dispensatione Sum. Pontificis licitum evadere possit. Unde ad fundamenta prioris sententiæ respondent ad 1. periculum perversionis posse aliquando separari ab hu-

jus-

juscemodi conjugii : prout sæpè à Matrimoniis fidelium cum infidelibus separatum est. Ad 2. negant, necessariò annexam esse profanationem Sacramenti, saltem ex parte catholici. Sicut enim licet in casu necessitatis accipere pecuniam ab usurario sub usuris, & Sacramenta à Pastore improbo petere, quamvis uterque peccet, nempe, ille usuras exigendo, & iste Sacramenta violando: ita culpandus non est Catholicus, qui, urgente necessitate, jungitur cum Hæretica, vel Catholica cum Hæretico, qui, vel quæ, malitiæ suæ imputare debet, quòd indignè recipiat Sacramentum; non autem Catholicus, qui jure suo utitur. Et quidem, si talia Matrimonia necessariò illicita essent, Pontifices in eis non dispensassent. Ad 3. licitum esse cum Hæretico communicare, sublata prohibitione per legitimam dispensationem. Advertunt verò, in his celebrandis conjugii hanc formam observari debere, juxta mandatum Clementis VIII. ut nec offeratur Missæ Sacrificium, nec impendatur à Sacerdote benedictio nuptialis, sed simpliciter adsit Sacerdos præsens, præsertim in locis, in quibus lex Tridentini viget.

59 Quæres: Quando Matrimonium censeatur consummatum, & indissolubile omnino? Et pariter: si copula præcessit Matrimonio, an dum postea contrahitur, censendum sit per illam consummatum? Respond. ad 1. Matrimonium ratum consummari per copulam aptam ad generationem. Consentunt omnes Theologi, & satis constat ex dictis. Ad 2. resp. negativè. Tum; quia copula illa fornicaria est; sed Matrimonium solùm consummatur per copulam Matrimoniale: ergo. Tum; quia consummatio est complementum rei, quæ consummatur: ergo essentia rei, quæ consummatur, præcedit ipsius complementum: ergo Matrimonium copulam debet præcedere, in qua suum complementum habet. Si dicas: Ma-

trimonium subsequens retrotrahitur ad copulam, ita ut prolem legitimet, ut constat ex cap. *Tanta qui filii sint*: ergo copula prædicta ad Matrimonii consummationem ita se debet habere, ac si esset subsequens. Neg. conseq. Ratio disparitatis est, quòd in favorem prolis retrotrahitur ex juris dispositione: quod quidem in favorem fornicantium, nec disponit, nec justum est disponere.

QUÆSTIO V.

An inter absentes Sacramentum Matrimonii possit contrahi? Ac de consensu necessario ad illius valorem.

60 **M**atrimonium inter absentes illud est, quod fit per procuratorem, per Epistolas, aut per parentes. Quod enim ad Matrimonium in ratione contractus non sit necessarium, partes contractantes esse præsentem, dummodo procuratores habeant mandatum authenticum, & non excedant illud, omnino est indubium. Quare difficultas solùm potest esse de Matrimonio sub conceptu Sacramenti. Indubium est etiam, requiri consensum ex parte conjugum, sine quo contractus ille esset irritus. Hic contrahentium assensus est actus voluntatis eorum, quo mutuo assentiuntur in Matrimonio, volentes sibi invicem dominium suorum corporum transferre, in ordine ad prolis procreationem, & individuum unius cum alio perpetuam societatem: nam consentire est idem ac cum alio sentire. Unde consensus, cap. *Quod autem* q. 1. definitur sic: *Est duorum, vel plurium sensus in idem.* De hoc consensu ad Matrimonium necessariò, jam aliqua diximus. Ut igitur quæ restant dicamus.

61 Conclusio I. *Matrimonium inter absentes, per procuratorem, aut nuntium, validum est, tam ut contractus, quàm ut Sacramentum.* Est communis apud Theologos, & expres-

pressè docetur à Subt. Doct. dist. 27. quæst. 2. Prob. 1. ex cap. *Procurator*, ubi dicitur: *Procurator, non aliter censeatur idoneus ad Matrimonium contrahendum, quàm si ad hoc mandatum habeat speciale*: ergo si Procurator habeat mandatum speciale, potest contrahere. Confir. ex Script. nam Gen. 24. Rebecca nupsit Isaac per Eliezer, servum Abrahæ, missum in Mesopotamiam. Ibi enim, vocata Rebecca coram Patre, & nuntio, & proposito sibi Matrimonio cum Isaac, ipsa consentit, & contractus validus fuit. Urgetur ex jure civili: nam *L. sufficit*, dicitur, inter absentes, æquè, ac inter præsentem, Matrimonium contrahi posse, positum ponendis, scilicet, conditionibus bonæ procuracionis, aut delegationis. Prob. 2. quoad 2. partem: In tali contractu adsunt omnia requisita ad Sacramentum: ergo. Ant. est omnino certum: nam adsunt materia, & forma idonea; adest Minister (si Ministri sunt contrahentes, adsunt per nuntium, vel procuratorem) adest consensus per verba, aut signa, expressus; adest Parochus, & adsunt testes, prout exigit, & præcipit Trident. ergo. Urgetur: Ante Concilium Matrimonia sic contracta vera erant Sacramenta: ergo & nunc, si adsint solemnitates, quas præscribit. Prob. ant. ex praxi Ecclesiæ, maximè inter Principes: quinimo temporibus istis quampluribus permittitur contrahere per procuratores, quod & ipsum Trident. permittit: ergo.

62 Arg. 1. Alia Sacramenta non dantur absentibus per procuratores, aut alios: ergo idem est de isto: nam est ejusdem rationis cum aliis Sacramentis. Ant. constat in Sacramento Pœnitentiæ, in quo non valet confessio, nec absolutio absentium, ut dictum est tract. de Pœnitent. disp. 2. quæst. 4. per totam à num. 195. & idem est de Baptismo &c. Prob. cons. Ideò alia Sacramenta non essent in tali casu valida; quia non verificaretur nec subjectum, nec forma

Sacramenti; sed idem esset in Matrimonio per procuratorem, Epistolam, vel nuntium: ergo. Prob. min. Procurator non potest dicere coram Parocho: *Ego te accipio in meam*, nec vicissim potest dicere fœmina: nec Parochus: *Ego vos conjungo*: nam nec illi se mutuò tradunt, nec iste illos conjungit; sed Sacramentum non valet sine his formis, ut Trident. decernit: ergo. 2. Si Sacramentum Matrimonii valeret pro absente, sequeretur: Tum; quòd, ipso tunc dormiente, causaret in eo gratiam, & quòd procurator peccaret pro ipso, si esset in peccato, dum contrahit pro illo; sed hæc absurda sunt: ergo. Tum; quia fieri potest, quòd dum procurator contrahit, sponsus dissentierit, & voluntatem mutaverit: Item, quòd procurator posset agere sine intentione; sed in primo casu deesset consensus, & in secundo exponeretur nullitati, & profanationi Sacramentum: ergo ne talia absurda sequantur, dici debet, inter absentes non esse validum. Tum denique: non datur actio in distans: ergo Sacramentum datum Burgis non potest gratiam operari Pompelonæ, ubi sunt conjuges: ergo nec vinculum conjugale. Sed sine hoc Sacramentum Matrimonii existere non potest: ergo.

63 Respond. ad 1. nego conseq. & paritatem. Disparitas inter hoc, & alia Sacramenta est manifesta: nam valor istius fundatur in valore contractus, ad quem non requiritur præsentia personali contrahentium, dummodo constet de illorum consensu. Non ita est de aliis Sacramentis, ut videri est, ubi pertractatur de ipsis. Nec Trident. in aliquo obstat huic veritati: siquidem nihil novi exigit, nisi ut contrahatur coram Parocho, & testibus; quod fieri potest in contractu, sive per litteras, sive per nuntium, sive per procuratorem. Ad prob. nego minor. & disting. illius probat. non potest dicere verbis formalibus, & materialibus contrahe-

tium, concedo: equivalentibus, & expressis nomine ipsorum, neg. Dum igitur exprimentur consensus sponzorum de presenti per procuratores, unus dicit Petro: *accipio te in meum nomine Mariæ*: Et alter: *accipio te in meam nomine Petri*: & Parochus: *Ego vos conjungo*, nempe, in Petro, & Maria, pro quibus contrahitis. Quare autem confessio, & absolutio sacramentalis exigant poenitentem, presentem Sacerdoti, cum illum absolvit, loco cit. videri potest. Matrimonium itaque ad suum valorem unicé exigat consensum realem, de quo sufficienter constat per procuratorem cum mandato speciali.

64 Ad 2. dico, nihil absurdi sequi contra Sacramenti valorem: nam quod sponsi dormiant, aut in peccato sint, dum procuratores pro ipsis contrahunt, illorum est culpa, & incongruitas: at veró non ideó invalidus est contractus, nec Sacramentum. Patet exemplo: si quis, postquam Baptismum petiit, vel absolutionem, in lethargum cadat, illa Sacramenta, si illi conferantur, non sunt invalida. Unde si conjuges essent in peccato, dum procuratores contrahunt pro ipsis, procuratores non peccarent, sed soli conjuges, qui tunc gratiam non recipere; sed Sacramentum validum esset. Et pariter si dormirent; quia consensus permaneret. At cætera dico, quod si sponsi veré dissentirent, antequam procuratores pro ipsis contraherent, Sacramentum esset nullum, ex defectu consensus, qui in hoc Sacramento est simpliciter necessarius. Si autem procurator contraheret sine intentione, dummodo intentionem nubentium externé exprimeret, Sacramentum valeret; quia consensus sponzorum, & non procuratoris, necessarius est ad Sacramenti valorem. Non tamen presumendus est talis defectus, nec in procuratoribus, nec in contrahentibus: aliás numquam posset conferri securé ullum Sacramen-

tum, etiam presentibus, in quibus dispositiones necessariae internæ deesse possunt. Existimandum est igitur prudenter, quod omnes in omnibus conserventur; quia in rebus tanti momenti non presumitur malitia, nec dolus. Numquam itaque presumendum est, consensum esse incertum, aut fictum, ex eo, quod ita evenire possit: sufficit enim certitudo moralis, qualis debet haberi: aliter nullum Sacramentum posset certó adhiberi; quia subesse potest falsitas ex parte Ministri, aut suscipientis. Quare ut pulchré ait Subtil. Doct. dist. 28. quæst. 2. *Sufficit illa certitudo, quæ haberi solet in actibus humanis, & contractibus: nam quilibet presumitur verax, de quo non habetur signum oppositi*. Ad ult. disting. antec. non datur actio agentis physicé, transeat: agentis moraliter, neg. anteced. & consequent. Nam contractus Burgis celebratus per legitimum procuratorem ligat sponzos existentes Pampelonæ: & Sacramenta operantur actione moralé, ut dicunt Scotistæ. Vel si physica, ut volunt Thomistæ, hanc operarentur Pampelonæ, ubi proprié sponsi Sacramentum reciperent.

65 II. Conclusio: *Ut Matrimonium sit validum, necessarius est contrahentium consensus sensibiliter significatus: & hic solus est necessarius absoluté loquendo*. Utraque pars constat ex Subt. Doct. dist. 27. quæst. 1. & 2. & prima pars est de fide, 2. communis. Prob. prima pars ex Sac. Canon. & Conciliis cap. *Quod autem*, quæst. 2. dicitur: *Consensus utriusque facit Matrimonium*. Et cap. *Sufficiat*, dicit Nicolaus I. *Sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur; qui consensus, si in nuptiis solus forté defuerit, cætera omnia, etiam cum ipso coitu celebrato, frustrantur*. Idem habetur ex Innocent. III. Florent. in Decr. dicit: *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutus consensus, per verba de præ-*

sen-

genti expressus. Et in Trident. sess. 24. præcipitur, *ut Parochus intelligat viri, & feminae mutuum consensum, & jubet, interrogari virum, & feminam, ut ex eorum verbis, aut nutibus eorum consensum intelligat*. Rituale Rom. inquit: *Utriusque consensus debere exprimi signo sensibili, sive fiat per se, sive per procuratorem*. Ex quibus prima pars demonstrata manet. Demonstratur etiam ratione: nam de conceptu omnis contractus est, ut fiat per actus humanos, sensibiles, & perceptibiles a contrahentibus: non enim homo agit in hac vita, nisi mediantibus sensibus, non sicut Angeli per actus spirituales, & puré internos: ergo sensibilis debet esse contractus Matrimonialis, ut maximé in ordine ad Sacramentum, quod essentialiter est signum sensibile.

66 Secunda pars, scilicet, quod absoluté loquendo solus contrahentium consensus ad valorem Sacramenti est necessarius, constat aperté ex Can. & Conciliis cit. Sed ultra prob. 1. Nec Christus, nec Ecclesia alium consensum ad hujus Sacramenti valorem requirunt, quám consensus contrahentium: ergo quocumque alio consensu posito, si iste deficiat, deficit Sacramentum. 2. Si alius consensus sufficeret ad valorem, maximé parentum, quibus contrahentes subjiciuntur; sed non sufficit parentum consensus, si filii in id non consentiunt: ergo. Min. definitur á Trident. sic: *S. Synodus anathemate damnat eos, qui falsó affirmant, Matrimonia á filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, & irrita facere posse*. Unde si quæ sit civilis lex, quæ decernat oppositum, per hanc Concilii Canonicam regulam corrigitur. Ex quibus patet, quod patres non possunt validé contrahere pro filiis Matrimonium, sine aliquo istorum consensu, saltem virtuali, & implicito: ita ut non sint, nisi velut organum, vel procuratores filiorum,

Tom. II.

quorum consensum expriment. Sic constat ex cap. *Tua sanctitas*, ubi dicitur: *Patres nullo modo posse pro filio facere Matrimonium, si filius aliquomodo non consentit*. Ut autem censeatur consentire, sufficit, si præsens non contradicit. Sic cap. de Spons. quæst. 2. *Tua fraternitas nos requisivit de filio adulto, quem patrem vult contrahere, si sine voluntate facere potest? Ad quod dicimus; si aliquomodo non consentit filius, fieri non posse*. Super quæ Glossa dicit: *Tacens habetur pro consentiente*. Diximus ad valorem Sacramenti: nam ad licité contrahendum, requiritur in filiis familias consensus parentum, ut colligitur ex decreto Urbani I. & aliis Canon. illum consensum exigentibus: & in legibus Civilibus l. 2. ff. de nupt. dicitur: *Nuptiæ constare non possunt, nisi consentiant omnes, qui coeunt, & quorumcumque sunt in potestate*. Et hoc utique congruum est. 1. Quia parentes sapientiores sunt, & præcisa omni passione, præoccupatione, ac præcipatione ab eis, eligunt personas convenientiores, & utiliores. 2. Quia jus naturæ exigit, ut filii sint subditi parentibus, maximé in his, quæ bonum familiæ respiciunt. Si veró parentes cum passione, aut præcipatione procedunt, seu non prudenter, filius non tenetur obedire. Propter hoc Scotus cit. dicit, quod in casu Matrimonii, dictum Apost. *Filii obedite parentibus vestris, non intelligitur quoad istud; quia in isto filius non tenetur obedire patri*.

67 Arg. 1. In Canonibus de spons. Impub. dicitur: quod filii nubunt solo consensu, non suo, sed parentum: & quod cum illi adoleverint, debent Matrimonium sic contractum adimplere. Ita cap. *Tua nos*. Ergo non est necessarius conjugum consensus. 2. Multa Matrimonia, ut legitima habentur, in quibus non adfuit verus consensus: ergo iste non est adeo necessarius. 3. Innoc. III. dicit: *Necessaria sunt verba consen-*

Mmm

sum

sum exprimentia de præsenti, sed quantum ad Ecclesiam: ergo externa consensus expressio non est de necessitate Sacramenti, sed ex præcepto Ecclesiæ.

68 Respond. ad 1. Canonem illum loqui, non de Matrimonio, sed de sponsalibus. Et cum dicitur, *quod cum filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino debet hoc implere*; hoc debitum, ait Glossa, *non est necessitatis, sed honestatis.* Unde neg. consequent. nam filii, cum adolescent, semper propria voluntate consentire debent. Ad 2. dico, quod si deficit consensus internus, & verus, & solum adsit consensus externus, & fictus, talia Matrimonia habentur legitima in foro externo. Erunt tamen nulla à parte rei, & in foro interno. Ad 3. neg. consequ. Quod igitur debeat exprimi propter Ecclesiam, quæ non iudicat de occultis, hoc minimè excludit necessitatem Sacramenti, sed ex ejus natura venit, eò quod essentialiter est signum sensibile. Deinde contractus humani humano modo fieri debent, ita taliter, ut contrahentes agnoscant ad invicem suas intentiones. Ex quibus sequitur, quod licet talis consensus significetur *sensibiliter, & externè* per verba inter præsentes, aut per procuratores, & quod sic curandum est, quantum fieri potest, ut Concilia monent; tamen si contrahitur cum mutis, qui verba non proferunt, vel surdis, qui illa non audiunt, vel idiotis, qui illa non intelligunt, sufficient nuntus, aut alia signa certa, per quæ Sacerdos, testes, & sponsi, mutuum consensum intelligant.

69 III. Conclusio: *Per nullam potestatem suppleri potest in contrahentibus consensus in Matrimonio.* Intelligitur de potestate creata, & probatur: Tum ex Canon. & Concil. cit. nam semper exigunt consensum proprium viri, & femine, non autem alterius potestatis, quod quidem est essentialiter huic contractui; sed si fiat jussu, vel voluntate parentum,

aut superiorum, non erit consensus contrahentium: ergo. Tum contractus iste consistit in mutua traditione corporum: ergo solum ab illis fieri potest, qui sunt Domini corporum sponsorum. Patet hoc: nam de essentia donationis est, ut donans dominus sit rei donatæ. Sed nulla creata potestas, præter ipsos sponsores, dominium habet in corpora eorum: ergo nulla potest per contractum illa donare, aut consensum illorum supplere. Tum: Si ulla potestas supplere posset talem consensum, maximè quia Princeps, aut Respublica id faceret pro bono publico: nam in tali casu potestatem habet in res, & in corpora civium, quatenus expedit pro illo bono; sed non expedit bono publico, ut conjungantur vir, & femina per alienam voluntatem, contra suam propriam: ergo. Prob. min. 1. Quia id fieret contra voluntatem Christi, qui Matrimonium, tam in ratione contractus, quam Sacramenti, liberum contrahentibus instituit. 2. Quia hic contractus ex natura sua fundatur in mutuo amore conjugum, sine quo exitus talis contractus ordinariè est infelicissimus: ergo debet esse liber omnino, & consequenter &c.

70 Arg. Tum: Princeps ob bonum publicum potest cogere ad alios contractus, ut ad venditionem, aut cessionem domus, aut agri: potest etiam de vita subditorum disponere: ergo potest cogere ad istum contractum, & disponere de subditis in ordine ad Matrimonium, & ejus usum, ob publicum bonum. Tum: in casu necessitatis potest Papa cogere ad Episcopatum: sed tunc inter hominem, & Ecclesiam fieret Matrimonium spirituale: ergo ita esset in Matrimonio corporali. Tum: ex Florent. *consensus contrahentium est regulariter causa efficiens Matrimonii*: ergo quamvis non regulariter, in aliquo casu necessario, sufficit consensus Principis, aut Superioris.

71 Ad 1. potest negari ant. nam de

de ratione contractus est, ut ex propria voluntate contrahentium fiat. Unde potest superior præcipere, ut vendant, sed non potest ex contractu valido vendere pro ipsis, nisi velint: potest disponere per se de bonis illorum, sed hoc non erit eorum contractus. Deinde negat. consequ. eò quod, essentialiter est, præ cæteris, huic contractui, & ejus fini, ut conjuges mutuo se ament, ac ad filios procreandos, & educandos mutua complectantur dilectione, & obsequiis; quod non facient, si nubant, nolentes. Quare ad summum sequitur, quod Princeps possit præcipere sub pœna vitæ, ut contrahant, si hoc bono publico expedit; & quod subditi debent obedire, & nubere: non verò sequitur, quod sine illorum consensu contractus sit validus. Per hoc patet ad 2. nam præterquamquod adest sufficiens discrimen inter Matrimonium purè spirituale, & corporale, Papa juberet homini, ut Episcopatum velit, & hic deberet velle: at verò si Ecclesiam, ut sponsam nollet, verus illius sponsus non esset. Ad 3. nego consequ. Dicit Florent. quod ille consensus *regulariter debet esse expressus per verba de præsenti.* Unde vox *regulariter*, non cadit in substantiam consensus, sed appellat in modum manifestandi illum.

72 Sed quid dicendum de potestate divina? *Poterit ne Deus supplere consensum, ita ut sine viri, & femine consensu esset Matrimonium?* Resp. affirmativè. Ratio est; quia dominium, quod Deus habet in corpora, & animas, majus est illo, quod quivis homo habet, & habere potest in corpus, & animam suam: ergo potest Deus conjugum corpora illis ad invicem donare, melius quam ipsi: ergo altiori jure, & strictiori vinculo ligarentur, quam qui propria voluntate contrahunt. Advertendum verò, ne cum æquivocatione procedatur, hoc intelligi de Matrimonio, quantum vinculum est, & potesta-

i Tom. II.

tem mutuam in corporibus tribuit *pro usu debito* ad generationem. Aliqui sentiunt, sic Deum cum Ossea fecisse, quando dixit illi: *Vade, sume tibi uxorem fornicationum &c.* Hoc autem Matrimonium rationem contractus non haberet, sicut modo habet: nam contractus contrahentium consensum essentialiter exigit. Nec Sacramentum esset, sicut nunc est; quia non constaret materia, & forma, qua nunc constat. Poterat autem Deus illud elevare ad Sacramenti rationem alio modo, aut eodem signo, quo mutuam dabat potestatem corporum *pro usu debito.*

73 IV. Conclusio: *Prædictus consensus debet esse absolutus.* Certum est 1. aliquas posse esse conditiones, omnino Matrimonium invalidantes, ut illæ, quæ se opponunt essentiæ, & fini intrinseco Matrimonii, quas Subt. Doct. dist. 31. sic refert: „Contractus hentes cum aliqua conditione, pugnant alicui bonorum Matrimonii, nihil faciunt... V. g. accipio te in meam, donec occurrat magis placens... aut ita, ut non teneam tibi servare fidem... nec ad reddendum, nisi cum voluero... aut si procuraveris venenum sterilitatis. Omnes istæ conditiones bonis Matrimonii repugnant; sunt verò aliæ, quæ non ita invalidant. Quia tamen invalidare possunt, aut Sacramentum infirmare, ideò semper sunt illicitæ, & illis utendum rarissimè, aut non sine gravissima necessitate. Tales enim conditiones, quamvis non semper invalident contractum, regulariter, aut sæpius arguunt consensum imperfectum, aut dubium, ac proinde illicitum. De illis Theologi, & Canonistæ, inter quos noster Braccatus, Mastrius, & alii in Sum. Moral. valde diversè sentiunt, atque in illis plurimas difficultates reperiunt, videndas apud ipsos.

74 Prob. 1. conditiones, quæ opponuntur consensui Matrimoniali, vel sunt de præterito, vel de præsenti, vel de futuro; sed omnes illæ, vel

Mmm 2

San-

Sacramentum invalidant, vel infirmant, vel suspendunt: ergo non licent, & consequenter consensus absolutus debet esse. Prob. minor. De præteritis, & presentibus, quæ, si extiterint, vel existant, non invalidant, ut si dicas: *Accipio te in meam, si ex muliere nata fueris*: aut: *Accipio te in meam, si nunc tu es mulier*, ex suppositione, quod illam, ut talem cognoscit; sed istæ conditiones, quamvis non invalident, modò id noverint sponsi, frustraneæ sunt, irrisoriæ, & Sacramentum profanantes: ergo non licet eas apponere, nec admitti debent. Si sunt conditiones de futuro, vel sunt possibles, & honestæ, vel impossibiles, aut turpes? Si impossibiles? Vel haberi debent, ut non apposita, ut si dicas, *accipio te, si sol stet per totam noctem*. Has utique reprobant Gregor. IX. cap. *Si conditiones*. Vel si seriò conjux loquatur, invalidus esset talis consensus: nam qui scit, solem per noctem non posse stare, hoc ipso censetur, nolle eam in uxorem. Idem dici debet de conditione turpi, ob eandem rationem; quia tales repugnant Matrimonio, sicut de illis, quæ bonis Matrimonii opponuntur, diximus. Si sunt possibles, & honestæ, majorem vim non habent, quam sponsalia, seu consensus per verba de futuro: ergo de presenti non valet Sacramentum. Patet; quia interim, ac verificaretur conditio, possent contrahentes se retrahere, sicut in sponsalibus. Unde vix unquam tales consensus valent in hoc Sacramento, licet possent valere in aliis contractibus. Confirmat. Christus non instituit hoc Sacramentum sub conditionibus suspensivis efficaciam ejus; sed suspenderetur, usque dum purificaretur conditio; quia usque tunc non esset Sacramentum: ergo magna irreverentia esset sic ministrare illud.

75 V. Conclusio: *Consensus conjugum debet esse de presenti, quin sufficiat de futuro: pariter debet es-*

se verus, quin sufficiat externus sine interno. Est communissima apud Theologos cum Scoto cit. Prob. prima pars 1. ex Concil. & Canon. Florent. dicentibus: *Causa efficiens Matrimonii est consensus de presenti expressus*. Trident. inquit: *Talem debere esse consensum, ut Parochus possit dicere: Ego vos conjugo*. Gregor. IX. cap. *Adolescens* docet, Sponsalia de futuro, etiam jurata, posse dissolvi per posteriora de presenti, sine quibus non stat Matrimonium, Prob. 2. rationibus Subt. Doctor. 1. Matrimonium est Sacramentum, quod est efficiens à consensu; sed Sacramentum operatur de presenti, & quando fit: ergo debet fieri per verba de presenti. Per hoc enim differt à sponsalibus, quæ sunt promissiones Matrimonii, & per verba de futuro. 2. Matrimonium consistit in libera corporum donatione inter contrahentes: ergo includit consensum de presenti: nam consensus de futuro non est actualis datio, sed dandi promissio. 3. Sacramentum hoc datur, & operatur, sicut alia; sed alia conferuntur, & operantur per verba de presenti: nam dicitur: *Ego te baptizo: Ego te absolvo*: Et in ista dicit Sacerdos: *Ego vos conjungo*: ergo.

76 Prob. secunda pars. Tum ex Canon. & Concil. nam semper requirunt consensum expressum per verba, aut signa de presenti; sed hæc supponunt actum internum, quem significant: ergo & consensum verum, & non fictum, qui non est consensus. Patet consequens: nam consensus fictus est purè externus, imago, & figura interni, sicut; homo pictus non est verus homo, sed ejus imago; sed Concilia requirunt consensum: ergo verum, & sincerum, nempe, internum cum externo. 2. Cætera Sacramenta non valent sine debita intentione Ministrum, & suscipientis: ergo nec istud: ergo si uterque, vel alter illorum, internè non consentiant, Sacramentum non

non valebit, & peccabunt mortaliter, & sacrilegè: ergo numquam erit validum, etiamsi copula sequatur, ut aliqui dixerunt: nam copula non facit Sacramentum, sed consensus. *An isti consensus fieri debeant simul; & eodem tempore?* Dico, sufficere simultatem moralem. Non enim requiritur major simultas, & coexistentia consensuum in hoc contractu, quam in aliis; sed in aliis sufficit simultas moralis consensuum, quia simultas physica necessaria sit: imò hæc vix possibilis est, præsertim in Matrimonio inter absentes: ergo. Minor constat: nam absens, qui consentit per nuntium, vel epistolam, aut procuratorem, consensum emisit, dum misit nuntium, aut epistolam scripsit: ergo diu consentit, antequam alter, auditò nuntio, aut lecta epistola, consentiat. Et hæc est Ecclesiæ praxis.

77 Arg. 1. Sufficit ad Matrimonium ille consensus, ex quo inter virum, & foeminam, fiat, & resultat indissolubile vinculum; sed ad hoc sufficit consensus per verba de futuro: nam iste consensus ligat sufficienter ex fidelitate ad minus, & maxime, si juramentum addatur: ergo ad Matrimonium sufficit consensus de futuro. Respond. disting. major. Ex quo fiat vinculum matrimoniale, concedo: vinculum fidelitatis, aut religionis, aut alterius virtutis, nego major. Igitur ex verbis de futuro exurgit vinculum promissionis, quæ promissio adimplere debet ex fidelitate, & si adsit juramentum, etiam ex Religione: non verò exurgit vinculum Matrimoniale, nec Sacramentale, nec tantæ indissolubilitatis: nam hoc vinculo sàm existente, non potest dissolvi à conjugibus: bene verò illud per promittentis, & admittentis promissionem mutuum consensus.

78 Arg. 2. contra secundam partem. Si ad Matrimonium non sufficeret consensus externus sine interno, numquam posset Sacramentum

validari, nisi uterque de novo consentiret coram Parocho, & testibus, seu in facie Ecclesiæ, in casu, quod prima vice ambo, vel unus eorum, fictè consensisset, aut solum externè; sed hoc esset inconveniens maximum, propter scandalum, & propter infamiam, aut detrimentum grave aliorum bonorum: ergo sufficit consensus externus. Prob. maj. Quando sic cum tali fictione in facie Ecclesiæ contraheretur Sacramentum esset nullum: ergo repetendus esset consensus sincerus cum omnibus conditionibus necessariis ad validum Sacramentum, ut docet Trident. In responsione hujus argumenti dividuntur Theologi, & quidem graves. Majoribus cum pluribus probabilibus tenent, sufficere in tali casu, ut qui consenserat fictè, sincerè consentiat, & privatim. Ratio; quia consensus alterius verus fuit, moraliter durat, ac præsens est; & quoad publicitatem, seu in facie Ecclesiæ adfuit consensus externus utriusque: ergo nihil deest, nisi ut ipse consentiat internè. Ex qua doctrina negant maj. Alii negant min. quia cum Sacramentum fuerit nullum, non potest validari, sine vero utriusque consensu. Cum autem Matrimonium illud contractum fuerit, ac validum censetur in facie Ecclesiæ, quoad hoc non deberet iterari: sufficerent enim ad separandam nullitatem occultam, & vitandum scandalum, consensus privati inter sponsos. Casuista plura in hoc, & similibus casibus suggerunt remedia ad inconvenientia vitanda.

Corollaria quedam ex nunc dictis

1. *Ex dictis colliges. 1. Quatuor*

requiri conditiones, in procuratore, Matrimonium nomine aliorum contrahente. 1. Quod mandatum sit ipsi commissum à contrahente, & quod sit speciale ad contrahendum suo nomine. Unde non sufficit mandatum generale ad omnia, & quolibet. ne-

gotia: sed requiritur omnino determinatum ad hoc, ex cap. *De procurat.* in 6. 2. Quod mandatum sit ad contrahendum cum persona determinata. Sic communiter DD. Potesta verò, citans Clericatum, dicit; quod si procuratori commisit expressè se consentire in illa, quam procurator elegerit, iste poterit tunc eligere, & Matrimonium validum erit. 3. Procuratorem non posse in alio substituere, nisi in mandato talis facultas expressè constet, ut habetur cap. *de procurat.* cit. 4. est quod, qui mandatum dedit, consentiens perseveret: nam si revocat consensum, antequam procurator contrahat Matrimonium, hoc erit nullum, ex defectu consensus contrahentium, qui adeo ad Matrimonium est necessarius, & essentialis, ut nec ab Ecclesia, nec ab alio possit suppleri. Quare quamvis alii contractus sic celebrati, validi sint, licet qui mandatum dedit consensum revocet, si revocatio hæc ad notitiam procuratoris non pervenit: in Matrimonio tamen non ita evenit. Ratio; quia in aliis contractibus res publica, aut Ecclesia, potest supplere consensus, aut rei contractæ transferre dominium, domino illius resistente, per revocationem mandati, aut consensus: atque ita ob bonum publicum in jure est dispositum. Cæterum non ita in Matrimonio: nam Ecclesia dominium non habet in corpora contrahentium, ut illa transferat contra voluntatem alterius ipsorum ad usum debitum.

80 Colligi 2. quod si amens redderetur, qui dedit mandatum, quando procurator suo nomine contrahit Matrimonium, hoc esset validum. Ratio est; quia cum consensum non retractaverit, hic perseverat virtualiter: modo quo, si dormiens esset, & procurator tunc Matrimonium celebraret, validum esset: aliàs, ait Sanchez, plura Matrimonia celebrata per procuratorem, exponerentur nullitati. Sed dices: Si Confessarius, audita Confessione, redderetur amens,

& in amentia absolutionem proferret, esset nullum Sacramentum Penitentia: ergo pariter; quia procurator non est Matrimonii Minister, sed ipsi contrahentes. Respondeo, paritatem non tenere, dum Matrimonium contrahitur per procuratorem: nam cum contrahens mandatum dedit, suum consensum significavit, & voluit, procuratorem sensibilizare consensum suo nomine. Contrahens enim, qui mandatum tribuit, non est tunc Minister immediatus, sed mediatus, & per instrumentum, quale est procurator. Doctrina patet in aliis contractibus, & negotiis, qui exequi possunt per procuratorem, qui validi sunt, si mandatum fuit legitimum, & consensus non sit revocatus, quamvis qui mandatum præstitit, non sit in suo iudicio. Unde paritas solùm teneret, si contrahentes per se, & immediatè essent Ministri. Sic noster Gonzalez. Colligi 3. quod dum contrahitur per procuratorem, debet ab sponsibus, antequam copulentur, confirmari, & revalidari, ut advertitur in Rituali, & docet fidelium praxis.

81 Colligi 4. Consensus debere esse omnino liberos, & spontaneos; sine violentia, nec errore, ut amplius dicitur, dum loquamur de impedimentis. Debent pariter esse sensibiles signo aliquo externo, significante interiores consensus. Non verò est necessarium ad Sacramenti validitatem, talia signa præcisè esse verba, quamvis contrahentes muti non sint. Ratio est: Tum; quia non constat, Christum instituisse formam hujus Sacramenti in verbis, sicut in aliis Sacramentis. Tum; quia Christus illud instituit, elevando Matrimoniale contractum ad dignitatem Sacramenti: idèque, sicut contractus validitatem habent per consensus sensibilizatos, absque verbis, in Matrimonio minoriter dici debet. Restat solùm difficultas: *An qui muti non sunt, consensus manifestare debeant verbis, ut contrahant licitè* & Rodriguez, Sponser,

rer, & alii, dicunt, debere, & si ita non faciunt, peccare mortaliter. Inferunt hanc obligationem, tam ex praxi Ecclesiæ, quæ non mutis non permittit per alia signa, quàm per expressa verba, suum consensum manifestare: quam ex cap. *Tuæ fraternitati*, ubi dicitur: *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris consensum: sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensus exprimentia de presenti.* Alii dicunt, quod secluso scandalo, & periculo dubii de Sacramen-

ti valore per signa dubia, nullum peccatum esset. Alii cum Sanchez lib. 2. dist. 31. quamvis dicant, textum Canonic. cit. non habere vim præcepti, nec Papam dicere, verba necessaria esse absolutè, sed quantum ad Ecclesiam, hoc est, ut magis illi constet, & periculum removeatur omnis dubii: tamen sentiunt, quod sine causa, esset veniale peccatum. Hæc sententia videtur probabilior; quia uti aliis signis, quàm quibus Ecclesia utitur, licet nihil substantiale varient, est quid inordinatum.

DISPUTATIO II.

DE MATERIA, FORMA, ET MINISTRO MATRIMONII: de illius effectibus, necessitate, & solemnitate.

Rectus rerum ordo exigit, ut de natura, existentia, & conditionibus, Matrimonii, tam in ratione contractus, quàm Sacramenti, descendamus ad ejus partes essentielles, effectus, ac proprietates.

QUÆSTIO I.

De materia, forma, & Ministro Sacramenti Matrimonii.

82 **N**ihil circa præsentem difficultatem ab Ecclesia est hucusque definitum, quamvis valde controversa fuerit semper, apud Canonistas, & Theologos, tam veteres, quàm modernos. Ad minus quinque enumerantur sententiæ, ex quibus aliquæ videntur parum fundatæ. 1. Est Catharini in opusc. de Matrim. quæst. 1. ubi ait, materiam Matrimonii esse verba, & actus, quibus conjuges contrahunt: formam verò esse illa verba Genes. 2. & Matth.

19. *Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ.* Unde infert, Deum esse Ministrum hujus Sacramenti; quia Deus verba illa protulit: & quamvis illa verba in singulis Matrimoniis à Deo non repetantur, sufficit, quod semel prolata à Deo, maneat in Scriptura, quæ semper loquitur. Hæc Catharini sententia omnino est falsa: Tum; quia Deus est Sacramenti institutor, non autem Minister. Tum; quia cum Sacramentum sit signum sensibile, necessarium est, quod Minister, & ejus ministerium sit quid sensibile; sed Deus non est sensibilis: ergo nec Minister. Omitto alias rationes. 2. Est Navarri, qui cap. 20. di-

dixit, consensum interiore esse materiam; & verba illum exprimentia, esse formam. Hæc verò sententia subsistere non potest; quia tota Sacramenti materia, præcisivè à forma, debet esse sensibilis. 3. Sententia docet, verba ab uno conjugum prius prolata esse materiam, & alterius verba esse formam. Ita Vega lib. 6. Sum. Victoria, & aliqui alii. Hoc vero gratis dicitur, & ex illo sequeretur, quod nulla esset certa materia, vel forma in Matrimonio, si omnino simul utriusque consensus aliquo signo exprimitur.

83 His peregrinis sententiis in sua probabilitate, talis qualis illa fuerit, relictis, duplex alia his temporibus viget. Fuit itaque sententia fere omnium antiquorum Theologorum, materiam Sacramenti hujus esse corpora sponsorum, & eorum mutua traditio: Ministrosque esse contrahentes ipsos. Unde dixerunt, benedictionem, & verba Sacerdotis, esse *Sacramentale* quoddam, & ritum ad Sacramenti substantiam minimè pertinentem. Sic S. Thomas 3. part. quæst. 42. art. 1. Scotus 4. dist. 26. His subscribunt innumeri Scholastici, & fere omnes Jure-Consulti cum Fagnano cap. *Quod nobis de Claud. despens.* ubi inquit, sententiam oppositam esse periculosam. Nos vero merito abstinemus à tali censura. Ex opposito plurimi propugnati sunt postmodum, Ministrum Matrimonii, in quantum est Sacramentum, esse Sacerdotem, cujus benedictione Matrimonium attollitur ad Sacramenti dignitatem. Ita Lugo, Melchior Canus lib. 8. de loc. Theolog. cap. 5. & post ipsos Toletus, Ledesma, Maldonatus, Æstius, Sylvius, & non alii pauci ex recentioribus, inter quos à Berti citatur Vigorius, & quibus novissimè adhæsit Tournelyanus. Doctrina horum DD. ad hoc substantialiter reducitur, nimirum, quod materia sunt actus contrahentium, & forma verba illa Sacerdotis: *Ego vos conjungo in nomine Patris, & Filii,*

& *Spiritus Sancti*, vel similia his. Et inferunt, Matrimonia clandestina, quibus non assistebat Sacerdos, non fuisse Sacramenta, etiam ante Concil. Trident. sed solum fuisse contractus validos, licet ordinariè illicitos. Restat igitur determinandum, quid à nobis sit sentiendum, & quid verius videatur.

84 Conclusio I. *Materia remota Sacramenti Matrimonii sunt corpora sponsorum; & proxima est eorum mutua traditio.* Est communior, & docetur à Subt. Doct. dist. 26. Prob. 1. Materia remota contractus est illa res, de cujus traditione agitur: & proxima est illius rei traditio; sed Matrimonium est verus contractus, in quo agitur de sponsorum corporibus sibi invicem tradendis: ergo materia remota sunt corpora illorum, & proxima mutua ipsorum traditio, aut dominium ad usum debitum. Minor constat ex definitione Matrimonii: nam dicitur: *legitima corporum traditio &c.* Quem contractum mutua traditionis Christus ad esse Sacramenti elevavit. Constat etiam consequens: nam in aliis Sacramentis materia proxima est actualis traditio materiae remotæ. Prob. 2. Id habet rationem materiae in Sacramento, quod se habet, ut subjectum, & ut determinabile sensibile, & physicum, ad significandum rem Sacramenti, seu ejus proprium effectum; sed nihil est in Sacramento Matrimonii, quod sit magis determinabile, & sensibile physicum, ad significandum ejus effectum, quàm corpora contrahentium, ut tradenda mutuò: ergo illa corpora, ut sic tradenda, sunt materia remota, & proxima illius, sub expresso conceptu.

85 Conclusio II. *Forma hujus Sacramenti sunt verba, seu externa signa, quibus conjuges suum ad invicem manifestant internum consensum de illa mutua acceptatione corporum.* Est etiam communior, & docetur à Scot. cit. dicente: *Forma est una unitate integritatis, non unitate indivisibili-*

ta-

tatis: Verba enim hinc inde expressiva consensus, sunt unum signum integrum, respectu contractus, & respectu gratiæ: ergo juxta Doct. forma consistit in verbis, aut signis; quibus sponsi significant consensum, & acceptationem, suorum corporum mutua traditionis. Prob. etiam: Tum: in Sacramento, illa habent rationem formæ, quibus res, & actus Ministrorum determinantur ad eorum effectus significandos; sed verba illa, seu signa in hoc Sacramento id præstant; videlicet gratiam sanctificantem, & auxilia necessaria ad vitam conjugalem servandam, & onera ejus ferenda: ergo. Tum ex Florent. dicente: *Quod in Sacramentis res habent locum materiae, & verba formæ:* ergo verba, aut nutus contrahentium, quibus significant prædictam acceptationem, & consensum, habent rationem formæ in hoc Sacramento. Et inferes 1. Materiam proximam, & formam hujus Sacramenti sufficienter distinguere ex eo, quod respectus, sub quibus considerantur, sunt distincti. Sunt enim materia proxima mutui consensus, in quantum per illos traditur potestas super corpora conjugum; & sunt forma, quatenus per illos significatur mutua acceptatio: ac subinde sub hac duplici ratione distinguuntur. 2. Quod non solum surdi, & muti nutibus, & signis contrahere possunt sine verbis, ut dictum manet num. 65. sed si fœmina non audeat ex pudore consensum verbis exprimere, sufficit, ut nutibus, v. g. inclinatione capitis, vel scripto, aut alio signo id declaret, & hæc est Ecclesiæ praxis.

86 Dices 1. contra 1. conclus. Causa efficiens Sacramenti non potest esse causa materialis ejusdem: nam istæ causæ, ut constat ex philosophia, sunt, & debent esse distinctæ; sed contrahentes sunt causæ efficientes Matrimonii: ergo non possunt esse causæ materiales. Tum materia, & forma Sacramentorum sunt à Christo determinatæ: nec Ecclesia

Tom. II.

potest quidquam circa illa immutare, ut dictum est sæpè, Tract. de Sacram. & de Ordine; sed Ecclesia plura circa corpora, & personas sponsorum, immutavit, ut cum inhabilitavit Sacerdotes, & Monachos, & affines &c. ergo. Resp. distin. maj. Non potest sub eadem ratione, & respectu, con. sub diverso, neg. maj. & sic reliqua intellige. Experientia demonstrat contrarium argumenti in actibus immanentibus intellectus, & voluntatis, quos producant, ut causæ efficientes, & recipiunt in se ipsis, ut materiales causæ. Et etiam in transeuntibus patet, ut cum homo se ipsum tradit servituti, & ab ea se redimit. Ad 2. dist. maj. Sunt determinatæ à Christo, quoad substantiam, & in genere, con. quoad accidentia, & in specie atoma, neg. maj. Dictum est cum omnibus Theologis, Tract. cit. Christum formas, & materias aliquorum Sacramentorum instituisse in specie atoma, & determinatè: aliorum verò solum quoad substantiam, & in genere. Ecclesia autem nihil mutare potest, nec mutavit quoad substantiam, & in genere, sed tantum quoad accidentia, & specie; quod utique potest, quando Christus ita non determinavit, si id ipsi viderit convenire, ut Trident. decernit.

87 Christus igitur pro materia Matrimonii instituit corpora maris, & fœminæ, ut mutuò tradenda per legitimum contractum, juxta leges Civiles, & Canonicas. Quoad hoc nihil Ecclesia mutavit, sed dumtaxat circa condiciones contractus humani, & personas ad contrahendum habiles, & quæ in materia contractuum subjæctæ sunt ipsius potestati. Potest itaque apponere condiciones ad illum contractum, sine quibus, seu quarum defectu personæ habiles non sunt, atque adeo nec materia apta ad Matrimonium. Adversus 2. conclus. eisdem momenti arguitur. Sed quia resolutio pendet ex sequenti: nam si teneretur, Sacerdotem esse hujus Sa-

Nnn

cra-

cramenti Ministrum, deberet dici, formam esse verba illa, quæ ab ipso super sponso proferuntur: *Ego vos conjungo &c.* idem ad illius resolutionem deveniendo.

88 Conclusio III. *Minister Sacramenti Matrimonii non est Sacerdos, benedicens conjuges: sed sunt ipsimet contrahentes.* Ita D. Thomas dist. 26. quæst. 2. art. 1. ad 1. dicens: *Verba, quibus consensus Matrimonialis exprimitur sunt forma hujus Sacramenti: non autem benedictio Sacerdotis, quod est quoddam Sacramentale.* Serap. Doct. dist. 26. parte 2. quæst. 1. Et Subt. dist. 26. ubi ait: *De Ministro aliud est dubium. Quia ut plurimum, ipsi contrahentes ministrant sibi ipsi hoc Sacramentum, vel mutuo, vel uterque sibi.* Sequuntur illos discipuli celebriores, & in numeri ex extraneis, cum Bellarmino, & Suarez. Prob. 1. ex Conciliis, Florent. decreto Eugen. IV. docet, quod causa efficiens septimi hujus Sacramenti est mutuus consensus per verba de presentibus expressus; sed Minister, & causa efficiens Sacramenti idem sunt: ergo Sacerdos non est Minister hujus Sacramenti: ergo præcisè sunt ipsi contrahentes. Trident. sess. 24. c. 1. *De reformatione*, dicit Matrimonia clandestina, quæ olim fiebant, absente Sacerdote, sine ullis ejus verbis fuisse valida, rata, & vera; sed hoc esset falsum, si Sacerdos esset hujus Sacramenti Minister, & ejus verba habuissent rationem formæ: nam fiebat Matrimonium inter solos sponso, sine presentia Sacerdotis: ergo.

89 Omnes Adversantium responsiones sunt in substantia: quod Concilia loquuntur de Matrimonio, ut contractum, non ut Sacramentum; quia sub hac consideratione, Minister illius debet esse persona sacra, cum Sacramentum, ut tale, sit quid sacrum. Unde Matrimonia illa erant valida in ratione contractus Matrimonialis, sed non in ratione Sacramenti, ex defectu Sacerdotis, illa benedictis, &

suis verbis consecrantis, & perficientis. Colligere intendunt hanc doctrinam ex ipso Trident. ibidem dicente: „ Quod Sacerdos, viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, dicat: Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris &c. vel aliis verbis utatur, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum. “ Quibus videtur significari, quod Sacerdos verè jungat conjuges; sed in ratione contractus eos non conjungit: ergo in ratione Sacramenti. Hæc est doctrina totalis Adversariorum, & fere unica responsio.

90 Sed contra urgentissimè, & simul prob. Conclus. 2. Præfata Concilia loquuntur de Matrimonio, in quantum Sacramentum: ergo nulla est responsio, & consequenter &c. Prob. ant. Tum: Florent. loquitur de Matrimonio, ut est unum ex septem Sacramentis: Et de illo sub hac expressa ratione agebatur ibi: ergo. Trident. loquitur etiam de Matrimonio, quod docet: *inter novæ legis Sacramenta annumerandum*: Et quod decernit deinceps, sine Parochi presentia, fore irritum, & nullum: ergo ubique loquitur de Matrimonio, ut Sacramento: ergo nulla est responsio. Tum: ipsum Concilium ministerium Parochi limitat ad benedicens sponso: nam prosequitur: *Et hortatur, ut conjuges, ante benedictionem Sacerdotalem, in Templo suscipiendam, in eadem domo non habitent; statuitque benedictionem à proprio Parocho fieri*; sed nomine benedictionis non significatur collatio Sacramenti, aut vera conjunctio Sacramentalis: ergo. Prob. min. Eò per benedicere, intelligeret Concilium conjungere, quia prosequitur dicens: *Nemini licere alterius Parochi sponso, sine illorum Parochi licentia, Matrimonio conjungere, aut benedicere*; sed per conjungere, aut benedicere non significatur de mente Concilii conjungere sacramentaliter, sed præcisè cæremonialem benedictionem:

er-

ergo. Prob. min. Si significaret conjungere Sacramentaliter, non prohiberet benedicere in secundis nuptiis; quia tantum requiritur in his presentia Parochi, quam in primis; & non minus sunt Sacramentum, quam primæ; sed prohibet: ergo evidens est, quod illa benedictio non est Sacramentum, aut Sacramentalis. Confirm. ex Ritual. Rom. dicente: „ Me minerint, Parochi à Dominica 1. Adventus usque ad diem Epiphaniæ... prohibentur nuptias benedicere... Matrimonium autem omni tempore contrahi potest: „ ergo illa benedictio non est de essentia Sacramenti, sed dumtaxat quædam solemnitas Matrimonii.

91 Prob. 3. & insimul impugnat multipliciter Adversantium doctrina, & responsio. Tum: juxta Tridentinum, solemnitates illæ præcipiuntur in Matrimonio, ob gravia peccata, quæ ex clandestinis ortum haberent; sed si ex defectu Sacerdotis Matrimonia illa non essent Sacramenta, ita non diceret, sed dixisset, ea non fuisse Sacramenta, defectu Ministri legitimi, nempe, Sacerdotis, & hoc est motivum fortius illis inconvenientibus; nec minus illa declararet valida, ut declarat: ergo. Tum: Si verba à Sacerdote prolata haberent rationem formæ, id aliquo Can. aut Ecclesiastica definitione constaret: aut saltem esset statutum, ut nullatenus ipsa verba vario contextu, & significatione pronuntiarentur; sed utrumque est falsum: ergo. Min. quoad primam partem constat; quia nullibi id expressè legitur: quin potius ex cap. *Tud fraternitas* non obscure infertur, formam sitam esse in verbis contrahentium, significantibus consensum de presentibus: *Ego te accipio in meam: Ego te accipio in meum*, aut aliis verbis, vel signis equivalentibus. Prob. min. quoad secundam partem. Nam diversa sunt verba, quæ pronuntiantur à Parochis, nedum Græcis, sed etiam in Ecclesiis Latinis.

Tom. II.

In quibusdam enim locis, ut videri est apud Bertin, formula à Sacerdote adhibita hæc est: *Ego vos sponso, & Sacramentum confirmo.* In aliis hæc: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Hæc in aliis. *Matrimonium in facie Ecclesiæ inter vos, me annuente, contractum, Deus confirmet, & ego illud approbo, perficio, atque solemnizo: in nomine Patris &c.* quæ quidem Matrimonium supponunt jam contractum: ergo illud non efficiunt. Nec Trident. ad unam formulam pronuntiandam Parochos adstrinxit, sed inquit: „ Parochus, viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris &c. vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum.

92 Tum: illa dicenda est forma hujus Sacramenti, quæ illius effectum significat, & producit, nempe, indissolubilitatem, nexum, conjunctionem; sed hunc effectum efficit, & significat contrahentium consensus, expressus verbis, aut signis: ut videtur innegabile: ergo cum talem contractum, & vinculum inter fideles Christus ad dignitatem Sacramenti elevaverit, in eo, & non in alio ipsi accidentali stat tota essentialis ratio Sacramenti. Quare verba Sacerdotis: *Ego vos conjungo &c.* quamvis videantur exprimere eandem conjunctionem; cum tamen conjuges conjunctos esse supponat proprio consensu, nihil aliud sonant, quam: *Ego approbo, confirmo, & benedico conjugium vestrum.* Tum denique: idem Sacerdos esset Minister hujus Sacramenti; quia cum Sacramentum sit quid sacrum, debet esse persona sacra Minister ejus; sed universaliter loquendo, hoc est falsum: nam Baptismus ministrari potest validè à Laicis, imò & ab infidelibus: ergo nullius efficacitæ est talis ratio.

93 Arg. 1. Concil. 4. Carthag. Can. 13. ait: *Sponsus, & sponsa cum*

Nnn2

be-

benedictionem à Sacerdote acceperint, eadem nocte pro reverentia benedictionis in virginitate permaneant. Et Coloniense docet: *accedente Sacerdotali precatone, dari donum Spiritus Sancti*, scilicet gratiam Sacramentalem. Camerense, & Mediolanense, *Sacerdotes vocant hujus Sacramenti Ministros, & de hoc fideles esse admonendos.* Trident. & Ritualia docent, quòd Sacerdos dicat super sponsos: *Ego vos conjungo &c.* Nunc sic: sed hæc verba significant efficientiam, seu causam ministerialem vinculi Matrimonialis: ergo Sacerdos est illius Minister. Prob. minor. Eodem modo, & sensu dicit: *Ego vos conjungo*, quo dicit: *Ego te absolvo; ego te baptizo*; sed hæc verba significant efficientiam ministerialem in Pœnitentia, & in Baptismo: ergo & in Matrimonio. Accedunt SS. PP. Ambros. August. & alii, asserentes: *ipsum conjugium Sacerdotali benedictione sanctificari.*

94 Resp. nihil inferri ex illis textibus, nec eam esse mentem Conciliorum: nam per illam benedictionem unicè intendunt sacram cœrimoniam, & solemnitatem Matrimonii, & ut sic fiat publicè, & in facie Ecclesiæ. Sic, præter jam dicta, colligitur ex Coloniensi: nam precatio illa non facit, sed supponit Matrimonium, quod optat benedicendum. Nec loquuntur de Ministro in sensu proprio, & rigoroso, sicut hîc loquimur, sed impropriè: modo quo, Sacerdos, vel Diaconus, ministrans Eucharistiam, dicitur *Minister*: & omnes, qui assistunt Sacerdoti celebranti, dicuntur etiam *Ministri*. Est igitur Sacerdos *Minister*: at verò ministerium ejus solum importat in Matrimonio puram solemnitatem ejus in facie Ecclesiæ, & quæ nunc ex decreto Trident. est conditio necessaria ad Sacramenti valorem. Unde est magna disparitas inter Matrimonium, & illa alia Sacramenta: ideòque alio sensu loquitur Sacerdos in Pœnitentia, & Baptismo, ac in Ma-

trimonio. Ratio differentiæ petitur, tam ex ipsa natura nexus Matrimonialis, juxta sæpiùs dictum, quàm ex ipso Concilio, docente, Matrimonia olim fuisse valida, sine illis verbis, & sine præsentia Parochi: Baptismus verò, nec Pœnitentia valida fuerunt umquam sine illis formis, in Conciliis expressis, & definitis. Nec ex SS. PP. aliud infertur, nec aliud intendunt per benedictionem Sacerdotalem, nisi quòd nuptiæ celebrari debeant in facie Ecclesiæ, ut discernantur à sæcularibus contuberniis, & solemnitate, ac benedictione sacrorum Ministrorum, nexum acquirant firmiorem, christianamque honestatem. Hac eadem ratione detestantur PP. nuptias occultè à Sacerdote benedictas, ut constat ex cap. *Nullus*, quæst. 6. Et Concil. Turonense sub Nicolao V. prohibet nuptias clam à Sacerdote benedictas sub pœna Excommunicationis, quamquam in sententia contraria non desit tunc verus Sacramenti Minister.

95 Arg. 2. Tum: conjuges sunt subjectum hujus Sacramenti, seu illud suscipientes: ergo non sunt Ministri: nam recipiens, & Minister distinguuntur in aliis Sacramentis, Tum: fœminæ non possunt ministrare Sacramenta ex cap. *Tribus gradibus*, ubi dicitur: *commissa esse Sacramenta Presbytero, Diacono, & Ministro*: ergo nec suum Matrimonium. Tum: si conjuges essent Ministri, peccarent mortaliter peccato duplici, si contraherent in statu peccati mortalis: nam susciperent, & ministrarent in peccato, atque ita irreverentiam duplicem facerent Sacramento; sed consequens est falsum: ergo, Denique; quia vix explicari potest, an priùs vir mulieri, aut viro mulier Sacramentum conferat: an simul, & in eodem instanti, sibi invicem, cum ambo contrahentes sint Ministri.

96 Respond. ad hæc faciliter. Ad 1. neg. consequent. & ejus probat. Et patet: nam Sacerdos est Minister,

& simul subjectum, seu susceptor Eucharistiæ, à se confectæ. In Matrimonio autem non potest aliter evenire; cum consistat in vinculo, ex mutuo ipsorum contrahentium consensu orto. Ad 2. neg. anteced. quin obstat probatio ejus: nam Canon ille loquitur de Sacramentis consecratoriis, & maxime de Eucharistiæ consecratione, dispensatione, & custodia, ut ex ipso patet, et quod verissimum est. Ad 3. neg. min. in sententia asserentium, Sacerdotem celebrantem in peccato mortali, duplex peccatum committere, unum; quia conficit; alterum, quia recipit. Sic pariter; quia contrahentes debent esse in gratia, ut hoc Sacramentum dignè recipiant: et ideò Concilia hortantur, ut *antequam contrahant, confiteantur*: et aliunde etiam debent esse in gratia, ut Sacramentum ministrarent, ex illo *Sancta sanctè tractanda sunt*. Hoc autem quid inconvenit? In sententia verò illorum, qui dicunt, Sacerdotem in casu, solùm committere unum sacrilegium; quia reputatur tota illa actio consecrandi, et recipiendi Eucharistiam, pro uno actu completo, fortè idem dicitur in nostro casu. 1. Responsio videtur mihi verior. Ad ultim. dico, clarum esse utrumque conjugem simul sibi invicem ministrare, et simul Sacramentum recipere; quia materia proxima est mutua corporum suorum traditio, et forma mutua acceptatio. Quare operantur simul, et non unus sine alio. Et hæc sufficiant de hac difficultate satis implexa.

QUÆSTIO II.

Quomodo Matrimonium fuerit, & sit necessarium? Et Quomodo ejus pluralitas, aut Poligamia, prohibita sit?

97 Pro difficultate resolvenda quoad duplicem illius partem, notandum est quoad 1. Matrimonii necessitatem non admittere illos

Hæreticos, qui illicitum, & non honestum illud reputarunt, & de quo dictum est n. 5. E contra Hæretici, qui damnarunt Cœlibatum, Matrimonium in omnibus, & pro omnibus proclamaverunt necessarium. Cum verò utrumque sit hæreticale delirium, certum debet esse, Matrimonium, etsi in se licitum, & honestum, necessarium non esse, necessitate mediæ, nec præcepti, pro omni tempore: aliàs, nec nunc, nec ab initio Ecclesiæ, Cœlibatus licuisset: nec virginitas adeo laudaretur, ut Apost. diceret: *Qui Matrimonio jungit virginem suam, benè facit; & qui non jungit, melius facit.* Unde pro 1. parte quæst. quæritur: *An, & qua necessitate, Matrimonium fuerit, aut aliquando sit necessarium?* Notandum 2. pro 2. parte Matrimonium esse unum unitate *integritatis*, non unitate *indivisibilitatis*, ut etiam diximus de aliis: nam cum in utroque conjuge fiat Sacramentum, ac duplex sit subjectum, consequenter sunt duo partialia Sacramenta, quæ unum faciunt completum, & integrum. Quare hîc loquimur de Matrimonii unitate, prout opponitur Poligamiæ, seu Matrimoniorum pluralitati. Hæc verò pluralitas, alia est *successiva*, & alia *simultanea*. 1. Dicitur propriè *Bigamia*, quæ impedit Ordinum suspensionem, juxta dicta Tract. 8. de Ord. Sacram. disp. 3. quæst. 4. num. 134. Hæc verificatur, quando unus vir plures uxores, vel eadem mulier plures viros duxit successivè, nempe, uno, vel una mortua, ducit alium, vel aliam. 2. Quæ est *simultanea*, & quæ rigidior est *Poligamia* datur, quando idem vir eodem tempore habet plures uxores viventes. De utraque aliquid est disserendum: eò quòd olim Hæretici Montanistæ, & Novatiani damnarunt Poligamiam successivam, seu secundas nuptias: & Lutherani approbant, vel tolerant simultaneam. Dicit enim Lutherus, scribens ad Lanthgravium: *Certis casibus locus est dispensationi ad plures*

res uxores habendas : Ut si quis apud exterarum nationum captivus, ad curam corporis inibi alteram uxorem superinduceret ; vel si quis haberet leprosam uxorem. In his casibus, dicit, potest quis aliam ducere.

98 Conclusio I., Matrimonium „ aliquando fuit necessarium ex præcepto divino : non ita est in Evangelica Lege, quoad omnes, & singulos : præcisa necessitate communi totius generis humani. “ Est contra Hæreticos, damnantes ex una parte Matrimonium, & ex alia Cœlibatum. Docetur à Subt. Doct. dist. 26. ubi totam conclusionem explicat mirificè. Prob. 1. pars ex Script. Genes. 1. primis Parentibus præcepit Deus : *Crescite, & multiplicamini.* Et Noë post dilubium, Genes. 8. *Ingredimini super terram, crescite, & multiplicamini, & replete eam.* Superquæ inquit Chrysost. *Postquam accepit mandatum à Domino &c.* Et Cyprian. *Dei sententia crescere, & generare præcepit* : ergo ex Script. & PP. Matrimonium aliquando fuit de præcepto divino. Prob. 2. pars : Potest in Evangelica Lege contingere similis necessitas propagandi generis humanum, qualis fuit ab initio, & post diluvium : ergo posset accedere necessitas Matrimonii ex eodem præcepto. Ant. patet ; quia possibile est, quod propter bella, pestilentiam, aut alia flagella, à divina iustitia inflicta, genus humanum ad eandem paucitatem redigeretur. Prob. conseq. Tum ; quia Deus in tali casu præciperet nubere, ne genus humanum penitus deleteretur, & deficeret in mundo, ante tempus à Deo præfixum : nam usque ad finem mundi debet genus humanum propagari quæ, ac tempore Adæ, & Noë : ergo idem præceptum esset, propter idem bonum, & eandem necessitatem.

99 Unde, dato tali casu, nedum Deus, sed etiam Principes, præcipere possent, ut omnes apti ad propagationem, nubèrent, ne genus hu-

manum penitus periret. Et dato casu, quo in aliquo regno nulli nubere vellent, videtur dicendum, quod Princeps præcipere posset, ut aptiores Matrimonio, illud contraherent, & generationi vacarent. Hoc tamen intelligendum est in communi, pro toto humano genere, non pro omnibus singulis, & omnino in particulari. Confir. totum ex Doct. cit. dicente : „ Est institutio per modum „ præcepti affirmativi, quod obligat „ semper, sed non ad semper ; sed „ tempore necessitatis : non tantum „ in principio, sed adhuc videtur eodem modo obligare, si paucitas in filiis in aliquo casu accideret. “ Quod etiam putat, esse necessarium ex lege naturæ : *licet non primò, nec ut necessarium notum, sed secundariò, & consonum.*

100 Prob. 2. pars : Præcisa tali universali necessitate, in Lege Evangelica, status virginittatis præstantior est Matrimonio, & est de consilio ; sed non datur consilium contra præceptum : ergo in Evangelica lege non viget ita præceptum Matrimonii, saltem quoad singulos, & generaliter. Prob. maj. Tum ex Apost. „ De virginibus præceptum Domini non habeo. Et bonum est homini mulierem non tangere. *Et postquam dixit* : Unusquisque suam uxorem habeat propter fornicationem, *ne videretur id præcipere, addit* : Dico, secundum indulgentiam, non secundum imperium, & qui Matrimonio jungit virginem suam, benè facit, & qui non jungit, meliùs facit &c. *Ergo. Tum ex Trident. sess. 24. Can. 10.* Si quis dixerit, statum conjugalem anteposendum esse statui virginittatis, vel Cœlibatus, & non esse melius, ac beatius, manere in virginittate, aut cœlibatu, quam in Matrimonio : anath. sit. “ Et quidem si singuli ad Matrimonium tenerentur, Ecclesia contra legem Dei, aut naturæ, non præcepisset, ut ab initio præcepit, Clericis in ca-

cris

cris Cœlibatum, ut Tract. de Ordine diximus. Tum denique ex SS. PP. hanc veritatem unanimiter docentibus, pro quibus sufficiat S. Thom. 2. 2. q. 15. dicens, *Præceptum Matrimonii implendum esse à multitudine, sed non à singulis ; quo non tenetur quilibet de multitudine.*

101 Nihil speciale occurrit contra conclus. nisi, quod si aliquod præceptum obligaret ad Matrimonium, virginitas aliquando fuisset peccatum : nam fuisset transgressio præcepti tempore illo ; quod quidem est falsum : nam virginitas, et cœlibatus, ex se præstantiores sunt Matrimonio : ergo nunquam obligare potest præceptum de Matrimonio. Resp. igitur, quod pro tempore præcepti, et pro illis, pro quibus Matrimonium præcipiebatur, verum est : non verò loquendo de virginitate absolutè, simpliciter, et de se. Unde si Adan, et Eva, nolissent nubere, et vacare generationi : Et idem est de filiis Noë, præceptum fregissent, et peccassent. Audiatur D. Ambros. lib. de Abrah. 4. „ Quis ignorat, quod antea Abraham placuit in conjugio ? Sic nunc „ Virgines placent in perpetua castitate : Servivit ille legi, et tempori suo, serviamus et nos Evangelio, „ et tempori nostro.

102 Conclusio II. *Poligamia successiva non est illicita.* Unde soluto Matrimonio, potest iterari cum diversis viris, aut foeminis, mortuo, vel mortua priore. Erga Poligamiam successivam, varii fuerunt ritus, & leges in Ecclesia : nam aliquando non permittebantur, nisi nuptiæ secundæ : imò contrahentes tradebantur alicui publicæ poenitentiae : aliquando limitabantur ad tertias, & non ultra : aliquando ad quartas. Hodie verò permittuntur toties, quoties casus occurrit. Prob. tum ex Apost. 1. ad Corinth. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit : quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat.* Idem asserit ad Rom. 7. Unde Christus non

improbavit, quod eadem mulier successivè septem viris nupsisset : nec arguit Samaritanam, quæ habuerat quinque : sed tantum, quod quem habebat tunc, non erat vir ejus. Tum ex Ecclesiæ Canonibus, & definitionibus : nam secundas nuptias permitti ab Apostolo, definierunt Urbanus III. cap. *Super alia.* Innocent. III. cap. *Cum secundum Apost. 4.* Decret. tit. 21. & Eugen. IV. in decreto pro Armeniis, hæc habet : *Deolaramus, non solum secundas nuptias, sed etiam tertias, & quartas, atque ulteriores, si aliquod Canonicum impedimentum non obstat, licitè contrahi posse.* Tum ex SS. PP. Chrysost. Ambros. Augustin. Hyeron. qui Epist. 91. ad Ageruchiam, inquit : *Damnamus secunda Matrimonia ? Minimè, sed prima laudamus. Abjicimus de Ecclesia Bigamos ? Adsit, sed monogamos ad continentiam provocamus.*

103 Objicies 1. SS. PP. qui secundas nuptias adversantur, & contra illarum pluralitatem invehuntur : ergo esse licitæ non possunt. Prob. anteced. ex Basilio Epist. ad Amphil. Can. 4. dicente : *Tertias nuptias non esse Matrimonium, sed castigatam fornicationem.* Fere idem constat ex Nazianzeno. Et Concil. Neocæsar. prohibet, ne Presbyteri secundis nuptiis assistant. Item : *in nuptiis Bigami Presbyteris prandere non convenit.* Deinde sub gravibus poenis prohibentur Sacerdotes, secundas nuptias benedicere, ut habetur cap. *Vir autem,* & aliis per multis, apud Gratianum dist. 24. & in 1. Decretal. tit. 21. videndis. Denique : Bigami sunt *irregulares*, nec possunt ad Sacros Ordines promoveri, ut colligitur ex Apost. 1. ad Timoth. Igitur tales nuptiæ non sunt licitæ.

104 Respond. faciliter, PP. secundas nuptias non laudare ; non quia conjugia repetita illicita, & peccaminosa sint ; sed quia sapiunt incontinentiam : & ideò *monogamiam*, seu uni-

uni-

unicum conjugium, valde commendant. Unde SS. PP. & Ecclesiae intentio non est damnare, nec absolute prohibere plura successive repetita conjugia; sed velle ab eis deterere fideles, ut se contineant in viduitate. Hinc Ecclesia prohibuit benedicere secundas nuptias, nedum ut ex iteratione benedictio non vilescat; & quia unus talium conjugum jam antea acceperit illam, sed etiam quia solemnis benedictio iterari non debet, ut inquit Urbanus III. cap. *Vir autem*. Nec Ecclesia Bigamos irregulares fecit, eo quod illicitum sit iterum nubere; sed propter dicta, & propter defectum Sacramenti, ut inquit Innocent. III. cap. *Debitum*. Non quia secundae nuptiae non sint Sacramentum; sed quia secundae non eque representant unionem Christi cum Ecclesia, aeque ac primae nuptiae; nam ut inquit cit. Innocent. *Quoniam Bigamus non est unus unius*. Hac etiam ratione voluit Apost. Episcopum esse unius uxoris virum. Ex his manifeste ostenditur, mentitum fuisse Kemnitium, Lutheri discipulum, dicentem, secundas nuptias existimari a Catholicis fornicationes, & prostitutiones.

105 Conclusio III. *Poligamia simultanea omni jure est illicita, & Matrimonium invalidat*. Unde in Evangelica lege nequit cum pluribus simul uxoribus conjugium iniri. Est de fide. Sed ante probationem est advertendum, nullum Theologorum Catholicorum negasse, esse contra jus naturae, si plures uxores ab eodem ducantur, ut quibusdam tribuitur: sed in eo tantum dissentiunt, quomodo id legi naturali adversetur. Igitur conjugium plurium uxorum cum uno viro, in Sacris litteris non semel commemoratur: nam Lamech Genes. 4. Duas accepit uxores, *Adam, & Sellam*. Abraham duxit *Saram, & Agar*. Jacob in Mesopotamia duas Sorores, *Liam, & Rachelem*: aliique Patriarchae plures habuerunt uxores. Horum exemplum imi-

tati sunt Gentiles, illos impellente libidine. Patriarchas illos peccasse contra jus naturae affirmarunt Sadducæi; atque hac de causa Jacob ab Angelo percussus fuisse, commentiti sunt. Sententia autem Catholicorum, & omnino vera, est, *Poligamiam* muliebrem non adversari primario conjugiorum fini, qui est susceptio, & educatio proles: repugnare vero secundario fini, nimirum, perfectae societati, & domesticæ paci. Constat enim ex Sacra historia ex uxorum pluralitate orta esse dissidia, societatem, & domesticam pacem fuisse turbatam. Sint in exemplo jurgia, & zelotypiae, quae inter Saram, & Agar, atque inter Liam, & Rachelem, contigerunt. Inter fratres quoque, non ex eodem utero natos, benevolentia, & amor necessarius raro custoditur. Non itaque opponitur fini primario, sed huic secundario: & ideò, absque læsione primarii juris dispensatum fuit cum Patriarchis, ad propagationem Hebraici Populi, ut cum pluribus uxoribus conjugia inirent. Christus vero Dominus ad priorem institutionem reduxit Matrimonium, & consequenter in lege Evangelica *Poligamia* condemnatur omnino.

106 Prob. Catholica veritas 1. ex Trident. sess. 24. Can. 2. sic definit: „ Si quis dixerit, licere Christianis, plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina prohibitum esse: anathema sit. *Et in Florent. Decret. union. dicitur*: Ex causa fornicationis liceat thori separationem facere: non tamen aliud Matrimonium contrahere, fas est. *Prob. 2. ex Script. dicente*: Relinquet homo patrem suum, & adhærebit uxori suae; & erunt duo in carne una. *Item*: Masculum, & foeminam creavit eos. *Et*: Dixit Deus, non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. *Igitur uni viro unam foeminam voluit: alioquin dixisset*: „ Adhærebit uxoribus suis: Erunt tres,

„ tres, aut quatuor in carne una. Et, „ foeminas creasset. *Hæc illatio est* „ *D. Hieron. super Matth.* Dicendo „ masculum, & foeminam, ostendit, „ secunda conjugia esse vitanda: non „ enim masculum, & foeminas, ut „ unius conjugis consortia neccerentur: similiter dixit: Adhærebit „ uxori suae, non uxoribus.“ Et Matth. 19. Christus Matrimonium reddens ad primae institutionis perfectionem, inquit: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur*. Ex quibus verbis Innocent. III. cap. *Gaudeamus*, hanc deducit illationem: *Si ergo uxore dimissa, duci alia de jure non potest fortius & ipsa retenta. Per quod evidenter apparet, pluralitatem in utroque sexu circa Matrimonium reprobendam*. Sunt etiam alii plurimi Canonones eandem veritatem demonstrantes.

107 Prob. 3. Autoritate PP. qui *Poligamiam* Patriarchis sic concessam docent, ut nunc prorsus vitam esse pronuntiant. Accedit, quod Ecclesia, illum, qui per verba de presentia contraxit cum una, & postea duxit alteram, compellit, ut separatus ab ista, reddeat ad primam, & solam illam, tamquam legitimam uxorem, habeat. Sic cap. *Licet*. Et Leo Papa cap. *Cum per Bellicam*, inquit: *Secunda conjugia esse separanda, & prima reintegranda*. Tandem prob. æquum est, ut in Lege Christiana, quae perfectior est cæteris, conjugia segregarentur ab illis incommodis, quae *Poligamia* secum affert, atque revocarentur, gratia quoque superaddita, ad priorem originem. Et ideò Nicolaus I. ad Consulta Bulg. num. 51. ait: *Duas tempore uno habere uxores, nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit*. Aliæ efficaces rationes videri possunt in Subt. Doct. supra cit.

108 Arg. Tum Gregor. II. decernit, „ quod si mulier infirmitate cor-

Tom. II.

„ repta, non potest debitum viro „ reddere, & si hic non potest continere, nubat magis: non tamen „ subsidii opem subtrahat ab illa, „ quam infirmitas præpedit: ergo „ illi permittitur *Poligamia simultanea*. Tum: *Poligamia* illa non repugnat rationi contractus, nec legi naturae, nec divinæ: ergo nec Matrimonio. Anteced. constat. Quid enim vetat, virum de suo corpore contractare cum pluribus foeminis, semel, quod possit singulas foecundare? ergo non repugnat legi naturae. Nec legi divinæ: aliàs numquam potuisset in hoc dispensari, quod falsum est. Tum; quia Valentinianus, Constantius, & Lotharius, Imperatores Christiani, duas simul habuerunt uxores: ergo.

109 Resp. ad 1. cum aliquibus 1. Matrimonium illud, de quo loquitur Gregor. non fuisse nec ratum, nec consummatum cum illa infirma, nec ille vir contraxerat cum ea, nisi sponsalia per verba de futuro: atque ideò, ducens aliam, non erat poligamus: monetur tamen, ut primam aleret ex charitate. Resp. 2. cum aliis, quod ægritudo, de qua in cap. *quod proposuisti*, erat impedimentum dirimens impotentiae. Alii sentiunt, rescriptum Gregor. falsum esse, ac supposititium. Ad 2. neg. ant. Repugnat enim omnibus legibus. 1. Ex ratione contractus: non genericè, sed in specie hujus contractus, qualis de facto est institutus. Quamvis enim aliter potuisset institui: tamen sic institutus est, ut unus cum una, & non tres, aut plures, sed duo sint in carne una. 2. Ex lege naturae: nam licet poligamia non sit contra ejus primarium jus, nec contra principia nota ex terminis, aut conclusiones deductas ex eis: Est tamen contra secundarium, quales sunt propositiones practicæ, illi primario juri congruentes, & naturali rationi valde conformes, ut num. 105. dictum manet. 3. Est de lege divina: nam Deus, qui aliter decer-

Ooo

ne-

nere potuit, voluit, quod homo ad-
hærebit, non uxoribus, sed in sin-
gulari, uxori suæ. 4. Ex lege huma-
na: nam poligamia proscripita est
etiam ab Ecclesia, declarans, om-
ni jure esse prohibitam. Ad 3. dico,
quod Valentinianus, si ita sanxit, hoc
fecit ad suam implendam libidinem,
& ita illicitè, & invalidè. Alii ne-
gant, talem legem tulisse. Constan-
tius Arianus fuit, & in hoc, sicut
in aliis pluribus, erravit. Lotharius
cum secunda uxore à Nicolao I. com-
munionem privatus fuit, cap. *An non*
quæst. 3. Unde ex his nihil sequitur
adversus stabilitam veritatem.

110. Conclusio IV. *Antiqui PP.*
qui plures habuerunt uxores, à cul-
pa fuerunt immunes. Sic docent uni-
formiter PP. Chrysost. in cap. 29.
Genes. de Jacob ait: *Tunc enim, quia*
principia erant, permissum fuit cum
duobus, vel tribus uxoribus misceri
ut humanum genus propagaretur. Am-
bros. lib. de Abraham cap. 4. Ejus
poligamiam excusat 1. quia Abra-
ham ancillæ contubernium quæsierit,
non ardore aliquo vagæ libidinis, sed
studio quærendæ posteritatis, & pro-
pagandæ sobolis. 2. Affert excusatio-
nem ex Apostolo, dicens: *Illam, que*
gessit Abraham, ut de ancilla sus-
ciperet sobolem, in figuram facta
sunt, & secundum allegoriam dicta,
nempe, ut duo testamenta, & duo
populi significarentur, Judæorum, &
Christianorum. Idem pluribus in lo-
eis docet August. & præsertim lib.
16. de Civit. Dei cap. 25. dicens:
„ Nullo modo est inurendum de hac
„ concubina (*id est Agar*) crimen
„ Hæbrahæ: usus est ea quippe ad
„ generandam prolem, non ad ex-
„ plendam libidinem.“ Et lib. 22.
contra Faust. rejicit Manichæos, in-
sanè criminantes Jacob, quod qua-
tuor uxores habuerit. Nec mireris,
quod Agar dicatur ab August. *con-*
cubina Abrahami: Illam quoque sic
appellarunt Tertul. de Monogamia cap.
6. Leo Magnus Epist. ad Rusticum.
Vocabulum enim *concubinae*, non

ineptè tribuebatur *secundariis uxori-*
bus, eò quod non essent ea digni-
tate, qua prima uxor; nec filios gign-
erent hæredes paternorum bonorum;
atque ad prolis generationem, non
ad familiæ regimen, ducerentur. Hinc
est, quod Hebræorum doctissimi,
Josephus, & Philo, numquam *se-*
cundarias Patriarcharum uxores alio
nomine vocant, quam *concubinas.*

111. Ex dictis colliges 1. Deum
dedisse Patriarchis potestatem dispo-
nendi de suo corpore cum secunda,
& tertia conjuge, per novum con-
tractum, non dissoluto priori. Sic
asseritur cap. *Gaudeamus, de divor-*
tiis, ubi Poligamia Patriarcharum
excusatur à crimine adulterii, eò
quod fuerit *divina revelatione conces-*
sa: modo quo, Israëlita excusan-
tur à furto, & Samson ab homicidio.
Idem persuassum fuit Hebræis: nam
Josephus lib. 1. Antiq. cap. 10. scri-
bit, Abrahamum duas accepisse ux-
ores, *Deo præcipiente.* Hoc præcep-
tum fuit, ne liberis, & promisso se-
mine, carerent. Idè forte stabilitum
erat in antiqua lege, quod si quis mor-
riebatur sine liberis, frater mortui
vidua hujus uteretur, ut semen mor-
tuo suscicaret, quod fiebat retenta pro-
pria uxore. In Deut. etiam statuitur,
quod si homo habuerit duas uxores,
unam dilectam, aliam odiosam, non
poterit auferre filiis odiosæ jus pri-
mogenituræ, nec facere primogeni-
tum filium dilectæ. Illæ enim divini
dispensationes in naturali lege satis
erant frequentes: sed ut ait August.
de lege naturali, & scripta: „ Pa-
„ tres illi, non lascivandi, sed gign-
„ nendi causa, illis foeminae uteban-
„ tur: ergo tunc mos, & fas erat du-
„ cere plures uxores.... Quando enim
„ mos erat, crimen non erat: Et
„ nunc propterea crimen est, quia
„ mos non est. Unde Glos. cap. Judæ,
„ ait, Quod divina dispensatio, &
„ revelatio, tunc censebatur mos.“
Denique Abraham, Jacob, David,
Elcana, Joas, aliique poligami com-
mendantur plurimum in sacris litteris,

QUÆSTIO III.

De fine, objecto, & effectibus Ma-
trimonii.

ris, quin umquam repræhendantur ob
uxorum pluralitatem: quod ad Hæ-
reticos refutandos sufficit.

112. Colliges 2. quod quamvis in
pluribus Scripturæ locis uxorum plu-
ralitas antiquitus permetteretur; in
aliis nimia uxorum multitudo Regi-
bus prohibetur: nam dicitur: *Non*
habebit uxores plurimas. Et non mul-
tiplicabit valde. Et optimè quidem:
Nam non permittebatur poligamia
animo implendæ luxuriæ, sed ut pro-
crearentur filii. Est autem monitum
Plutarchi, nimio numero uxorum vim
gignendi enervari, ac minui. Con-
firmat hoc exemplo Salomonis, qui
ex septingentis uxoris Reginis, &
trecentis concubinis, marem unicum
Roboamum, duasque foeminas, Era-
phet, & Basemat, legitur suscepisse.
Colliges 3. *poligamiam virilem tur-*
pissimum scelus esse, & omnino con-
trariam juri naturæ. Poligamia viri-
lis est Matrimonium plurium viro-
rum cum una sola uxore. Demons-
trat August. lib. de bono conjug. cap.
17. hanc veritatem 1. quia non ea-
dem ratione repugnat naturæ, si ei-
dem viro jungantur plures mulieres,
ac si unam foeminam ducant plures
viri. 2. Quia nullibi legimus, unam
ex fidelibus foeminis multis viris con-
junctam eodem tempore, sicut legi-
tur de viris, multis foeminis simul
conjunctis: ergo quia numquam li-
cuit. 3. Quia cum homo sit mulie-
ris caput, & hæc illi subjiciatur, non
pervertitur omnino naturæ ordo, dum
multæ uxores uni subduntur: E con-
trario verò omnino perverteretur. 4.
Quia finis præcipuus Matrimonii est
filiorum procreatio: idem autem fœ-
tus gigni non potest à pluribus vi-
ris. *Plures foeminae*, inquit Augusti-
nus, *ab uno viro fœtari possunt: una*
verò à pluribus non potest. Quin po-
tius hoc officeret bono generationis,
propter quod dispensabantur viri.



Tom. II.

113. Suppono 1. ex dictis Tract.
de Sacramentis disp. 3.
quæst. 1. Matrimonium ex opere ope-
rato causare gratiam habitualement in
utroque conjuge, dignè suscipiente:
nam cum verum Sacramentum sit
novæ legis, de fide est, & demonstra-
tum ibi omnia, & singula nostra Sa-
cramenta, gratiam 1. aut 2. neces-
sario causare, si non sit obex. Simi-
liter causare gratias actuales, & au-
xilia sibi proportionata, ac fundare
jus ad illa in ordine ad finem, ad
quem institutum est à Domino. Hoc
enim commune est omni Sacramento:
& speciale in hoc est causare jus ad
gratias actuales supernaturales, ad fi-
nem, & onera conjugii debitè susti-
nenda. De quo Tract. & Disput. cit.
quæst. 4. quia necessarium sit repe-
tere dicta. Suppono 2. nomine *objec-*
ti, & finis in præsentem intelligi bo-
num illud, ad quod respicere debent
contrahentes Matrimonium. Hoc con-
sistere in mutuo contractu, quo vir,
& foemina conectuntur in perpetuo
nexu, cum jure ad utendum mutuo
suis corporibus, dictum satis est Dis-
put. 1. quæst. 1. §. Dico 3. num. 9.
Suppono 3. ex dictis eadem quæst. §.
Dico 2. num. 8. non esse de Matri-
monii essentia, aut necessitate con-
sensum, aut usum copulæ carnalis,
ut temerè docuerunt aliqui. Unde
consensus Matrimonialis debet utique
respicere, & intendere maritalem a-
nimorum conjunctionem, & transla-
tionem mutuam juris, ac dominii cor-
porum ad primarium finem Sacra-
menti, saltem confusè, & implicitè:
non tamen directè, & explicitè ad
usum talis juris, quoad copulam car-
nalem. Ita communis Theologorum
cum Scoto dist. 30. quæst. 2. dicente:
„ B. Virgo absolutè vovit virginita-
„ tem.... quomodo ergo potuit con-

Ooo 2

„ tra-

„ trahere Matrimonium? R. Quod in
 „ contractu Matrimoniali est mutua
 „ datio corporum ad copulam carna-
 „ lem, non nisi sub conditione im-
 „ plicita, scilicet, si petatur. Unde
 „ contrahentes cum proposito statim
 „ vivendi castitatem, verè contra-
 „ hunt &c. Sed isti non habent in-
 „ tentionem formalem utendi Matrimo-
 „ nio per copulam carnalem: ergo
 „ copula carnalis non est formaliter de
 „ objecto, aut sine consensus matrimo-
 „ nialis.

114 Suppono 3. bonum præcipuum
 Matrimonii triplex esse, nempe, *bo-
 num prolis; bonum fidei; & bonum
 Sacramenti.* 1. Consistit in prolifica-
 tione, seu filiorum procreatione, &
 eorum educatione. 2. In fidelitate, quam
 conjuges debent sibi invicem, ita ut
 non adhæreant aliis. 3. Consistit in
 perpetua, & indissolubili unione in-
 ter eosdem conjuges. Hæc tria bona
 considerari possunt *in actu primo, &
 quoad obligationem: & in actu secun-
 do, seu quoad executionem.* Consis-
 tit itaque *bonum prolis quoad obliga-
 tionem*, in debito positivè non impe-
 diendi generationem, & in obligatio-
 ne debitè educandi prolem, si illam
 acceperint. *In executione, seu in ac-
 tu secundo* consistit in adimplenti-
 onè actuali talis obligationis. *Bonum fidei
 quoad obligationem* consistit in eo,
 quod contrahentes se obligent ad mu-
 tuo reddendum sibi debitum, & non
 adulterandum. *In executione vero, seu
 in actu secundo*, consistit in imple-
 tione obligationis illius, debitum red-
 dendo, & non adulterando. *Bonum
 Sacramenti in actu primo, & quoad
 obligationem*, stat in ipsamet obliga-
 tione vivendi simul in perpetuo, ac
 indissolubili vinculo matrimoniali: &
 in executione, aut in actu secundo
 stat in impletione illius, vivendo
 semper simul, & quia matrimonia-
 le vinculum dissolvatur. His suppo-
 sitis.

115 Conclusio I. „ Hæc tria bo-
 „ na sunt de essentia Sacramenti Ma-
 „ trimonii, sumpta in actu primo, &

„ quoad obligationem: non vero sunt
 „ de illius substantia in actu secun-
 „ do, aut quoad executionem.“ Est
 „ dicere, quod legitima prolis suscep-
 „ tio, & pia educatio: thori conjuga-
 „ lis fides: & perpetuitas vinculi, sunt
 „ de essentia hujus Sacramenti; ac pro-
 „ inde in omni Matrimonio hæc debent
 „ principaliter intendi. Docetur à Subt.
 „ Doct. dist. 31. litt. A. Prob. prima
 „ pars; tum ex Concil. Florent. in quo
 „ triplex assignatur bonum Matrimonii.
 „ 1. Est proles suscipienda. 2. Est
 „ fides, quam unus conjux alteri ser-
 „ vare debet. 3. Est indissolubilitas
 „ Matrimonii; quia significat con-
 „ junctionem Christi cum Ecclesia.
 „ *Et Colon. 2. dicit: Matrimonium
 „ tria complecti, fidem, prolem, &
 „ Sacramentum.* Et explicat, modo
 „ quo Augustin. super Genes. dicens:
 „ In fide attenditur, ne propter
 „ vinculum conjugale, cum altero
 „ concubatur. In prole, ut amantèr
 „ suscipiatur, benignè nutriatur, re-
 „ ligiosè educetur. In Sacramento au-
 „ tem, ne conjugium separetur: ergo
 „ hæc tria bona sunt de Matrimo-
 „ nii essentia. Ex quo sequitur, quod
 „ hæc intendi debent principaliter in
 „ omni Matrimonio; quia propter hæc
 „ præcipuè institutum fuit à Christo,
 „ Dixi præcipuè, principaliter, seu præ-
 „ cæteris bonis: nam plura alia, non
 „ exigua bona causat Matrimonium, nem-
 „ pe, remedium concupiscentiæ, ne in
 „ fornicationem, & alia peccata inci-
 „ dat: Ut infirmitatibus, & indigentii
 „ humanæ vitæ, mutuo se adjutorio, &
 „ solatio sint.

Secunda pars prob. ex eo, quod
 in actu secundo actualiter, seu quoad
 executionem, illa bona non necessa-
 rio adsunt. Non enim semper adest
 proles, ut in sterilibus, & continen-
 tibus evenit. Nec semper fides, ut in
 adulteris; nec semper inseparabili-
 tas conjugii, ut evenit in divortii
 legitimis. Obligatio verò, seu inten-
 tio bona prædicta adimplendi, seu ea
 expresse non impediendi semper ma-
 nere debet in conjugatis. Adverten-
 dum

dum verò, necessarium non esse, in-
 tentionem ad hæc tria se obligandi
 esse expressam, & formalem, sed
 sufficere implicitam, & virtuales, si-
 cut est voluntas Matrimonium con-
 trahendi. Confirmatur ex eo, quod
 executio alicujus obligationis poste-
 rior sit ipsa obligatione: ergo illo-
 rum bonorum executio, seu exerci-
 tium supponit ipsorum obligationem:
 ergo sub hoc conceptu non sunt de
 essentia Matrimonii.

116 Ex hac doctrina, quæ com-
 munis est, & expressa cap. de *Con-
 dit. apposit.* infertur necessariò, con-
 ditiones pugnantes cum prædictis bo-
 nis, Matrimonium nullum reddere.
 Quare nullum esset Matrimonium sic
 contractum: „ Duco te in uxorem,
 „ sub conditione, quod generatio-
 „ nem impedias, sive procurando a-
 „ bortum, sive alio medio, habito
 „ coitu, illam impediendo.“ Simili-
 ter esset nullum, si ita contraheretur:
*Duco te in uxorem sub conditione,
 quod te meretricio tradas*, ut inde
 habeamus temporalia bona. Pariter
 esset nullum, si contraheretur ita:
*Duco te in uxorem, dummodo, te re-
 licta, permittas me cum alia nube-
 re, si magis mihi placuerit.* Ratio
 est; quia prædictæ conditiones cum
 bonis Matrimonii quoad obligationem
 pugnant, & contra illius substantiam;
 sed semper ac hoc verificetur, Ma-
 trimonium est nullum: ergo.

117 Conclusio II. *Validum esset
 Matrimonium cum pacto de non pe-
 tendo debitum, seu servandi conti-
 nentiam, aut mutuo vivendo castita-
 tem.* Est communior inter Theologos,
 quos citat Sporer part. 4. cap. 1.
 sect. 3. cum Mastrio dicentes contra
 Sanchez lib. 5. disp. 10. valere Ma-
 trimonium sub hac conditione: *Du-
 co te, si perpetuam castitatem pro-
 mittas, vel ingressum Religionis.*
 Prob. tales conditiones non pugnant
 cum bonis Matrimonii quoad obliga-
 tionem, nec cum Matrimonio quoad
 substantiam; sed hoc stante, Matri-
 monium validum esset: ergo. Min.

est indubia. Prob. maj. Tales condi-
 tiones prædicta bona supponunt *quo-
 ad obligationem*, & Matrimonium
quoad substantiam: ergo cum illis
 non pugnant. Prob. anteced. Obliga-
 tio mutua non utendi Matrimonio
 supponit jus mutuum præstitum, &
 per Matrimonium acquisitum ab ip-
 sis conjugibus *ad conjugii usum*: er-
 go. Patet consequens; quia tunc qui-
 libet eorum se obligat ad non uten-
 dum dominio acquisito in corpore
 alterius: quod quidem necessario sup-
 ponit mutuum, & legitimam suorum
 corporum traditionem *pro usu con-
 jugali.* Confirm. 1. Doctrina incon-
 cussa in utroque jure: Usus, & jus
 utendi abdicari potest à re, conser-
 vando dominium, & jus proprietatis
 in ipsa re; sed nihil aliud fit in præ-
 dictis pactibus, & conditionibus: er-
 go. Anteced. patet ex Extrav. de
 verb. signif. Joann. XXII. definien-
 te: *quod retento dominio, concedere
 aliis usum, non est inutile*: ergo u-
 sus facti potest separari à dominio,
 & potest retineri dominium, abdi-
 cando, vel separando usum rei, vel
 facti: ergo in Matrimonio possunt
 conjuges se mutuo dare dominium
 sui corporis sine intentione, aut cum
 conditione mutuo non utendi illis.
 Confirm. 2. In aliis contractibus se-
 paratio domini ab usu, & vicissim
 possibilis est: ergo idem potest fie-
 ri in contractu matrimoniali: ergo
 possunt conjuges tradere se invicem
 dominium sui corporis, cum pacto
 non utendi, seu non petendi debitum
 conjugale: ergo Matrimonium sub il-
 lis conditionibus validum esset.

118 Arg. 1. Contractus contra
 bonum prolis invalidat Matrimonium;
 sed talis contractus esset contra bo-
 num prolis: ergo. Prob. min. Prolifi-
 catio est principale bonum, & fi-
 nis Matrimonii; sed cum tali pacto
 prolicatio non esset possibilis: nam
 sine corporum usu non est possibilis
 proles; ergo. Tum ex cap. De *con-
 dit. apposit.* Ubi dicitur: „ Condi-
 „ tio etiam honesta, si est contra
 „ subs-

„ substantiam conjugii, puta, si al-
 „ ter dicat alteri: Contraho tecum,
 „ si generationem prolis evites ca-
 „ ret effectu.“ Nunc sic; sed qui
 contrahit cum animo, aut conditio-
 ne abstinendi á copula, vel ea non
 utendi, vult vitare generationem pro-
 lis: ergo Matrimonium illud nullum
 esset. Tum; juxta August. Matrimo-
 nium nomen accipit á fœmina, quæ
 nubit, ut efficiatur Mater: ergo ne-
 cessario intendere debet Mater effi-
 ci. Sed non potest hoc intendere, si
 pactet abstinendam ab usu corporis
 ergo cum tali pacto Matrimonium
 nihil valeret. Unde Florent. dicit: *Po-
 tissimum bonum Matrimonii prolem
 designat.*

119 Resp. neg. min. & dist. maj.
 probationis: Prolificatio in actu 1.
 & quoad obligationem, concedo: in
 actu exercito, seu quoad executionem,
 neg. maj. Itaque talis intentio, &
 conditio non excludit prolificatorem
 in actu 1. nec jus mutuum ad illam;
 in quo hoc bonum Matrimonii essen-
 tialiter consistit: sed solum exerci-
 tam, & actualem, modo neuter fa-
 ciat quidquam illicitum ad impediendam
 prolificatorem. Unde non esset
 contra bonum prolis quoad obliga-
 tionem; quia per talem pactum, nul-
 lus conjugum eximitur ab obligatio-
 ne reddendi debitum, si petatur. Nec
 est contra bonum prolis quoad execu-
 tionem; quia non tendit ad impe-
 diendam generationem directè, &
 per se, sed præcisè usum Matrimo-
 nii: Et contra bonum prolis quoad
 executionem, solum est generationem
 impedire, usu Matrimonii libero re-
 manente. Per hoc ad 2. neg. min. sub.
 non enim tunc intendit vitare direc-
 tè, & per se generationem, sed tan-
 tum vult continentiam, in quantum
 licet ei. De hoc non loquitur Canon,
 sed tantum, dum contraheretur sub
 conditione vitandi prolem per me-
 dia illicita, & non servata inter con-
 juges continentia. Ad 3. dico, suffi-
 cere obligationem ad reddendum de-
 bitum, si ab altero conjugum pete-

retur, & quam haberet in actu 1.
 & quoad obligationem ex ratione
 contractus, ut jam diximus: non ve-
 ró requiritur, quód ita eveniat de
 facto, si juri suo cedunt quoad usum.
 Nec aliud cogitavit August. nam ut
 legitur cap. *Maria* dist. 27. quæst.
 2. ipse August. dicit: „ B. Virginem
 „ consensisse implicite, & secun-
 „ dum id, quod spectabat ad con-
 „ tractum: absque tamen ullo pro-
 „posito actualis copulæ, cum jam
 „ de illo fuerat certificata.“ Hoc
 idem, & non aliud intendit Flo-
 rent.

120 Ex dictis sequitur 1. quód
 per contractum Matrimoniale uter-
 que conjugum tenetur ad reddendum
 debitum, si ab altero petitur, &
 quilibet ad petendum habet jus: neu-
 ter veró tenetur ad petendum, cum
 possit utrumque cedere jure suo. Pactus
 hic de continentia servanda, aut
 castitate vovenda componibilis est,
 & subsistens cum obligatione reddendi:
 nam unum cum alio adequatè
 servatur, nullo petente conjugum,
 qui pactum fecerunt, aut voverunt,
 ad quod vi promissionis, aut pactus
 tenentur. Unde, si per talem pactum
 intenderent, sua corpora non
 se mutuo tradere, nec ad reddendum
 obligationem contrahere, Matrimo-
 nium nullum esset, eo quód
 talis obligatio sit de essentia Con-
 tractus Matrimonialis. Si veró hanc
 expressam voluntatem non habeant,
 sed præcisè servandi mutuo continen-
 tiam, tunc tam Matrimonium, quam
 pactus, aut votum esset validum;
 quia in tali modo contrahendi non
 amittunt jus, quod Matrimonium in-
 cludit, sed solum quoad usum cor-
 poris, jure suo cedit uterque: &
 hoc bene possunt facere; quia, ut
 dictum manet, non opponitur pri-
 mariis, & essentialibus bonis Ma-
 trimonii.

12 Sequitur 2. & facile intelligi-
 tur, quomodo validum fuit Matrimo-
 nium sacratissimum SS. Mariæ Vir-
 ginis cum S. Josepho, utroque voto
 per-

QUÆSTIO IV.

*De Matrimonii solemnitate: ac de
 Matrimoniis Clandestinis.*

122 **I**dem est Matrimonii solem-
 nitatis, ac ejus debita pu-
 blicitas: atque adeó tunc dicitur fieri
 cum debitis solemnitatibus, quan-
 do præviis proclamationibus, seu de-
 nuntiationibus, Parochi præsentia, &
 testium celebratur. Sic dicitur fieri
 in facie Ecclesiæ, & cum solemni-
 tate, ac publicitate. E converso, dum
 solemnitates istæ deficiunt, Matrimo-
 nium est, & vocatur clandestinum.
 Unde duplici ex causa Matrimonium
 vocatur clandestinum. 1. Si denuntia-
 tiones non præmittantur. 2. Si non
 fiat coram Parocho, & testibus. In
 illis, justa de causa, potest Eccle-
 siasticus Judex dispensare ex dispo-
 sitione Tridentini: minimè in istis.
 Notandum veró 1. tales solemnita-
 tes necessarias non fuisse ante Tri-
 dentinum ad Matrimonii valorem, ut
 ipsum Concil. docet, dicens: *Dubi-
 tandum non est, clandestina matrimo-
 nia, libero contrahentium consen-
 su facta, rata, & vera esse Matrimo-
 nia, quando Ecclesia irrita non
 fecit: & eos anathemate damnat,
 qui ea vera, & rata esse negant.*

123 Notandum 2. Ecclesiam non
 solum potuisse, sed etiam debuisse
 justissimis de causis, Matrimonia
 clandestina irritare, ut sess. 24. de
 Matrim. definit sic: *Si quis dixerit,
 Ecclesiam non potuisse constituere
 impedimenta Matrimoniorum dirimen-
 tia, vel in his constituendis errasse,
 anathema sit.* Ecclesiam hanc potes-
 tatem habere, constat etiam ex dic-
 tis supra num. 86. & 87. Motiva Ec-
 clesiæ fuerunt urgentissima: nam al-
 liter non poterant vitari gravissima
 peccata in Deum, & in politia ci-
 vili, ut poligamiæ, adulteria, con-
 cubinatus, dissidia, & familiarum
 perturbationes, atque alia hujusmo-
 di. Et quamvis illa Matrimonia, &
 abu-

perfectissimo castitatis habente, & in
 illius observantia in statu Matrimo-
 nii firmiter perseverante. Vide quod
 ex Subt. Doct. dictum manet supra
 num. 113. & ex D. August. num. an-
 teced. qui S. Pater, relatus in De-
 cret. 1. de Nupt. cap. 11. ut con-
 firmet, Matrimonium BB. Virginis ve-
 rum fuisse, ac bona illius propria
 perfectè habuisse, ita inquit: *Omne
 nuptiarum bonum impletum est in il-
 lis Parentibus Christi: proles, fides,
 Sacramentum. Prolem cognosimus ip-
 sum D. Jesum.... solus ibi concubitus
 nuptialis defuit.* Voverat utique vir-
 ginitatem, & sic non poterat in co-
 pulam consentire: sed tamen domi-
 nium sui corporis tradidit B. Josepho,
 certa divina revelatione, futurum esse
 suæ virginitatis custodem fidelis-
 simum: quo sensu dixit Augustinus
 relatus, quód consensit in copulam
 sub Dei placito: *commitens*, inquit
*virginitatem suam divinæ dispositio-
 ni, consensit in copulam varnalem:
 non illam appetendo, sed divinæ ins-
 pirationi in utroque obediendo.* Videatur
 doctrina V. Mariæ á Jesu in sua
 Mystic. Civit. parte 1. lib. 2. cap.
 21. & 22. ubi pulcherrimè de hoc
 purissimo Matrimonio pertractat. Ex
 qua, & ex á nobis dictis, convin-
 citur, quód edocta BB. Virgo á divi-
 na revelatione, S. Josephum, nedum
 non violaturum, sed futurum esse suæ
 castitatis custodem fidelissimum, abs-
 que ullo, nec levi periculo sui pu-
 rissimi corporis tradidit dominium per
 matrimoniale contractum, quod &
 vicissim fecit vir purissimus, qui e-
 tiam castitatem voverat Deo, & simi-
 li revelatione fuit instructus, sponsam
 suam non esse usuram sui corporis
 dominio ab ipso præstito. Quare tali
 Matrimonio nihil substantiale defuit,
 & vixerunt plusquam in Angelica pu-
 ritate.

abusus prohibebantur legibus divinis, civilibus, & Ecclesiasticis, videns Ecclesia, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam non prodesse, debuit merito illa Matrimonia irritare, ne sub eorum prætextu, illa peccata fierent. Nunc videndum restat, quinam illorum defectuum Sacramentum hoc invalidet? Et an talia Matrimonia semper prohibita fuerint? Ab hoc incipiendo:

124 Conclusio I. *Matrimonia clandestina semper fuerunt prohibita, non jure naturali stricto, nec divino, sed Ecclesiastico. Non tamen fuerunt invalida ante Trident. decretum.* Prob. prima pars ex Sacr. Can. Evaristus cap. *Aliter*, ita inquit: *A Patribus accepimus, & à SS. Apostolis, eorumque successoribus traditum invenimus, non fieri conjugium, nisi ab his, qui super foeminam dominium habere videntur, & à quibus uxor petatur.... & suo tempore, ut mos est, à Sacerdote benedicatur.* Ergo non solum ab initio secundi sæculi, quo regnabat iste Pontifex, sed ab Apostolorum tempore non fiebant conjugia clandestina, sed coram propinquis, & Sacerdote. Et cap. *Nullus* Concil. Arelat. an. 310. *sine publicis nuptiis quisquam nubere, vel uxorem ducere, non præsumat.* Et cap. *Nostrates*. Nicol. I. ait: *Ambo conjuges ad nuptialia fœdera perducuntur, & primo quidem in Ecclesia Domini.... per Sacerdotem benedictionem, & velamen cœleste suscipiunt.* Idem constat ex Leone IV. cap. *Qualis*, aliis Canon. innumeris, & ex Concil. Lateran. III. & IV. in quibus idem præcipitur, ut Trident. testatur: ergo ab initio, & ex perpetua Ecclesie praxi conjugia celebrari debent publicè, & coram Sacerdote. Prob. secunda pars: Si publicitas Matrimonii præciperetur jure naturali stricto, aut divino, nulla Matrimonia clandestina valuissent in lege nature, vel scripta: nam in ulla lege potuit dispensari à jure divino, vel naturali: nec valuissent inter Christianos ante

Concil. Trident. sed in hoc Concil. definitur, quod antea Matrimonia clandestina fuerunt valida, & quod dicta publicitas ad illorum valorem non fuit necessaria: ergo necessario sequitur, solum esse nulla jure Ecclesiastico.

125 Arg. Tum: cap. *Videtur nobis*, dicitur; *quod contra dictum, & ordinem Ecclesie, factum est, tamquam inordinatum, ratum non haberi, tam divinæ, quam humanæ legis proclamatur auctoritas*; sed illa Matrimonia fiebant contra ordinem Ecclesie: ergo non erant valida ante decret. Trident. Tum: Evaristus cap. citat. quæst. 5. dicit, Matrimonia clandestina non esse legitima, sed *adulteria, vel contubernia, stupra, fornicationes*: ergo ab initio, & ante Trident. illa Matrimonia valida non erant. Tum: Ipsa Matrimonii natura dicit, & exigit, ut sciatur in communitate, qui sint veri conjuges, parentes eorum, & filii legitimi, & ne possint conjuges pro libito ab invicem separari, nec nova conjugia iniire: ideoque adhuc inter barbaros publicari solent: ergo publicitas Matrimonii est de jure naturali.

126 Ad 1. disting. maj. non haberi ratum &c. id est, approbatum, & licitum concedo: id est, validum, neg. maj. Vox *ratum* non significat ibi validum, sed licitum, & laudabile. Ita enim interpretari debet illud decretum, juxta Trident. doctrinam, qua Matrimonia illa declarantur fuisse valida. Ad 2. nego consequ. Pontifex enim ea sic vocat, non ob invaliditatem, sed ob inobedientiam, & peccatum, illo modo contrahentium. Unde illa dicit illegitima, id est, *illicita*, & contra leges prohibentes, sed non irritantes. Ad 3. dist. anteced. dicitur ex congruentia, & mediata, seu remotè, conced. ex necessitate absoluta, directè, & immediatè, neg. anteced. Non enim naturalis ratio, nec Matrimonii natura id exigit directè ex ratione talis, quamvis sit consentaneum valde natu-

tu-

turali rationi: aliàs omnes leges, & actus non mali essent de jure nature, & omnia peccata contra naturam essent: nam omnis virtus, omneque præceptum, quod habemus, conforme est dictamini rationis.

127 Conclusio II. „ Matrimonia „ clandestina irrita sunt ex decret. „ Trident. Nec à præsentia Parochi, „ aut Sacerdotis, ab ipso, vel Epis- „ copo deputati, & testium dispensari potest: benè verò à proclamationum publicitate.“ Prob. prima pars, quæ constat ex Trid. sess. 24. de Matrim. in quo postquam præcipitur, quod antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis festivis diebus, in Ecclesia, inter Missarum solemnias publicè denuntientur, inter quos Matrimonium sit contrahendum, prosequitur: „ Qui „ aliter, quàm præsentè Parocho, „ vel alio Sacerdote, de illius Parochi, vel Ordinarii licentia, & „ duobus, vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt: „ eos S. Synodus ad sic contrahendum inhabiles omnino reddit, & „ tales contractus nullos, & irritos „ esse decernit: prout eos, præsentati decreto, facit irritos. & annuntiat.“ De denunciationibus dicit Concil. *Nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes omittantur.* Ex quibus sic: Concil. in prædictis verbis clausulam irritantem adhibet, si desit præsentia Parochi, & testium: dispensationem verò denuntiationum arbitrio Episcopi relinquit: ergo non potest dispensari in primo; benè verò in secundo. Patet consequens: nam licentia hæc dispensandi in proclamationibus excludit facultatem dispensandi in præsentia Parochi, & testium; quia *exceptio regulæ firmat regulam in contrarium*: ergo si à nullo dispensari potest, sequitur necessario, quod, deficiente præsentia illorum, Sacramentum esset nullum. Confirm. ex pluribus declarationibus

Tom. II.

S. Congregationis, in quibus decernitur, Matrimonia defectu præsentia Parochi, & testium, esse irrita: defectu verò proclamationum non esse invalida.

128 Arg. Tum: saltem in casu necessitatis valere posset testimonium duorum, vel trium sine Parocho: ergo ejus præsentia non est ad Matrimonii valorem omnino necessaria. Ant. constat in casu quo mors instaret, & Parochus esset absens, & necessarium esset Matrimonium contrahere, ut provideretur famæ mulieris, & filiorum educationi, ac legitimationi. Tales enim testes viderentur sufficere ad publicitatem contractus moribundi cum illa concubina: siquidem in his, & similibus casibus cessat finis legis, & periculum malorum, propter quæ posita fuit. Tum: Ecclesia providet pro casibus necessitatis in aliis Sacramentis: ergo ita debet censeri in Matrimonio, quoad hanc solemnitatem in similibus casibus. Ant. est certum in Baptismo, & in Sacramento Pœnitentiæ: nam morte instante, & absente Sacerdote, foemina potest baptizare: Et moribundus habens reservata, potest absolvi à quolibet Sacerdote. Tum: Si in contractu illo publico defuisset internus consensus conjugum, Matrimonium sic fuisset nullum: posset verò suppleri per solum consensum illorum sine Parocho, & testibus, & ita tunc fieret Sacramentum; sed tunc illud esset purè clandestinum: ergo clandestinum aliquando potest esse validum.

129 Ad 1. plures Theologi dicunt, in his casibus valere Matrimonium per Epicheyam, interpretando, mentem Concilii non fuisse hæc irritare cum tanto rigore in casibus tanti momenti. Sic Rossignolius post alios. Resp. tamen neg. ant. nam lex irritans eodem modo loquitur in omni casu de hoc impedimento, ac de cæteris: ergo cum in aliis casibus instantiæ mortis non dispenset, nec in isto dici debet dispensare. Unde

Ppp

de

de ad 2. nego conseq. & parit. In Matrimonio igitur non est salutis æternæ necessitas, sicut est in Baptismo, & Pœnitentia: ideoque in istis permisit Christus aliquas dispensationes, quas reliquit potestati Ecclesiæ. Non ita in Matrimonio evenit: nam publicitas ista statuta est ab eadem Ecclesia ad ejus valorem; qua deficiente, non vult valere: Et maximè cum aliter provideri possit filiis, & famæ mulieris: nec fama illa antiest momenti, ut Sacramentum sub hoc prætextu debeat exponi. Ad 3. neg. min. quia tunc ille consensus ex vi aliarum conditionum, & solemnitarum præexistentium, & moraliter perseverantium valeret, & reputaretur, ut habens debitam publicitatem, ratione conjunctionis moralis cum conditionibus illis. Deinde, quia Ecclesia in tali casu ita disponit.

130 Et observa 1. quod in regnis, in quibus Tridentini decretum non fuerit publicatum, ex Ecclesiæ tolerantia Matrimonium clandestinum erit validum. Prob. Tum ex variis decretis S. Congregationis, quæ Cardinal. Brancatus colligit, & in quibus declaratur, talia matrimonia valere, ubi Concilium non est promulgatum. Tum: si hoc defectu matrimonia in illis regnis essent nulla, sequeretur, Ecclesiam ibi tolerare perpetuos concubinatus, filios omnes in illis illegitimos esse, & Clericos esse irregulares; quod cogitare, absurdum valde esset. Dixi: *ex Ecclesiæ tolerantia*; quia incredibile est, tot provincias, & regna Catholica, hoc nescire decretum Tridentini, in toto Orbe tam famosi, atque non obligare ibi, ex defectu promulgationis, quæ utique necessaria est, ut lex aliqua obliget. Pariter usus fuit voce *promulgationis*, & non ex defectu *acceptationis*, seu ubi *Concilium non est receptum*, ut plures, meo iudicio, valde improprie hac locutione utuntur. Nusquam enim satis potui capere, liberum esse fidelibus catholicis, acceptare, vel non

acceptare decreta Ecclesiæ, imposita pro bono universali totius Christianitatis, & reverentia tanti Sacramenti; adeo ut ab ejus observantia excusset defectus solum acceptationis. Sed quidquid sit de hoc, certum est tolerantiam Ecclesiæ sufficere ad populos illos excussandos ab hac lege, tam pro bono pacis, quam pro aliis motivis justis, quæ habet. Dicebat Leo I., Circumstant nos, „ hinc mansuetudo clementiæ, hinc „ censura justitiæ, ut credamus, quædam delicta toleranda, quædam „ vero peritus amputanda: maximè „ cum timentur ex rigore graviora „ mala, ut Schisma, hæresis &c. Tunc enim legum rigor est temperandus.

131 Observa 2. Proclamationes fieri, ut siquod inter contrahentes sit impedimentum dirimens, aut prohibens, innotescat, & nullo stante, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur, ut decernit Tridentinum. Legem hanc Ecclesiasticæ disciplinæ civilis, ac imperialis autoritas confirmavit: maximè in Gallia Henricus III. an. 1579. confirmavit edictum Blesense, ubi artic. 40. statuitur 1., ad occurrendum abusibus, & damnis, quæ „ ex Matrimoniis clandestinis oriuntur, contrahi validè non posse Matrimonium sine publicis bannorum „ proclamationibus. 2. Proclamationes illas tribus diebus festis, cum „ competenti temporis intervallo fieri debere. 3. Fieri debere à Parocho, vel ejus Vicario, & quidem „ intra Missarum solemnias. 4. Ab his „ proclamationibus dispensationem „ non posse obtineri, nisi post factam primam proclamationem: & „ hoc tantum ob urgentem, & legitimam causam, & ad supplicationem præcipuorum ex consanguineis eorum, qui contrahere „ volunt. Statutum hoc confirmatum fuit variis Regum Galliæ Edictis, Henrici IV. an. 1606. Ludovici 13. an. 1629. & Ludovici Magni, anno 1639.

1639. Has verbó proclamationes necessarias non esse ad Matrimonii valorem diximus num. 127. nam Tridentinum irritans Matrimonia clandestina, relinquit arbitrio Episcopi posse in proclamationibus dispensare, sic dicens: *Denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur: nisi ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio S. Synodus relinquit.* Unde verba illa Edicti Blesensi: *contrahi validè non posse*, intelligenda sunt, non de ipsa substantia Sacramenti: sed idem sonare, ac *non licité*, ex fractione illius legis. Ita responsum est Clero Galicano nomine Regis, anno 1630. dictorum verborum explanationem postulanti.

QUÆSTIO V.

Quidquid ad divortium Matrimonii attinet, pertractans.

132 **D**ivortium est legitima viri, & uxoris separatio, quoad thorum, & habitationem, manente vinculo Matrimonii. Ex definitione sequitur, divortium propriè tale, & simpliciter non esse separationem præcisè quoad thorum; sed etiam quoad habitationem in eadem domo. Unde qui mutuo consensu se quoad thorum separant, ut Deo, & orationi vacent, & simul in eadem domo sanctè vivunt, isti propriè non divortiantur, sed solum secundum quid, & quoad thorum. Tales enim copulati sunt mente, & separantur, seu non copulantur carnaliter; ut sæpe in pluribus accidit, ex consilio Apost. ut vacent orationi. Sed de hoc divortio hic non loquimur. Conjuges enim posse sic ex mutuo consensu ab invicem separari, sive mutando statum per ingressum Religionis, sive per ordinem susceptionem; sive manendo in statu laycali; sive ad tempus, & quandiu voluerint; sive in

Tom. II.

perpetuum, si mutuo ita consenserint ex rationalibus motivis, nullus dubitare potest. At veró semper remanet vinculum Matrimonii; quia hoc dissolvi non potest, juxta dicta disp. 1. quæst. 3. pertractante de *Matrimonii indissolubilitate*. Deinde, tale divortium aliquando esse licitum, declarat Trident. sess. 2. cap. 4. per hæc verba: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum, & cohabitationem, ad certum, incertum ve tempus, fieri posse decernit, anathema sit.* Restat igitur inquirendum, quibus de causis possit fieri divortium.

133 Dico 1. *Si alter conjugum cadat in verum, & voluntarium adulterium, potest innocens ab eo quoad thorum divertere, si velit.* Resolutio est omnium, & explicatur. Dicitur *verum adulterium*, scilicet, physicum, & reale, seu per copulam carnalem cum alio, præsertim aptam generationi: & etiam sodomiticam, aut bestialem, ut docent multi Theologi, inter quos Brancatus noster. Hoc quidem verum videtur à fortiori; quia in his gravior injuria fit innocenti. Non veró sufficiunt ad divortium alii obscœni actus, ut tactus, oscula &c. Dicitur *voluntarium*: nam si mulier hoc pateretur per violentiam, aut per ignorantiam, putans invincibiliter, suum virum esse, tunc vir non posset eam dimittere. Ratio; quia illa dimissio, seu divortium est in pœnam peccati, quod tunc non esset: atque ideo nec puniri debet innocens. Dicitur *conjuges innocens*, sive vir, sive mulier: nam quoad hoc æquales sunt in jure. *Divertere potest, si velit*: quia innocens non obligatur ad divortium, sed hoc est ei liberum. Unde potest reum remittere, & cum eo reconciliari, quin reus possit resistere, & ideo innocens non amittit jus petendi debitum, nec reus liberatur ab obligatione reddendi illud. Si autem uterque committat adulterium, fit compensatio jurium, &

Ppp 2 in-

injuriarum, & tunc neuter divertere potest ab alio. His scitis: prob. resolutio, tum ex Subt. Doct. dist. 30. quæst. 2. dicente: *Per peccatum adulterii potest innocens perpetuo prohibere usum corporis, stante potestate in Matrimonio*, hoc est, quoad thorum separari sine vinculi dissolutione. Tum ex Matth. 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem &c.* Quæ utique dimissio intelligitur quoad thorum, & non quoad matrimoniale vinculum, ut cit. quæst. 3. num. 38. manet demonstratum. Tum ex Canon. nam cap. *Qualis* de divort. Leo I. dicit: „In omnibus diebus vitæ, nisi ex consensu, & causa vacandi Deo, propter hominem nunquam separanda: etsi fornicata fuerit, dimittenda, sed illa vivente, altera non ducenda. *Et Alexand. III.* cap. Significasti, *decernit; quod*, si notorium est, ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam vir cogi non debet, nisi constaret, ipsum cum alia adulterium commisisse. Idem decernitur in Conciliis Eliberitano cap. 9. Lateran. III. Trident. cit. Tum ratione: adulter conjugum fidem frangit alteri: ergo causam dat innocenti, ut ei denegat debitum conjugale; juxta effatum commune: *frangenti fidem, non debetur fides.*

134 Dico 2. *præter adulterii crimen, aliæ possunt esse legitime causas divortii faciendi.* Ex his una est conjugis sævitia tanta, ut alter non possit sine periculo illi cohabitare. Ita cap. *Litteras de restitut. spoliat.* Alia est, si conjux tanta furia laborat, ut periculum timeatur ab ea. Alia, si sollicitet ad peccatum, ita ut non possit ei cohabitare sine periculo incidendi in illud. Alia est, si conjux in hæresim, vel in infidelitatem inciderit. Resolutio est communis, & constat ex Trident. num. anteced. adducto. Unde potest conjux ab alio divertere ob alias causas ab adulterio, nempe, „ob scandalum,

„ si alter eum trahat ad peccatum; „ vel ob periculum contrahendi morbum lethalem, aut contagiosum; „ vel ob nimiam sævitiam; vel ob „ hæresim, & infidelitatem.“ Prob. de scandalo: nulla est major obligatio, quàm cavendi offensam Dei, & pericula æternæ salutis: ergo & recedendi à conjuge ad peccatum inducente. Unde Christus docens, amovendas esse occasiones scandali, dixit: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum &c.* idem constat ex PP. & idem ex Canon. nam Glossa super Matth. 9. *Quicumque dimiserit uxorem, excepta causa fornicationis &c.* dicit: *Idem est, si cogat ad quodcumque peccatum mortale.* Idem dicitur cap. *Uxor, & cap. Quanto te.* Igitur si unus conjugum rationabiliter timeat periculum subversionis, poterit, & debet ab alio discedere, quoad thorum, & cohabitationem.

135 De periculo corporalis vitæ, ex morbo, aut sævitia gravi orto, prob. Tum; quia nemo tenetur satisfacere alteri cum tam gravi damno, quale est vitæ propriæ damnum, aut grave morbum; sed hæc mala imminent conjugi ex morbis contagiosis, & ex nimia sævitia mariti: vel si iste rationabiliter sibi timeat venenum ab uxore, aut si nimium valde molesta sit ejus cohabitatio, propter rixas frequentes, & graves: ergo. Confirm. quia ex cohabitatione in talibus circumstantiis non pauca peccata possent sequi, quæ per divortium vitari deberent: nam ut S. Gregor. Magn. super illa verba Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem, Matrem, & uxorem &c.* dicit homil. 37. *Quos Adversarios in via Dei patimur, odiando, & fugiendo nesciamus.* Prob. de hæresi, Apostasia, & Infidelitate: juxta dicta, propter adulterium carnale, quo unus conjugum violat fidelitatem debitam alteri, potest hæc ab illo divertere; ergo multo magis propter adulterium spirituale, contra promissam, & debitam

tam Deo fidelitatem. Præterea: ex cohabitatione cum Apostata, vel Hæretico, absdubio immineret periculum perversionis, & peccati: ergo ex hoc capite licitum est, imo, & necessarium divortium ex parte innocentis. Sequitur ex dictis, separationem conjugum non solum esse licitam, sed aliquando necessariam, & imperatam. Sic vir teneretur uxorem adulteram dimittere, si se non emendat; quia aliàs ejus peccato videretur consentire. Hinc Prov. 8. dixit sapiens: *Qui tenet adulteram, stultus est, & insipiens.* Ad hæc sententiam attendens S. August. lib. 1. *Retract.* cap. 19. revocat, quod aliàs scripserat: *Permissum, non jussum esse divortium.* Si verò uxor emendata fuerit, vir innocens jus habet, ut possit eam dimittere: ad hoc tamen non tenetur: imo ex cap. *Si vir de adulteriis*, si eam non dimittat, satius erit.

136 Dices: Christus non permittit divortium, nisi ob fornicationem unius: dicit enim Matth. 5. *excepta causa fornicationis*: ergo ob alias causas illicitum est. Resp. Christi sententiam omnes intelligere de divortio perpetuo per se, cujus solum adulterium est causa. Cæteræ verò causas solum sunt divortii temporalis, seu pro tempore, quo ipsæ existant: ideoque ipsis deficientibus, deficit divortium; tenenturque conjuges iterum reddere ad thorum, & cohabitationem. Recolendum est verò, quod ut ratione adulterii divortium licitum sit, necesse est 1. ut adulterium sit formale, seu culpabile, quale non erit, si mulier per vim oppressa fuerit, aut si bona fide maritum mortuum putans, aliud Matrimonium contraxit, & consummavit. Requiritur 2. adulterium non esse mutuum: nam si adulteravit uterque conjux, non datur locus divortio. Requiritur 3. quod illud adulterium sit certum physicè, aut saltem moraliter; quia in dubio nemo spoliandus est jure, quod possidet. Requiritur 4. ut adul-

terium non sit commissum cum scientia, & consensu alterius conjugis: nam qui consentit, particeps est criminis, & divortium petere non potest. Requiritur denique, ut adulterium non sit remissum, vel expressè, vel tacitè; quale censebitur, si post adulterium cognitum, conjux innocens debitum conjugale petat, vel reddat.

137 Quæres I. *An divortium fieri possit autoritate propria conjugis innocentis?* Divortium, seu separatio conjugum potest esse solum quoad thorum, & simul quoad cohabitationem. Hoc divortium potest evenire ex adulterio, & sic est per se perpetuum; vel ex aliis causis, num. 134. assignatis. Advertendum verò semper, quod per nullam ex talibus causis vinculum Matrimonii consummati dissolvi potest: nam quamvis per adulterium, quæ est causa urgentior, & principalior, possit innocens separari ab adultero, quantum ad thorum, mensam, cohabitationem; possit etiam ordinari, & Religionem ingredi, semper remanet vinculum conjugale, quandiu adulter vivit. Sic docetur à Trident. sess. 24. cap. 7. „Si quis dixerit, Ecclesiam „ errare, cum docuit, & docet, juxta „ ta Evangelicam, & Apostolicam „ doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui „ causam adulterio non dedit, non „ posse altero conjuge vivente, aliud „ Matrimonium contrahere, mœchanique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, & eam, quæ „ dimisso adultero, alii nupsérat, ana- „ thema sit.

138 Launoius à Tournelyano citatus, existimavit, Canonem hunc, non ad dogmata, & fidem, sed ad solam disciplinam pertinere. Fallitur verò: tum; quia verba hæc; *docuit, & docet, juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam*, manifestè significant rem doctrinæ, & non solius dis-

disciplinæ. Tum; quia error propriè adversatur dogmati, sicut abusus disciplinæ; sed Canon definit, *Ecclesiam non errare, cum docet* &c. ergo evidenter declarat, quæstionem hic esse de veritate doctrinæ, & dogmatis. Tum: res disciplinæ mutari possunt, & mutatae sunt pro varietate temporum, locorum, & personarum: ergo aliquando Ecclesia permisisset, vinculum Matrimoniale per adulterium dissolvi, & licentiam ad alias nuptias concessisset, quod non legitur unquam fecisse. Hoc non obstante, narrat Pallavicinus, Hist. Trident. cap. 4. Canonem sic primò delineatum fuisse, ut distinctè anathemate feriret eos, qui dicerent, *vinculum conjugale per adulterium dissolvi*. Attamen ad postulationem Oratoris Reipublicæ Venetorum, in gratiam Græcorum, qui sub eorum ditione sunt, & in contraria sententia versantur, immutatus fuit eo ipso modo, quo stat nunc. Unde dici potest, mentem Concilii non fuisse, id expresse, tamquam de fide certum declarare. Ita Tournelyanus.

139 Resp. 1. „Causa adulteriū „potest conjux innocens divertere „sua autoritate, & in foro conscientia; quoad thorum: non verò quoad habitationem, & domum: „Sed ad hoc spectari debet Ecclesie „sue iudicium.“ In hac resolutione omnes Theologi conveniunt. Quoad illius 1. partem, & quoad 2. etiam videtur debere convenire. Prob. 1. pars: Supposita, ut debet, certitudine fractionis fidei ab uno conjuge, innocens non tenetur in conscientia servare illi fidem debiti: ergo potest illud ei denegare, & ab ea quoad thorum separari. Prob. ant. ex regula 57. *Frustra petit sibi fidem ab eo servari, cui fidem à se propositam servare recusat*. Nam naturæ jus dicit, quod mutuò obligati ad idem, si unus deficit, non teneatur alter. Confirmatur: in casu adulteri potest innocens recurrere pro divortio ad

judicem: ergo & potest debitum adultero negare. Patet: alias debitum reddendo, remitteret jus recurrenti: nam censetur reconciliatus per copulam subsequentem.

140 Prob. 2. pars. 1. separatio quoad habitationem fieri non potest sine nota, & scandalo: ergo autoritate privata non debet fieri. Antecedens constat: Est enim actio publica ex se pertinens ad externam gubernationem: ergo ut licite fiat, spectari debet iudicium Ecclesie, ad quam spectant materiae Sacramentales. 2. Si tales separationes fieri possent privata autoritate, quotidie audirentur dissensiones, & jurgia, in familias: singuli prætenderent sufficientes causas, aut supponerent eas, & essent iudices in causa propria: Sed hoc est scandalosum: ergo. 3. Si unus dimittat alium, & iste reclamet, apud quem, nisi apud iudicem? ergo iste est, qui talem separationem justè facere potest. 4. ex Canon. nam cap. *saculares*, sic decernit Conc. Carthagin. „Si antequam apud Episcopos dissidii causas dixerint, „& priusquam in iudicio damnentur, uxores suas abjecerint, à communionem Ecclesie, & populi cœtu excludantur. Et Alex. III. cap. Porro, decernit sic: Prudentia tua cognoscat, quod si etiam parentela esset publica, & notoria, absque iudicio Ecclesie separari non potuit: „ergo quamvis adulterium sit publicum, sine Ecclesie iudicio non debet fieri talis separatio, ut Reiffenstuel sententia videtur tit. 19. & multò minus, si esset occultum, aut non omninò publicum. Confir. sententia divortii est pœna: ergo debet inferri per iudicem, ex cap. *Ex parte*, ubi Glossa dicit: „Nemini uxorem suam, „sine manifesta causa fornicationis, „id est, sine causa probata, & „subsecuta sententia, licet dimittere.“

141 Arg. Alex. III. cap. *Ex parte*, dicit: *Nemini licet uxorem suam, si-*


sine manifesta causa fornicationis dimittere: ergo ex tali causa id licet propria autoritate, & quin spectanda sit sententia iudicis. Confir. quando adulterium manifestum est, metus scandali cessat: ergo tunc non debet spectari probatio, nec sententia. Prob. conseq. ratio præcipua, propter quam separatio quoad habitationem fieri non debet absque iudicio Ecclesie, est vitatio scandali: ergo illa ratione cessante, etiam cessat ratio spectandi sententiam iudicis Ecclesiastici. Resp. neg. conseq. Etenim vox illa: *sine manifesta causa*, significat culpæ notorietatem, ut iudicè probatam, & sententiam secutam, ut explicat Glossa. Ad confir. neg. conseq. & ejus prob. ratio præcipua spectandi iudicium Ecclesie est defectus jurisdictionis, quæ ad Ecclesiam pertinet, & quam sibi reservat ad plura inconvenientia vitanda, quæ acciderent abs dubio, si privato arbitrio partis unius, penderet divortii executio, & iudicium de sufficienti causa illius.

142 Ex dictis sequitur, multò magis fieri posse tale divortium ex aliis causis, assignatis ad justam thori separationem, ut sunt periculum peccandi, & contrahendi morbum lethalem: Ob sævitiam unius conjugis: vel ob hæresim, aut infidelitatem, de quo num. 134. Ratio est, præter dicta; quia tales causæ non sunt perpetui divortii, sicut est adulterium, sed temporalis: ideòque, deficientibus illis causis, conjuges reddere debent ad thorum, & habitationem. Advertendum est verò, quod, si divortium propter hæresim fieret autoritate publica Ecclesie, innocens potest ingredi Religionem, ut decernitur cap. *De illa de divor.* & cap. *De convers. conjug.* Si verò innocens Religionem non ingrediatur, & conjux convertatur, debet reddere ad illum, ut advertit Reiffenst. cit.

143 Quæres 2. *An divortio facto, quacumque ex prædictis causis,*

possint conjuges ingredi Religionem? Resp. negativè, adulterio excepto. Ratio est; quia illæ causæ solùm sunt divortii temporalis, ut dixi, & illis cessantibus, debent conjuges ad se mutuò reddere. Causa verò adulteri potest innocens ingredi Religionem; quia divortium proveniens ex illo, etiam privata autoritate factum, est perpetuum. Quia verò innocens potest condonare reum, hic ingredi non posset Religionem, si innocens prius non voverit castitatem. Ratio; quia reo à conjuge condonato, teneatur reddere ad illum; sed per professionem religiosam ad hoc impossibilitaretur: ergo, ut reus ingrediatur in Religionem, debet habere licentiam ab innocente, & iste ad debitum non petendum obligari. Excipitur etiam, quando divortium est propter hæresim, & factum publica autoritate; quia tunc jus innocenti concedit, posse ingredi Religionem.

144 Quæres 3. *Divortio facto, cui tradendi sunt filii? Et cujus sumptibus alendi?* Respond. filios, quacumque culpa divortium fiat, tradendos esse innocenti, & alendos ex propriis Patris, si iste fuit causa divortii. Si autem causa divortii est Mater, debent filii, sive viri, sive foeminae, tradi Patri, & ali ex bonis Matris, si fuerit dives. Excipitur ab hac resolutione, si causans divortium fuisset Catholicus, & alter conjux hæreticus; quia tunc ex cap. *Fin. de convers. infid.* tradendi sunt filii catholico conjugi, qui causa fuit divortii: eo quod ita necessarium sit ad rectam illorum educationem,



DISPUTATIO III. DE SPONSALIBUS.

Quamvis sponsalia ad Matrimonium non sint simpliciter necessaria, sunt valde utilia, quædam illius solemnitates, & præambula: ideoque hic non sunt omittenda.

QUÆSTIO I.

*Quid sint sponsalia? Quomodo fiunt?
Et quæ requirantur ad
illa?*

145 **S**ponsalia sic dicta sunt à verbo *spondeo*, seu *promitto*. Olim puella viro promittebatur, & parentes, propinqui, vel tutores, qui eam promittebant, dicebantur *sponsores*, ipsa vocabatur *sponsa*, vir *sponsus*, & ambo *sponsi*. Sumpta sunt etiam aliquando sponsalia pro donis, quæ sponsæ fieri solebant, ut cum David 1. Reg. 28. dicebat ad Saul, spondenti ei filiam suam: *Non habet Rex sponsalia necessè, nisi centum præputia Philistinorum*. Unde olim viri sponsas coemebant, & quasi pro illis emendis, Patribus dabant munera. Ideò David ad obtinendam Michol, centum præputia Philistinorum attulerat Saul. Cæterum sponsalia hic sumuntur pro contractu prævio ad Matrimonium, & sunt promissio de Matrimonio contrahendo, dicunturque etiam *Matrimonium per verba de futuro*. Unde sponsalia, prout ad præsens, sic definiuntur: *Promissio deliberata, & mutua, signo sensibili expressa, futuri Matrimonii inter personas jure habiles*. Sic definiuntur communiter à Theologis, & Canonistis.

146 Explicatur definitio. Dicitur

promissio, ut conveniat cum aliis promissionibus, & pactis: & ut distinguatur à mero proposito, aut animi significatione. Ista enim obligationem non inducunt: per sponsalia verò contrahitur vera obligatio; & ideo debent esse vera promissio. Dicitur *deliberata, seu voluntaria*: nam si non fiat spontè, & liberè, sponsio non erit, nec habebit vim obligandi. Dicitur *mutua*: nam sicut Matrimonium exigit mutuum amborum consensum, ita sponsio, seu promissio de illo contrahendo. Ideò debet esse *mutuo acceptata*: & quidem hoc ipso, quòd promissio sit mutua, etiam est acceptata. Dicitur *signo sensibili expressa*; quod idem est, ac *externa, & sensibilis*: nam omnis contractus ita debet esse inter homines cognitus, & sensibilizatus, ut significet consensum internum. Dicitur *futuri Matrimonii*; quia ad illud postea contrahendum talis promissio fit. Denique dicitur *inter personas jure habiles, seu legitimas*, ad significandum, tales personas liberas debere esse ab omni impedimento, invalidante contractum. Ut verò personæ sint jure habiles, duo imprimis requiruntur. 1. ætas competens, quæ est completum septenium, ut patet ex jure Canonico, tit. de *Despons. impuberum*. Neque jus determinat diversam ætatem in masculo, & diversam in femina, sicut in Matrimonio. Quamvis autem sponsalia hac

æta-

ætate contracta valida sint, tamen rarissimè expedit illa contrahi in hac tenera ætate. Requiritur 2. ut contrahentes nullo ligentur impedimento Matrimonium dirimente, vel impediante: ita ut validè, ac licitè contrahere possint Matrimonium, eo tempore pro quo promittunt. Ratio; quia aliàs sponsalia essent de re illicita, quæ promissio jure naturæ est nulla: nemo enim ad peccatum adstringi potest. Et hæc de 1. quæst. parte.

147 Sed contra illam dices 1. in aliis pactis sufficit, ut unus promittat, & alter acceptet: ergo & in isto sufficit: ergo non requiritur, quòd promissio sit mutua. 2. Quando unus promittit, & acceptat alter, repromissio sufficienter continetur in illa acceptatione: ergo non requiritur mutua promissio, saltem formalis. Prob. anteced. Si vir dicat in Matrimonio: *Accipio te in meam*, & ista dicat: *placet*, seu *accepto*, hoc sufficit ad Matrimonium; sed tunc non adest mutua promissio: ergo pariter sufficit in sponsalibus promissio ab uno, & acceptatio ab alio. Respond. permissio anteced. neg. consequent. Tum; quia de ratione specifica hujus pacti est, ut promissiones reciproce sint. In isto itaque uterque mutuo agit, & patitur: in aliis verò agit unus, & patitur alter; unus dat, & alter recipit. Tum præcipue; quia in isto sic dispositum est à jure, tam canonico, quàm civili. Ad 2. neg. anteced. & disting. min. Non adest mutua promissio formaliter, & explicitè, concedo: implicitè, & equivalentè, ac virtualiter, neg. min. & consequent. Disparitas est; quia tunc Matrimonium claudicare non potest: consistit enim essentialiter in mutua corporum donatione. Unde cum unus acceptat donationem alterius ad finem Matrimonii; censetur & ipse consentire, & suum corpus alio tradere ad eundem finem. Deinde neg. min. In Matrimonio namque acceptatio alterius necessariò impor-

Tom. II.

tat consensum in illud: nec ista, per verba de præsentem explicata separari possunt. In sponsalibus autem potest unus acceptare obligationem alterius nubendi, & nolle se ex parte sua illi ad hoc obligare. His præmissis:

148 Dico 1. *Sponsalia inter solos sponso facta sunt valida*. Unde publicitas necessaria non est ad valorem sponsalium, quamvis fieri soleant publicè coram Notario, aut testibus, & etiam coram Parocho. Prob. 1. quia id non requiritur aliquo jure: quin potiùs Trident. Matrimonium clandestina invalidans, de sponsalibus nihil quoad hoc decernit. 2. Nicol. I. cap. *Nostrates*, enumerans condiciones, & solemnitates solitas in Ecclesia in sponsalibus celebrandis, dicit: *Peccatum autem esse, si hæc omnia non intervenerint, non dicimus: ergo valida sunt sine illis solemnitatibus*. 3. Ex sponsalibus clandestinis non sequuntur illa inconvenientia, ob quæ irritantur Matrimonia clandestina; non enim oritur polygamia, nec adulteria, nec concubinatus, nec alia mala, propter quæ talia Matrimonia irritavit Trident. Siquidem post sponsalia valida, cum aliis sponsis contrahitur validè Matrimonium, & per subsequens conjugium dissolvuntur: sicut etiam per mutuum, & liberum consensum. Nec resolutioni obstat, quòd Canonistæ aliqui in cap. *Cum inhibitio*, doceant, eandem esse rationem pro sponsalibus, ac pro Matrimoniis clandestinis: ergo utraque sunt invalida ex jure, si non fiant cum solemnitate. Et patet; quia in illis eadem militat ratio, & *ubi est eadem ratio, ibi eadem debet esse juris dispositio*. Dico igitur, quòd quamvis quidam ita sentierint, nihil probat; quia illi scripserunt ante Trident. decretum, quo irritantur Matrimonia clandestina: non verò sponsalia; quia ex istis, si clandestinè fiant, non sequuntur mala illa, quæ Concil. insinuat, sicut sequuntur ex conjugis clandestinis. Non igitur de

Qqq

is.

istis, ac de illis est eadem ratio: & ideo nec debuit esse eadem legis dispositio.

149 Dico 2. *Consensus coactus, aut ex metu extortus, invalidat sponsalia.* Prob. ex cap. *Ex litteris de spons. impub.* ubi dicitur de puero 10. annorum, cui voluntate parentum, potius quam de sua, desponsata fuit puella quædam 12. annorum, & in domo Patris pueri deducta. Ad quod respondet Pontifex: *Si puella nolit expectare complementum ætatis pueri, sponsalia solvantur.* Nunc sic: sed non apparet alia causa talis solutionis, nisi defectus libertatis puellæ: ergo defectus ille sponsalia invalida reddit. Prob. min. 1. ex ipso textu, dicente: *Quod nolens, & invita, minus parentum impulsu moram fecit per annum.* Et Pontifex addit: *Si communita, ut donec puer compleat annum 14. expectet, non duxerit spectandum, libera ei facultas detur, ut ducat alium virum.* Super quæ Glossa: *Sponsalia illa non tenuerunt.* 2. Quia quamvis sponsalia minus ligent, quam Matrimonium, aliunde tamen nocent libertati sponsorum, qui resilire non audent ex humanis respectibus, & metu parentum: ergo merito irritantur, dum sic contrahuntur, & consequenter &c. Si dicas: actiones ex metu non esse simpliciter involuntarias, sed secundum quid: atque ideo alios contractus non invalidare: ergo nec sponsalia. Neg. conseq. quidquid sit de aliis contractibus. Iste enim, & ipsum Matrimonium plenam libertatem petunt, & fieri debent, non ex aliena voluntate, sed ex amore sponsorum: tum; ob gravissima inconvenientia, quæ defectu mutui amoris acciderent inter conjugatos. Tum; quia sic à jure est dispositum: & ideo plena libertas requiritur in istis inter omnes contractus humanos. Si autem, cessante metu, & causa ejus sponsi consentiunt, sponsalia valebunt.

150 Dico 3. *Sponsalia ante pubertatem facta, valida sunt, dummodo septimum ætatis annum spondentes*

compleverint. Prob. 1. ex cap. *Duo pueri*, ubi Clem. III. decernit, quod sponsalia ante septimum annum, tam maris, quam foeminae, pro tunc sunt nulla. Sed si postquam attigerunt illam ætatem, consentiunt, contrahunt impedimentum publicæ honestatis, nec possunt licite resilire; quia per posteriorem hunc consensum, validant sponsalia; quæ tamen postea solvantur, si contrahant per verba de presenti cum aliis: ergo sponsalia ante septimum non valent: bene verò deinceps, & ante pubertatem. 2. Quia hæc decernuntur pro libertate contrahentium; sed libertas perfecta non censetur ante septimum annum completum: ergo sponsalia non valent ante illum.

151 Hoc non obstante, aliqui existimarunt, probabile esse, quod si dies pauci ad septimum completum deficiant, sponsalia erunt valida. Tum ex illa regula juris: *Quod parum distat, nihil distare videtur.* Et in moralibus: *Parum pro nihilo reputatur.* Tum: ideo Canones requirunt septimum, quia regulariter non adest prius rationis usus; sed potest adesse ante completum septimum: ergo valent sponsalia ante illud. Prob. min. sæpe malitia supplet ætatem: ergo. Unde ad Matrimonium potest prævenire ætas taxata in jure; si malitia suppleat ætatem: ergo à fortiori pro sponsalibus hoc licebit. Resp. igitur permissa maj. & min. negando conseq. Quamvis enim ante septimum completum in aliquo particulari casu esset usus rationis, de quo valde dubitari potest, tamen hoc non est regulariter, sed raro valde. Canones autem nolunt, sponsalia esse valida, nisi post usum rationis regulariter. Nec leges attendunt ad casus raros, sed ad eos, qui ordinariè occurrunt: nec patiuntur interpretatignas, quando loquuntur absolutè, & determinatè, ut hic evenit. Ad 2. neg. conseq. disparitas est; quia leges non determinant ætatem debitam pro Matrimonio, tam stricte,

tè, quam pro sponsalibus: ideoque pro illo locum dant interpretationi; & non pro istis. Tempus enim Matrimonii taxatur ex habilitate ad generandum, quæ in aliis est promptior, in aliis tardior, habetque signa certa, & visibilia, quibus cognoscitur: non ita est de usu rationis, ac libertatis, quæ potius tardat, quam præveniat ætatem.

QUÆSTIO II.

De Sponsalium obligatione, & solubilitate.

Certum est 1. apud omnes pro 1. quæst. parte, ex sponsalibus aliquam oriri obligationem inter illa contrahentes: & quæritur: qualis illa sit? Certum est 2. plures esse modos, & causas, quibus dissolvi possunt sponsalia, & quas Theologi, & maximè Canonistæ examinant, & diffusè pertractant. Idem & nos faciemus cum ipsis, sed breviter valde.

152 Conclusio I. *Sponsalia promittentes in conscientia, & sub gravi peccato tenentur promissum implere: Et ad hoc possunt in foro externo compelli.* Est communis quoad utramque partem. Prob. quoad 1. de foro interno: cap. *Ex litteris* decernit Alex. III. „Virum, qui juraverat contrahere, ad id compellatur per Censuras, nisi adsit impedimentum; & puellam in uxorem recipiat, & maritali affectu pertractet. Et cap. *Requisivit*, decernit Lucius III. Mulier, quæ renuit nubere, & se nupturam cum juramento affirmavit Cùm libera debeant esse Matrimonia, monenda est potius, quam cogenda. Super quæ Glossa: Prius monenda est, & nisi acquieverit, postea compellenda. Et Concil. *Eliberit. cap.* Si quis, decernit sic: Si partes fidem fregerint sponsaliorum, trieni tempore abstineant se à communione. Et August. cap. Tom. II.

„Duobus, dicit: Si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere: Si aliam duxerit, debet poenitentiam agere de fide mentita:“ ergo obligatio servandi fidem in sponsalibus datam, gravis est, & sub gravi obligans: Et hoc, sive sint firmata juramento, sive non: nam si cum juramento sint, sub novo titulo religionis obligant. Confr. Omnis contractus onerosus, si est in materia gravi, obligat in foro conscientia, & ex justitia, & fidelitate sub mortali; sed sponsalia sunt contractus mutuus, & onerosus in materia gravi: ergo. Prob. de foro externo. cap. *De conjugali*, præcipitur à Siricio, ut si post monitionem sponsus, de quo quærebatur, non acquieverit, *Ecclesiastica censura compellatur, ut ipsam uxorem accipiat.* Et idem Papa de quibusdam foeminis, ex quarum culpa non tenuerunt sponsalia, statuit, ut eis poenitentia injungatur, antequam eis permittatur nubere aliis. Hæc autem poenitentia intelligitur in foro externo, & à iudicibus Ecclesiasticis, ad quos ex Concil. Trident. spectant causæ matrimoniales.

153 Arg. contra 1. part. cap. cit. *Ex litteris*, loquitur tantum Papa de sponsalibus juratis: nam ratio ejus est; quia *periculosum est venire contra juramentum*: non dicit: *contra promissum, aut fidem*: ergo si non sint jurata, ita non ligant. Confr. qui spontè promittit nubere, potest nolle se obligare in conscientia, & graviter: nam hoc pendet ex arbitrio contrahentis, & vix ullus intendit ita se ligare: nec in aliis contractibus rei gravitas impedit, ne promittatur leviter: ergo pariter in sponsalibus fieri potest. Arg. contra 2. part. cap. *Requisivit*, decernit Lucius III. quod *cùm libera debeant esse Matrimonia, non coacta*, mulier, quæ cum juramento nubere promiserat, resilliebat, *potius erat monenda, quam cogenda.* Et Innoc. III. cap. „Præterea, dicit: Qui de Ma- Qqq 2 „ tri-

„ trimonio contrahendo sine omni
„ conditione fidem dederunt, com-
„ monendi sunt, & modis omnibus
„ inducendi, ut propositam fidem
„ observent:“ ergo non debent com-
pelli in foro externo ad impletionem
sponsalium.

154 Resp. neg. conseq. Quam-
vis enim verba illa explicité sint de
sponsalibus juratis, tamen alia non
excludunt: nam semper habent spon-
saliorum rationem, & ut talia indu-
cunt impedimentum publicæ hones-
tatis. Unde non ligant ratione solius
juramenti; quia alii contractus ligant,
quamvis non sint jurati. Hoc etiam
constat ex aliis decretis, quæ de ju-
ramento non loquuntur. Ad confir-
dist. ant. potest alio contractu, con-
cedo: isto, neg. ant. & conseq. Con-
tractus sponsalitus talis est, ut ex
natura sua ita obliget. Qui in isto
contractu vellet se leviter obligare,
alium deciperet, & peccaret contra
legem divinam, et naturalem, quæ
non permittunt leviter tractari res
tanti momenti. Unde contractus, ex
cujus fractione sequitur grave præju-
diciū alteri parti, semper est obli-
gatorius sub gravi. Ad 2. dist. con-
sequens: si ambo consentiant, vel ra-
tio resiliendi adsit, concedo: abso-
luté, nego. Decreta id non inten-
dunt, sed tantum, quod prius mo-
nendi, quàm compellendi sint. Si au-
tem non prodest monitio, debet ju-
dex compellere ad promissa reddenda,
& contractus observandos.

155 Conclusio II. *Sponsalia plu-
ribus de causis possunt dissolvi.* Cau-
sæ istæ sunt sequentes. 1. *Ex mutuo spon-
sorum consensu, si sunt puberes.* Pa-
tet ex regula juris: *Res omnis per
quascumque causas nascitur, per eas-
dem dissolvitur, nisi aliunde probi-
beatur.* Sic evenit in Matrimonio,
quod dissolvi non potest, semel con-
tractum, ex jure naturali, & positi-
vo, ut videri est suo loco. Dixi: *Si
sint puberes*: hoc est, si 14. annos
ætatis attigerint: non enim prius dis-
solvi possunt sponsalia inita per illos

ante pubertatem. Ratio est, ut sic
consulatur immaturitæ iudicii eorum,
propter quam, ex levitate sæpius ea
contraherent, ac solverent, & sic
impedimenta contraherent publicæ
honestatis. Et decernitur cap. *De il-
lis*, quod si alter ante alium attingat
pubertatem, non potest resilire,
donec alius attigerit, ut validé pos-
sit consentire dissolutioni. 2. Dissol-
vuntur *per subsequens Matrimonium
cum alio contractum*, ex cap. *Si in-
ter de sponsalibus*. Graviter verò pec-
cat, qui sic fidem prius alteri da-
tam violat: & propterea Gregor. IX.
cap. cit. decernit, pœnitentiam ipsi
imponendam. 3. Dissolvuntur, *si su-
perveniat fornicatio, etiam violenta.*
Tunc enim potest innocens sponsalia
dissolvere ex cap. *Quemadmodum de
jure jurando*, & cap. *Raptor*. Hoc in-
telligitur, si sponsus post sponsalia
detegat, sponsam prius fuisse forni-
catam, aut vice versa: secus verò
si hujusmodi vitium ipsis non latue-
rit, ante sponsalia. Idem est, si al-
ter incidit in apostasiam, & hære-
sim, vel aliud crimen, ex quo ve-
niret infamia, vel dedecus grave.

156 Dissolvuntur 4. *Cum detegit-
ur vitium alterius, prius ignotum:*
ut quod sit spurius, qui legitimus
putabatur; plebeius, qui se nobilem
genere jactabat; oppressus ære alie-
no, qui habebatur opulentus. 5. Quan-
do notabilis mutatio supervenit, *vel
quoad bona corporis, ut lepra, pa-
ralisis, aut morbus aliquis gravis;*
*vel quoad bona animi, ut infamia, gra-
ves inimicitia inter utramque fami-
liam.* Sic cit. cap. *Quemadmodum*. 6.
Quando alter profectus est in regio-
nem longinquam, absque consensu
alterius, ex cap. *De illis, de sponsa-
libus*. Idem est, & ex eodem cap.,
ex defectu dotis promissæ. Unde mu-
tatio notabilis superveniens uni spon-
so, sive in corpore, sive in mori-
bus, sive in bonis, ad solvenda spon-
salia sufficit. Constat ex variis cap.
& Decret. Pontific. 7. Si sponsus sa-
cris ordinibus initiatur, ex cap. *De*

voto. 8. Si alter illorum votum emi-
serit ingrediendi Religionem, dum-
modo sequuta non fuerit copula car-
nalis, ex cap. *Commissum de spon-
salibus*. Denique, si post sponsalia
superveniat aliquod impedimentum
impediens, vel dirimens Matrimo-
nium, illa resolvuntur. Ratio est, quia
sponsalia non obligant contra legem,
rationem, aut jura; sed positus im-
pedimentis, illa Matrimonia essent
contra leges, rationem, aut jura: er-
go. Plures aliæ causæ hujus solutio-
nis apud Canonistas, & Casuistas in-
venies, quas omnes recensere lon-
gum esset. Notandum autem, quod
quando causæ solutionis non sunt evi-
dentes, sed dubiæ; aut quando
una pars solutioni non consentit, spec-
tandum est iudicium Ecclesiæ.

157 Colliges 1. duplicem esse
sponsalium effectum: unum *natura-
lem*, nempe, mutuam obligationem
contrahendi Matrimonium suo tem-
pore. Unde promissio facta violari
non potest, *nisi gravi culpa*, ut di-
ximus, & docet S. Thom. Alium *ca-
nonicum*, qui est impedimentum pu-
blicæ honestatis, de quo infra disp.
sequent. Colliges 2. necessarium non
esse ad valorem Matrimonii sponsa-
lia præcedere; quia nullo jure id ne-
cessarium est, nec constat ullo Ca-
none. Tamen laudabilis est usus præ-
mittendi sponsalia Sacramento Ma-
trimonii, ut conjuges serio attendant
ad rei gravitatem, ac divinam gra-
tiam impetrent. Quod verò attinet ad
modum, circumstantias, & cautio-
nes, quæ in sponsalibus servari de-
bent, consulendum, ac servandum
est Rituale. Colliges 3. sponsalia, se-
quuta copula carnali, non transire
in verum Matrimonium, ut aliqui
antiquitus existimarunt. Unde neces-
sarium est, ut Matrimonium in facie
Ecclesiæ celebretur coram Parocho,
& testibus. Ratio est; quia licet an-
te Trident. & ubi non sit ejus decre-
tum contra Matrimonia clandestina
publicatum, copula subsequens spon-
salia præsumeretur Matrimonium de

præsenti, hodie non potest hoc dici.
Idem est, si evenirent secunda spon-
salia, etiam jurata, & cum copula:
quo in casu non solvuntur prima: &
solum solverentur, si secundis spon-
salibus sequeretur copula in locis, in
quibus haberetur pro vero Matrimo-
nio de præsenti: quod quidem, uti di-
ximus, jam non viget. Resolutio pa-
tet; quia per illam copulam non con-
trahitur majus vinculum, quàm spon-
salitium, & solum additur nova in-
juria illi secundæ, & nova infideli-
tas primæ. Sed nova illa iniquitas non
debet præjudicare juri hujus primæ,
nec ille emolumentum debet capere
ex sua iniquitate: ergo ligatus cum
prima semper remanet, nisi hæc ce-
dere velit, ut potest.

QUÆSTIO III.

Aliqua resolvens dubia.

158 **D**ubitabis 1. *An sponsa-
lia solvantur per sim-
plex votum castitatis? Et an, qui
illa contraxit, statum Clericalem li-
citè possit amplecti?* Qui opinantur
sponsalia semper imbitam habere
hanc conditionem: *promitto tibi So-
nisi meliorem statum elegerim*, faci-
lé respondent affirmativè ad utram-
que dubii partem. Respondeo verò
ad 1. cum distinctione: vel votum
præcessit? vel sequitur sponsalia? si
præcessit? nulla sunt sponsalia, etiam
juramento firmata: nam jurare con-
tra id, quod voverat, illicitum est:
ergo & sponsalia illicita sunt: ergo
& nulla. Præterea: Deus acceptave-
rat jam votum castitatis, aut reli-
gionis: ergo vovens non habet po-
testatem super suum corpus ad uten-
dum Matrimonio: ergo nec potest
obligari ad illud. Patet; quia votum
validum est impedimentum impediens
Matrimonium, & ut tale, dirimens
sponsalium. Si verò votum subsequi-
tur, sponsalia non dissolvuntur; quia
Deus cum injuria alterius, non ac-
ceptat illud. Et etiam; *quia qui prior
est*

est tempore, potior est jure. Resp. ad 2. dubii partem, quod si sponsalia sunt clandestina, id est, non celebrata coram Parocho, & testibus, & inde puellæ nullum eveniat grave damnum, in hoc casu, qui sic contraxit, si aliás á Deo vocatus sit, potest amplecti Clericalem statum, pœlulam de mutatione status admonendo. Si veró sponsalia sint publica, tunc ordinarié Clericatum amplecti non debet, qui sic contraxit, nisi sponsa consentiat liberé. Ratio est; quia ordinarié sponsa exinde patitur damnum grave. Denique, si quis occasione sponsalium, sive publicorum, sive clandestinorum, illam corrumpit, non potest Clericalem statum amplecti, sed debet adimplere promissionem, & adimplendo, resarcire damnum, quod intulit.

159 Dub. 2. *An qui fidé promissit, & sine animo se obligandi, teneatur ad sponsalium adimplentionem?* Respondi quod si illam defloravit, præsertim ex vi talis contractus, tenetur. Est communior apud Sanchez, Sporer, Reiffenstuel super cap. 4. Decret. tit. 1. Prob. quia in talibus sponsalibus intervenit contractus onerosus innominatus *facio, ut facias*, qui sic explicatur: *promitto Matrimonium, si prius des mihi usum corporis*; sed in contractibus onerosis innominatis, *do, ut des, facio ut facias*, si ex una parte impletur, quod promissit, alia ex justitia debet promissum adimplere, quamvis promississet sine animo se obligandi: ergo. Minor patet: nam in ipsa receptione, & acceptione promissi ab alia parte, tacité se obligat ad adimplendum, quod ipse promissit. Nec illud admittere potest, sine fractione justitiæ commutativæ, quin se obliget ad adimplendum, quod promissit. Ex quo sequitur, quod si in hac ipsa acceptione, & receptione, tacité se obligat ad adimplendum promissum, hoc ipso, sponsalia revalidantur, & tenetur ad Matrimonium. Si veró nec expressé, nec tacité vult se obligari,

tenetur ad restitutionem, & hæc obligatio aliter satisfaceri non potest, quam ponendo illam intentionem, quæ in promissione defecit: justitia enim commutativa obligat ad restituendum, dum possibile est, in propria specie, in qua injustitia facta fuit.

160 Dub. 3. *An sponsalia inter habentes impedimentum dirimens, cum hac conditione: si Papa dispenset, valida sint?* Suppono 1. quod si impedimentum est de illis, in quibus Papa numquam, aut raró dispensat, sponsalia sunt nulla; quia reputatur ut impossibilis conditio illa, & quasi non adjecta. Suppono 2. nulla esse sponsalia, si contrahentes non habent legitimam causam ad dispensationem, & impedimentum est, de quibus Papa sine causa legitima non dispensat. Si enim causam legitimam non habent, ad dispensationem impetrandam illam fingerent: Et consequenter, utendo illa, mortaliter peccarent. Quare sine peccato non possent adimplere promissum: Et ideó nec sponsalia, nec ullus alius contractus, qui sine peccato impleri non potest, est validus. Unde ex defectu causæ legitimæ, illa dispensatio non prodest, & sponsalia nulla, & irrita essent.

161 Præcipua difficultas est, si impedimentum sit ex illis, in quibus Papa dispensare solet, & in contrahentibus adest legitima causa ad postulandam dispensationem: An, nempe, sponsalia illa cum illa conditione, *si Papa dispenset*, valida sint, & obligatoria ex tunc: adeó ut nec ante, nec post dispensationis consecutionem, possint contrahentes resiliire? Circa quam Sanchez lib. 5. disp. 5. Tres sententias refert. 1. Docet, illa sponsalia nulla esse. Ratio illorum est; quia in Matrimonio, & sponsalibus conditio impossibilis reputatur *quasi non adjecta*: conditio autem, quæ á Principis voluntate pendet, qualis esset illa: *Si Papa dispenset*, reputatur ut impossibilis. Quare, sicut talia sponsalia nulla es-

sent

sent sine tali conditione, eó quod inhabiles sunt contrahentes, ita, & eodem modo remanent, posita tali conditione. 2. Sententia dicit: valida, & obligatoria fore illa sponsalia: tamen uterque contrahentium revocare posset illa, tã ante, quã post dispensationem, si consensum mutuo non ratificant post illius obtentionem. 3. Sententia affirmat, ex tunc valida esse, & obligatoria, adeó ut nec ante, nec post obtentam dispensationem, neuter, *altero invito*, possit retrocedere, nec cum alio contrahere. Hæc mihi est probabilior. Prob. quamvis conditio, á Principis voluntate pendens, impossibilis reputetur, quando Princeps non solet dispensare: quando veró regulariter dispensat, talis conditio reputatur possibilis; sed hoc stante, illa sponsalia valida essent, ex ratione opposita primæ sententiæ: ergo. Maj. patet exemplo: nam pactus conditionatus inter litigantes jus ad aliquod Beneficium, de aliqua compensatione præstanda uni ipsorum, *si Papa dispenset*, juxta omnes est validus, & obligatorius: pactus veró ille, sine tali conditione, esset Simoniacus, & nullus: ergo pariter in sponsalibus.

162 Dub. 4. *An si in casu prædicto non exprimeretur, nec significaretur conditio illa, si dispensaverit Papa, sponsalia essent valida?* Affirmant aliqui, dicentes, quod illa conditio, tamquam posita intelligitur, eó quod sit quasi intrinseca, & implicité inclusa in illo contractu. At tamen resp. negativè. Ratio est; quia omne impedimentum, sive impediens, sive dirimens Matrimonii sponsalia dirimit: sponsalia autem contracta absoluté, & sine conditione, considerari debent in statu absoluto, & de præsentî, secundum, quem sunt *contra bonos mores*: nam abstrahendo á dispensatione, promissum sine peccato impleri non potest. Confirm. exemplo num. ant. de Beneficio. Tum, in institutione filii spurii in

hæredem, quæ institutio absoluté facta, est nulla, & sub conditione, *si Princeps dispenset*, est valida. Advertendum veró, quod si post prædicta sponsalia, quæ sine tali conditione essent nulla, mutuo convenirent in dispensatione impetranda, tunc fierent valida: nam quamvis nulla fuissent, revalidantur per hoc, quod mutuo intendant consequi dispensationem impedimenti. Perseverat enim tunc promissio, & discurrendum est, sicut pro primò casu est resolutum.

163 Ut huic Disput. finem imponamus, aliqua breviter de consuetudinibus in Matrimoniorum celebratione subjungemus. Consueverunt itaque antiqui, tam Ethnici, quam Judæi, & Christiani, nuptiarum capitã tegere velo *flameo*: & ab hoc velamine, eó quod obnuberet mulierum facièti, appellatæ sunt *nuptæ*. Hoc velamen *flameum*, consentientibus S. Paulino, Tertulliano, S. Ambrosio, & Isidoro lib. 2. de Div. Offic. c. 19. virginei pudoris fuit judicium, & in palliolo, seu velamine Rebeccæ apponunt exemplum. Quæ veró virginealem verecundiam exuerant, minime obtegebantur flameo velamine. Hoc veró, sicut & alia similia, jam non sunt in usum. Benè veró utitur Annulus, quem loco arrhæ sponsus dat sponsæ. Hic Annulus *symbolum est fidei conjugalis*, ut PP. & DD. universim docent. Et addit Isidor. cap. eitat. inseri quarto sinistræ digito, eó quod in eo sit quædam vena, vel potius nervulus, usque ad cor perveniens, ut ita clariùs significet, esse *signaculum sinceræ fidei servandæ*. Ulterius *silentii symbolum* agnovit Cæsalius in Annulo: Et S. Clem. Alex. scripsit in illo *uxori domus custodiam committi*. Rectè igitur, ut hæc christiano, et devoto serventur sine, benedicuntur Annulus nuptialis.

DISPU-

DISPUTATIO IV.

DE MATRIMONII IMPEDIMENTIS.

DE impedimentis tam impediens, quam dirimentibus, quæ nunc sunt in usu, in hac Disputatione tractabimus, plura relinquendo ad Theologos Moralistas, quos Casuistas vocamus.

QUÆSTIO I.

Quid, quæ, & qualia sint Matrimonii impedimenta?

164 **D**E impedimentis Matrimonii satis pertractat Subt. Doct. dist. 24. Cum quo, & cum communi Theologorum consensu procedendo, impedimentum quoad præsens, & in communi, est aliquid præexistens matrimoniali contractui positivè, aut negativè illud faciens, aut illicitum, aut nullum; & hoc jure, aut naturali, aut divino, aut humano. Explicatur descriptio. Dicitur aliquid præexistens: nam si superveniat contractui, illum non irritat, sed vel illius usum illicitum reddit, aut vinculum solvit, ut post Matrimonium ratum professio religiosa facit; quia hæc, ut diximus, Matrimonium ratum dissolvit. Dicitur positivè, aut negativè; quia impedimenta alia sunt positiva, ut votum, & crimen: alia negativa, ut impotentia. Dicitur facit illicitum, ut impediens: aut invalidum, ut dirimentia. Dicitur jure naturali, ut sunt impotentia, error, &c. quæ jure naturæ Matrimonium invalidant: vel divino, ut consanguinitas in secundo gradu, quæ, juxta plures, irritat jure divino: vel humano, ut raptus, crimen, &c. quæ ex sola lege Eccle-

siastica dirimunt. Deinde impedimenta alia sunt secundum quid, & purè impediens, quæ, si adsint, illicitè contrahitur; Matrimonium verò esset validum: alia simpliciter, & omninò dirimentia, quæ nec fieri Matrimonium permittunt, nec si fiat, erit validum.

165 Impedimenta igitur Matrimonium impediens antiquo jure fuerunt plura: hodie verò ad quatuor reducuntur. Et sunt Ecclesiæ vetitum, tempus feriarum, sponsalia, & votum. Explicantur. Per Ecclesiæ vetitum, quod idem est, ac interdictum, seu prohibitum significatur omnis prohibitio, qua ob graves causas Ecclesia, aut Episcopus prohibet Matrimonium celebrari à talibus personis, aut in talibus circumstantiis. Sic Trident. prohibet Matrimonium celebrari, quia ter denuntientur sponsi in Ecclesia tribus diebus festis, & in Missa majori, seu Populi: de quo dictum est disput. anteced. num. 127. Et quia finis harum proclamationum est, ut si aliquod impedimentum adsit, Parocho manifestetur: hinc est, quod, qui scit impedimentum, sive solum impediens, sive dirimens; debet illud declarare, quamvis occultum sit, & illud sciat sub secreto naturali. Ratio est; quia hæc denuntiatio non est ad crimen puniendum, sed ad crimen, seu peccatum vitandum. Advertendum verò, quod si impedimentum est

est occultum, & illud scit sub naturali secreto, priusquam denuntiet contrahentem, debet monere illum, ut desistat à Matrimonio. Hoc verò denuntiandi præceptum non obligat cum gravi denuntiantis detrimento.

166 *Tempus feriarum.* Per hoc impedimentum non prohibetur Matrimonium absolutè, sed tantum contrahi cum solemnitate nuptialis benedictionis. Unde *tempus feriatum est ab Adventu, usque in diem Epiphaniæ inclusivè; & à feria quarta Cinerum, usque in octavam Paschatis inclusivè.* Tempore hoc Ecclesia vetat, nuptias celebrari cum pompa, & solemnitate: ideòque potius prohibentur solemnitates, & aliquæ nuptiarum circumstantiæ, quam ipsæ nuptiæ, quæ saltem de licentia Episcopi, & ex rationabili causa possunt fieri, modò fiant sine externa sæculari solemnitate. Est enim mens Ecclesiæ, ut fideles illis temporibus orationibus, & poenitentiae intenti, à voluptatibus absterneant, quantum fieri potest. Aitque S. Thom. in 4. dist. 32. quæst. unic. *Ipsa nuptiarum novitas ad voluptatum curam animos occupat, illosque vana lætitia dissolvit.*

Sponsalia, seu promissio valida nubendi cum determinata persona, impedit alia posteriora esse valida. Non enim potest quis aliam ducere, stantibus primis sponsalibus, sine peccato gravi contra justitiam, & fidelitatem, & si fuerunt cum juramento, contra Religionem, nisi causa legitima excuset, aut adsit motivum sponsalia illa dissolvendi.

167 *Votum simplex*, aut juramentum castitatis, aut Religionis, aut sacrorum Ordinum, aut non nubendi. Omnes enim isti prohibentur nubere: & si nubant sine dispensatione, peccant graviter, & sacrilegè tum contra votum: Tum; quia indispositè recipiunt Sacramentum. Unde committit duplex grave peccatum. Quidam distinguunt inter sic voventes, quod qui vovent castitatem, aut religionem, si nubant, non possunt pe-

Tom. II.

tere debitum conjugale: bene verò, qui vovent sacros suscipere ordines, vel non nubere. Ratio illorum est; quia isti non videntur vovisse, nisi ab actu contrahendi Matrimonium se abstinere, vel Sacrum Ordinem suscipere. Hoc autem voto facto, non possunt amplius implere illud, & solum jam deinde tenentur ad poenitendum: bene verò possunt adimplere votum, qui promiserunt castitatem; quia bene possunt ingredi Religionem. Alii verò sentiunt in illis votis contineri abstinentiam à copula carnali, non minùs quàm in voto castitatis, & religionis. Quidquid sit de hoc, certum est, quod mortua conjugate, tenentur vota implere, nisi dispensentur ab illis votis: nam tunc reddit ad primum statum, in quo vovit.

168 *Quæres: An Ecclesia, & sæculares Principes potestatem habeant statuendi impedimenta Matrimonii?* Cum contractus conjugalis mixtus sit, aliquid spirituale, & aliquid politicum, ac civile continens: primumque ad Ecclesiam pertineat, & alterum ad Principes, oritur difficultas, & satis gravis: an Ecclesia possit impedimenta Matrimonii per se statuere: non verò possint Principes sæculares? An soli Principes, & non Ecclesia, talem habeant potestatem? An denique possint, tam Ecclesia, quam Principes? Variè erga illam resolvunt Doctores: nam alii Ecclesiæ totam, & Principibus nullam, in Matrimonia concedunt auctoritatem. Alii & Principibus, & Ecclesiæ illam concedunt; Ecclesiæ sub conceptu Sacramenti, & Principibus sub conceptu contractus civilis. Sunt etiam aliqui, qui totam auctoritatem sic Principibus tribuunt, ut nullam Ecclesiæ relinquunt. Huic Novatorum errorì imprudenter, ne aliud dicam, favet Laynoius lib. de regia in Matrimonium potestate, ubi docet, auctoritatem statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia, ad solos sæculares Principes jure proprio sic pertinere,

Rrr

nere,

nere, ut nullo modo Ecclesia jus illud exercere possit. Et, quod ridiculum omnino est, novo figmento, & erroneo suadere contendit in illo Canone Trident. quo definitum est, posse Ecclesiam statuere impedimenta Matrimonium dirimentia, nomine Ecclesiae, intelligi debere Principes, quorum dumtaxat autoritate illa utitur, ut nonnulla impedimenta statuat. Resolvendo difficultatem, juxta id, quod est in re.

169 Dico 1. *Ecclesia habet potestatem legitimam instituendi aliqua impedimenta, etiam Matrimonium dirimentia.* Est de fide, & constat 1. ex dictis supra num. 123. Constat 2. ex Subt. Doct. dist. 24. dicente: *Ecclesiam habere potestatem aliquas illegitimandi personas.* 3. ex perpetua Ecclesiae praxi, quae ob talia impedimenta, plurima irritavit Matrimonia, ut suis legibus contraria. Sic fecit Syricius, circa an. 385. Et impedimentum affinitatis in primo gradu jam erat impedimentum dirimens, ante an. 314. non autem fuit in lege naturae, vel Mosaycae: nam Jacob duxit duas sorores. Similiter Religionis votum impediēbat, ante an. 450. Et libri Decretalium pleni sunt similibus Pontificum decretis, quibus Matrimonia irritantur, inita cum variis impedimentis: ergo perpetuo, & ab initio, Ecclesia legitimè statuit impedimenta dirimentia Matrimonii. Confirm. 1. Tum; Principes saeculares semper existimarunt, jus istud principaliter ad Ecclesiam pertinere, & ipsi hoc ipso confirmarunt legibus suis, ut sacrorum Canonum executores. Unde in Capitularibus Caroli Magni sic legitur: *De reliquis verò propinquis, juxta statuta SS. PP. & Canonum decreta, judicetur.* Et Pallavicinus in Hist. Concil. Trident. narrat, quod decretum de impedimento clandestinitatis datum est praecipue ad instantiam oratorum Regis Galliae. Confirm. 2. quia ex libris decretorum constat, quod ab initio Ecclesiae, & undecumque, ad illam

recurritur in quaestionibus, & causis matrimonialibus, sive pro decisione, sive pro dispensatione impedimentorum.

170 Dico 2. *Principes temporales statuere possunt impedimenta dirimentia Matrimonii, in quantum est contractus politicus, & civilis.* Prob. tum ex usu Principum, qui semper sua autoritate usi sunt in inferendis legibus, ac statuendis impedimentis, quibus certis in casibus irritarentur: ergo habent talem potestatem. Quis enim dicat, eam usurpasse? Nemo sanæ mentis. Et praesertim cum Ecclesia de illa usurpatione conquesta non fuerit: quin potius eam potestatem SS. PP. & Pontifices, commendaverint, & Ecclesia illis legibus se conformat in Canonibus suis. Ideo Leo Mag. prohibet Matrimonia servorum, invito domino: *quia legibus Imperatorum irritantur.* Et Nicol. I. circa gradus consanguinitatis se remittit ad leges civiles, dicens: *Quidquid leges hic sanciunt, jam meminimus: ergo Ecclesia apud Principes agnoscit jus impedimenta statuendi.* Tum: Contractus conjugalis, apud Christianos, includit civilem contractum, simul ac verum Sacramentum; sed negari non potest Principibus jus statuendi conditiones, quibus validi, vel invalidi sint contractus civiles: tamen dumtaxat relativè ad effectus civiles, ac politicos illius: ergo. Unde S. Thom. in 4. dist. 34. quaest. 1. artic. 2. inquit: „ Matrimonium, in „ quantum est officium naturae, statuitur jure naturae: in quantum est „ in officium communitatis, statuitur „ jure civili: in quantum est Sacramentum, statuitur jure divino. Et „ ideo ex qualibet dictarum legum, „ naturae, humanae, & divinae, potest „ persona effici ad Matrimonium illegitima.

171 Arg. contra 1. part. Tum: Matrimonium est contractus civilis, aut saltem illud, uti fundamentum, supponit; sed ad solos saeculares pertinet statuere de contractu civili; nec ad

ad temporalia, & politica, se extendit potestas Ecclesiae: ergo unice pertinet ad Principes saeculares. Tum: Principes Christiani non recipiunt illa impedimenta, ut statuta ab Ecclesia, sed ipsi eadem statuerunt suis legibus: ergo judicant ad tribunal civile, & temporale spectare illud jus. Prob. conseq. aliàs suis legibus jura Ecclesiae usurpassent, & hoc Ecclesia non dissimulasset: nam *error, qui non resistitur, approbatur.* Resp. 1. disting. maj. Est contractus civilis, & simul verum Sacramentum, concedo: Contractus purè civilis, nego. Ecclesia nihil intendit facere in contractum civilem, præcise quatenus civilis est, & ordinatus ad effectus purè temporales: sed solum illum attingit, quatenus est materia Sacramenti Matrimonii, & ad illud ordinatur, non curando de aliis, quæ civilem tantum politiam, & effectus purè temporales spectant. Resp. 2. est purè civilis materialitèr, & remotè, concedo: formalitèr, & proximè, neg. maj. & conseq. Contractus itaque ille inter fideles ordinatur, & elevatur à Christo ad rationem Sacramenti. Cum autem quoad hoc sit quid sacrum, & spirituale, necessario cadit sub directionem Ecclesiae. Ad 2. neg. ant. nam Principes Ecclesiae statuta inserunt suis legibus, ut ad eorum observantiam urgeant subditos: Et id quidem faciunt, ut protectores, & executores Canonum: Et Ecclesia blandiri debet, non resistere, huic patrocinio. Unde Principes ipsi ad Ecclesiam confugerunt sepius, ut impedimentum, quod ipsi pro sua autoritate constituerant, approbaret, & ut ab illo dispensationem obtinerent.

172 Arg. contra 2. part. Si Princeps saecularis posset contractum civilem Matrimonii irritum facere, consequenter posset Sacramentum irritare: nam contractus civilis est materia Sacramenti Matrimonii; sed hoc non potest Princeps saecularis: aliàs autoritatem suam, saltem indirectè,

Tom. II.

exerceret in res Ecclesiae, & spirituales: ergo. Nego. min. nam Princeps saecularis, dum aliquas conditiones statuit necessarias ad valorem contractus conjugalis, unice operatur in contractum sub ratione civilis, & prout attinet ad effectus civiles, quin in illum tendat sub ratione Sacramenti, nec se immisceat in rebus Sacramentalibus, & sacris. Unde annullando contractum, potest dici, nedum directè, sed nec indirectè aliquid in Sacramento facere: modo quo, qui ex vino, qui est materia Eucharistiae, acetum facit, nihil potest, nec facit in Eucharistiam, etiam indirectè: sic, qui ex contractu, aliàs valido, adjectis conditionibus, invalidum facit, nihil in Sacramentum Matrimonii, potest. Hoc à fortiori est verum de Principibus infidelium; eò quod apud eos hic contractus non ordinetur ad Sacramentum, sed sit purè naturalis, civilis, & humanus.

QUÆSTIO II.

De impedimentis Matrimonium dirimentibus.

173 **I**mpedimenta dirimentia, seu quæ Matrimonium irritant, jure antiquo fuerunt duodecim, quibus alia duo jure novo Concilii Tridentini addita fuerunt, nempe, *clandestinitas, & raptus.* Unde hodie impedimenta Matrimonii dirimentiya sunt 14. His adjungi solet *amentia*, & cum hoc sunt 15. Et meritò adjungitur; quia dementia est grave impedimentum cujuscumque contractus. Sub amentibus illi comprehenduntur, qui liberum rationis usum non habent, quales sunt *furiosi, imbecilles, &c.* Omnes isti ad Matrimonium, quod multum requirit libertatis, inhabiles sunt jure naturali. Amentes verò, qui lucida rationis intervalla habent, si his durantibus contrahant, validè contrahunt; quia tunc sufficiens con-

Rrr 2

sen-

sensus adest. Idem est dicendum de his, qui debile habent ingenium, sed non eo usque, ut ratio, ac libertas perimatur. At verò, si fieri potest, hujusmodi homines avertendi sunt à nuptiis: Tum; ob funestos plures effectus ex illis causis provenientes: Tum; quia scopus Matrimonii est attentata proles educatio, quæ vix, aut ne vix, ab hominibus in eo misero statu constitutis, expectari potest. Si tamen familia apud Parochum instaret, ut tales personas conjungat, Episcopum prius ille consulere debet, ne se incommodis gravibus exponat. Nunc autem prædicta 14. impedimentasequentibus verbis exprimi solent.

Error, Conditio, votum, Cognatio, Crimen.

Cultas disparitas, vis, Ordo, Ligamen, Honestas.

Si sit affinis, si forte coire nequibus. Si Parochi, & duplci desit presentia testis.

Rapta ve sit mulier, nec parti redita tutæ.

Hæc faciendæ vetant Connubia, facta retractant.

Hæc posteriora verba significant, impedimenta dirimentia, non solum facere Matrimonium illicitum, sed illud reddere irritum, & nullum: atque adeò si contractum sit cum aliquo ex prædictis impedimentis, contrahentes separari debent, usque dum consequantur dispensationem, si sit ex illis, in quibus dispensari potest; quia Matrimonium illud nullius fuit valoris. Nunc suo ordine de unoquoque agendum est in particulari.

De impedimento erroris, & conditionis.

174 Error, quoad præsens, est duplex 1. circa substantiam personæ, quo una persona sumitur pro alia. 2. circa qualitatem personæ, ut si pro libera tradatur serva, aut pro vir-

gine vidua, aut pro divite pauper. Rursus error alius est *antecedens*, qui est causa contractus, ita ut non contraheret, si non haberet illum errorem. Alius est tantum *concomitans*, qui quidem inest, dum contrahitur, sed non est causa contractus: Hoc est, contractus fieret, etiamsi error non esset. v. g. Si Jacob sic dispositus fuisset, ut non minus Lyam duxisset, si scivisset, eam sibi apponi pro Rachele. Et notandum, quòd ut error Matrimonium dirimat, nihil interest, an sit invincibilis; an vincibilis? An procedat ab ipso contrahente, an ab alio, qui eum decipiat? An errore secluso, adhuc esset contracturus, an non? Nam in his hypothesibus semper est verum, eum, qui errat circa personam, re ipsa non consentire in eam, quæ sibi proponitur, etsi fortè libentiùs conjungeretur ei, quàm cui existimat se conjungi. Si tamen quis ita actu affectus esset, ut vellet contrahere cum persona præsentem, quæcumque illa sit, Matrimonium valeret; quia tunc adesset consensus sufficiens.

175 Dico 1. *Error circa substantiam personæ, est impedimentum dirimens.* Et pariter *Error conditionis, seu circa qualitatem servitutis: Est communis quoad utramque partem, & docetur à Subt. Doct. dist. 30. quæst. 1. Prob. quoad 1. Tum: Matrimonium essentialiter est consensus duorum; sed in errore personæ non est talis consensus: nam qui errat, non consentit: ergo. Unde Innoc. III. cap. Tua nos, de tali errore dicit: *Deest omnino consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale.* Tum: si quis venderet mihi auricalcum pro vero auro, non valeret venditio: ergo pariter, ait Scotus cum Graciano: „ nam sicut error materiæ consensum excludit, „ ita in Matrimonio excludit consensum error personæ. *Prob. 2. pars. 1. ex Innoc. III. cap. Ad nostram, sic decernente: Si constiterit, quòd miles ignoranter contraxit cum an-**

„ ci-

„ cilla, ita quòd, postquam intellexit conditionem ipsius, nec verò, nec factò consenserit in eamdem ... contrahendi cum alia, liberam ipsi concedas libertatem. „ *Et Alex. III. cap. Proposuit dicit: Error personæ consensum non admittit.* „ *Prob. 2. in omni jure error invalidat contractum; in quo conditio unius notabiliter fit deterior: huic namque fit injuria notabilis, & censetur non consentire; sed in tali conjugio fit notabilis injuria personæ liberæ, & ejus conditio deterior fit notabiliter, tum ratione vilitatis, tum ex aliis gravibus incommodis: ergo.*

176 Dico 2. *Error circa alias qualitates magis accidentales, non dirimit Matrimonium.* Intellige, si quis existimaret, mulierem esse magis pulchram, magis divitem, aut magis nobilem. *Prob. 1. ex Graciano 29. q. 1. dicente: „ Error fortunæ, & qualitatis non excludit consensum. Quæ nubit pauperi, putans esse divitem, non potest renuntiare priori conditioni, quamvis erraverit. Sicut qui emit agrum, aut vineam, quam putabat esse uberrimam, quamvis erraret in qualitate rerum, rem minus fertilem emendo, non potest venditionem rescindere. Similiter, qui ducit uxorem corruptam, quam putabat esse castam, vel virginem, non potest eam dimittere, & aliam ducere: „ ergo error circa tales qualitates non dirimit. *Prob. 2. Si tales errores Matrimonia irritarent, vix unquam ullum valeret; sed consequens est absurdum: ergo. Maj. patet; quia vix ullum est Matrimonium, in quo nubentes non putent, ac desiderent meliores qualitates, & conditiones, quàm quæ adsunt in sponsis. Unde si propter hunc errorem invalidaretur Matrimonium, perturbarentur familiæ, & societates fidelium: nam quilibet posset dicere, se fuisse deceptum. Denique: Error circa illas qualitates non impedit ve-**

ritatem Matrimonii quoad substantiam, sed solum quoad circumstantias accidentales, quæ non redundant in ipsammet personam; sed in tali casu adest consensus circa substantiale, & contractus tenet circa illa: ergo validum est Matrimonium.

177 Dices contra 1, *Conclus. Matrimonium Jacob cum Lia validum fuit: aliàs copula cum illa fornicaria fuisset, quod de SS. Patriarcha dici non debet; sed hoc fuit cum errore, saltem comittante: nam constat, quòd Jacob non cogitaverat, nisi de Rachel, pro qua servierat 7. annis: ergo error circa personam non dirimit. 2. Multa alia facta ex errore valida sunt: ergo & Matrimonium, præsertim consummatum. *Prob. ant. Ipse Jacob subripuerat benedictionem primogenituræ, fingens, se esse Esau; sed non obstante errore, tenuit benedictio Isaac Patris sui: ergo. Resp. ad 1. dist. maj. validum fuit ex consensu sequenti, conc. ex consensu antecedenti, vel comitanti, nego maj. & conseq. Itaque Jacob, detecto errore, & fraude, quòd non suspicaverat, consentit in Liam, quam dimittere noluit, audita ratione Labani, dicentis, primogenitam debuisse prius collocari. Unde retenta Lia, cum qua ex ignorantia non peccaverat, voluit adhuc Rachelem, pro qua servivit aliis 7. annis. At verò posuit consensum, ante quem cum Lia non erat Matrimonium. Ad 2. neg. antec. & disting. illius prob. tenuit ex ratificatione sequenti, conced. ex actu antecedenti, neg. Inquit Doct. Subt. Sentiens Isaac se deceptum, admirans expavit, id est, raptus in extasim, in qua novit, benedictionem illam Deum approbare. Unde rediens ab extasi, dixit: *Benedixi, et idque benedictus.***

178 Arg. contra secundam conclusionem. Error circa personam, & etiam circa conditionem servilem, dirimit: ergo & circa qualitates, præsertim, quæ sunt magni momenti, ut si contraheret, putans cum errore esse

piam,

piam, nobilem, divitem, castam, & inveniret esse impiam, ignobilem, pauperem, luxuriosam. Isti enim defectus sunt gravissimi, & maxime nocent bonis Matrimonii: erg. Resp. neg. consequent. Jam diximus, quare error circa personam dirimit, & etiam circa conditionem servilem, de qua redibit sermo. Non est ita in errore circa prædictas qualitates, quæ non afficiunt substantiam Matrimonii, & ideo non reputatur error substantialis. Si vero vir talem conditionem exprimeret, dicens, se nolle consentire, nisi in virginem, nobilem &c. tunc consensus nullus esset: sed in tali casu non admitteretur reclamatio in foro externo, quin probaret nullitatem consensus, & contractus. Non tamen permittitur, tales conditiones apponi, ob innumera, & gravissima inconvenientia, quæ sequerentur inde.

179 Pro hac materia satis difficili advertendum est 1. quod error qualitatis aliquando transit in errorem personæ: ut si quis intendens contrahere cum filia Præsidis, contrahit cum ea, quæ se filiam illius esse finxit. Tunc enim verus consensus deficeret. Aliquando verò non afficit substantiam personæ, sed merè est error accidentalis. Sic qui aliquam personam absolutè ducere voluit, si decipiatur, existimando, eam esse primogenitam, nobilem, &c. validè cum ea contraheret; quia error non versatur circa personam, sed circa accidentia. Id verum est, etiamsi contrahere nollet, si personam hanc ignobilem esse cognosceret. Hoc nixi principio, Theologi Sorbonicæ definierunt, Matrimonium valere in sequenti casu. Quidam vagus, elegantis forma, cultiori vestitu &c. jactabat, se oriundum ex illustri familia, & eo titulo frequens erat in domo viri nobilis, cui erat filia jam nubilis. Utrique placuit advena, & ei nuptias sponderunt, si probaret genus suum. Protulit ille testimonia ficta, & nuptiæ celebratæ sunt. Com-

perta postmodum hujus hominis fallacia, quæsitum est: *An tale Matrimonium valeret?* Asserere DD. prædicti; quia deceptio tota fuit circa qualitates, & nullam circa personam, puellæ cognitam, & in quam consentit ipsa, licet, secluso dolo, minimè consensura. Alii sentiunt, talem errorem redundare in substantiam personæ. Hinc animadvertendum est, eos, qui virorum, vel puellarum genus, fortunam, præclaras animi, & ingenii dotes, exaggerant mendaciter, graviter peccare, & juxta plures, ad restituendum teneri.

180 Advertendam est 2. pro conditione servili, hæc intelligi de illis servis, in quos Dominus plenam habet libertatem, adeo ut, eos, tamquam rem suam vendere possit, locare aliis, & transmittere, quò voluerit. Isti mancipia vocantur, & hæc sola servitus est, quæ Matrimonium dirimit, altero conjuge ignorante: nam si non ignoret, eo ipso, quod contrahat, videtur consentire, & Matrimonium validum erit. At verò, si voluerit servus, vel serva nubere cum serva, vel servo, cognita tali conditione, contractus validus erit, etiamsi sit contra voluntatem sui domini: nam iste dominium super servum adeo totale non habet, ut extendatur super illius corpus *ad usum veneris*. Hoc enim dominium remanet in servis ad se mutuò tradere per Matrimonium: eò quod sit contractus, & Sacramentum omni homini, & mulieri, si velint contrahere, institutum, dummodo non habeant impedimentum, quale domini repugnantia non est: nec iste potest eis impedire, quod contrahant, nec quod Matrimonio utantur.

De impedimento voti.

181 *Votum*, de quo in præsentibus, non est votum simplex, quod tantum Matrimonium impedit, ut cap. 6. *Qui Clerici*, definit Cælest. III. sed votum *solemne*, quod est conse-

cratio divino cultui, cum præscriptis solemnitatibus facta, & nomine ipsius Dei acceptata ab Ecclesia. Hoc votum tantum fit in susceptione Ordinis sacri, & professione Religionis ab Ecclesia approbatæ. Per hoc votum constituitur vovens immobiliter in illo statu, & istud est impedimentum dirimens Matrimonii, ut Trid. sess. 24. can. 9. definit sic: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica: anathema sit.* Hoc impedimentum non esse jure naturæ, sed tantum lege Ecclesiastica; atque in voto solemniter posse Ecclesiam dispensare, sentiunt communiter Theologi, aliquibus id negantibus acriter. Et patet: Tum ex sæpius dictis, & præsertim Tract. 8. *de Sacram. Ordinis*, disp. 3. quæst. 3. Tum: quia Ecclesia non semel in votis solemnibus dispensavit, ut compertum est cum Casimiro, qui ex Diacono Cluniacensi evasit, ut fieret Rex Poloniæ, & ita in aliquibus aliis; sed durum, ac temerarium videtur improbare præxim Ecclesiæ, quæ maturo consilio operatur: ergo votum solum dirimit jure Ecclesiastico. Nec obest, quod objiciunt aliqui: quod uni donatum est, de jure naturæ non potest alteri donari; sed per votum solemne castitatis, vovens donavit Deo corpus suum ad perpetuam castitatem: ergo ex eodem jure non potest donare dominium ejusdem corporis ad usum Matrimonii. Hæc enim ratio manifestam habet instantiam contra illos, qui tenent, Matrimonium non dirimi per votum simplex castitatis; sed per istud non minus fit Deo donatio corporis, quam per solemne: ergo illorum ratio est inutilis. Statergo differentia voti simplicis, & solemniter, in eo præcise, aut principaliter, quod ex statuto Ecclesiæ, vovens solemniter, specialiter se subjicit Ecclesiæ, ac Religioni, in ordi-

ne ad executionem eorum, quæ promittit: & ideo Ecclesia utens jure illo, impedit, ne unquam possit validè contrahere; & hoc, ut satisfaciat Deo, cui se dedit per votum illud. Hæc autem non adsunt in voto simplici, seu privato, quod nec Ecclesia, nec Religio acceptat nomine, & vice Dei, sicut acceptat solemne; nec vovens se subjicit per illud, sicut per istud Ecclesiæ, & Religionis legibus. Sequitur ex dictis, quod ratio, cur votum simplex Matrimonium tantum impediatur, & solemne dirimat, non est repetenda aliunde, quam ex statuto, & determinatione Ecclesiæ, quæ ita voluit, ut docet Subt. Doct. dist. 28. refutans, ut invalidas, rationes, quas Richardus affert.

De cognatione, Matrimonium dirimente.

182 *Cognatio* illa est, ratione cuius duæ personæ invicem conjunctæ sunt. Et est triplex, nempe, *carnalis*, seu naturalis, quæ derivatur per carnalem generationem: *spiritualis*, quæ habetur per regenerationem in Baptismate, & in Sacramento Confirmationis: & *legalis*, quæ fit per adoptionem, juxta legum præscripta, & *adoptio nuncupatur*. Unde cognatio *carnalis*, & naturalis, seu *consanguinitatis*, quæ est, *quasi sanguinis unitas*, definitur sic: *est vinculum personarum, quarum una descendit ab alia, vel ambæ ad eadem, tamquam à communi, ac proprio stipite, per carnalem generationem.* Explicatur. Dicitur *vinculum*, id est, mutua animorum conjunctio, & amor, fundatus in communicatione ejusdem sanguinis: quæ communicatio radix est naturalis, & incentivum amicitiae, ut inquit S. August. lib. 12. de Civit. cap. 21. Dicitur *personarum, quarum una descendit ab alia*, ut filius, & filia à Patre. Dicitur, *vel ambæ descendunt ab eadem eodem*, sicut frater, & soror ab eodem Pa-

Patre. Dicitur, *tamquam à communi stipite*; quia sicut in arbore truncus, seu stipes est id, in quo rami coadunantur, ita etiam in consanguinitate persona, à qua filii, nepotes, & alii profluunt, est veluti stipes, in quo unum censentur hi omnes. Dicitur, *ac propinquo*; quia in consanguinitate, prout Matrimonium dirimit, non attenditur ratio remota *stipitis*: aliás omnes essent consanguinei, cum ab Adamo descendant omnes. Itaque quidquid est ultra quartum gradum, jam non consideratur. Dicitur, *per carnalem generationem*. Quare illi, qui ab eodem stipite illicité procreantur, quia veré eundem sanguinem ab ipso exhauriunt, veré quoque pro cognatis habentur. In iure civili, qui descendunt à Patre, vocantur *agnati*, & qui à matre, *cognati*. Jus veró Canonicum utrosque exprimit nomine cognatorum.

183 Ut autem intelligatur, quando consanguinitas dirimat Matrimonium, tria in ea discernuntur, & considerantur, *stipes, linea, & gradus*. Stipes est solus pater, solave mater, cum filii nati sunt à diversis nubibus: Vel pater, & Mater conjunctim: nam cum vir, & uxor sint una caro, unum eundemque stipitem constituunt. *Linea est ordinata collectio, seu series personarum, ab eodem stipite descenditium*: metaphora ducta à linea, quæ ducta à centro, & eodem puncto, ad circumferentiam protrahitur. Linea alia est *recta*, & alia *collateralis*, vel *transversa*. Linea recta est ordo personarum, quarum una genita est ab alia, vel immediatè, ut filius à patre, vel mediatè, ut nepos ab avo. Deinde linea recta alia est *ascendentium*, ut cum progredimur à genitis ad genitores, inquirendo eorum stipitem, scilicet, patrem, avum, proavum, abavum. Alia *descendentium*, ut cum à genitoribus regredimur ad genitos, nempe, à patre ad filium, nepotem pronepotem, & abnepotem. Linea

collateralis, seu transversalis, aut indirecta, est series personarum, quæ descendunt ab uno communi stipite, sed non descendunt à se invicem: Sic duo fratres sunt ab eodem patre; & duo consobrini ab eodem avo, nec tamen à se invicem descendunt. Ulterius linea hæc, vel est *æqualis*, ut cum illi, quorum cognatio inquiretur, æqualiter distant à communi stipite, ut duo fratres: vel *inæqualis*, quæ etiam dicitur *mista*, cum alter consanguineorum magis, alter minus, distat à stipite communi, ut frater, & filius fratris. *Gradus* est distantia consanguineorum, tum à se invicem, tum à communi stipite: metaphora desumpta à scala, qua ascenditur, & descenditur.

184 Ut autem computentur gradus consanguinitatis, tres assignantur regulæ, quarum prima ad lineam rectam spectat, & duæ posteriores ad lineam collateralem. Illas assignat Subt. Doct. diist. 40. num. 3. quibus regulis utuntur cæteri Theologi, & Canonistæ, ut dignoscatur, quænam personæ possint cum aliis Matrimonium inire. Regula 1. In linea recta ascendentium, & descendentium, tot sunt gradus, quot sunt personæ ex uno stipite descendentes, dempto ipso stipite, à quo persona illæ procedunt immediatè, vel mediatè. Sic pater, & filius sunt quidem duæ personæ, sed sunt in primo gradu; quia pater, qui est stipes, non numeratur. Unde filius est in 1. gradu; nepos in 2. pronepos in 3. & abnepos in 4. Idem est de fratre, & sorore, seu de pluribus fratribus: Omnes enim in primo gradu sunt; non plus distant à stipite, seu patre. 2. Regula *pro linea transversa hæc est*: Personæ tot gradibus distant ab invicem, quod gradibus distant à communi stipite. Sic duo fratres uno solùm gradu à se invicem distant, quia uno solùm gradu distant à communi stipite. Sic quoque filius unius fratris, quia duobus gradibus distat à stipite communi, duobus

bus etiam gradibus distat à filiis alterius fratris. Ratio est; quia stipes communis est tota ratio unionis, tam fratrum, quàm eorum, qui originem trahunt à fratribus: ergo isti nec plus, nec minus possunt à se invicem distare, quàm à communi stipite. Regula 3. *in linea collateralis inæqualis* hæc est: Consanguinei tot gradibus inter se distant, quot distat ille eorum, qui remotior est à communi stipite. Sic si Petrus habeat filios Joannem, & Antonium; Antonius veró habeat filium Barnabam, & Barnabas filium Petrum; tunc Petrus tribus gradibus distat à Joanne; quia totidem gradibus distat ab avo suo, stipite totius hujus consanguinitatis. Et advertendum, quod jus civile aliter computat gradus in linea collateralis: nam tot gradus numerat, quot sunt personæ à stipite descendentes, dempto stipite. Unde secundum Juristas, duo fratres, licet sint in 1. gradu respectivè ad comunem parentem, sunt in 2. relativè ad se; quia sunt duæ personæ, quæ singulæ suum constituunt gradum. Unde quinque fratres, quinque gradus constituunt. At veró in materia Matrimoniali tam in iure civili, quàm Ecclesiastico servari debent prædictæ regulæ: nam in iure Canonico centum fratres non faciunt, nisi unum gradum; quia ab eodem patre uno gradu distant tantum. Ex quibus.

185 Dico 1. Matrimonium consanguineorum in linea recta ascendentium, & descendentium, in quolibet gradu jure naturali est nullum. Ita Subt. Doct. loc. cit. dicens: Si Adam hodie viveret, non posset ducere aliquam uxorem. Hæc est communissima sententia Theologorum, & Canonistarum; quamvis Sanchez, & Sylvius teneant oppositum, existimantes infidelem, qui aviam duxisset, separandum non esse ab ea, si convertatur ad fidem. Fundantur in eo, quod Innocent. III. cap. *Gaudemus de di-*

Tom. II.

vort. dicit: Infideles conversos, & conjunctos in gradibus prohibitis non debere separari; quia, per Sacramentum Baptismi conjugia non solvuntur, sed peccata dimittuntur: alioquin averterentur ab amplectenda fide, ne cogerebantur separari, dimittendo uxores: ergo manerent nupti. Falluntur veró, quia Pontifex solùm loquitur de gradibus ab Ecclesia prohibitis, quales sunt in lineis collateralis, et transversa: non veró loquitur de Matrimoniis contractis in gradibus prohibitis à natura.

186 Prob. resolutio 1. ex respons. Nicolai I. ad consulta Bulgarorum, ubi sic dicit: *Inter personas, quæ parentum, liberorumque locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt: veluti inter Patrem, & filiam; vel avum, & nepotem, & usque in infinitum*: ergo si in infinitum contrahi non possunt, talia Matrimonia, jure naturali nulla sunt in quocumque gradu. Patet; quia jus Ecclesiasticum solùm irritat usque ad 4. gradum. Prob. 2. ex Scoto, S. Boveat. et aliis, qui ad hoc probandum, his scripturæ verbis utuntur: *Relinquet homo patrem, & matrem, nempe, quantum ad copulam carnalem: ergo lex naturæ borret tale conjugium, & ab eo excipit duas illas personas*. Videlicet, ait Seraph. Doct. Vinculum consanguinitatis, quod est stipitis ad prolem, impedit, propter dictam naturæ. Et Scotus ex Philosopho dixit, quod ipsa bruta abhorrent à copula cum matribus suis, offerens exemplum de Equo, et Elephantæ. Prob. 3. ex horrore omnium gentium, quantumvis barbararum. Legitur enim de filio Semiramidis, quod sollicitatus ad concubitum ab impudicissima matre, ex horrore eam occidit. Non ergo hoc venit ex aliqua positiva lege, sed purè ex naturali. Prob. etiam ex gradibus inferioribus in eadem linea: etenim per se notum est, quod reverentia nepotum in avos, et atavos facit, ut ratio naturalis concubitum inter illos hor-

Sss

res-

rescat. Nec alius amor vigere potest inter illos, quàm reverentialis; quæ reverentia, et subjectio naturalis per conjugium auferretur; quia cum iisdem fierent una caro. Igitur à natura venit talis prohibitio.

187 Dico 2. *Probabilius est, Matrimonium jure naturæ prohibitum esse in linea transversali, ad minus inter fratres, & sorores.* Oppositum tenent aliqui cum Tournelyano, eò quòd, Matrimonium fratris cum sorore permissum sit initio mundi, ex quo infert 1. credibile non esse, Deum sic genus humanum instituisse, ut primi homines statim coacti fuerint ipsas naturæ leges violare. Consequenter infert 2. Solum dirimi tale Matrimonium jure positivo. Hoc verò fundamentum valde debile est: quia polygamia prohibita est, etiam juxta ipsum, jure naturæ; et tamen dispensatum est à Deo cum aliquibus ob necessitatem propagationis humanæ, ut num. 110. demonstratum manet. Prob. de fratribus, et sororibus: filii Adæ nupsērunt cum sororibus suis ex necessitate, & propter aliarum foeminarum inopiam; sed hic casus non probat non esse prohibitum jure naturæ, sicut polygamia, aliquibus concessa, non probat, naturali lege non esse prohibitam: & aliunde extra hunc casum, non legitur fratres nupsisse cum sororibus, nequidem apud Barbaros: ergo ideo est, quia hoc est prohibitum lege naturæ, seu ex ipso lumine rationis naturalis. Prob. 2. ex cap. *Gaudeamus*, ubi Pontifex decernit, quòd si duo infideles conjugati convertuntur ad fidem, non separentur, si sint consanguinei in secundo gradu: ergo separari debent, si essent in primo gradu: ergo quia in illo, adhuc in infidelitate, nullum esset Matrimonium: ergo quia naturali lege est prohibitum.

188 Dico 3. *Consanguinitas in linea transversali dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum, jure Ecclesiastico.* Certum est 1. quòd in le-

ge Moysi erat prohibitio quantum ad quosdam ultiores gradus, ut patet ex Lev. 18. Certum est 2. quòd in lege Evangelica aliquando fuit prohibitio usque ad septimum gradum. In Concilio enim Meldensi, cap. de *affinitate*, dicitur: *De affinitate consanguinitatis per gradus cognationis, placuit usque ad septimam generationem observare.* Idem habetur Concil. Aurelian. cap. de *Sanguinitate*: & Concil. Lugdun. cap. *Nulli*. Hanc prohibitionem ipsa Ecclesia reformavit: nam Concil. Lateran. IV. cap. *Non debet*, decernit: *quòd prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis, & affinitatis gradum, de cætero non excedat.* Quòd autem Ecclesia rectè decreverit, posse Matrimonium legitimè contrahi intra pauciores gradus, quàm qui prescribuntur in Levitico, definit Trident. sess. 24. Can. 3. sic: „Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, & dirimant, anathema sit.“ Unde leges Levitici non obstant; quia abrogatæ sunt unæ cum Lege Mosayca: atque adeò potest Ecclesia permittere quædam per eas prohibita, sicut & potest prohibere quædam per eas permissa. Rationes plures congruentiales hujus Ecclesiæ determinationis affert Seraphic. Doctor dist. 40. quæstio. 3. Ex dictis demonstrata est resolutio satis.

189 Recolendum verò est, quòd non obstante doctrina, quæ, ut verior, manet stabilita, plures DD. docent, consanguinitatem, etiam per lineam rectam, solum dirimere jure naturæ usque ad quartum gradum: & juxta alios usque ad 7. Et pariter non obstare, quòd Cain suam duxerit sororem in uxorem: nec Abraham duxerit Saram, quæ erat soror sua, ut

ut dicitur Genes. cap. 20. *Verè soror mea est filia patris mei, & non filia matris meæ*, dixit ipse Abraham. Hoc itaque non obstat, ut consanguinitas in primo gradu in linea transversali dirimat *jure naturæ*. Tum; quia in Cain illud fuit necessarium, eò quòd tunc non esset alia mulier, cui posset nubere: concurrebatque aliud naturale præceptum, obligans ad humani generis propagationem, fortius, quàm prohibens, & dirimens Matrimonium inter fratrem, & sororem. Tum; quia Sara non erat soror Abraham, sed filia Aram fratris Abraham: & in Sacra Scriptura mos est, fratres vocare eos, qui sunt consanguinei, ut constat Marci cap. 3. *Ecce Mater tua, & fratres tui.* Et Joan. 19. *Stabant autem juxta Crucem Jesu Mater ejus, & soror Matris ejus, Maria Cleophae.* Nec contra hoc obstat, quòd textus dicat: *Filia Patris mei*; quia sic locutus est amphibologicè, ut Ægyptii Saram non habent pro sua uxore. Et locutio illa amphibologica in eo stetit, quòd Sara erat neptis Tharæ patris Abraham, & filia Aram filii Tharæ, & fratris Abraham: & in jure avus venit nomine patris, & nepos nomine filii. Denique non est argumentum, quod dicitur lib. 2. Reg. cap. 13. nempe, Thamar filiam David, fratri suo Amon, volenti illam stuprare, dixisse: *Noli, frater mi, noli opprimere me... Loquere ad Regem, qui non negabit me tibi.* Non inquam, hoc suadet, conjugium fratrum tunc non esse prohibitum jure naturæ: nam in illo Textu solum refertur, quòd Thamar dixit fratri suo, ut vitaret periculum, & existimans cum ignorantia, & errore, Matrimonium illud ex condescendentia David fore validum, ac licitum.

De cognatione spirituali.

190 *Cognatio spiritualis est conjunctio, seu propinquitas, quæ contrahitur ex administratione, & sus-*

Tom. II.

ceptione Baptismi, & Confirmationis. Cum enim Baptismus sit nova quædam generatio, in qua baptizans, & susceptores gerunt patrum vicem, indecens est, ut eos ducant in Matrimonium baptizati, à quibus baptizati fuerunt, vel suscepti. Ideò difficilius in impedimento illo dispensat S. Sedes, quàm in impedimento cognationis carnalis. Idem, servata proportione, dicendum est de Confirmatione, quæ est quoddam complementum Baptismi. Jure antiquo latè diffundebatur cognatio spiritualis, quæ ideo ignorabatur frequenter, & varia incommoda, & scandala sequebantur inde. Volens igitur Trident. Synodus incommodis frequenter exurgentibus providere, sess. 24. cap. 2. statuit: „Ut unus tantum, sive vir, sive mulier... vel ad summum unus, et una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos, ac baptizatum ipsum: necnon, & illius Patrem, & Matrem: necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur... Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem non excedat: omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.“

191 *Cognatio itaque spiritualis, Matrimonium dirimens, ex Baptismo orta, & Confirmatione, juxta decret. Trident. tantum est duplex. 1. Per modum paternitatis inter baptizantem, seu confirmantem, qui se habet ut pater; & patrinum, & matrinam, ex una parte, qui se habent, ut mater, quia vicem gerunt Ecclesiæ; et baptizatum, seu confirmatum, ex altera parte. 2. Per modum comaternitatis inter baptizantem, sive confirmantem, paternosque ex una parte, et parentes baptizati, seu confirmati, ex alia parte. Unde nulla spiritualis cognatio*

Sss 2

con-

contrahitur inter patrinum, et matrinam: nam Trident. expressé dicit, tolli inter alias personas omne impedimentum cognationis spiritualis. Nihilominus, si vir proprium filium teneret, aut citra necessitatem baptizaret, cognationem spiritualem contraheret cum uxore, ex qua illum suscepit: atque ideó á debito conjugali prohiberetur, quod idem de foemina est dicendum.

192 Requiritur veró aliquæ conditiones, ut inter præfatas personas intercedat cognatio spiritualis. 1. Quód Baptismus conferatur veré: nam si collatus fuerat jam domi, et postea dumtaxat in Ecclesia fiant ceremoniæ, non oritur talis cognatio spiritualis. 2. Quód personæ capaces sint hujus cognationis. Et ideó, si infidelis proprium filium baptizaret, illam non contraheret; quia infidelis incapax est cognationis spiritualis. Idem est, si fidelis baptizaret filium infidelis: tunc enim fidelis non contraheret cognationem cum patre infideli; quia talis cognatio esse debet inter duos terminos ipsius capaces. 3. Ut quis suo nomine, et non alterius, suscipiat baptizatum, vel confirmatum. Unde, qui nomine alterius suscipit, ut ejus procurator, non contrahit illam cognationem, sed ille tantúm, cujus procurator vicem gerit, ita, teste Fagnano in cap. *Veniens de cognat. spirit.* definitum est á S. Congregatione. Et patet: Tum ex jure: *Qui per alium facit, per se ipsum censetur facere.* Tum; quia procurator non est designatus ad tenendum infantem, sed solus ille, cujus vices iste gerit: et ex Trident. cit. solúm contrahit cognationem spiritualem, qui designatus est ad levandum infantem. Unde addit: *Si alii extra designatos baptizatum tetigerint, spiritualem cognationem nullo pacto contrahunt.*

193 Sequitur 1. quód si aliqua civitas, per aliquem á se deputatum, infantem á sacro fonte levaret, tunc singuli, qui corpus constituunt ejus-

dem civitatis, prædictam contraherent cognationem. 2. Quód si parentes plures designent, & Parochus unum, & unam dumtaxat, isti soli cognationem contrahent; quia pater Parochus est, eos admittere, quos velit, ut Decret. Trident. expressé decernit. Unde re ipsa non erunt patrini, quos ille justa de causa rejecerit. 3. Quód qui in casu necessitatis puerum baptizat, cum eo cognationem contrahit; quia jus non distinguit inter baptizantem cum necessitate, & sine necessitate. Si veró pater in casu necessitatis propriam, & legitimam prolem baptizaret, non contraheret cum uxore sua cognationem, ut dictum est: tamen, si id faceret sine necessitate, & ex malitia, ut á conjugis thoro abstineret, teneretur eidem, ut antea, debitum reddere. Sed idem debitum deinceps non posset exigere. 4. Quód error facti impedit, ne quis contrahat impedimentum cognationis. Patet ex cap. 2. de cognat. spirit. Ubi Alex. III. sic loquitur: *Si vir, vel mulier, ex ignorantia filium suum de sacro fonte suscepit, eos ignorantia excusare videtur.* Idem est, si quis per errorem levat filium Petri, existimans se levare filium Joannis, & habens hanc determinatam intentionem: secus est dicendum, si habeat intentionem suscipiendi puerum præsentem, quicumque ille fuerit. 5. Quód idem, ac manet dictum de cognatione exorta ex Baptismo, debet intelligi de cognatione exorta in Confirmatione. 6. Quód cognatio spiritualis jure solúm Ecclesiastico Matrimonium dirimit: adeoque ab Ecclesia relaxari potest.

De cognatione legali.

194 Cognatio, seu affinitas legalis, sic dicta, quia Principum legibus primitus constituta est, ex adoptione oritur. Verúm adoptio legalis cognationem pariens, jam nullibi in his regionibus viget. Adoptio autem de-

definitur: *Est legitima assumptio personæ extraneæ in filium, vel nepotem, filiam, vel neptem.* Id est, electio secundúm leges facta personæ, quæ non est in potestate adoptantis, ut sunt filii, & filiæ. Adoptio alia est *perfecta*, per quam adoptatus transit in adoptantis potestatem, instar filii naturalis, estque ejus hæres necessarius ab intestato: Ex testamento autem in quarta parte bonorum. Alia *imperfecta*, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis, neque est ejus hæres necessarius ex testamento; bené tamen ab intestato. Ut enim intelligatur, quousque Matrimonium dirimat cognatio legalis ex adoptione proveniens, tres in ea distinguuntur lineæ, sicut in cognatione naturali. 1. Vocatur *paternitas*, & est quasi linea recta, ac repetitur inter adoptantem, & adoptatum, ac descendentes ex adoptato filio (non ita est ex filia adoptata) in ejus potestate existentes. 2. Quæ dicitur *fraternitas*, est collateralis, & hæc stat inter adoptatum, & filios adoptantis. 3. Imittatur affinitatem carnalem, & est inter adoptantem, uxoremque adoptati ex una parte: & ex altera inter adoptatum, uxoremque adoptantis. Istas species cognationis legalis Matrimonium dirimere, constat ex jure Canonico, & Civili: non enim impedimentum hoc institutum est naturali, nec divino jure, sed sola Ecclesiæ voluntate, quæ justas, ea de re, Principum sanctiones confirmavit. Erga gradum quousque dirimunt Matrimonium istæ cognationes, non omnino conveniunt DD. Frequentior autem est opinio, asserens, quód 1. species cognationis legalis extenditur, usque ad 4. gradum inclusivé. Secunda, veró & tertia species solúm usque ad 1. gradum. Item: secunda species, quæ est inter adoptatum, & filios adoptantis, cognatio solúm durat, quamdiu sunt sub *patria potestate*. Deinde: duo adoptati ab eodem Patre non contrahunt cognationem; atque

adeó possunt se nubere. Sed advertendum, quód ut adoptio legitime fiat, ex parte adoptantis requiritur 1. quód sit masculus. 2. quód sit sui juris. 3. quód sit major 25. annorum. 4. quód nullos habeat, nec possit habere legitimos filios. Si veró post adoptionem haberet adoptans legitimos filios, etiamsi esset per miraculum, cognationem cum illis contraheret adoptatus. Ex parte adoptati requiritur 1. ut in adoptione consentiat. 2. ut minor sit, saltem decem, & octo annis adoptante, ut ita eum habere possit pro Patre. 3. ut sit persona extranea, ut constat ex definitione.

De Impedimento Criminis.

195 *Criminis* impedimentum est puré Ecclesiasticum: nam constitutum est ex sola Ecclesiæ voluntate, ad vitandam mortem unius conjugis, aliaque crimina, quæ essent sequutura: non autem provenit ex legibus, vel naturæ, vel divinæ. Unde David ex 2. Reg. cap. 12. duxit Bethsabee, quam polluerat, & cujus virum gladio filiorum Ammon, interemerat. Est ergo impedimentum Criminis dispensabile ab Ecclesia. Duo itaque sunt genera, aut species criminis, Matrimonium dirimentia, nempe, *conjugis homicidium, & adulterium*: non quidem qualiacumque sint, sed perpetrata cum quatuor conditionibus. Unde crimen, impedimentum Matrimonium dirimens, est quadruplex, nimirum: „ Homicidium cum adulterio: homicidium conjugis machinatum ex fine nubendi: adulterium cum pacto nubendi, aut promissione nubendi, mortuo conjugere: adulterium, contrahendo Matrimonium cum adultera, aut adultero, „ vivente suo conjugé legitimo. “ Hæc est mens omnium Theologorum, & Canonistarum, quos quatuor casus, non minus subtiliter, quam distincté explicat Doct. dist. 36. n. 2. Ut autem procedamus claritate possibili.

196 Dico 1. Quando quis adulterium committit, & promittit adulterae cum ipsa Matrimonium contracturum esse, mortua conjugē, adest impedimentum criminis. Ita definitum est ab Innoc. III. cap. De eo, qui duxit, quam polluit. Ex quo sequitur, quod nec sola promissio Matrimonii parit impedimentum criminis, nisi accedat adulterium; nec solum adulterium, nisi accedat futuri Matrimonii promissio. Requiritur verò quatuor conditiones, ut promissio Matrimonii futuri, adulterio conjuncta, inducat impedimentum. 1. Ut ab altero complice acceptata sit promissio, saltem implicitè, & virtualiter; quia promissio sine acceptatione, mera pollicitatio est. 2. Ut promissio acceptata non revocetur ante adulterium: nam si revocaretur, non magis subsisteret, quam si facta non fuisset. 3. Ut promissio conjuncta sit adulterio utrinque formali; quia non sufficit, ut duo proprium suum conjugium sciant, si neuter alterius conjugium cognoscat. Unde, qui vivente uxore, quam bona fide mortuam credit, nuptias sub conditione coitus spondet foeminae, quae, vel libera est, vel talis existimatur, tunc non contrahitur impedimentum. 4. Ut adulterium sit consummatum: nam dispositiones poenales Juris restringi debent. Unde, cum jura exigant adulterium simpliciter dictum, intelligenda non sunt, nisi de consummato, & ita Canones Ecclesiae à sanioribus Theologis explicantur. Ut autem adulterium consummatum censeatur, sufficit sola foemineae vasis penetratio: Tum; quia id sufficit ad verum adulterium. Tum; quia si necessaria esset seminis effusio intra vas, ut dixerunt aliqui, facile eluderentur Canones. Tum; quia adulterium etiam seclusa seminum commixtione, non minus quam si interfuisset, incitat ad machinandam alterius sponsi mortem.

197 Et sciendum, quod ut resultat impedimentum, non requiritur,

quod promissio adulterio juncta, sit vera, et sincera; quia promissio ficta, quae seria existimaretur, aequè, ac si vera esset, impellit ad adulterium, vel homicidium, et hoc est, quod leges cavere voluerunt. Unde nec requiritur, quod sit absoluta, sed sufficit conditionalis, ut si quis adulterio commissio cum Bertha, ei sponderet Matrimonium post mortem illius viri: ea tamen conditione, ut mille aureos afferat sibi in dotem; tunc, sive Bertha conditionem impleat, sive non, ex hac promissione conditionata nascitur dirimens impedimentum. Imo etiamsi conditio impossibilis esset, aut contra substantiam Matrimonii; quia impedimentum hoc non pendet à valore promissionis. 5. Quod ad incurrendum hoc impedimentum nihil refert, quod promissio praecedat adulterium, aut illi sequatur: Tum; quia cap. Fin. hoc tit. impedimentum dicitur contraxisse, qui prius, vel postea, dum vivit, uxorem illius, aliam adulterio polluisset. Tum; quia promissio adulterium subsequens ad longum adulterium, imo et uxoricidium impellit. Debent tamen concurrere adulterium, et promissio, durante eodem conjugio, etiamsi Matrimonium eorum esset ratum, aut non consummatum, ut Canonistae advertunt.

198 Dico 2. Impedimentum criminis contrahitur aliquando per conjugicidium sine adulterio: aliquando non, nisi per conjugicidium adulterio conjunctum. Unde ut conjugicidium simplex, hoc est, ab adulterio separatum, inducat impedimentum, requiritur, ut tale homicidium peractum sit, vel machinatum, vel ab utroque eorum, qui contrahere intendunt, & hoc pactarunt, vel saltem ab uno de alterius consensu. At verò, ut homicidium adulterio conjunctum pariat idem impedimentum, sufficit, ut alter adulterorum suam conjugem interficiat, etiam absque ulla participatione alterius partis adulterantis. Utrumque colligitur ex

to-

toto pene tit. De eo, qui duxit in Matrimonium &c. Unde ad impedimentum contrahendum, idem est, si mulier virum necet, aut vir uxorem: nam cap. 5. quæst. 2. irritum dicitur Matrimonium, cum adulter, aut mulier virum occidisse notatur. Non igitur audiendi sunt illi, qui textus solum de uxoricidio, & non de mariticio intelligi intendunt, cum eademmet pro utraque parte sit ratio, idemquemet Ecclesiae intentum in tali matrimonio irritando, nempe, ut mors conjugis vitetur. Et notandum valde, impedimentum criminis contrahi, etiamsi adulteri isti ignorent, illud ex suo crimine exoriri. Ratio est 1. quia Canones, quibus impedimenta Matrimonii constituta sunt, ut incurrantur, nullibi prærequirunt notitiam eorum. 2. Quia consuetudo, quae est optima legum interpret, tam in Romana Curia, quam in quacumque alia, habet, ut qui nescii contraxerunt impedimenta, præviam ad legitime contrahendum dispensationem obtineant. 3. Quia irregularitates, aliaque Ecclesiasticae poenae incurrantur ab ignorantibus illas. Excipiuntur censuræ, quae cum imponantur propter contumaciam, necessariò requirunt notitiam.

199 Pro dictorum intelligentia nota 1. quod, ut impedimentum ex conjugicidio contrahatur, non requiritur, ut utraque pars sit fidelis. Unde si Christiana maritum occideret, ut nubat gentili, ex animo convertendi illum ad fidem, Matrimonium non valebit. Sic constat ex cap. de Convers. Infidel. ubi refertur, quosdam Sarracenos, influxu mulierum fidelium, occidisse illarum maritos, sub spe nubendi cum ipsis Sarracenis, ad fidem conversis, & baptizatis. Quo peracto, Ecclesia noluit permittere contrahere Matrimonium; cuius ratio fuit: Quod tale damnum eo lucro Ecclesia compensare noluit. Unde ad hoc impedimentum criminis incurrendum, necessarium non est, quod conjux physicè occidat, sed

satis est, quod mandato, consilio, aut consensu mortem ejus procuret. Si verò quis consilio suo nihil influxerit in conjugis mortem, videlicet, quia ille, cui consilium dedit, jam ex se erat satis determinatus ad inferendam ei necem, tunc ille impedimentum non contraheret: modo quo nulla irregularitas contraheretur, aut restituendi obligatio. Sic Theologi plurimi sentiunt. Idem dicendum est, si mors de facto secuta non fuerit: vel si secuta fuerit ex incitia medici, aut chirurgi.

200 Nota 2. ad impedimentum istud requiri, ut qui mortem conjugis procurat, intentionem habeat nubendi cum altero conjugē. Ratio est; quia hoc impedimentum inductum fuit, ne conjux necet conjugem; ut cum altero superstitē nubat. Hæc autem ratio non habet locum, quoties conjugis occisio non eo tendit, ut aliud Matrimonium cum conjugē superstitē ineat. Unde si conjux, & adulter communi consilio alium conjugem interficiant, non ut inter se Matrimonium contrahant, sed ut liberius libidini vacent, vel ex inimicitia, aut alia simili causa, huic non est locus impedimenti criminis. Sic sentiunt SS. Thom. Bonavent. Antonin. cum innumeris Theologis, & Jurisperitis. Sufficit tamen, ut unus eorum, qui alterius conjugis machinavit mortem, intendat Matrimonium cum superstitē conjugē; quia tunc concurrunt homicidium cum animo contrahendi: nullibi verò decernitur in jure necessariam esse hanc intentionem in utroque complice.

201 Dico 3. Impedimentum criminis exurgit inter eos, qui legitimo Matrimonio conjuncti sunt, & scienter novum contrahere attentant. Unde hoc secundum Matrimonium esset nullum. Et propter hoc crimen, nec post legitimi conjugis mortem possunt contrahere, ut patet ex consensu totius Ecclesiae. Ratio hujus impedimenti eadem est, ac præcedens,

sci-

scilicet, ne propter spem futuri Matrimonii, detur ansa intendendę conjugum mortis. Tamen ad hoc impedimentum necesse est 1. ut secundum Matrimonium sit consummatum, vivente prima uxore: nam si, vel numquam, vel non, nisi post legitimę conjugis mortem, consummatum sit, non dirimit, ut dicitur cap. 8. hoc tit. *Quamvis utrinque ipsorum pro eo, quod in hoc graviter deliquerint, sit pœnitentia injungenda, non est tamen Matrimonium, quod post uxoris obitum cum adultera contraxit, dirimendum.* Necesse est 2. ut quę contrahit cum adultero, prius cognoscat, illum esse uxoratum: si enim omnino Matrimonium illius ignorat, eo jam soluto, potest contrahere cum illo. Sic definit Innocent. III. cap. 7. imo tenetur adulter, post mortem suę conjugis, ducere eam, quam Matrimonii nesciam, cognovit, si ei Matrimonium sponderit, aut cum ipsa de præsenti contraxerit. Sic cap. cit. *Quia dignum non est, ut vir, qui scienter contra Canones venit, lucrum de suo dolo reportet.* Si tamen, quę bona fide contraxerat, adulterum conjugatum esse cognoscat, & cum eo deinceps maritaliter vixerit, jam ex tunc contractum est impedimentum criminis. Necesse est 3. ut 1. Matrimonium fuerit validum: aliás deesset adulterium. Sanchez cum aliis sentit, nihil interesse ad impedimentum criminis, an 2. Matrimonium contractum sit in facie Ecclesię, an clandestinę; quia ut inducatur per hujusmodi Matrimonium impedimentum criminis, necessarium non est, ut valeat, cum numquam valere possit. Existimo veró, quod ubi Trident. decretum, quoad præsentiã Parochi, & testium, non est publicatum, non resultat tale impedimentum: Ratio est; quia ex Trident. sine præsentiã Parochi, & testium non solum est nullum Matrimonium, sed nec est consensus sensibilizatus, quem requirit Concilium, & consequenter nec adest contractus sufficienter sen-

sibilizatus. Unde, nec fuisset Matrimonium verum, nec fictum, validum, neque invalidum: & ad hoc impedimentum, necessarium est, quod adsit Matrimonium, saltem *ex parte signi*, aut Matrimonium fictum. Sic Gonzalez Matheo in Summ. Moral.

202 Ut autem omnia dicta retineantur faciliter, placet ea paucis contrahere. Itaque impedimentum criminis contrahitur quadrupliciter, nempe, *ex adulterio sine Matrimonio: ex solo homicidio: ex homicidio cum adulterio: ex adulterio uná cum pseudo-Matrimonio.* Ut autem *ex adulterio sine Matrimonio* contrahatur impedimentum criminis, requiritur, ut jungatur adulterio formali promissio acceptata de Matrimonio contrahendo cum parte adultera, post mortem ejus conjugis, & sufficit etiamsi hæc promissio sit ficta, aut conditionalis, ut supra dictum manet. Ut *ex homicidio solo* resultet impedimentum requiritur utriusque machinatio, vel saltem unius cum consensu alterius; & sufficit, ut de facto sequatur mors ex actione, vel physica, vel morali conjugum, aut unius de alterius consensu. Ut impedimentum *ex homicidio cum adulterio* exurgat, non requiritur, ut ambę partes concurrant ad homicidium, sed sufficit, ut una earum homicidium physicę, aut moraliter operetur, eo fine, ut Matrimonium contrahat cum complice adultero. Tandem: ut *ex adulterio cum pseudo-Matrimonio*, seu cum Matrimonio 2. nascatur idem impedimentum, requiritur, & sufficit, quod complex cognoscat, illum coitum esse adulterium, nempe, illum esse junctum Matrimonio: aut saltem suspicaretur, aut dubitaretur de tali statu.

Cultus disparitas.

203 Hoc impedimentum ex diversa contrahentium Religione oritur. Hęc dispar Religio non est, quę re-

reperitur inter fidẽlem, & hæreticum, sed ea, quę intercedit inter baptizatum, & non baptizatum, qualis est *Gentilis, Turca, & Judæus.* Et certum est 1. Matrimonia fidelium cum infidelibus, jure Ecclesiastico esse invalida: non tamen talia esse ex natura rei: imo nec naturali jure peccaminosa. Patet: nam in veteri Testamento Jacob, Joseph, Moyses uxores infideles duxerunt: & in Legge nova S. Cæcilia nupsit Valeriano Ethnico: S. Monica Patricio Gentili: S. Clothildis Clodoveo, Franciæ Regi, cujus ope, Regnum Galliæ, uná cum Rege ad fidem conversum est. Attamen fateri debet, hæc Matrimonia regulariter jure naturę illicita esse; quia tranquillo verę Religionis exercitio, & catholicę educationi prolis valde adversantur. Certum est 2. Matrimonium Catholicorum cum hæreticis, esse validum, saltem si catholico ritu celebretur: Tum; quia nulla est lex Ecclesiastica, qua declaretur irritum. Tum; quia ubique pro valido habetur. Ubi autem Matrimonium inter Catholicum, & hæreticum permittitur, (ut in Alemania, ob graves causas evenit aliquando) ibi non solum est validum, sed etiam ex Ecclesię permissione est licitum. At veró, Matrimonia hæc illicita esse, ac prohibita, tam jure divino, quam Ecclesiastico, patet 1. Cùm adest periculum perversionis, uti frequenter adest. 2. Cùm subest periculum, ne á conjugę fideli adimpleri possint præcepta Ecclesię, jejuniũ, audiendę Missæ, Confessionis &c. 3. Ut notat Germanus Canonista cit. á Tournelyano, cùm contractus matrimonialis hanc habet expressam, aut tacitam conditionem: *Ut proles masculę educentur in secta hæretica patris; femellę autem in Religione Catholica matris; prout ordinarię fieri consuevit, saltem in Germania in cunctis locis, ubi hæretici cum Catholicis permixti vivunt.*

Tom. II.

De Impedimento vis, aut violentiæ.

204 Impedimentum *vis*, seu *violentiæ*, idem est in præsenti, ac metus, qui est *trepidatio mentis, ratione periculi, aut damni instantis, vel futuri.* Hic metus alius est *gravis*, & est ille, qui dicitur cadere in virum constantem: alius est *lvis*, qui cadit in virum inconstantem, id est, timet ex fundamento levi. Deinde metus incuti potest, vel *directe* ad extorquendum consensum in Matrimonium; vel ob alium finem diversum: Ut si alium occisurus esses ad ulciscendam injuriam tibi illatam, & ut declinaret mortem, filiam suam promittat tibi in uxorem. Item timor potest incuti *juste*, ut si pater comminetur, se apud judicem accusaturum esse eum, qui filia sua abusus est, nisi eam ducat: vel *injuste*, ut si idem pater stupratori minetur mortem *se inferendam*, nisi filiam ducat: nam pater jus habet accusandi apud judicem; non veró occidendi propriã authoritate. Denique, metus potest causari, vel á causa naturali, ut morbo, vel naufragio; vel ab agente libero.

205 Dico 1. *Matrimonium contractum ex metu levi, etiam injuste incusso, & ad extorquendum consensum, est validum.* Prob. 1. ex reg. 184. ff. ubi dicitur: *Vani, seu levis timoris justa excusatio non est.* 2. Quia professio Religiosa ex metu levi facta, est valida, cap. 1. *De his quę vi &c.* valet ergo argumentum á Matrimonio spirituali, utpote etiam indissolubili, ad Matrimonium carnale. Ex quibus infers, metum reverentialem, generatim loquendo, non invalidare Matrimonium; quia regulariter pro gravi non habetur. Hic reverentialis metus est *formido mali alicujus, proveniens ab his, quorum potestati subjacemus, quosque revereri tenemur.* Unde filius, vel filia, ex metu reverentiali contrahere dicuntur, quando in Matrimonium con-

Ttt sea-

sentiunt; quia oblatum à patre, non audendo ei contradicere, ne illum offendendo, excipiant pœnas, quæ ex hac offensione prodire possunt. Seclusus igitur metus reverentialis à gravi comminatione, à verberibus, ab aspectu terribili parentum, cujus indolis diversa est pro capitum diversitate, ad levem revocandus est: ac proinde Matrimonium non irritat, ut constans est Theologorum, & utriusque juris DD. sententia. Ratio est: Tum; quia sic satis expressè traditur leg. 22. ff. *De ritu nuptiarum*, ubi dicitur: *Si patre cogente, ducat uxorem, quam non duceret, si sui arbitrii esset, Matrimonium contraxit*: Tum; quia metus sic sumptus non est talis, ut virum constantem possit terrere, ejusque verè invitæ, consensum extorquere. Tum; quia communiter loquendo, æquum est, & maximè in hac materia, ut filii voluntatem suam, ex metu quodam reverentiali, paternæ voluntati subjiciant; cum parentes in rebus filiorum, plusquam ipsi filii videant.

206 Dico II. *Matrimonium ex gravi metu injuste incusso ad extorquendum consensum, ipso jure est invalidum*. Est omnium DD. & multis probatur à Subt. Patet ex innumeris textibus juris, & sufficiat cap. *de sponsalibus* 14. ubi dicitur, quod, quia Matrimonium semel validum, dissolvi amplius non possit; „ plena „ debet securitate gaudere, ne con- „ jux per timorem dicat, sibi place- „ re, quod odit, & sequatur exi- „ tus, qui de invitis nuptiis solet „ provenire. *Dixi*: ad extorquendum „ consensum: „ nam si metus ex alio fine inferatur, valebit Matrimonium. Unde, si ut evites mortem, tibi à furibus inferendam, & homini illuc transeunti, ut opem ferat tibi, nuptias cum ejus filia promiseris, Matrimonium stabit. Sic de aliis similibus casibus, in quibus, ut quis grave malum imminens effugiat, eligit hoc medium; quia tunc spontè illud eligit, & metus non injicitur,

ut illam ducat in uxorem. Sed est notandum 1. quod tunc datur metus gravis, quando timetur mors: mutilatio: gravis corporis cruciatus: verbera gravia ex c. 6. *De his, quæ vi: prolixa servitus: captivitas: grave exilium: prolixa incarceration: periculum stupri, sive in viro, sive in muliere; quia leg. 8. ff. In viris bonis iste metus major est, quam mortis, & sic de aliis similibus*. Advert. 2. non semper ex gravi metu invalidum sequi Matrimonium. Sic, juxta plures DD. si virgo, aut vidua, metu stupri, quod quis minabatur ei, nuptias promissit, & postea contraxit; non ideo Matrimonium invalidum erit semper. Ratio; quia hæc, postquam è manibus scelestis viri evasit, liberè poterat, vim sibi illatam judici, Parocho, aut parentibus suis, indicare. Advert. 3. minas mali gravis aliquando graves non esse, ut si prodeant ab eo, qui multa minari solet, & nihil, vel parum exequi. Unde hoc perpendendum est ex circumstantiis, ex quibus multoties fit, ut quod gravem metum incutit uni, levem solum inferat alteri. 4. Ad metum gravem reduci etiam preces importunas, eas, nempe, quæ instantissimæ sunt, & quæ sæpius inculcatur, cum repetitis exprobrationibus defatigant, & sensim excruciant illas audientem. Idem est de blanditiis Principum: non quidem solitariè sumptis; quia sic voluntarium augent, sed prout tacitas minas habent: ut cum Princeps sævire in eos solet, qui resistunt suis blanditiis.

207 Dico 3. *Matrimonium initum ex gravi metu, justè tamen incusso, est validum: & pariter si à causa libera non incutiatur*: Est communis. Prima pars patet: nam si judex ei, qui data fide Matrimonii, fœminam violavit, comminetur mortem, aut aliquid simile, nisi stet promissis, Matrimonium validum erit. Secunda pars constat, dum stuprator, aut concubinaris, metu gehennæ, & remorsu

su conscientiæ, mulierem illam ducit, quam alioqui ducturus non esset. Ratio est, quia metus gravis non invalidat Matrimonium, quia prolixa libertatem perimat: Ut patet in actione aliqua mala, quæ, licet ex gravi metu fiat, tamen à peccato non vacat. Unde est simpliciter libera, quamvis secundum quid sit involuntaria: Ratio autem, quare metus invalidat Matrimonium, est 1. quia jus requirit consensum contrahentium omnino liberum: ideòque si contractus talis non sit, illum invalidat, quamvis cæteri contractus ex metu facti, regulariter validi sint. 2. Quia metus aufert injuriosè certum gradum libertatis: & cum metus incutitur justè, aut à causa intrinseca, aut naturali, tunc nec habet aliquid injuriosi, nec invalidatur ab aliquo jure. Sed nota, evenire posse, videri aliquando, metum incussum esse injustè, & incuti iniquè. 1. Si judex metu mortis cogeret, ut quis ducat fœminam, ab eo vitiatam, absque fide Matrimonii. Tunc enim, nisi aliud ferat consuetudo loci, injustè cogit; quia solum cogere potest, ut ducat, vel dotet. 2. Cogit injustè, qui secundum allegata, & probata non procedit; etiamsi à parte rei verum sit, quod malè probatum est. Sed quid dicendum est, si juridicè, sed falsò probatum sit, v. g. *Petrum eam corrupisse, quam de facto non corrupit?* Valebit ne Matrimonium, ad quod à judice sub metu mortis damnatur? Asserit Sanchez: sed negant alii; quia hic occurrit gravis timor, incussus à falsis testibus, quorum malitiæ judex, licet ignorans, servivit. Certum est verò, quod obligaretur in foro externo. Hinc:

208 Quæres 1. *An qui contrahit ex metu, debeat ponere consensum internum, correspondentem verbis de præsentibus, aut signo externo? Vel possit dissentire interius?* Respond. debere interius consentire: cum animo verò non cohabitandi cum

Tom. II.

consorte. Patet 1. quia, deficiente interno consensu, mentiretur: non enim conformaret verbum, aut externum signum cum mente: & mendacium malum est *ab intrinseco*. Patet 2. quia cum tale Matrimonium esset nullum, si haberet animum utendi illo, talis animus esset fornicarius, & consequenter grave peccatum. Omnes verò conveniunt, quod si deficeret tunc consensus internus, hoc mendacium solum esset veniale peccatum, eò quod ex illo nulli sequeretur præjudicium. Excipitur, si verba illa de præsentibus cum juramento essent.

209 Dicis: qui non haberet intentionem contrahendi Sacramentum simularet; sed Sacramentum simulare, etiamsi fiat simulatio ex metu gravi, est peccatum grave: ergo si consensum internum non poneret, graviter peccaret. Min. constat ex propos. 29. damnata ab Innocent. XI. quæ dicebat: *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi*. Unde voluntariè nullum facere Sacramentum apud omnes est gravissimum sacrilegium. Respond. majorem esse veram, si Sacramenti valor penderet à conformitate interioris consensu cum signo externo; quia tunc simularet Sacramentum: non verò, quando ab illa non dependet, ut in casu evenit. In illo enim Matrimonium eodem modo nullum esset, sive conformet; sive non conformet cum verbis mentem, ratione impedimenti vis. Unde in illo casu, verba traditionem mutuum corporum, & acceptationem significantia, non habent rationem materiæ proximæ, nec formæ: quia cum Matrimonium rationem habeat contractus, solum sunt materia, & forma illius verba, & signa, quæ à jure non sunt reprobata, uti sunt in casu præsentibus. Ex quo constat, quod ut Sacramentum simuletur, necesse est, quod fiat nullum præcisè ex defectu illo: nam si aliunde esset nullum, tunc non simulatur. Quare con-

Ttt 2

fes-

fessarius, qui absolutionis formam non profert supra poenitentem concubinarium voluntarium; quia est indispositus, non simulat Sacramentum si ad vitandam poenitentis infamiam, loco absolutionis, aliqua alia profert verba simulans circumstantibus absolvere per illa. Et ratio est; quia ex defectu doloris, nullum esset Sacramentum, etiamsi formam pronuntiaret: imo illam tunc pronuntiando, graviter peccaret.

210 Quæres 2. An Matrimonium ex metu gravi initum, subsequenti copula, & cohabitatione, ratificetur? Respond. cum dist. si post Matrimonium sic ex metu contractum, habeatur copula sponte, & affectu maritali, id est, ex animo vivendi conjugaliter, omnino validatur. Ratio est; quia ad valorem hujus Matrimonii solum requiritur consensus personæ metum patientis, cum consensus perseveret in alio conjugee; qui enim copulam affectu maritali habet, suum consensum præstare incipit. Si verò copula non liberè, sed ex gravi metu, subsequitur, mortaliter peccant ambo contrahentes, eo quòd actum purè fornicarium exercerent: fornicatio autem, etiam extorta gravi metu, non desinit esse peccatum. Neque per illam ratificaretur Matrimonium; quia si consensus metu gravi extortus non sufficit ad valorem illius, multo minus valebit consensus, qui per copulam haberetur, si pari metu extorqueatur. Validatur etiam Matrimonium metu contractum, per cohabitationem verè, & ex animo spontaneam, etiam sine copula; quia talis cohabitatio spontanea est signum novi consensus, qui solum ad valorem Matrimonii desiderabatur. Sic constat ex cap. 21. De Sponsal. & unanimi doctrina Canonistarum. Ad hoc tamen duo requiruntur. 1. Ut pars, quæ metum passa est, sciat, hoc Matrimonium invalidum fuisse: si enim ex errore, quo illud valere credat, cohabitet, aut copulam habeat, numquam ratificabitur conju-

gium: nihil utique tam contrarium est consensui, quàm error. 2. Requiritur, ut adhuc perseveret consensus partis, quæ metum incussit; quia ad Matrimonii valorem requiritur, ut utraque pars simul consensum apponat, si non simultate physica, saltem morali.

211 Et colliges, hoc impedimentum dirimere Matrimonium solum ex jure humano, & non ex naturali, aut divino. Patet: nam si Matrimonium ex gravi, & injusto metu factum, jurè naturali esset invalidum, vel propter defectum consensus, vel ex ratione injuriæ? Non 1. aliàs non valeret Matrimonium ex gravi metu justè incusso contractum; quia iste metus sæpe est major, quàm qui injustè est incussus: ut si judex suspendium pararet illi, nisi ducat eam, quam violavit. Nec 2. quia ut benè notat Sanchez, in metu etiam levi iniquè incusso, reperitur injuria, obligans ad restitutionem: & tamen valet Matrimonium factum ex metu levi. Quare jure humano irritatur ille contractus matrimonialis. Nam cum ex ratione sua consistat in mutua donatione corporum ad prolificandum, jus Ecclesiasticum, & civile requirunt in donantibus plenam libertatem: & quòd illa mutua corporum donatio prodeat ex amore, qui sine libertate esse non potest. Unde in isto contractu hoc est speciale, quòd alii autoritate Principis rescindi possunt, si in illis contractibus partes lædantur; & etiam rescindi possunt ex mutuo partium consensu: hic verò contractus, semel validus, indissolubilis est, ut dictum manet suo loco.

De impedimento Ordinis.

212 Per Ordinis impedimentum intelligitur Sacer Ordo, qualis est Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus. Quo jure cœlibatus Ordinibus sacris sit annexus, nempe, divino, aut Ecclesiastico, satis est de-

cla-

claratum Tract. 8. de Sacram. Ord. disp. 3. quæst. 3. num. 117. usque ad num. 132. Et notandum, quòd Ecclesia in hoc impedimento non dispensat, nisi rarissimè, & non nisi magnis Principibus, & hoc ob causas admodum graves, ut sunt bonum totius Regni, continuatio Regiæ familiæ. Sic de facto Benedict. IX. permisit, ut Casimirus Monachus professus, & Diaconus, à Polonis electus in Regem, Matrimonium contraheret. Idem permissum fuit anno 1302. Ramiro Presbytero, & Religionem professo, ut labentem Aragoniæ Regiam prosapiam propagaret.

De impedimento ligaminis.

213 Impedimentum Ligaminis illud est, quòd oritur ex vinculo prioris Matrimonii validi, sive consummati, sive rati. Et definitur: Est vinculum inter virum, & uxorem contractum, durante Matrimonio legitimo. Hoc 2. Matrimonium, quòd est nullum propter impedimentum ligaminis, dicitur, & est Poligamia simultanea, quæ, juxta dicta disp. 2. quæst. 2. conclus. 4. num. 105. omni jure, nempe naturali, divino, & humano, est illicita, & Matrimonium invalidat. Nec hîc restat aliquid addendum præter ibi dictum.

De impedimento Honestatis.

214 Honestas à Juristis, & à Subt. Doct. dist. 41. vocatur justitia publicæ honestatis, & est quædam propinquitas, jure Ecclesiastico stabilita, quæ oritur ex sponsalibus inter sponsum, & consanguineos sponsæ, & vicissim inter sponsam, & consanguineos sponsi: quæ honestas etiam necessariò venit ex Matrimonio rato, aut non consummato, dirimitque Matrimonium inter sponsum, & consanguineos sponsæ, & pariter inter sponsam, & consanguineos sponsi. Unde publica honestas, est, publica decencia, & morum ho-

nestas, ut Matrimonium non contrahatur inter personas, sic factas propinquas. Vel sic definitur: Est propinquitas personarum, ex sponsalibus, vel Matrimonio rato non consummato orta: necnon ex Matrimonio nullo: [propter dicenda] quòd tale non est ex defectu consensus. Advertendum est verò 1. quòd ex sponsalibus invalidis, aut fictis, non oritur hoc impedimentum, ut expressè constat ex Trident. sess. 24. c. 3. sic dicente: Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia, quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit. Notetur, quacumque ratione &c. Olim enim oriebatur hoc impedimentum ex sponsalibus, etiam invalidis, excepto, si invalida essent ex defectu consensus. Et ita loquitur Scotus, qui scripsit longe ante hoc Concilium. Ergo post Tridentinum, ex sponsalibus invalidis, undecunque invaliditas petatur, non venit hoc impedimentum. Advertendum 2. quòd honestas nascitur ex sponsalibus validis, licet ex mutuo sponsorum consensu soluta fuerint: nam solutio hæc non impedit, quòd fuerint valida, sicut si alter moriatur, ante quam Matrimonium contrahant: semel enim quòd valida fuerunt, non stat in illorum potestate, quòd impedimentum non contrahatur, cum hoc unice pendeat ex Ecclesiæ statuto. Nunc præcipuè restat videndum, ad quem usque gradum dirimat hoc impedimentum?

215 Dico: Impedimentum publicæ honestatis, ex sponsalibus validis, non dirimit ultra 1. gradum: Sed ex matrimonio rato dirimit usque ad 4. gradum. Est communis, quoad utramque partem, quòd Scotus suadet multipliciter. Prob. 1. pars ex Trident. cit. sic prosequente: Ubi autem sponsalia valida fuerunt, primum gradum non excedunt. Idem dicitur Pius V. cap. ad Romanum, cons. 62. Constat etiam ex praxi totius Romane Ecclesiæ, quæ reprobat matri-

mo-

monia contracta in 1. gradu, nempe, inter sponsum, & matrem, aut sororem sponsæ, & vicissim. Prob. 2. pars ex eadem Rii constitutione, in qua mentem Concilii declarans, dicit: „ Decretum hujusmodi Concilii omnino intelligendum esse; & „ procedere de sponsalibus de futuro „ dumtaxat (*scilicet, quoad 1. „ gradum*) non autem in Matrimo- „ nio contracto [*per verba de præ- „ senti*] sed in eo durare adhuc im- „ pedimentum in omnibus, & gra- „ dibus, quibus de jure veteri, an- „ te prædictum Decretum Concilii „ introductum erat. “ Sed introduc- „ tum erat, usque ad 4. gradum: er- „ go. Ita etiam declaravit Bonifacius VIII. cap. un. *de sponsalibus* dicens, quod licet ex sponsalibus validis non exurgat impedimentum honestatis, nisi usque ad 1. gradum, & ex invalidis nullum exurgat impedimentum: exurgit tamen usque ad quartum utriusque lineæ gradum ex Matrimo- nio rato, etiam invalido, dummodo invalidum non sit ex defectu consensus, ut esset in ebrio, in amente, in coacto ex gravi metu.

216 Ex hac constanti doctrina, plura sequuntur, etiam vera. 1. quod honestas solum extenditur ad consanguineos, & non ad affines. Cum his enim contrahitur certa sanguinis connexio, vi cujus, indecens videtur, eos, quasi extraneos, ducere in Matrimonium. Quare, qui sponsalia dedit Mariæ post hujus mortem, potest ducere, non quidem sororem, etiam spuriam, sed viduam fratris Mariæ, quia vidua hæc, non consanguinea erat Mariæ, sed solum affinis. 2. quod ex sponsalibus validis honestas solum extenditur ad consanguineos, qui sunt in 1. gradu lineæ rectæ: & si sit ex Matrimonio, ad 4. utriusque lineæ gradum. Unde, si quis sponsalia dedit Antoniæ, non potest validè Matrimonium contrahere cum ejusdem Matre, aut sorore, aut filia Antonia: validè verò contrahet cum Avia Antonia, aut cum filia filia,

vel sororis ejus, & à fortiori cum ceteris ejus consanguineis. At verò, si impotens, aut alio quocumque impedimento, sponsalia contrahat cum muliere, hac detecta veritate, poterit cum ejusdem consanguineis nubere; quia sponsalia irrita pro nihilo reputantur hodie. Hinc, si Joannes validè contraxit sponsalia cum Antonia, & postea alia sponsalia, vel Matrimonium contrahat cum Maria ejus sorore, poterit ante hujus Matrimonii consummationem, Antoniam ducere; quia secunda sponsalia, & matrimonium invalida sunt, propter impedimentum honestatis; & hoc ipso impediri non potest, quod teneatur Joannes promissionem Antonia factam, adimplere.

217 Si autem Joannes cum Maria Matrimonium iniquè consummaverit, neutram tunc ducere potest. Non Mariam, ob impedimentum publicæ honestatis, ortum ex sponsalibus celebratis cum Antonia illius sorore: nec Antoniam, ob impedimentum affinitatis, consurgens ex copula, quam habuit cum illius sorore Maria. Unde retro agit affinitas, & dissolvit sponsalia præcedentia: ante consummationem verò Matrimonii non retro agunt, nec valent ad dissolvendum præcedentia, ex cap. unic. *de sponsalibus* in 6. Hinc si Joannes sponsalia contraxit cum femina, quam frater ejusdem Joannis duxit, sed non cognovit maritaliter, Joannes eandem ducere potest; quia Matrimonium ab illius fratre contractum, utpote irritum, præjudicare non potuit præviis Joannis sponsalibus. Pari de causa: si Joannes ante sponsalia, quæ cum Antonia contraxit, cognovisset ejus sororem, hanc ducere potest; quia sponsalia fuerunt invalida cum Antonia ob affinitatem, ex copula cum ejus sorore: & propter eandem affinitatem jam cum ipsa Antonia non posset contrahere.

218 Debent verò sponsalia esse absoluta, ut impedimentum honestatis oriatur: nam Bonifacius VIII. cap.

cap. un. *de sponsalibus* dicit: „ qui sponsalia cum muliere sub conditione „ contraxit, si ante conditionis even- „ tum cum alia priori consanguinea „ per verba contraxerit de præsen- „ ti, cum secunda remanere debe- „ bit. “ At verò si post sponsalia contracta sub conditione cum Antonia, contraheret quis nova sponsalia absoluta cum ejus sorore, non hanc, sed Antoniam ducere debet. Ratio est; quia hæc secunda sponsalia non possunt inducere obligationem illicitè agendi: & absdubio illicitè contraheret cum sorore Mariæ; nam sponsalia priora conditionata obligant ad expectandum conditionis eventum, ante quem non potest rem promissam uni sub conditione, tradere alteri. Matrimonium tamen contractum, quamvis illicitè, cum sorore Antonia, validum esset; quia juxta textum Bonifacii citati Sponsalia inita sub conditione tunc solum inducunt impedimentum honestatis, cum fiunt absoluta, purificata conditione. Et notandum: hoc honestatis impedimentum esse perpetuum. Est dicere, quod si sponsa moriatur, vel religionem ingrediatur, sponsus non poterit contrahere cum ejus consanguineis, sine dispensatione. Idem est, si sponsalia, vel mutuo consensu, vel judicis sententia dissolvantur. Ratio est 1. quia illa sponsalia valida fuerunt, & hoc ipso ex eis oritur perpetuum honestatis impedimentum. 2. Quia sic à Sac. Congregatione est definitum, cujus judicio inhærendum esse mandavit Alexander VII. anno 1658. Sed tunc ad impetrandum dispensationem debet in supplicatione exponere sponsalia, vel morte unius partis, vel ex mutuo partium consensu dissoluta esse. 3. A paritate Matrimoni rati, quo soluto per Religiosam professionem, honestas subsistit: & soluto consummato per mortem unius conjugis, in alio affinitas subsistit.

219 Quæres: An sponsalia exteriùs valida, interiùs verò invalida,

honestatem Matrimoni dirēptivam inducant? Casus est: Petrus exteriùs visus est in sponsalibus consensisse, sed intus non consensit. Vel an, qui ratione voti castitatis, & similibus quæ interna sunt, & in foro externo probari non possunt, invalidè contraxit sponsalia, validè nubat cum consanguinea hujus, cui desponsatus erat? Affirmat Sanchez lib. 7. disp. 68. Negat verò Navarrus, Ledesma, & est communior, ac verior opinio: nam ex Trident. citat. illud impedimentum non oritur ex sponsalibus, *quacumque ratione invalidis*; sed sponsalia ex defectu consensus, aut contracta alio quocumque impedimento occulto, locum habent evidenter inter ea, quæ *quacumque ratione* invalida sunt: ergo impedimentum honestatis non inducunt. Verum quidem est, quod cum defectus interioris consensus probari non possit in foro externo, quin potius per consensum externum probetur internus, valida declarabuntur in foro externo, & in hoc stabit impedimentum. Si Sanchez hoc solum intendit, sumus cum illo, sed non in alio sensu. Denique: honestatis impedimentum jure solum Ecclesiastico fuit inducendum. Unde si Turca, qui Ecclesiæ legibus non est subjectus, contractis cum Christiana sponsalibus, ad fidem convertatur, poterit nubere cum ejus consanguinea in primo gradu.

De impedimento Affinitatis.

220 Affinitas est propinquitatis inter certas personas, proveniens ex copula carnali completa. Explicatur definitio hæc: Dicitur inter certas personas, id est, inter solum conjugatum, & conjugatæ consanguineos: & vicissim inter solam conjugatam, & consanguineos conjugati. Hinc est, quod si Petrus copulam habeat cum Maria, solus ipse est affinis consanguineis Mariæ: atque adeo, si copula sit matrimonialis, defuncta Maria, non

non possit ducere Matrem, filiam, neptem, nec cognatas Mariæ, usque ad quartum gradum. Et idem est de Maria respectu consanguineorum Petri. At verò consanguinei Petri prædictas Mariæ consanguineas possunt ducere juxta illud: *Affinitas non parit affinitatem*. Sensus hujus triti dicti est: quòd Petrus per suam copulam cum Maria, sic fit affinis cum istius consanguineis, ut Petri consanguinei non reddantur per hoc affines consanguineis Mariæ. Unde Pater, & filius, Matrem, & filiam possunt ducere: & duo fratres possunt ducere duas sorores: vel alter eorum Matrem, & alter filiam: & duo consanguinei duas consanguineas. Quæ de causa, etsi Petrus consanguineos Mariæ ducere non possit, potest tamen illius affines, v. g. uxorem fratris defuncti Mariæ, quam, mortua Maria, ducere potest.

221 Ut clarius cognoscatur, in quo gradu duæ personæ affines sunt, distinguere debent in affinitate, sicut & in consanguinitate, *stipes, linea, & gradus*. *Stipes* sunt duæ personæ, quæ se cognoverunt carnaliter, & quæ non sunt affines, sed principium affinitatis; sicut Pater, & Mater sunt principium consanguinitatis. *Linea*, est series personarum, quæ sibi sunt affines; & hæc, sicut in consanguinitate, alia est *recta*, & alia *transversalis*. In linea recta illi sunt affines, qui in eadem linea sunt consanguinei uni ex illis, qui habuerunt copulam: & affines in linea transversa dicuntur, qui eisdem personis in linea transversa sunt consanguinei. Unde hæc sit regula: *Persona quælibet in eo gradu est affinis ei, qui cum consanguinea sua copulam habuit, in quo ipsa huic consanguinea est*. Quare, qui Luciam duxit, affinis est in primo gradu Matri, filię, & sorori ejus: in secundo autem gradu affinis est filiæ sororis ejus, & etiam ipsius consobrinæ; in tertio sobrinæ &c.

222 Dicitur: *ex copula carnali,*

tam ex licita, quæ habetur ex usu legitimi Matrimonii, quàm ex illicita, quæ habetur per fornicationem, adulterium, incestum, aut sacrilegium, etiamsi hæc invitæ, aut dormienti inferatur. Dicitur: *completa*, ea, nempe, in qua debitum vas muliebri penetratur, cum effusione seminis prolifici intra ipsum. Hinc non contrahit affinitatem, qui licet claustra pudoris frangat, sic se retrahit, ut extra vas effundat semen. Nec qui, licet intra vas semen emisserit, non tamen est prolificum, ut eveniret in congressu Eunuchorum, & eorum, qui utroque carerent testiculo: secus si uno tantum. Et advertendum 1. hoc esse discrimen, quòd affinitas ex copula illegitima non dirimit, ultra secundum gradum inclusivè: & id eò, qui mulierem fornicariè cognovit, consanguineam ejus in tertio gradu ducere potest validè, & licitè: at verò, quæ oritur ex copula legitima, dirimit Matrimonium, usque ad quartum gradum inclusivè. Deinde gradus mixtus ex 1. & 5. non inducit impedimentum: sicut nec affinitas ex copula illicita operatur in 1. & 3. gradu. Unde nec in consanguinitate, nec affinitate computatur gradus prohibitus, dum dicit ordinem ad gradum jam non prohibitum; & id eò tunc non indiget ulla dispensatione. Advert. 2. quòd Matrimonium potest esse invalidum, vel ex mala fide contrahentium, qui scienter cum impedimento dirimente contraxerunt: vel ex ignorantia inculpata. Ex 1. Matrimonio affinitas, utpote exorta ex copula illicita, non videtur transgredi secundum gradum tamen contraheretur impedimentum *publicæ honestatis*, ad quartum usque gradum pertingens, ut supra dixi. Ex 2. Matrimonio, videtur usque ad quartum gradum extendenda, cum proveniat ex copula licita. Advert. 3. eos, qui scienter contrahunt in gradibus affinitatis, & consanguinitatis, incurrere excommunicationem, ex Clementina unic. de *Consang.* sed non

non est reservata. Nunc:

223 Quæres 1. *Quos habeat effectus affinitas, Matrimonio jam contracto superveniens?* Respond. ex tali incestu fieri, ut qui peccavit cum suæ uxoris consanguinea in primo, vel secundo gradu, non potest debitum exigere; quia per illam copulam fit affinis uxoris suæ. Si verò erat istius consanguinea in tertio, aut quarto gradu, quamvis committat incestum, non deperdit jus petendi debitum; quia cum copula fuerit illicita, non est factus affinis uxoris suæ. At verò, tenetur debitum reddere uxori, quæ jure suo privari non debet. Si tamen uterque conjux cum alterius consanguineis rem habuerit, vel alter de consensu alterius, neuter jam habet jus exigendi debitum; quia leges soli parti innocenti relinquunt illud jus, & neutra pars innocens est in hoc casu. Et notandum, quòd solus formalis incestus privat hoc jure, non qui merè est materialis: ut si quis accederet ad consanguineam, judicans esse uxorem suam. Idem esset de muliere per vim ab affine suo oppressa: secus verò, si libidini ejus cesserit ex gravi metu; quia prius mori debebat, quàm peccare: & id eò maritus poterat debitum negare. Prædicti incestuosi dispensari possunt, seu habilitari ad exigendum debitum, ab Episcopo, & à quolibet Confessario ex commissione illius. De Regularibus dicit Potesta cum Diana, Provinciales ex privilegio dispensare posse, & de eorum licentia Confessarii Regulares: isti verò, sicut nec Provincialis, aut Generalis, dispensare non possunt, nisi in confessionis Sacramento, & in suis domibus, seu Ecclesiis tantum. Hoc, dicit Diana, & exprimit Privilegium à Pio V. concessum Generalibus, & Provincialibus. Ex quo sequitur, superiores locales per se dispensare non posse ad petendum debitum. Hoc si perspexisset quidam modernus, non resolvisset hac in re, tam scrupulosè. Deinde addit ex Diana

Tom. II.

na; Bonacina, Castro Palao, & aliis, quòd ignorans, inde oriri pœnam privationis juris ad debitum petendum, talem pœnam non incurrit, ac proinde non indiget dispensatione. Ratio illorum contra Leandrum est; quia ignorantia pœnæ, à lege positiva impositæ, excusat à pœna. Confessarius tamen monere debet poenitentem de impedimento, ut sic deinceps deterreat ab incestu.

224 Quæres II. *Quo jure affinitas dirimat?* Noto ante responsionem, aliud esse, affinitatem resultare, & aliud impedimentum esse: sicut aliud est, consanguinitatem resultare, & aliud resultare impedimentum consanguinitatis. Consanguinitas igitur *ex jure naturæ* resultat: nam quamvis non esset impedimentum, sicut non est in linea transversa in quinto gradu, hoc non obstante, qui sic distant, adhuc sunt consanguinei. Sic dicendum est de affinitate, quæ ex conjugali copula contrahitur, aut resultat *jure naturæ*. Ratio est; quia talis copula est fundamentum, & radix naturalis amicitiae, & unionis unius conjugis cum consanguineis alterius. Constat hoc experientia: nam, adhuc inter nationes barbaras, per Matrimonium conciliatur ad invicem amicitia, unio, vinculum, ac specialis amor cum consanguineis alterius conjugum. Ex copula verò fornicaria affinitas solum contrahitur jure Ecclesiastico. Ratio est à contrario; quia ex copula fornicaria non oritur naturaliter amicitia, & amor; quin potius odia, discordiæque ordinariè inter consanguineos cum copulatis, oriuntur, ut est manifestum.

225 Dico: „ affinitas in quacumque linea sit, & gradu, solum dirimit jure humano positivo, civili & Ecclesiastico: atque adeò potest in omni ea dispensare Summus Pontifex. “ Est communior contra nonnullos, Laimam, & Lugo, volentes, affinitatem in linea recta descendentium, dirimere in 1. gradu

Vvv

ju-

jure naturali. Difficultas hæc deser-
vit, ad dignoscendum, quando in-
fideles, qui in gradibus contraxerunt,
à suis uxoribus separandi sint, cum
convertuntur ad fidem. Ad hoc in-
telligi debent aliqua nomina propria,
quæ ponuntur in arbore affinitatis.
Ista sunt: *Socer: Socrus: Gener: Nu-
rus: Noverca: Vitricus: Privignus,
& Privigna: Levir: & Glos.* Expli-
cantur hæc nomina. *Socer*, est Pa-
ter viri, vel uxoris. *Socrus* est Ma-
ter viri, aut uxoris. *Gener*, est vir
filii. *Nurus* est uxor filii. *Noverca*,
est secunda uxor Patris, respectu fi-
liorum prioris conjugii. *Vitricus*, est
maritus Matris, respectu filiorum prio-
ris conjugii ejusdem Matris. *Privig-
nus, & Privigna*, sunt filii, & filie,
respectu vitrici, & novercæ. *Levir*
est frater viri, respectu uxoris istius.
Glos. est soror ejusdem viri, respec-
tu ejusdem uxoris. Hoc stabili-
to.

226 Prob. Conclus. Si affinitas in
aliquo gradu dirimiret *jure naturali*,
maximè, quæ provenit ex copula con-
jugali, in 1. gradu lineæ rectæ, aut
transversalis; sed hæc in prædictis
lineis non dirimit *jure naturæ*: ergo.
Prob. min. Tum: quia de *jure na-
turali* potest quis ducere uxorem fra-
tris sui, jam defuncti. Sic disertè
constat ex lege expressa Deuter. 25.
*quando frater unus, absque liberis
mortuus fuerit, uxor defuncti, non
nubet alteri, sed accipiet eam fra-
ter ejus.* Tum; quia Jacob, vir sanc-
tus, Liam, & Rachelem sorores du-
xit. Tum; quia multi Pontifices hoc
in casu dispensaverunt. Julius II. con-
cessit Henrico VIII., ut Catharinam,
fratris sui Arturi viduam, duceret:
quam dispensationem, cum Henri-
cus imperitè contenderet, irritam
esse, ut Annam Bolenam duceret,
Clemens VII. consultis illustrioribus
universitatibus totius mundi, eam-
dem legitimam fuisse declaravit. Et
Alex. VI. cum Rege Lusitano etiam
dispensavit: ergo certissimum est,
affinitatem in 1. gradu lineæ trans-

versæ non dirimere *jure naturæ*.

227 Nunc sic: sed hoc stante, nec
est in linea recta: ergo in nulla li-
nea. Prob. min. Ratio præcipua, cur
in linea recta consanguinitatis hæc
jure naturæ dirimit, est superioritas,
& jus reverentiæ in ascendentibus:
quod quidem impedit Matrimonii
usum; sed hæc ratio non valet in
affinitate: Etenim non debetur tan-
ta reverentia Novercæ, quanta Ma-
tri: ergo hoc impedimentum non ven-
nit ex *jure naturæ*. Prob. min. Illa
superioritas in ascendentibus, & re-
verentia in descendentibus, respec-
tu consanguinitatis, petitur ex ra-
tione dependentiæ, quoad esse na-
turale, quod ibi accipiunt ab illis
per generationem: in affinitate verò
solum venit ex unitate carnis, quam
noverca per copulam contraxit cum
patre; sed hæc unitas indirectè, ac
leviter, & quasi moraliter attingit
filios patris per affinitatem; ergo in
hac linea non est eadem ratio de af-
finitate, quæ est de consanguinitate,
& consequenter &c. Confir. 1. affini-
tas ex copula licita non magis diri-
mit Matrimonium naturali *jure*, quam
ex illicita: nam per utramque duo
æquè fiunt caro una; sed plures ex
adversariis fatentur, affinitatem ex
copula illicita natam, nec in 1. li-
neæ rectæ gradu, esse naturali *jure*
impedimentum: ergo. Patet ex dispen-
sationibus, quas sæpè largitur sacra
Pœnitentiaria in hoc gradu, præser-
tim, quando Matrimonium jam est
contractum, & impedimentum hoc
occultum. Ex quibus sequitur, quòd
si infidelis contraxerit in hoc gradu
ante Baptismum, ut si Vitricus du-
xerit Privignam, si Noverca Pri-
vignum, si socer nurum, si socrus
duxerit generum, propterea separan-
di non videntur. Sic statutum est in
Concil. Agatensi, & Aurelianensi
III. can. 10. nec Matrimoniorum ho-
rum dissolutio prohiberetur, sed po-
tius præciperetur, si *jure naturæ* in-
valida forent propter illud impedi-
mentum.

228 Arg. gradus 1. affinitatis in
linea recta, reputatur æqualis gra-
dus consanguinitatis in eadem linea,
qui absdubio dirimit *jure naturæ*: er-
go. Prob. ant. Tum ex cap. 18. Le-
vit. „ Turpitudinem uxoris Patris tui
„ non discooperies. Tum ex cap. 20.
„ Si quis dormierit cum nuru sua,
„ uterque moriatur. Tum ex *Apost.*
„ 1. Cor. 5. Auditur inter vos for-
„ nicatio, qualis nec inter Gentes:
„ ita ut uxorem Patris sui aliquis ha-
„ beat: „ ergo ducere uxorem Pa-
tris sui, est scelus adversum *juri na-
turali*, etiam apud Gentiles. Tum ex
cap. *Si vir, & uxor* 35. q. 3. ubi
dicitur: *Si vir, & uxor, non duo,
sed una caro sunt, non aliter est nu-
rus deputanda, quam filia.* Tum: Ec-
clesia inter affines in hoc gradu, sal-
tem ex copula licita, non legitur dis-
pensasse: ergo.

229 Resp. neg. ant. Ad 1. Levit.
locum dico, unice concludere, af-
finitatem ex conjugali copula *jure na-
turæ* contrahi: non verò *jure natu-
ræ* dirimere. Ut enim filius non ma-
nifestet turpitudinem uxoris Patris
sui, & ad hoc teneatur, sufficit vin-
culum naturalis amicitiae, contrac-
tum per conjugalem copulam Patris
sui. Ad 2. dico, in illo loqui, vel
de incoestu habito cum nuru, viven-
te adhuc ejus marito, vel de concu-
bitu habito extra Matrimonium. Ad
3. Apostolus reprehendit incoestum
Corint. adulterio mixtum: adeò ut
quis illorum uxorem Patris sui, ad-
huc viventis, cognoverit, prout sen-
tiunt pene omnes Theologi. Aliter
Apost. non dixisset, crimen illud, nec
inter Gentes audiri, cum scirent om-
nes, morem fuisse apud Persas, ipsis
temporibus *Apost.* ut filius mortuo
Patre, novercam duceret. Ad 4. di-
co, textum Canonicum ita loqui prop-
ter similitudinem in gradu, non prop-
ter æqualitatem in vinculo, ut est
per se notum. Ratione hujus simili-
tudinis numquam dispensat Papa in
1. gradu affinitatis lineæ rectæ. Ta-
lia enim Matrimonia non levem ha-
Tom. II.

berent indecentiam. Per hoc ad 5.
Nam Ecclesiam non dispensare in
hoc gradu, non est ex defectu po-
testatis, sed defectu rationum. Ad
id enim requiruntur, causæ adeò gra-
ves, ut numquam occurrerint. Et
quia minus urgentes requiruntur ad
dispensandum in affinitate ex copu-
la illicita, etiam in 1. gradu, quan-
doque dispensatio conceditur. Imò
Trident. sess. 24. De refor. Matrim.
præcipit, ut in 2. gradu numquam
dispensetur, nisi inter magnos Prin-
cipes, & ob publicam causam. Hoc
non obstante, in Matrimoniis jam
contractis aliquando dispensatur in-
ter personas inferioris conditionis, ob
privatas causas, ut ad vitandum scan-
dalum oriturum ex separatione; ad
educationem proles, alioquin mise-
rabiliter peritura; ad subveniendum
paupertati, & honori puellæ &c.

De impedimento impotentia.

230 Impotentia in præsentia „ est
„ inhabilitas ad habendam copulam
„ carnalem perfectam, & comple-
„ tam, per vasis foemineæ penetra-
„ tionem, & emissionem seminis in-
„ tra ipsum. Hæc impotentia alia est
„ perpetua: alia temporalis: alia ab-
„ soluta: alia respectiva: alia natu-
„ ralis, & interna: alia externa ar-
„ tificialis. Perpetua dicitur, quæ
tollitur non potest sine miraculo, vel
peccato, vel evidenti mortis pericu-
lo. Temporalis est, quæ per remedia
licita tolli potest. Absoluta dicitur,
quæ est respectu omnium. Respecti-
va, quæ est respectu unius, & non
alterius. Naturalis interna, venire
potest ex pluribus causis: vel ex ni-
mia frigiditate in viro, quæ reddit
copulam impossibilem: vel nimius
ardor, quo fit, ut statim ante copu-
lam effundatur semen, nec copulam
possit perficere: vel nimia in foemi-
na arctatio, quæ naturaliter non pos-
sit à viro penetrari. Externa artifi-
cialis provenit ex amputatione utri-
usque testiculi, aut membri genita-
lis.

lis. Alia est impotentia ex maleficio proveniens, & ope dæmonis, ne vir possit coire: & alia ex defectu potentie rationalis, uti in amentibus, & furiosis. Denique impotentia alia est antecedens, quæ Matrimonium præcedit: alia subsequens, quæ eidem jam contracto supervenit. Et suppono, Ecclesiam dispensare non posse in impedimento impotentie: nam adversatur, ante quamcumque Ecclesie constitutionem, ex ipsa rei natura, Matrimonii substantiæ. Unde optimè dixerunt DD. Angelicus, Seraph. & Subt. quod quamvis actus carnalis copulæ non sit de essentia Matrimonii: potentia tamen ad actum ad illius essentiam attinet. Nunc quaeritur: quænam ex illis impotentibus dirimat Matrimonium?

231 Dico 1. *Impotentia antecedens absoluta, & perpetua, Matrimonium dirimit, sive cognita sit, sive non: non verò Matrimonium solvit impotentia, illud subsequens.* Prima pars est communis contra paucos, existimantes, aliquos cum tali impotentia posse velle nubere, cum intentione castè vivendi, ut frater, & soror. Isti verò, inquit Doct. magis fortè desponsant divitias, quàm personas. Prob. à Doct. dist. 34. triplici invictissima ratione. Prob. etiam ex cap. *Quod sedem*, ubi Alexand. III. decernit, quod qui impotentes sunt minimè apti ad contrahendum Matrimonium reputentur. Et Cælestin. III. cap. *Laudabilem*, statuit: *Ut si mulier per justum iudicium de viro probare potuerit, quod cum ea coire non possit, accipiat alium.* Confirm. talis impotentia ex natura sua opponitur essentia hujus Sacramenti, cujus finis intrinsecus est procreatio, hoc est, aptitudo ad illam, ut ait Scotus; sed hic finis nec intendi potest, nec haberi ab impotente: ergo. Quod autem cognoscat, vel ignoret impotentiam, nihil juvare potest, ut non sit impedimentum dirimens. Præterquamquod Bulla Sixti V. *Cum frequenter*, absolutè statuit impoten-

tiam hanc esse impedimentum dirimens, quin de impotentia cognita, vel non cognita, distinguat. Secunda pars, nempe, per impotentiam subsequentem non dirimi Matrimonium, intelligi debet, etiamsi hæc præcedat Matrimonii consummationem. Ratio est; quia Matrimonium semel validè contractum, non potest dissolvi, nisi altera pars ante consummationem profiteatur in Religione.

232 Arg. Tum: senes possunt nubere validè; sed senes sunt impotentes: ergo impotentes possunt validè nubere. Maj. patet ex facto Davidis cum Sunamitide. Tum: non repugnat Matrimonium sine copula: ergo copula non est de ejus essentia: ergo nec impotentia ad illam est impedimentum illud dirimens; quia cum illa essentia ejus subsistit. Tum: qui cognoscit se impotentem, potest accipere fœminam, ut ea utatur, tamquam sorore, & hoo Matrimonium teneret: ergo impotentia cognita non dirimit. Prob. anteced. ex cap. *Requisisti*, ubi Gregor. I. dicit: *Si frigidus non potest uti fœmina pro uxore, habeat eam ut sororem: aut maneat inuupti.* Et Lucius III. cap. *Consultationi*, dicit: *Ecclesia Romana consuevit in consimilibus judicare, ut quas uxores habere non possunt, habeant sorores: ergo impotentia vinculum non solvit, & tale Matrimonium cum illa intentione valet.*

233 Ad 1. disting. maj. Si possint consummare Matrimonium, concedo: si non possunt, nego. Ex facto Davidis nihil concluditur; quia licet dicatur, quod non cognovit eam, non sequitur, quod non potuerit cognoscere. Ad 2. disting. antec. sine copula actuali, concedo, & hæc non est de essentia Matrimonii: sine copula aptitudinali, seu possibili, nego. Ratiocinatio actualis non est de hominis essentia: benè verò rationalitas. Sic copulatio non est de Matrimonii essentia; est verò potentia,

seu

seu copulabilitas. Ad 3. nego antec. Ad textus dico, quod Gregor. non dicit, quod potuerint nubere cum ea intentione, sed solùm, quod possunt sic manere, dum post contractum reperiunt se impotentes. Et jubet, ut maneat inuupti, & quod mulieres aptæ nubant aliis, si velint. Lucii decretum non dicit, illud Matrimonium, scienter contractum, valuisse, nec quod illi sint verè conjuges. Unde Glossa ait: *Nota, quod poterunt simul manere, si consentiantambo, non ex vi conjugit, sed amicitie, quasi fraternæ.* Unde illud decretum tantùm est consilium. Pro aliis advertendum, Matrimonium Eunuchorum, & spadonum, numquam fuisse validum. Unde quando Sixtus V. jussit illos à consortibus separari, & deinceps inhabiles ad contrahendum haberi, illorum Matrimonia non hoc ipso irritavit, sed declaravit, ex se nulla esse.

234 Dico 2. *Qualibet impotentia temporalis, & quæ aufertur potest per media licita, & sine mortis periculo, non dirimit Matrimonium.* Sequitur à contrario, quod dirimit, & quod reputanda est pro impotentia absoluta, si aufertur nequeat per licita media, & sine periculo mortis. Patet; quia si per media illicita intendatur tollere impotentiam, committeretur peccatum, quod numquam est licitum: & quod licitè fieri non potest, absolutè fieri non potest: ergo talis impotentia absolutè esset impedimentum dirimens. Idem est de periculo mortis; quia nemo potestatem habet supra suam vitam: ergo, ut se ad Matrimonium habiliteret, non potest exponere illam. Unde, qui docent, mulierem teneri pati incisionem, quod cum Poncio negant plurimi, intelligi debent, casu, quo incissio non sit valde periculosa, aut nimis molesta. Quod spectat ad impedimentum ex maleficio, certum est apud Zachiam, celebrem medicum, impotentiam, quæ maleficii effectus esse creditur, oriri sæpe, vel ex vere-

cundia, & pudore, vel ex nimio amore, vel ex infenso odio sponsæ, quam vir, aut invitus, aut invitam, duxit.

235 Adverte 1. quod licet cap. *Continebatur*, impuberes declarentur inhabiles ad Matrimonium, ob impotentiam coeundi, & hæc impotentia sit temporalis, non sequitur: ergo impotentia temporalis est impedimentum dirimens. Ratio est; quia hoc impedimentum tantùm est jure Ecclesiastico, & durante impubertate: in quo impedimento Ecclesia dispensare potest, ut cernitur cap. 2. de *Desponsat. impub.* Unde in Principibus etiam impuberibus, ob bonum pacis, dispensatio expedit aliquando. Adverte 2. Hermaphroditas, si contrahant, secundùm sexum prævalentem debere contrahere. Quis verò sexus prævaleat, per inspectionem expertorum dijudicandum est. In hac verò materia Parochus non debet tali conjugio præsentiam adhibere, quin prius judex Ecclesiasticus de sexus prævalentia cognoverit, & exegerit declarationem, juramento firmatam, numquam deinceps altero sexu ad Matrimonium utendi.

236 Dub. *Quid fieri debeat, si dubium sit: an impotentia sit perpetua, aut temporalis: Matrimonium antecedens, vel consequens?* Respond. 1. qui cum tali dubio contrahit, peccat mortaliter: Tum; quia Sacramentum exponit. Tum ex periculo inferendi præjudicium alteri parti. Cæterum, si cum tali dubio contrahit, poterit petere, & solvere, toto tempore ab Ecclesia concesso, *ut tentet, an copulam perfectam possit habere?* Si autem Matrimonio contracto, dubitatur, si impotentia adsit, vel non? Si est perpetua, aut temporalis? Pars dubitans probare, & tentare debet, ut se certificet. Ad hoc permittit Ecclesia, ut per triennium conjuges experiantur, an Matrimonium consummare valeant? Interim verò licitum est eis, quidquid sponsis licet: & si hinc quandoque sequatur pollutio, per

ac-

accidens sequi censetur. Elapso triennio, si inveniatur Matrimonium non esse consummatum, iudicio Ecclesie dissolvitur, docent D. Thom. & Scotus: non autem sola auctoritate partium: tum; quia alias oriretur scandalum, cum tales pro legitimis conjugibus habeantur. Tum; quia facile contingeret, ut alter, vel uterque, pertæsus mutæ cohabitationis, fictitiæ impotentiae labem alteri imponeret. Unde autem incipiat triennium ad experientiam permissum, non convenit inter jurisperitos. Alii inchoandum esse censent à die celebrati Matrimonii: alii à die sententiæ iudicis Ecclesiastici. Si elapso triennio, necdum constat certò de impotentia perpetua, res tota ad Episcopum est deferenda, qui, juxta locorum leges, variè iudicat, & demum partes separat. Si autem postea deprehendatur in alio Matrimonio potens, qui iudicatus erat impotens, prius conjugium debet reintegrari, quidquid Gilbertus cum aliis reclamet. Ratio est; quia primum Matrimonium fuit validum, consequenter 2. fuit nullum. Ita decrevit Innocent. III. & est verissimum apud Theologos.

237 Respond. 2. Si impotentia certa est, & solum est dubium: *An antecedit, vel subsequatur Matrimonium?* Si est impotentia intrinseca, existimari debet antecedens. Ratio est: Tum; quia quæ à natura insunt consequenter, præsumuntur infuisse antecedenter. Tum; quia sic melius consulitur bono prolis, vitaturque periculum incontinentiæ in altera parte potente, quæ cum altero potest contrahere, & prolem generare. Si verò impotentia est extrinseca, & pars potens paulopost contractum Matrimonium reclamatur, debet etiam præsumi, Matrimonium præcisisse. At verò si duo, aut tres anni elapsi sunt post Matrimonii contractionem, & toto illo tempore, nec altera pars reclamavit, nec dubium fuit de tali impotentia, hæc debet præsumi Ma-

trimonio posterior. Sic sentiunt Sanchez, Reiffenstuel, & Theologi communiter.

Hic Sumistæ plures excitant casus, apud ipsos videndos. Pertractant etiam de debito conjugali: de variis modis, & experienciis; ad cognoscendum: an impotentia sit, naturalis, aut accidentalis? perpetua, aut temporalis? necnon & de variis peccandi modis, quibus in reddendo debito conjugali conjuges inquinari solent. Verum rationabilius abstinendum esse censui ab ejusmodi sordium ventilatione, quam illis pios, ac religiosos animos labefactare. Si necessarium fuerit, passim in AA. reperientur: sed faxit Deus, ut quæ ex necessitate dicta sunt, ex sola necessitate legantur.

De Parochi, & testium, præsentia.

De Matrimonii clandestini nullitate, de illiusque perpetua prohibitione, tot diximus supra Disput. 2. quæst. 4. à num. 122. usque ad num. 131. ut fere nihil dicendum restet de illius solemnæ publicitate. Solum igitur erga præsentiam Parochi, illius qualitates, & testium, promovendas, ac resolvendas puto aliquas difficultates: quæ omnia patefient per sequentes assertiones.

238 Dico I. *Parochus debet esse illius loci, in quo contrahentes domicilium, aut quasi domicilium, habent; aut est proprius Parochus unius illorum saltem.* Nomine Parochi in præsentia venit, nedum, qui Beneficium curatum habet, & cui cura animarum annexa est, sed etiam Episcopus in sua Diocesi, suus Vicarius generalis, omnis superior Ecclesiasticus, qui ordinariam jurisdictionem habet, & etiam delegatus à proprio Parocho. Hic proprius Parochus est illius loci, & Parochiæ domicilii, aut quasi domicilii contrahentium, aut unius illorum, quin sufficiat Parochus loci, ubi contrahentes nati sunt. Ratio est; tum; quia

Tri-

Trident. exigit præsentia proprii Parochi, qualis solum est iste: nam ratione domicilii, aut quasi domicilii, fit quis Parochianus illius Ecclesie. Tum; quia sic declaratum est à Sac. Congreg. Concilii, quam declarationem adducit Reiffenstuel lib. 4. Decret. tit. 3. Pro vagis verò, & Peregrinis, advertendum est, Parochum illorum illum esse, qui assistit in Parochia, ubi contrahunt: non verò debet assistere, nisi sibi constet de contrahentium libertate; & postea Episcopum adeat, antequam Matrimonium celebret. Sic dispositum est à Trident. sess. 24. cap. 7. dicente: „ S. Synodus monet, ne „ hoc genus hominum vagantium „ facile ad Matrimonium admittant... „ Parochi autem, ne illorum Ma- „ trimoniis intersint, nisi prius diligenter inquisitionem fecerint, & „ re ad Ordinarium delata, ab eo, „ id faciendi licentiam obtineant.“ Et quòd Matrimonium sit validum, quamvis solus unus contrahentium, sit vagus, constat ex Declarat. S. Congreg. Cardin. dicente: *Parochus vagabundi, potest esse omnis, ubi reperitur, licet adsit certus Parochus mulieris.*

239 Dico II. „ Parochus regulariter debet esse Sacerdos: non tamen necessariò: benè tamen debet esse delegatus à Parocho. *Prob. nam Trident. loquitur de Parocho, vel alio Sacerdote de ejusdem Parochi, vel Ordinarii licentia:* „ ergo sicut Parochus est Sacerdos regulariter, sic regulariter, assistens Sacerdos debet esse: Et sicut aliquis, nondum Sacerdos, potest institui Parochus, ita, ut talis, poterit assistere Matrimonio: nam hæc assistentia, ut Brancatus advertit, non est actus consecrationis, sed jurisdictionis Parochialis. Unde S. Congreg. declaravit: *Non esse irritum Matrimonium, cui adfuerit Parochus, nondum ordine Sacerdotali donatus.* Nec obstat, quòd Concilium dicat: *Vel alio Sacerdote de licentia ipsius*

Parochi: nam particula *alius* non semper est relativa ad similem rem, ut constat ex cap. 23. Lucæ, ubi loquens de Christo dum ad crucifigendum ducebatur, dicit: *Ducebantur, & alii duo nequam cum eo.* Non enim verba Concilii sunt relativa, ut communiter DD. sentiunt; sed quia regulariter Sacerdos est, ita loquitur. Deputatus verò à Parocho, necessariò debet esse Sacerdos ex ipso Concilio.

240 Ex his colligitur 1. Parochum proprium assistere posse Matrimonio in alia Parochia, aut loco, in quo nullus contrahentium est domiciliarius, nec parochianus. Ratio; quia Concilium solum requirit præsentiam proprii Parochi, aut de ejus licentia alterius Sacerdotis, quin exigat, quòd sit in sua Parochia. Constat etiam ex Declarat. S. Congreg. quam adducit Fagnanus, & Potesta: & sic etiam sentit Reiffenstuel, Sanchez, ac plurimi alii. Cæterum hoc intelligitur de solo Matrimonio, sine benedictionibus nuptialibus; quia istas non potest Parochus tribuere extra territorium. Sic intelliguntur aliqui textus Canonici in contrarium allegati. 2. Quòd in Diocesi Calagurritana, & in Archiepiscopatu Burgensi, in quibus ipsi Archiepiscopus, & Episcopus sunt proprii Parochi, illi quos constituunt Parochos, etiam delegare possunt. Ratio est; quia isti sunt delegati ad universitatem causarum, erga officium, & administrationem Parochialem, & qui ita delegantur sine limitatione in tali officio, & ministerio, etiam delegare possunt: nam ut Potesta, Clericatus, Fagnanus, & Canonistæ plures docent, *delegatus ad universitatem causarum*, subdelegare potest: non autem, qui fuerit delegatus ad aliquem casum particularem.

241 Dico 3. „ Parochus excommunicatus, irregularis, interdictus, aut suspensus, dummodo non sit privatus, aut suspensus ab officio Parochi, potest assistere Ma-

„ tri-

Matrimonio validé: non tamen licité. Est communior. Prob. Tum ex quadam Declarat. Congreg. Cardinal. apud Brancatum, quæ talis est: *Matrimonii validitati non obstare, quod Parochus sit suspensus, aut irregularis.* Tum ex Trident. quod non exigit, nisi præsentiam Parochi: Ergo quoad præstare. Sed per excommunicationem, irregularitatem, & suspensionem præcisé, non cessat esse Parochus: ergo. Tum; quia in ipsis nubentibus, qui Ministri dicuntur, non irritatur, si nubant in statum censurarum: ergo nec in Parocho. Dixi: *non tamen illicité*; quia per illas censuras prohibentur omnes illi actus sacri. Nec dicas, quod actus ille in Parocho est jurisdictionis, & excommunicatus omni jurisdictione caret. Non enim est actus jurisdictionis propriæ, sed nudus actus officii Parochialis, ex Decreto Concilii. Unde, sicut non est privatus officio, ut suppono, ita nec tali functione quoad valorem. Et patet; quia ipso præsentem, & in Matrimonium non consentiente, adhuc valere potest. Sufficit igitur nuda præsentia, ut præveniatur vitium clandestinitatis: seu, ut loquitur Congreg. Cardinal. *præstat solam præsentiam ad effectum tollendi clandestinitatem.*

242 Sequitur 1. validum fore Matrimonium, quamvis testes sint excommunicati, infames, aut alio quocumque defectu notati, dummodo habeant usum rationis, sive mulieres, Religiosi, hæretici, aut quicumque alii, qui jure positivo sunt inhabiles, dummodo tales non sint naturali jure. Reyffensuel 4. Decret. tit. 3. & est communis. Ratio; quia Tridentinum solum vult duos, aut tres testes, quin qualitatem aliquam in illis exigit: atque adeo vox *testium* extendi debet ad omne, quod significatio vocis extenditur, sine illa exceptione, & rigore, quo jus civile procedit in qualitibus testium assignandis. Sequitur 2. quod qui duas

Parochias, aut domicilia simul habet, partem unam anni habitando in una, & aliam partem in alia, cum æquali morali permanenti saltem, contrahere potest in quacunque anni parte coram Parocho cuiuslibet Parochiæ ex duobus locis: nam tam unus, quam alius est verus illius Parochus. Ita Sanchez contra plures, dicentes, solum posse contrahere coram Parocho illius loci, quod tunc temporis habitat, aut in quo actualiter residet.

243 Dico IV. *Præsentia Parochi debet esse nedum physica, sed etiam moralis: ita ut, ea, quæ fiunt, advertat: non tamen necessarium est, ut consentiat, sed sufficit præsentia, etiam coacta.* Constat prima pars: nam ideò maximè requiritur hæc præsentia, ut vitetur clandestinitas, & Polygamia; sitque Parochus testis illius Matrimonii; sed ad hoc non sufficit sola præsentia physica, & corporalis, sine advertentia, & attentione morali ad ea, quæ fiunt, ut si esset ebrius, aut dormiens: aliàs adhiberetur testis dormiens, ut olim milites à Judæis contra Christi Resurrectionem: ergo præter physicam, requiritur etiam præsentia moralis. Prob. secunda pars ex Decr. S. Congreg. apud Brancatum, ubi quaeritur: *An, si invitatus, & compulsus per vim Parochus, contrahatur Matrimonium, etiam præcedente prohibitione Ordinarii, tale Matrimonium subsistat?* S. Cong. respondit: *Subsistere.* Ubi declaratur, validè contrahi coram Parocho, contra Episcopi prohibitionem, & Parochi voluntatem: ergo non requiritur, quod iste volens adsit, modo adsit videns, & intelligens. Quare si Parochus sub prætextu alterius negotii vocaretur cum dolo, ut assisteret Matrimonio, & ille sic coactus, affectet, *se non audire, non videre, non intelligere &c.* si tamen in rei veritate audiat, & intelligat sufficienter ad testificandum, illos contraxisse Matrimonium, erit validum. Sic intelligit Sanchez. Decla-

clarationem quandam S. Congregat. Concil. quæ sic dicit: *Congregatio censuit, non valere Matrimonium, si Sacerdos non intellexit: nisi tamen affectatum esset, non intelligere.* Ex quo videtur sequi, quod si Sacerdos non intellexit, Matrimonium non valet: Si tamen intellexit, valet, quamvis actione, aut demonstratione quacunque affectet, non intelligere. Idem dicendum est de testibus, si audiunt, vident, aut intelligunt, modo quo testificare possint de Matrimonio: & hoc, ut dixi, quamvis aliunde ex aliquo jure fidem non facerent in judiciis. Requiritur verò 1. quod Parochi, & testium præsentia sit simultanea, hoc est, quod dum Matrimonium contrahitur, simul assistant. 2. Quod omnes illos contrahentes cognoscant, modo quo testificari possint, tales personas Matrimonium contraxisse.

244 Quæres 1. *Si duo domicilium suum relinquunt vero animo; sed cum fine nubendi extra illud, & antequam aliud acquirant, contrahent in loco, per quem transeunt: valebit ne Matrimonium, coram Parocho illius loci contractum?* Respond. affirmativè cum Sanchez lib. 3. disp. 25. Ratio; quia tales, qui vero animo domicilium suum reliquerunt, antequam aliud acquirant, sunt verè vagi: & Parochus istorum est illius Parochiæ, in qua inveniuntur, ut dictum est num. 238. Si dicas: *fraus, & dolus, alicui patrocinari non debent.* Respond. tunc non esse fraudem, nec dolum propriè; quia suum relinquendo domicilium, utuntur suo jure: & ut lex 55. ff. de Regul. jur. *Nullus autem videtur dolo facere, qui utitur jure suo.* Si tamen sine animo vero relinquendi suum domicilium, ut legem Trident. fugerent, transirent ad locum, ubi Concilium in hac parte præsentiam Parochi, & testium non est promulgatum, tunc Matrimonium sine istorum præsentia esset nullum. Sic duplici declaratione S. Congreg.

Tom. II.

Concil. constat ad duplex dubium, ab Archiepiscopo Coloniensi propositum. 1. An retinentes domicilium in loco, in quo Concilium in hoc puncto est promulgatum, validè possint contrahere, ubi non est promulgatum? 2. Si solo animo, absque Parocho, & testibus contrahendi, se transferant, habitatio nem non mutant? *Responsio fuit hæc: Non esse legitimum Matrimonium inter sic contrahentes cum fraude.* Quam responsionem Urbanus VIII. anno 1627. sic confirmavit: *Resolutionem hujusmodi auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & laudamus.* Ex quibus sequitur, quod si serio animo suum reliquissent domicilium, & illo relicto, in illas partes se transferrent, Matrimonium valeret; quia in tali casu reputantur vagi, de quibus non loquuntur declarationes prædictæ.

245 Quæres 2. *Quis sit Parochus militum, qui sunt in castris, aut exercitu?* Respond. quod si milites Capellanum habent, qui vel à Sede Apostolica, vel ab Ordinario Diocesis, in qua resident, facultatem specialem habeat ad Sacramenta illis ministranda, tunc iste erit proprius illorum Parochus, & poterit assistere Matrimonio. Si verò facultatem hanc, aut titulum non habeat, in tali casu Parochus est illius Parochiæ, in qua Matrimonium celebratur; quia cum milites existentes in castris, vel exercitu non habeant domicilium, de illis, sicut de vagis, est discurrendum. Sic fuit declaratum an. 1707. à S. Congreg. Concil. ut refert Reiffensuel 4. Decretal. tit. 3. Sed quid, si sit communis error, & assistens Matrimonio non est verus Parochus, sed ut talis habetur? Erit ne Matrimonium validum? Respond. validum esse absdubio, si error est communis, & adest titulus. Si tamen est error communis sine titulo? Plures DD. dicunt esse nullum: & plures esse validum; quia Ecclesia æqualiter supplet in uno, ac in alio casu. Vide

Xxx

dic-

dicta Tract. 6. de Sacram. Pœnitent. disp. 4. de de Minist. pœnit. sub q. 3. de *Errore communi* n. 543.

[De impedimento Raptus.

246 Raptus, impedimentum Matrimonii, est adductio violenta fœminæ de loco ad locum ad contrahendum cum ea Matrimonium. Unde ad hoc impedimentum requiritur. 1. *Violenta adductio*: nam si consentiat, ut sæpe contingit in puellis, quæ sic prætentunt se excussare de inobedientia in Parentes, contra quorum voluntatem volunt cum raptoribus nubere, tunc non est propriè raptus, secundùm ecclesiasticas leges: benè verò secundùm civiles, quæ non permittunt, filios nubere, parentibus invitis. Ideò respectu puellæ, potius est fuga, quàm raptus. Unde hic raptus non est impedimentum ecclesiasticum. *De loco ad locum*: nam si fiat violentia in propria domo ad contrahendum, hoc pertinet ad vis, seu violentiæ impedimentum. *Ad contrahendum cum ea Matrimonium*: nam si fiat ad explendam libidinem, erit oppressio, & stuprum: non autem, saltem propriè, & in rigore Concilii, impedimentum raptus. Concilium enim non considerat violentiam illam, nisi in ordine ad Matrimonium, ut consulat libertati fœminæ ad illud. Erit tamen crimen enormissimum, & graviter puniendum. Si verò post raptum in libertate relinquitur, & illa spontè vult nubere, validum erit tunc Matrimonium, ut declarat Tridentinum sess. 24. Et sufficit ad raptum,

quòd fiat, non formali violentia, sed dolo.

247 Quæres: *An hic raptus, & hoc impedimentum, incuratur ex parte fœminæ, si virum invitum rapiat ad contrahendum?* Negant gravissimi Theologi, cum quibus noster Gonzalez consentit. Ratio est; quia Tridentinum solùm assignat impedimentum dirimens, raptum fœminæ, sive virginis, sive corruptæ, honestæ, aut non honestæ. Cùm autem impedimentum sit odiosum, extendi non debet ad viri raptum. Alii affirmant: nam licèt ordinariè violentia hæc in fœminis fiat à viris: tamen si aliqua potens fœmina, ita raperet virum per suos, ut eum cogeret ad nubendum cum ipsa, non videtur, cur canonica lex non suffragetur viro illi, æquè ac fœminæ, cùm Ecclesia sic voluerit consulere libertati Matrimonii, quæ tam necessaria est ex parte viri, quàm fœminæ, & in rebus Matrimonii se habeant correlativè. Ratio hæc satis mihi placet. Denique omnino est certum, nempe, raptorem, & raptus factores, incurere pœnam Excommunicationis majoris, infamiæ perpetuæ, ac inhabilitatis omnium dignitatum. Hæc incurritur ipso facto: attamen reservata non est excommunicatio, ut Sanchez probat pluribus. Si Clerici sint, incurrunt ordinum suspensionem, ac Beneficii privationem: istæ verò pœnæ sunt ferendæ. Præterea, raptor tenetur fœminam raptam decenter dotare, ad arbitrium prudentis judicis. Hoc totum constat ex Trident. sess. 24. *De reform. Matrim.* cap. 6.

DISPU-

DISPUTATIO V.

DE DISPENSATIONE IMPEDIMENTORUM.

Cum ea omnia principaliora, quæ ad impedimenta Matrimonii, tam impedientia, quàm dirimentia attinent, explanata sint, breviter, ut nihil omnino prætermittamus, aliqua de potestate dispensandi in illis, & de necessariis ad debitam dispensationem, subjungemus.

QUÆSTIO I.

Quis dispensare possit in impedimentis Matrimonii?

248 Quæ sint impedimenta Matrimonii impedientia, diximus disput. præced. num. 165. Et quæ sint dirimentia? n. 173. Pariter dictum manet in singulis eorum, quo jure unusquisque dirimat, vel naturali, vel divino, vel humano: & de illis universim constat quæst. 1. num. 164. Nunc est advertendum, quòd quamvis dictum sit, consanguinitatem in linea recta dirimere jure naturæ in omnibus gradibus; & etiam in primo gradu lineæ transversalis, ut sunt frater, & soror: hoc tamen solùm est opinabile, cùm plures sint graves Theologi, & Thomistæ præsertim, qui docent, non dirimere in linea recta jure naturali, nisi ad quartum usque gradum; & in linea transversa in nullo gradu dirimere, nisi jure Ecclesiastico. Quare, dum adest duplex verè probabilis opinio, potest Pontifex dispensare in illo impedimento, de quo controvertitur: *An sit, nec ne, de jure naturali, & divino?* Nam in tali dubio pro sua suprema potestate stare debet possessio: Nunc

Tom. II.

249 Dico I. Pontifex dispensare potest in omnibus impedimentis, tam impedientibus, quàm dirimentibus jure Ecclesiastico. Prob. impedimenta Matrimonii impedientia sunt interdictum Ecclesiæ, tempus feriarum, votum, & sponsalia; sed duo prima sunt ex Ecclesiæ dispositione, & jure, supra quod est Pontifex: ergo potest in illis dispensare. Sed etiam potest in voto, & sponsalibus, cujus obligatio fundata est in actibus voventium, & contrahentium, super quos Papa auctoritatem habet, pro debita gubernatione fidelium, ut suis in locis manet dictum: ergo. Confir. Papa Matrimonium ratum dissolvere potest: ergo multo meliùs sponsalia. Episcopus dispensare potest interdictum, à se, vel à suo inferiori impositum. Potest etiam in voto simplici castitatis, & Religionem ingrediendi, dummodo non sint reservata, ex defectu alicujus conditionis requisitæ. Potest etiam justa de causa in proclamationibus: non verò in sponsalibus. Quòd Pontifex dispensare possit etiam in dirimentibus jure Ecclesiastico, est etiam indubium, cùm sit Ecclesiæ Princeps supremus: non verò potest in dirimentibus naturali jure, præsertim si de illo certò constet, juxta dicta num. ant.

250 Dico II. Episcopus dispensa-

Xxx 2

sa-

sare potest in aliquibus casibus in impedimentis dirimentibus jure Ecclesiastico. Est sententia communior contra Soto, & praxi stabilitur. Ut autem dispensare possit, quatuor requiruntur conditiones. 1. Quod Matrimonium contractum sit bona fide, in facie Ecclesie, & cum solemnitatibus debitis. 2. Quod impedimentum sit occultum, hoc est, quando totaliter est secretum, aut si duo, aut tres viri prudentes sciant, de illiusque publicatione non timetur periculum. 3. Quod adsit causa, & necessitas gravis dispensandi, & 4. quod necessitas urgens sit, & talis, quod sine scandalo, aut periculo spiritualis ruinæ, recursus ad Papam fieri non possit. Si enim sine gravi detrimento incontinentiæ, aut infamiae periculo, potest fieri recursus, tunc non poterit dispensare Episcopus: quia talem facultatem solum habet pro casibus urgentis necessitatis, & quando damna non possunt aliter vitari. Hinc sequitur, pauper-tatem conjugum, aut impossibilitatem adire Romam, non esse causam per se, ut Episcopus dispenset: nam in his casibus occultis, in quibus Episcopus dispensaret, tantum est pro foro conscientie: & in illis recursus fit scripto ad Sac. Pœnitentiariam, quæ omnino, & quoad omnia gratis dispensat.

251 Prob. 1. resolutio; quia quamvis Episcopus dispensare non possit regulariter in legibus Pontificiis, & Apostolicis constitutionibus: tamen in casibus prædictis urgentis necessitatis, & in quibus recursus ad S. Sedem est difficilis, optimè potest, vel à jure, vel ex tacito consensu Papæ, qui scit, sic communiter sentire DD. Semel autem quod sciat, & permittat, hanc doceri opinionem, hoc ipso facultatem tribuit: aliàs deficeret in rebus gravissimis Ecclesie, tolerando nullitatem dispensationis. 2. Quia ex communi doctrina DD. potest Episcopus in sua Diœcesi quidquid in universali Eccle-

sia potest Pontifex, illis exceptis rebus, quas Papa reservat sibi, & quæ ad statum universæ Ecclesie attinent, ut *Articulos fidei definire, Sanctos canonizare, & similia* his. Ratio est; quia Episcopus, etsi Papæ subordinatus, est suæ Diœcesis Pastor Ordinarius. Ergo in omni eo, quod ad regimen sui Episcopatus, & ovium spirituale pastum attinet, dispensare potest, si Papa non limitet, aut sibi specialiter reservet: ergo cum verisimile non sit, in casibus urgentis necessitatis facultatem dispensandi sibi soli reservare, Episcopus illam habere debet. Ex quo sequitur, Episcopum hanc dispensandi facultatem delegare posse: nam talis facultas est ipsi ordinaria, & competens ratione officii Pastoralis: & qui sic jurisdictionem habet, ut communiter sentiunt Theologi, potest illam delegare. At verò in generali Episcopi delegatione suo generali Vicario, aut alio, hæc non intelligitur: Sed requiritur, ut isti possint in impedimentis dispensare, specialis delegatio ad talem dispensationem.

252 Hæc dicta sunt de facultate dispensandi post Matrimonium contractum: ex quo exurgit dubium: *an etiam possit Episcopus dispensare in impedimentis ante contractum Matrimonium?* Resp. affirmativè cum Sanchez, Reiffenstuel, gravissimisque Theologis: in casu tamen rarissimo, & necessitatis urgentissimæ, quæ raro occurret. Talis esset, si omnia hic, & nunc ad contrahendum Matrimonium essent parata, nulloque medio, ex pluribus, quæ in sponsis arbitrari possent, potest differri per aliquod tempus Matrimonii contractio, quin ex tali suspensione sequeretur infamia contrahentium, discordiæ familiarum, aut simile gravissimum damnum. Hic solus, aut similis potest esse casus. Prob. in tali casu, in quo ante contractum Matrimonium, esset impossibilis recursus, eò quod ex illius suspensione sequerentur scandalum, infamia, aut alia

alia gravissima inconvenientia, adest eadem urgentia, & ratio, quare potest Episcopus dispensare post contractum Matrimonium: ergo eadem ratione poterit in talibus circumstantiis dispensare ante Matrimonium contractum. Sicut enim, ubi eadem est ratio, eadem debet esse legis dispositio: Ita etiam Pontificis facultas, aut permisso. Sed advertendum, quod Episcopi dispensatio in impedimentis dirimentibus est pro foro interno, & conscientie tantum: ideoque dispensare non potest, si impedimentum sit, aut prudenter timeatur, fore publicum.

253 Quæres: *An alii, præter Episcopum in sua Diœcesi, possint in impedimentis hisce dispensare?* Resp. 1. Nuntium Apostolicum dispensare posse, ex vi officii, & legationis in territorio illi assignato, in impedimentis occultis, casibus, & circumstantiis, in quibus potest Episcopus in sua Diœcesi. Hi Legati Apostolici regulariter habent à Papa facultates dispensandi in votis, legibus, & in impedimentis aliquibus, post, & ante contractum Matrimonium: Iste verò facultates, cum non sint præcisè ex vi officii, sed speciales, sciri non possunt, quin ipsemet explicet, aut dispensando ipso facto, illas demonstret.

254 Respond. 2. *Commissarium Cruciatæ dispensare posse ex concessione Pontificis, in primo, & secundo gradu affinitatis, ex copula fornicaria resultantis.* Hanc dispensationem, ait Sanchez lib. 8. disp. 6. & est doctrina communis, potest D. Commissarius præstare, quamvis recursus ad Papam sit possibilis, & urgens non sit necessitas ad Commissarium recurrendi: nam, quamvis Papa esset præsens, modò sit causa dispensandi, ex vi privilegii illi concessi, dispensare posset. Attamen ad valorem talis dispensationis requiritur, quod Matrimonium jam sit contractum, servata solemnitate, & forma præscripta à Trident. quod im-

pedimentum sit occultum: quod bona fide, saltem ab uno contrahentium, in facie Ecclesie fuerit contractum: & quod pars impedimentum ignorans, instruat, ut revalidet Matrimonium: nam in Bulla privilegii hæc exigitur conditio. Et quia hæc dispensatio cum onere alicujus eleemosinæ concedi solet, oportebit, quod exprimat, si supplicator fuerit pauper.

QUÆSTIO II.

Quæ sint causæ dispensationis? Et quomodo hæc debeat postulari?

255 **P**Lures causas ad legitimè obtinendam impedimentorum Matrimonii dispensationem, assignant Canonistæ, Theologi, & quotquot practici sunt in stylo Romanæ Curie. 1. Est contrahentium prærogativa, & stirpes, ut Principes, & magni Domini. 2. Conservatio familiarum, illustris præsertim: & etiam merita specialia contrahentis in obsequio Ecclesie. 3. Vitare litigia, inimicitias, & contrahentium, ac sanguineorum discordias; pacemque inter illos firmandam: pariter ad vitandum scandalum in republica. 4. Artitudo loci contrahentium. Hæc loci artitudo, aut loci exiguitas, non intelligitur, præcisè materialiter, & respectu modicitatis vicinorum, ut volunt aliqui: sed intelligitur etiam, inquit Sanchez, semper ac verificetur, foeminam intra proprium locum non posse contrahere cum persona equali, nedum in origine, & divitiis; sed etiam in moribus, & indolis proportionati ad pacem, & unionem, quam Matrimonium exigit. Hoc enim sufficet ad dispensandum cum persona, cum qua adsit impedimentum. 5. Paupertas foeminæ, aut defectus dotis. Illa tamen dicitur pauper, quæ non habet dotem sufficientem, ut nubat cum persona sibi æquali: nam si propter dotis defectum con-

contraheret cum non equali, in sua familia regulariter orirentur inimicitiae, & plures discordiae. 6. Aetas foeminae, quae excedat 25. annos etatis, & quod antea nupta non fuerit: nam ista causa solum admittitur pro primis nuptiis. 7. Copula cum affine, aut consanguinea, si sit publica: & etiam, si foeminae ex familiaritate cum consanguineo sequatur infamia, eod quod suspicetur in populo de illorum copula, quamvis rumor, aut suspicio sit falsa. 8. Matrimonium contractum bona fide ex parte unius saltem, & in facie Ecclesiae cum impedimento dirimente. Si hoc Matrimonium fuit consummatum, & praesertim si inde proles habetur, facilissima est dispensatio. Denique: *per causas rationabiles*. Haec causa sic generaliter exposita, quin in particulari assignetur aliqua, profertur, rogando Papam, ut dispenseret: qui dispensare solet cum majori onere pecuniae, in Captivorum redemptionem, vel in expeditionem contra Turcas applicatae. In impedimentis facilius dispensatur cum Principibus, ac Nobilibus, quam cum aliis: & haec de prima quaest. parte.

256 Pro secunda parte quaeritur: *Quid in deprecatione exprimi debeat, ut dispensatio obtineatur bona, ac legitima, & non sit subreptitia, aut obreptitia?* Respondet Reiffenstuel in Append. de Dispens. §. 4. exprimi debere in deprecatione humili quotquot ex jure, aut ex stylo curiae petitur exprimi. Adeo ut, si aliquid ex illo praetermittatur, taceatur, aut occultetur, nulla foret dispensatio: & hoc, quamvis id, quod taceretur, esset tale, quod si exprimeretur, adhuc Papa dispensasset. Est communis, dicit, contra aliquos: & addit: quod si taceatur aliquid, quod nec ipso jure, nec ex stylo curiae, exigitur exprimi, dispensatio valida esset: licet sit tale, quod occultatur, quod Papa majori cum difficultate dispenseret, si manifestaretur. Nunc igitur, quia dispensatio postulari potest an-

te Matrimonium contractum, & post illius contractionem, in utriusque eventu aliqua oportet dicere sigillatim.

257 Itaque cum de Matrimonio contrahendo agitur, haec in generali faciendae sunt. 1. Impedimentum, super quo dispensatio petitur rite, & in suamet specie proponi debet, & non unum pro alio, etiam majus pro minori, v. g. *consanguinitas pro affinitate*: quia in dispensatione, argumentum a minori ad majus, aut vicissim, non valet. 2. Exprimi debent simul, in eademque supplicatione, impedimenta omnia ad Matrimonium relativa, & ut sunt in se. Si vero unum impedimentum v. g. *consanguinitatis*, sit publicum: aliud vero, v. g. *criminis*, sit occultum, tunc impedimentum publicum debet proponi in Dataria ad dispensationem pro foro externo impetrandam. Utrumque vero, tam publicum, quam occultum, *aperiri debet* in Pœnitentia, ut examinet, an, & qua conditione dispensare debeat. Et si quaeras: *an prius petenda sit dispensatio pro foro exteriori in Dataria, an pro interiori in Pœnitentia?* Existimo, quod si dispensatio obtentu difficilis videatur, melius est prius recurrere ad Pœnitentiam, ne inutilis, & non sine multo sumptu obtineatur dispensatio a Dataria. Si copula allegetur ab oratoribus in causam dispensationis, exprimi debet: *An ab utroque, vel ab uno fuerit habita sub spe facilius obtinendae dispensationis*: quod merito cautum est, ne quis ex peccato commodum reportet.

258 Si vero dispensatio petatur post Matrimonium jam contractum, quatuor exprimendae sunt necessariae. 1. An partes, vel una earum saltem, bona, vel mala fide contraxerint, nempe, cum notitia impedimenti? 2. An contraxerint ex spe facilius impetrandae dispensationis? 3. An etiam Matrimonium consummaverint? 4. An partes nesciae sui impedimenti, clan-

clandestinè, aut sine praemissis denunciationibus contraxerint: nam in his casibus dispensatio difficilius conceditur. Ex dictis colliges, non omnes dispensationes in eodem Tribunali concedi. Quando impedimenta sunt publica, recurritur ad Datariam: Dum vero occulta, ad S. Pœnitentiarum. Excipiuntur vero impedimenta *consanguinitatis, affinitatis* ex copula licita, & cognationis spiritualis, in quibus, quantumcumque sint occulta, raro, aut numquam dispensat Pœnitentia ad contrahendum: bene vero aliquando ad permanendum in Matrimonio contracto. Deinde, impedimentum censetur occultum, quando secretum est omnino, adeo ut, nulla ratione valeat probari: vel si cognoscitur a tribus, aut quatuor, nullum est periculum, ne divulgetur ulterius.

259 Præter hæc, quae generalia sunt omnibus impedimentis, quaedam exprimi debent, *de unoquoque* in particulari. Circa consanguinitatem exprimi debet 1. An sit in linea recta, vel transversali? & quo gradu utriusque. 2. Si partes duplici consanguinitatis vinculo conjunctae sint, explicandum est: & a fortiori, an habeant plura impedimenta diversae rationis. 3. Est exprimendus incoestus, seu copula, cum consanguinea, ante Matrimonium habita, & si est notoria, ac cum, vel sine spe dispensationis facilius obtinendae: & hoc etiamsi alia afferatur causa legitima obtinendae dispensationis, Si tamen copula est occulta, hæc simul cum consanguinitate, vel affinitate Pœnitentiarum est aperienda. Similiter in *affinitate* exprimi debet vinculi multiplicitas, si adsit, ut si quis peccaverit cum duabus consanguineis illius, quam vult ducere. Etiam gradus, & illorum distantia exprimi debent; & gradus propinquior, si sit inæqualis distantia graduum: nam quod in consanguinitate servatur, idem debere servari in affinitate, postulat jus, curiae styllus, & communis DD.

opinio. Etiam debet exprimi: an affinitas ex copula licita, aut illicita sit orta, cum dispensatio petitur super primo, vel secundo gradu: hoc enim necessarium est, ut intelligatur, an cum affinitate concurrat honestas publica. Hæc itaque, cum semper sit annexa copulae licitae, tacite exponitur, & dispensatur tacite, eo ipso, quo exprimitur, affinitatem ex copula licita ortam esse. Denique exprimendum est, an affinitas sit in linea recta, vel transversa? saltem si affinitas oriatur ex copula licita.

260 Circa honestatem publicam explicandum est, an oriatur ex sponsalibus, an ex Matrimonio, & in quo gradu sint, qui contrahere volunt. Circa cognationem spirituales exprimendum est 1. An ea sit paternitas, aut maternitas ex una parte, & filiatio ex altera: an tantum sit compaternitas, vel commaternitas: nam multo indecentius est Matrimonium inter patrem, & filiam spirituales, quam inter compatrem, & matrem ejusdem filiae. 2. An cognatio spiritualis sit duplex, ut eveniret, si Petrus levaverit ex sacro fonte filios illius, qui filios suos levavit. Non tamen est necessarium exprimere, an quis plures filios ejusdem suscepit in Baptismo, vel in Confirmatione; quia hinc non censetur multiplicata cognatio spiritualis, prout Clemens VIII. declaravit. Nec est necessarium, apud plures, ut exprimat, an cognatio spiritualis oriatur ex Baptismo, aut ex Confirmatione quia hæc nihil, vel parum mutant rem. Circa impedimentum *criminis* exponi debet: an sit ex machinatione conjugis: an ex solo adulterio sine machinatione: an simul ex utroque. Si enim fuerit ex machinatione, numquam dispensat Papa pro foro exteriori, & raro pro foro interiori.

261 Quæres: *quid dicendum, si partes, post obtentam Romae dispensationem, commercium carnale habere*

re inceperint? Resp. illico corruiere dispensationem à Dataria obtentam, ut probant praxis Romanæ Curiaë, & declaratio S. Congregationis, interpretis Concil. Trident. Unde, nisi Episcopus fruatur jure in his casibus dispensandi, obtinendæ sunt Litteræ, quas vocant *perinde valere*. Si autem partes ante petitionem dispensationis copulam habuerint, & expresserint, ac relabantur in idem scelus, semper valebit dispensatio, sive relabantur ante dispensationem, sive post dispensationem; quia S. Congregatio ita declaravit. *Sed quid erit, si copula erat occulta, quando dispensatio obtenta fuit, & postea publicata fiat, antequam ordinarius dispensationem executioni mandet?* Erit ne tunc Matrimonium validum, si Ordinarius dispensationem exequatur? Resp. negativè cum Reyffensuel, Sanchez, & est apud DD. commune.

QUÆSTIO III.

Quomodo scribendum sit ad dispensationem obtinendam?

262 **S**Tyllum, quo postulatio fieri debet, congruum est, esse simplicem, & sine ullo apparatu Verborum, quibus magis quam roboratur, dilaceratur supplicatio. Nihil autem interest, quod scribatur lingua vernacula, aut Latina, etsi hæc illi sit præferenda. Sed est maximè advertendum, aliter ad Datariam, & aliter ad Pœnitentiariam esse scribendum. In Dataria, aut Cancellaria, seu Præfectura, uti in tribunali pro foro externo, exprimi debent 1. nomina, & cognomina postulantium. 2. Diœcesis suæ habitationis: Et si postulatur ob angustiam loci, iste debet exprimi. 3. Impedimentum in specie, & si sunt plura, cum distinctione. 4. Gradus consanguinitatis, affinitatis, & honestatis: Si verò gradus sunt inæquales, exprimi debet proximior cum remoto. 5. Si impedimenta sunt plu-

ra, omnia in eademmet supplicatione debent exprimi, quin sufficiat separatim, in communiori opinione. Et idem de aliis causis, juxta dicta num. 256. & sequent. Et advertendum 1. quod error in gradibus non semper invalidat dispensationem: nam, si essent in 3. gradu, & poneretur in 2. ex errore, tunc valida esset: nam gradus proximior includit remotum ejusdem speciei; & Papa dispensante *expressè* in gradu 2. consanguinitatis, dispensat in 3. *tacitè*. 2. Quod error in nomine, aut cognomine, dispensationem annullat, non ex jure, sed ex stylo Curiaë, juxta Reyffensuel, & alios: alii verò oppositum sentiunt.

263 In Tribunali Pœnitentiariæ non exprimuntur vera nomina dispensandorum, sed ficta solum, v. g. *Caius, Bertha*, vel littera *A. B. &c.* nec nomen Diœcesis, neque gradus propinquior, nisi sit primus. Addo, quod in Pœnitentiaria nullæ expensæ solvuntur, sed omnia gratis expediuntur. Itaque ad obtinendam dispensationem à Pœnitentiaria, inscriptio supplicationis dirigatur ad majorem Pœnitentiarium, qui est unus ex Cardinalibus, in hunc modum: *Eminentissimo, & Reverendissimo Domino, Domino Cardinali Majori Pœnitentiariorum. Romam.* Intus autem Epistola, seu supplicatio, quæ his incipit verbis: *Eminentissime, & Reverendissime Domine.* Deinde proceditur ad impedimenti expositionem. Et si unus dumtaxat conjugum sit conscius impedimenti ex delicto occulto, uti fit sæpè, solus ipse in singulari supplicat, ficto nomine, quod fieri potest his ferme verbis: „hur-
„ militer exponitur Eminent. Vestra
„ pro parte N. vel Titii, quod post-
„ quam idem orator carnaliter cog-
„ novit Fabiam, postea ignarus im-
„ pedimenti, bona fide tractatum ha-
„ buit de contrahendo Matrimonio
„ cum sorore dictæ Fabiæ. Cùm au-
„ tem dictum impedimentum sit oc-
„ cultum, tractatus verò sit publicus,
„ &

„ & nisi ad effectum deducatur, scan-
„ dala exinde verisimiliter exori-
„ tura sint, cupit orator, ad vitan-
„ da scandala, & pro conscientia
„ suæ quiete, de præmissis, de qui-
„ bus summè dolet, absolvi, & se-
„ cum dispensari. Quare Eminentia
„ vestra humiliter supplicat, ut su-
„ per his de opportuno remedio, au-
„ thoritate Apostolica providere dig-
„ netur. Eminentia vestra responsum
„ dirigere dignetur ad me infra scrip-
„ tum. Hic exprimendum est nomen,
„ & cognomen illius, ad quem est
„ rescribendum. Nomen item Civi-
„ tatis, vel Oppidi, ad quem, vel
„ per quem rescribendum est: Et hæc
„ in lingua vulgari.

264 Si orator est impedimenti conscius, & jam Matrimonium est contractum, sic in supplicatione exprimitur. Cætera modo dicto: Vel hæc breviori methodo. „ *Titius, conscius (vel ignarus) impedimenti, contraxit in facie Ecclesiæ Matrimonium cum muliere, cujus matrem, vel filiam, vel sororem prius carnaliter cognovit. Quare cum absque scandalo separari non possint, & impedimentum sit occultum, humillimè supplicat pro absolutionis, & dispensationis remedio.* Dignetur &c. Quamvis autem dispensationis executio olim regulariter committeretur solum DD. in Theologia, vel jure Canonico, hodie verò facile conceditur simplici Confessario, cui pœnitens suam aperuit conscientiam, vel cui majorem habet aperiendi fiduciam. Et quamvis talis facultas Confessario Doctori committeretur, Religiosi Mendicantes, etiamsi nec Doctores, nec similem gradum habeant, Brevia Pœnitentiariæ exequi possunt. Dispensatio itaque quæ est à Pœnitentiaria semper est ad Confessarios directa [quæ est à Dataria, Episcopum habet executorem, aut ejus Vicarios Generales] exterius his inscribitur verbis: „ Discreto viro N. Confessario, ex approbatione Ordinarii, per latorem, vel latricem pœ-
Tom. II.

„ nitentem eligendo, ad intra scrip-
„ ta specialiter deputato. Intus verò
„ explicatur, & impedimentum, & ejus-
„ dem relaxandi ratio.

265 Sed quia in litteris Pœnitentiariæ apponi solent aliqua clausula, quarum observatio necessaria est, ut Confessarius rescriptum exequatur validè, aut licitè, nunc enucleandæ sunt breviter. Itaque inter interiores clausulas rescripti, 1. est hæc: *Quatenus si ita est*: circa quod Confessarius tenetur scrutari: an preces veritate nitantur, & an à parte rei subsistat causa finalis, quæ Pœnitentiariam ad dispensandum movet, & quæ seclusa, non dispensaret: non enim semper sufficiunt, quæ à prima fronte sufficere videntur. Unde ille, qui, ut liberaretur à voto castitatis, exposuit, *se stimulis carnis adeo agitari, ut continenter vivere posse non speret*; non sufficit sola tentatio, nisi adeo sit gravis, ut imminet probabile periculum labendi. Quare Sanchez disp. 24. censet, quod si Confessarius, veritatis nescius, sine prævio examine dispenset, invalida erit dispensatio, etiam posita facti veritate. Ratio est, inquit; quia verba hæc: *Si ita esse, per diligentem examinationem inveneris*, inducunt formam, qua non observata, corrumpit tota commissionis validitas, quia nunc usus est, ut solum scribatur: *Si ita est*, vel, *si preces veritate nitantur*, valeret dispensatio sine examine: non tamen sine facti veritate. Confessarius verò, qui serium veritatis facti examen culpate omittit, graviter peccaret, cum super hoc ejus conscientia gravetur à Pontifice. Et si quæras: an si Confessarius, cui præsentatur rescriptum dispensationis, judicet illud subrepticum esse, possit alius adiri, qui contra sentiat? Respond. licitum esse pœnitenti ab uno Confessario ad alium recurrere, modo non eo fine faciat, ut laxiorem inveniat, aut minus eruditum, qui libidini suæ faveat. Potest etiam Confessarius, re melius per-

pensa, recedere à priori sua opinione. Nec onus illius est expendere, an expositio facta Papæ verè sufficiat, aut non, ad obtinendam dispensationem: sed tantum, an res eo modo se habeant, quo Pontifici expositæ fuerunt.

266 Clausula 2. hæc est: *Audita prius ejus Sacramentali confessione.* Necesse est enim, ut lator deponat apud Confessarium executorem, ea saltem peccata, quæ à postrema confessione commissit: & hoc, etiam si dispensatio concedatur in materia, quæ nullum poenitentis delictum supponit, v. g. in irregularitate ex defectu natalium orta. Sed non est necessarium, ut peccata mortalia confiteatur, nec adhuc ea, quæ circa materiam dispensationis commisit, modò hæc jam apud alium, vel eundem Confessarium deposuerit. Unde qui venialia solum habens, deponit venialia, adimplet prædictam clausulam. 3. Clausula est: *Sublata occasione peccandi &c.* hæc verba demonstrant, poenitentem, non ante absolvendum, vel dispensandum esse, quam abstulerit occasionem peccandi: & quæ, si est voluntaria, auferri debet de facto, & si involuntaria, aut necessaria corde, & animo.

267 Clausula 4. est: *Injuncta ei gravi poenitentia.* In hac injungenda considerari debet à discreto Confessario status, qualitas, sexus, & ætas poenitentis; advertendo, quod poenitentia imposita sit tam moderata, & prudens, ut nusquam delictum poenitentis possit manifestari. Regulariter tamen potest esse jejunium per sex menses, semel qualibet hebdomada: Recitatio tertiæ partis rosarii per tres menses, tribus diebus hebdomada qualibet: vel aliud pietatis opus, arbitrio Confessarii imponendum, præsertim frequens confessio, usus lectionis spiritualis, quotidiana, etsi brevis, breve conscientie examen, meditatio Passionis Christi, aliud quod opus charitatis, juxta vires, pos-

sibilitatem, & statum poenitentis. Et cum hæc, aut aliqua ex his, imponit Confessarius, poenitentem monebit, ut dum ea exequetur, meminerit vinculi, à quo dispensatus est, prout S. Poenitentia jubet. Cæteræ clausulæ sunt faciliores: si vero aliquod occurrat dubium, consulendus est vir prudens, & doctus.

QUÆSTIO IV.

Quid faciendum post obtentam dispensationem impedimenti Matrimonii cum illo contracti?

268 Certum est 1. quod si impedimentum sit publicum, partes renovare debent suum consensum coram Parocho, & testibus: non enim aliter mederi potest scandalum. Certum est 2. quod si est occultum, aut soli Parocho per confessionem notum, sufficit, quod conjuges, quos supponimus contraxisse jam in facie Ecclesiæ, licet invalidè, inter se solos consensum renovent. Ita declaravit Pius V. ad Poenitentiarie preces. Sed quomodo renovabitur ille consensus? En difficultas gravissima, & tamen quotidie obvia. Videtur enim, extra dubium esse, Matrimonium invalidum convalescere non posse, nisi pars, quæ impedimentum ignorat, admoneatur de prioris contractus nullitate. Ratio est 1. quia ratificatio ex errore perfecta nihil facit, neque novam inducere potest obligationem. Unde, qui votum invalidum ratificat, quia illud validum esse credit, tandiu ratificat invalidè, donec ejus præviam invaliditatem cognoverit. 2. Quia id probat stylus Poenitentiarie, quæ dum ad permanendum in Matrimonio semel contracto, dispensat, hæc verba apponit: *Muliere [vel viro] de nullitate prioris consensus certiorata: sed ita caute, ut latoris delictum nunquam cognoscatur.* Quare vult, quod de-

declaretur Matrimonii nullitas; non tamen causa ejus nullitatis, præsertim si fundetur in delicto alterius partis, ut in affinitate ex copula illicita proveniente. Hinc ergo difficultas insurgit: Quo enim pacto detegatur nullitas alteri parti, cujus manifestatio habere possit funestos exitus? Qua arte ad præstandum novum consensum allucietur? Certe Confessarius, qui in his casibus versetur, maturè perpensis moribus, genio, indole, odio, vel amore, quo se invicem prosequuntur conjuges, rem Episcopo detegat, si potest. Si non potest, dignoscat varios modos obtinendi renovationis consensus, qui à doctioribus Theologis proponuntur.

269 Quinque proponi solent regulariter. 1. Est, quod impedimenti conscius dicat, se à principio invalidè consensum præstitisse; vel se non consensisse, ut par erat, defectu bonæ instructionis: & propterea ex consilio Confessarii oportere, ut pro securitate conscientie, ambo consensum invicem renovent. Quapropter ipse iterum libentissime consentit, accipere eam in uxorem, & optat, ut ipsa etiam consentiat de novo eum in maritum habere. Tunc si ea quoque renovet suum consensum, fiet Matrimonium legitimum. Quia vero iste modus graves patitur difficultates, præsertim si rea sit mulier, & maritus suspiciosi animi, proponitur secundus modus revalidandi. Hic est, quod pars conscia impedimenti generatim indicet nullitatem prioris consensus, & novum exigat, dicendo sic, vel simili modo: suspicor, aliqua de causa, quam nescio explicare, te non esse meam conjugem: ideò precor, ut ad conscientie meæ pacem, & meum solatium, nos denuo pro conjugibus habeamus.

270 Modus 3. est, quod ut à parte nescia impedimenti habeatur novus consensus, sine expressa cognitione nullitatis Matrimonii, sed non sine

equivalenti, unus conjux alterum amice compellat his vocibus: Ita te diligo, ut si inter nos Matrimonium non esset, te libenter acciperem, & jam de facto ita te accipio ex tota voluntate. Numquid & tu similiter? Si respondeat: accipio; vel ex eo affectu se cognoscant, convalescit Matrimonium ipso facto: nam ignarus impedimenti, non solum in Matrimonio prius contracto intendit permanere, sed & novum inire, si prius non valuerit. Est itaque consensus iste cum errore, sed non ex errore. 4. Modus, qui cum maritis asperioris indolis, & conditionis, abhibetur, est, ut mulier, quin parti insciæ aperiat defectum prioris consensus, caute curet, ut utriusque consensus renovetur, dissimulanter petendo ab eodem, ut pro sua consolatione, ipsam in conjugem habeat, simulque dicat: Ego te habere volo in conjugem. At vero quando modi prædicti prodesse nequeunt, & scandali, infamie, aut divortii, adest prudens timor, recurritur ad 5. modum. Iste est, ut obtenta dispensatione, habeatur copula affectu maritali ex parte illius, quæ conscia est impedimenti. Tunc enim pars illa, quæ impedimentum nescit eo affectu continuat tale comertium maritale; & consequenter quando non est aliud medium, per hoc Matrimonium revalidatur. Sic communiter Doctores.

271 Verum ex his quinque modis iterandi Matrimonium, nullus præter primum, & tertium, videtur omnino totus: & ideo illis non est utendum, nisi in casu, quo uti non conveniat aliquo ex duobus. Hoc in difficili negotio valde cautè, & reflexè, procedere debet Confessarius, qui si in se negotium suscipiat, vel alius de licentia partis conscientie impedimenti, conjugii nullitatis ignaro, vel utriusque, ne suborietur suspicio, prudenter proponat, & exaggeret, quam necessaria sit Sacramentalis gratia ad onera Matrimonii portanda: quæ quidem

dem gratia non confertur, si Matrimonium ob aliquod impedimentum ex pluribus, quibus subjacet, nulliter contrahatur, ut facile, & in culpe ex utriusque parte contingere potest. His ponderatis, conjugibus suadeat, ut ad melius inter se de novo contrahant, & se ratificent sub conditione, uno dicente, v. g. *si ex aliqua causa Matrimonium non esset validum, volo tecum ex nunc contrahere de novo*: alio vero respondente: *volo pariter & ego contrahere tecum*. Hac servata methodo, Matrimonium absdubio revalidaretur. Advertendum vero, quod si impedimentum detegatur a Confessario ante Matrimonium, debet monere poenitentem de impedimento, ut Sacramenti nullitas vitetur. Si videt, poenitentem sic esse affectum, ut non obstante impedimento, ad nuptias sit transiturus, debet negare absolutionem, & hortari, ut ante obtentam dispensationem, Matrimonium non consummet.

272 Sed quid faciendum, si poenitens de Matrimonio suo, jam contracto dubitat, & Confessario ad dubium deponendum, interrogat? Videtur mihi, in illo casu aperiendam esse veritatem, quæ sine mendatio, negari non potest. Et idem est, si poenitens, nec dubitet, nec interroget, si impedimentum nescit ex ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili, juris, aut facti: alias Confessarius indignum scienter absolveret, cum vere indignus sit, qui mera sua culpa peccat. Si dubium poenitentis sit erga suam partem, in qua suspicatur aliquod crimen, deberet Confessarius illius animum placare dicendo, non omni spiritui credendum esse: hujusmodi enim iudicia, quo graviora sunt, eo plus maturitatis postulare &c. Hoc extendendum est, etiam si Confessarius certus de impedimento sit, non solum ex confessione, sed etiam quacunque alia via, modo sit secreta. Ratio est; quia circumstantiæ aliquando

exigunt, ut bona fides conjugum, si veritate illæsa fieri potest, foveatur. Si vero conjuges non dubitent de sui Matrimonii valore, aliquando moneri debent, & aliquando non de Matrimonii nullitate. Moneri debent, si speretur, monitionem profuturam, & adhiberi possit remedium, absque ullius infamia, scandalo, aut alio gravi detrimento. Ratio est; quia fornicatio etiam materialis, seu quæ peccatum non existimaretur ex ignorantia invincibili, vitari debet, & de hoc moneri, quando commodè vitari potest. Si autem ex impedimenti revelatione grave prævideatur periculum infamiae, vel divortii, nec dispensatio haberi possit, aut habitata, executioni mandari, absque maxima difficultate, tunc Parochus, vel Confessarius, qui impedimentum scit, tacere debet, & conjuges in sua bona fide relinquere. Hæc igitur ex circumstantiis metienda sunt, ut jam dictum est: & præsertim Confessarius, ut in casibus tantæ difficultatis mature procedat, oret, & petat a Deo, ut sibi paret rectam gradiendi viam. Sic sentiunt celebriores Theologi, inter quos Henno, Pontas, Concina, alique graves Probabilioristæ.

273 Demum, omnibus prædictis mature ponderatis, post confessionem poenitentis, juxta dicta paulo supra num. 266. & datam in forma solita absolutionem a censuris, & peccatis: si dispensatio sit ad contrahendum, gratia Apostolica his, aut similibus, exequetur verbis: „ Et insuper, per autoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento primi (seu secundi, seu primi, & secundi &c.) gradus ex copula illicita à te habitata cum sorore mulieris, cum qua contrahere intendis, proveniente: ut præfato impedimento non obstante, Matrimonium cum dicta muliere, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, consummare, & in eo remanere, licite possis, &

„ va-

„ valeas. Insuper eadem autoritate, te Apostolica, prolem, quam ex Matrimonio susceperis, legitimam fore nuntio, & declaro. In nomine Patris &c. Passio Domini nostri tri &c. “ Ut post finem absolutio- nis consuetæ. Si verò dispensatio de- tur ad remanendum in Matrimonio, jam contracto, hæc erit forma. „ Et insuper &c. ut supra. Ex copula illicita, quam cum sorore tuæ putatæ conjugis antea habuisti, ut illo non obstante, renovato consensu cum præfata conjugæ, Matrimonium cum illa contrahere &c. Et pariter eadem autoritate Apostolica prolem, si quam susceperis, & susceperis, legitimam fore decerno, & declaro, &c. “ Si dispensatio sit a voto castitatis, dicitur: *Insuper... tibi votum castitatis, quod emisisti, ad effectum, ut Matrimonium contrahere, & debitum conjugale reddere, & exigere licite possis, in opera, quæ tibi præscripti, dispensando, commuto. In nomine &c.* Eadem est forma dispensationis a voto Religionis in ordine ad Matrimonium. Si autem Matrimonium jam contraxit, non obstante castitatis voto, dicitur: *Item te, non obstante castitatis voto, quod emisisti, & transgressus fuisti, in dicto Matrimonio remanere, & ut debitum conjugale licite possis reddere, & valeas exigere, tecum dispenso. In nomine Patris &c.*

Duæ novæ institutiones, ac constitutiones in futurum tenendæ, ac servandæ, in Hispaniæ Regnis.

274 Firmis semper manentibus, quæ de matrimonialibus impedimentis, ac de dispensationibus obtinendis, hucusque diximus, aliqua de novo stabilita pro Regnis Hispaniæ, tam constitutione Regia, quam Pontificia, deinceps servanda, breviter, & compendiosè inscribere debemus, pro complemento, & fine hujus trac-

tatus. Adest igitur regalis nova constitutio erga modum impetrandi in Hispania Pontificias dispensationes, & adest simul nova Ecclesiæ dispositio dispensandi in aliquibus impedimentis, & rebus, ad Matrimonii Sacramentum attinentibus, quæ explicanda veniunt suo ordine.

275 Quamvis enim, nec ex ipso jure, nec ex legitimo stylo Romanæ Curiae, fuerit hucusque methodo præfixa, & determinata, qua ex Dataria Apostolica, aut ex alio competente Tribunali, dispensationes pro foro externo impetrarentur: cuilibet enim licitum erat id sollicitare per viam aptiorem, & convenientiorem sibi: jam verò stabilitum est pro Hispaniæ Regnis à nostro Catholico Monarcha, quomodo recursus hic ad Curiam Romanam fieri debeat, per regalem Epistolam ad Hispaniæ Episcopos, & Ordinarios directam, ac signatam die 11. Septembris anni 1778. Juxta hanc providentiam, ac regale decretum, hæc debet deinceps esse praxis, modus, & styllus recurrendi ad Romanam Curiam ad matrimoniales dispensationes obtinendas pro foro externo. Pro foro autem interno, seu conscientiae, & prout ad Sacram Poenitentiarum attinet, nihil innovatum est in modo, aut stylo, quo fiat recursus.

276 Ordo igitur, qui ex regia dispositione servari debet in Hispaniæ Regnis ad quascumque dispensationes, gratias, aut indulta a Romana Curia pro foro externo impetranda, sequens est. Debent supplicantes primò recurrere ad Episcopum, vel ad Ordinarium, aut ad illam personam, quam Ordinarii ad prædictos fines consequendos constituerint, uti debent, ut continetur in Regio decreto. Hic Ordinarius, aut ejus Agens, instrui, ac informari debet omni cum veritate de omnibus impedimentis, & circumstantiis necessariis, juxta Curiae Romanæ styllum, ad vitandum vitium subreptionis, & obreptionis, ut dictum est plu-



pluries. Acceptis jam precibus, seu precatoriis litteris ad agente Diocæsano formatis, sive ab ipsis supplicantes, sive ab eodem agente, illas ad suum ordinarium mittet. Hic autem eas ad regale Consilium Castellæ, aut Camaram sine mora dirigit per Secretarios unius, aut alterius Regalis Tribunalis. Et quia in hac nova dispositione, ac praxi, valde instructos supponimus agentes, aut ministros, ad hujus negotii rectam expeditionem prælectos, ac destinatos, tam ex parte Regaliis Consilii, quam Diocæsani, superfluum reputamus hic amplius immorari.

277 Sequitur nova pro Hispanis Apostolica constitutio. Itaque Summ. Pontifex Pius VI. per suum Breve, Romæ editum die 18. Junii, anni 1780. directum nostro Catholico Regi Carolo III. (utroque nunc feliciter regnante) volens in Hispaniæ Regnis aliquos sumptus ex matrimonialibus dispensationibus exortos minorare, hispanos ab aliquibus oneribus levare, dubia nonnulla tollere, ac declarare, certas regulas de novo stabilivit, ac deinceps in Hispania observari decrevit. Quatuor igitur decernit, & statuit declaranda ordine sequenti.

278 Decernit 1. Pontifex pro dispensationum valore, quod si ex ignorantia, equivocatione, aut alio simili motivo, error in prædictis fuerit in gradu cognationis, in quo verè, & in re sunt supplicantes, & talis error sit erga gradum remotiorem radici, aut communi stipiti, tunc dispensatio valida erit, & absque novo recursu potest, ac debet executioni mandari. Sit exemplum: supplicantes verè, & in re sunt in quarto gradu cognationis: existimantes verò esse in secundo, aut tertio gradu, ita in supplica exprimitur, & de illis petitur dispensatio. Valida ergo est prædicta dispensatio in hoc casu, eò quod expressè vult Pontifex, dispensationem obtentam pro gradu proximiori in supplica enun-

tiato includere etiam gradum remotiorem in illa omissum. Unde non debet fieri novus recursus, & hac determinatione tollitur dubium, saltem pro Hispaniæ Regni, ad quæ Breve dirigitur, ac opinio, quæ docebat oppositum, ut in authoribus cernitur, & nos alibi retulimus.

279 Sed valde advertendum est, prædictam declarationem, & dispositionem à sensu contrario non valere. Hoc est: si in narratione, & precibus exprimeretur remotior gradus pro proximiori, ut si diceretur, supplicantes esse in tertio, aut quarto gradu, cum revera sint in primo, aut secundo, tunc nulla esset talis dispensatio, ac proinde necessarius esset novus verus recursus. Sic constat manifestè in ipsamet brevis littera. Deinde in tali casu error versaret circa substantiam impedimentii, & dispensatio non operatur ultra expressa, ut communiter docent Doctores cum Reiffenstuel. Unde talis dispensatio evaderet obreçticia, atque adeo nulla. Nec pariter valida esset dispensatio, dum gradus proximior, qui pro remotiori gradu exprimitur, est duplicatum, aut mixtum cum alio gradu ab eodem communi stipite proveniente, & in supplica non fuit expressus. Tunc enim, ut in prædicto Brevi continetur, iterum debet fieri recursus ad Romanam Curiam includendo in narrativa gradum antea non enuntiatum. Hoc eveniret, si gradus esset duplex, nempe, ex utroque Parente proveniens, & non enuntiatum in narrativa cum hac expressione.

280 Declarat secundò, & decernit Pontifex ad obtinendas in futurum dispensationes pro Dataria in forma pauperum, non esse necessarium deinceps, supplicantes adire personaliter Romanam Curiam, sicut hucusque consuetum erat (non interveniente gravissimo naturali impedimento, aut phisica impossibilitate ab Ordinario attestata) præsertim dum Oratores cognati in gradibus pro-

xi-

ximioribus incoestum commisserunt, aut sua communicatione infamiæ notam induxerunt. Jam enim, & in posterum, sufficit ex nova Pontificia voluntate, quod, mediante attestatione Ordinarii de illorum paupertate, gradus impedimenti cum veritate explicentur, etsi sit in proximiori gradu. Et hæc nova gratia Pontificia non est parva. Vult etiam hoc in loco Pontifex, *pœnitentiam illam servilem*, quæ in Apostolicis litteris in forma pauperum, imponitur supplicantes, cum facultate differendi talem pœnitentiam quoadusque Matrimonium jam sit contractum, commutari posse à suis Ordinariis in aliis operibus piis dummodo obligationem illis non imponant Eleemosinam elargiendi. Debent verò tales Ordinarii, ait Pontifex, illis necessariò imponere pœnitentiam aliquam publicam, quam inviolabiliter adimpleant ante Matrimonii contractionem, & quæ regulariter assignatur in ipsis dispensationibus litteris. Si verò non assignatur, ab ipsis Episcopis prudenter, & secundum suam conscientiam taxetur, & imponatur.

281 Et quia omne hoc procedit de dispensationibus in forma pauperum impetrandis, recordari debet, quod notum est apud omnes Doctores: Scilicet, formulas supplices dispensationum Matrimonialium pro foro externo, alias fieri in forma ordinaria, & communi, & alias in forma pauperum. Dum enim in sacro Datarie tribunali dispensationes obtinentur, certa interveniente Eleemosina, aut pecunia; vocantur dispensationes in forma ordinaria, eò quod ordinariè sic eveniat. Dum verò obtinentur omnino gratis, seu absque aliqua pecuniaria compensatione, vocantur in forma pauperum, eò quod ita conceduntur illis, qui verè pauperes sunt. Sed est advertendum, quod ut dispensatio hæc rectè consequatur, ac sine obreçtionis, aut subreçtionis vitio, verificari debet in supplicantes paupertas illa,

(nec sufficit alia) quæ in Apostolicis litteris in forma pauperum, & gratis concessis, exprimitur, & in quibus formula hæc frequenter exaratur: *Dummodo ipsi sint pauperes, & miserabiles, & ex labore, & industria tantum vivant*. Quare omnes istæ conditiones veræ paupertatis inveniri debent in supplicantes, non quidem disjunctim, & divisivè, sed simul, & copulativè, ut communior Authorum sententia docet apud Reiffenstuel, & ex stylo frequentiori Romanæ Curie. Sed quia de tali paupertate debent in forma debita testificari, ac fidem facere Diocæsani, illorum testimonio, dispensationes prædictæ in forma pauperum, pro foro externo, gratis omnino, ac sine gravamine pecuniario, absque contingentiâ ulla consequuntur.

282 Decernit tertio, & declarat Pontifex, quod quando dispensatio petitur in Dataria, non exprimendo in supplica causam determinatam, specificam, aut individualem, sed tantum in communi, aut in genere, nempe, hac, aut simili expressione: *ex certis rationabilibus causis*, & quod in personis, præsertim nobilibus, frequentius evenit, tunc si in ipsa supplicatione postulatur ab Oratoribus aliqua gratia in sumptibus, aut minoratio pecuniæ, juxta Curie styllum taxatæ, semper concedatur in posterum talis pecuniæ minoratio. At verò, advertit Pontifex, pecuniæ tantæ, aut tantæ solutio fieri debet, juxta notam, & designationem, quam signet Emin. Card. Proto-Datarius, Præses Tribunalis Datarie.

283 Statuit quarto, ac decernit Pontifex, sacram Romanam Pœnitentiariam facultatem in posterum habere dispensandi in matrimonialibus impedimentis, tam pro foro interno, seu pro foro conscientie, quam pro foro externo, seu judiciali, dummodo impedimentum sit ex cognatione in quarto gradu simplici, aut in quarto mixto cum tertio: non verò facultatem illi sic concedit dispensandi

di

di in aliquo alio gradu. At verò ut hoc Pœnitentiariæ Tribunal sic dispenset, quatuor assignat condiciones ipse Pontifex in suomet Brevi. 1. est, quòd Matrimonium jam sit contractum bona fide. An autem hæc bona fides debeat esse ex parte utriusque, aut sufficiat ex parte unius tantum conjugis. Dico, salva opposita opinione, sufficere unum ex illis bona fide contraxisse. 2. conditio est, quòd Matrimonium contractum sit cum illa solemnitate, quam Concil. Tridentinum exigit, & de qua suo loco diximus satis. 3. est, quòd cognito impedimento, cum quo Matrimonium contraxerunt, à carnali copula se conjuges abstineant omnino. 4. conditio est, quòd ad omnes dispensationes in Pœnitentiaria impetrandas pro utroque foro, supplicæ immediate, & prius dirigantur ad Apostolicam Datariam, & hæc ad sacram Pœnitentiariam mittet, ut gratis dispenset. Unde his quatuor conditionibus simul stantibus, & non aliter, potest in posterum, & in Hispaniæ Regnis, dispensare, missis precibus per manus Datarie, in quarto gradu simplici, aut cum tertio mixti, dispensatioque hæc pro utroque foro obtinebitur omnino gratis. Ex quibus omnibus fit manifestum, Pontificem nullam facultatem tribuere de novo per prædictum Breve Hispaniæ Diocesanis, ut ipsi in aliquo impedimento dirimente Matrimonium, etsi sit in gradu remotiori dispensent, ut audiui aliquos intellexisse. Hoc verò anno 1782. contessit Archiepiscopus, & Episcopus Austriæ, Bohemiæ, Ungariæ, & Lombardiæ Austriacæ facultatem dispensandi in tertio, & quarto gradu in matrimonialibus impedimentis.

284 Dumtaxat jam restat recordare, quòd semper, ac quando in precibus, aut postulatione dispensationis *subrectio*, aut *obrectio*, ad fuerit, litteræ Pontificiæ erunt *subrectitiæ*, aut *obrectitiæ*. Et quamvis utraque pro eodem usurpari soleat, eò

quòd idem sint quoad effectum, nempe, ut reddant dispensationem invalidam, & nullam: tamen si strictè, & essentialiter sumantur, verè distinguuntur: nam *subrectio* intervenit, quando in supplica ad dispensationem obtinendam, verum, quòd exprimi debebat, reticetur, & occultatur: & *obrectio* adest, dum in narratione enuntiatur, ut verum, quod in se est falsum. Unde *subrectio datur*, quando verum siletur, & debebat manifestari: & *obrectio*, dum falsum exponitur, quando debebat in supplica nullo modo induci. Utraque, *subrectio*, nempe, & *obrectio*, potest esse, & evenire, erga causam motivam, & finalem dispensationis, aut erga causam merè impulsivam. Primum contingit, quando verum occultatur, aut falsum exponitur, quod utrumque si à superiore cognosceretur, aut non dispensaret, aut si dispensaret, alio modo evaderet dispensatio, & cum aliis quibus peculiaribus restrictionibus, & limitationibus. Secundum eveniret, quando dispensatio eodem modo consequeretur, quamvis non tam breviter, & faciliter.

285 An autem utraque invalidet dispensationem? Respondeo, dispensationem obtentam cum *subrectione*, aut *obrectione*, circa causam motivam, aut finalem, nullam esse: validam verò fore, si *subrectio*, aut *obrectio* sit circa causam impulsivam purè, & præcisè. Prima pars est communis apud DD. & hoc, quamvis *subrectio*, aut *obrectio* procederet ex ignorantia, aut simplicitate supplicantis. Ob quod Bonacina rectè scripsit: malitia, vel simplicitas, aut ignorantia petentis, non supplet, nec supplere potest defectum intentionis, à qua vires sumit gratia Pontificia. Sic etiam Reiffenstuel. Suadet hæc pars: Tum; quia in talibus circumstantiis deficiet in superiore intentio dispensandi; sed dispensatio sine tali intentione absdubio nulla esset: ergo. Major constat: nam Sa-

pe-

perior solum vult dispensare sub conditione expressa, aut tacita, & ex jure intellecta, quod res ita sit, sicut in supplica narratur, seu quòd nihil falsi addatur, aut veri occultetur. Tum; quia sentire oppositum reprobatum est à Benedicto XIV. in sua Bulla, incipiente: *Apostolica servitutis*. Secunda resolutionis pars verior, ac communior est cum Reiffenstuel, contra Menochium ab ipso citatum. Probatum: tum; quia si *subrectio*, aut *obrectio* solummodo esset circa causam impulsivam, non deficeret in Superiore voluntas, aut intentio, dispensandi, sed solum deficeret major facilitas, aut brevis in obtinenda dispensatione: quod quidem cum non auferat voluntarium quoad substantiam, nec auferat dispensationis valorem. Tum ex c. *Super litteris*, 20. de rescript. ubi Papa dicit: *Nam si talis expressa sit falsitas, vel veritas occulta, quæ, quamvis fuisset tacita, vel expressa, nos nihilominus litteras dedissemus, Delegatus secundum ordinem juris in causa ipsa procedat.* Idem constat ex pluribus aliis textibus Canonis, apud Reiffenstuel lib. 1. Decret. videndis.

286 Jam igitur, hoc opere absoluto, quemadmodum ei manum im-

posui, animo sequendi vestigia Conciliorum, SS. Patrum, graviorumque Theologorum, ducente Subt. Doctore, ita concludo universum Sacramentorum opus, atque præsentem tractatum, verbis, quibus Scotus coronidem imponit suis de Matrimonio subtilissimis dissertationibus. „ Non „ esse admirandum, inquit, si solitudinem tantam ponit Ecclesia in „ ordinando Matrimonio; quia communitas Christianorum utitur illo, „ per cujus usum multiplicatur populus Christianus: & ideo sic ordinari debet, ut in ejus contractu, & usu, vitentur ea, quæ obviant, sive in Deum, sive in proximum: Et servanda sunt, quæ congruunt honestati, ut sic honestum Matrimonium christianum conjugé significet illam benedictam „ conjunctionem Christi, & Ecclesie: De qua dicit Apostolus: „ Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Omnia dicta censuræ, & judicio S. R. E. humiliter subjicio, necnon & Catholicorum Doctorum: desideroque magnopere, quòd cedant in laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, ac SS. Virginis Deiparæ, necnon in legentium aliqualem utilitatem.

FINIS.

INDEX

PLENISSIMUS DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM,
Difficultatum, Resolutionum, ac Specierum, in hoc
opere in IV. Sententiarum contentarum.

P. paginam, N. numerum marginalem, respectivè ad Tractatum, denotat.

TRACTATUS VI.

DE VENERABILISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO. p.1.

Præmittitur, quid de hoc Sacramento dixerit Concilium Florentinum.
ibidem.

Appendix de Appellationibus, Nominibusque sacris, quæ præstantur huic
Sacratissimo Eucharistiæ Mystero. p. 2. à num.1.

DISPUTATIO I.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. p.5.

Quæst. I. Utrum Eucharistia sit
unum ex novæ legis Sacramen-
tis? Et quid sit? ibid. n. 7.

Conclus. I. Eucharistia est verum
novæ legis Sacramentum. ibidem.
num. 8.

Solvuntur argumenta, & instantiæ
Hæreticorum. p.6. n.9.

Conclus. II. Eucharistia est Sacra-
mentum distinctum à cæteris Sacra-
mentis novæ legis. p.8. n.13.

Argumenta solvuntur. p.9. n. 14.

Conclus. III. Sacramentum Eucharis-
tiæ rectè describens. p.10. n.15.

Differentia, & præ eminentia, Eucha-
ristiæ inter omnia alia Sacramen-
ta colligitur ex triplici ejus sin-
gulari excellentia à Subt. Doct. as-
signata. ibid. n.18.

Quæst. II. An Christus cum Disci-
pulis Agnum Paschalem comed-
rit? Et quando Eucharistiam insti-
tuerit? p.11. n.19.

Variæ, ac utiles advertentiæ, erga
PP. tam Græcorum, quàm Lati-
norum intelligentiam erga Judæo-
rum consuetudinem, & morem,
computandi annos, ad hujus in-
gentis difficultatis clariorem reso-
lutionem. ib. à n. 19.

I. Conclus. Christus Dominus uná
cum Discipulis suis Agnum Pas-
chalem comedit. p. 12. n.22.

II. Conclus. Agnus Paschalis immo-
labatur, & comedebatur die 14.
primi mensis, seu Lunæ 14. Mar-
tii exeuntis, ad quam consequeba-
tur vespera, initiumque diei 15. &
Paschalis solemnitatis. p.14. n.25.

III. Conclus. Sacramentum Eucharis-
tiæ institutum fuit eadem nocte,
& die 14. ac per consequens in
Azymis. p. 15. n. 27.

Græcorum argumenta solvuntur, va-
riæque eorum instantiæ, ac respon-
sa, enervantur. pag. 16. num. 28.

Ibi-

Ibidem repellitur impla quædam e-
vassio.

Quædam ex dictis prænotanda, &
tenenda, erga Cœnam Paschalem,
ejusque differentiam. pag. 17. n.30.
& seq.

Non fuit institutum Sacramentum Eu-
charistiæ ante, sed post lotionem
pedum. p. 23. n.47.

Ordo servatus à Domino in Eucha-
ristia instituenda. á num.43.
usque ad 49.

Dubium: An Judas præsens fuerit ad
Sacramenti Eucharistiæ institutio-
nem? p.25. n. 50.

Resolvitur affirmativè contra non-
nullos: & solvuntur objectiones ex
aliquibus PP. assumptæ. ibid. n.51.
& seq.

Quæst. III. An Eucharistiæ Sacra-
mentum institui potuerit ante in-
carnationem Christi, ut de facto
peracta est. p.27. n.55.

Conclusio: Ante incarnationem Di-
vini Verbi in utero Virginis, seu
ut modò incarnatio peracta est,
potuit de potentia absoluta insti-
tui Sacramentum Eucharistiæ. ibid.
num. 56.

Plurium argumentorum, solutionum,
& replicarum satisfactio. pag. 31.
num. 62.

Corollaria præcedentis doctrinæ. pag.
37. n. 78.

Quæst. IV. An ex suppositione, quod
Adamo non peccante, Christus in
mundum veniret, institutum foret
Sacramentum Eucharistiæ. pag.38.
num. 81.

Conclusio: Etsi alia Sacramenta pro
Innocentiæ statu instituta non fo-
rent; institutum tamen fuisset Sa-
cramentum Eucharistiæ. pag. 39.
num. 82.

Solutio argumentorum. pag. 41. n.86.
Corollaria tria statuuntur ex præce-
denti doctrina. pag.44. n. 92.

Primò statuitur, quòd omnes respec-
tus, quos hoc Sacramentum habet
post peccati prævisionem, & com-
missionem, deficerent ipsi in data
hypotesi. ibid.

Tom. II.

Secundò statuitur, quòd dicta in præ-
cedenti quæstione intelliguntur de
hoc divino Sacramento in vi præ-
sentis decreti, modo quo Scotistæ
asserunt de adventu Christi, Ada-
mo non peccante. ibid. n.93.

Tertiò statuitur, quòd in data hypo-
thesi, etiam Sacramentum Ordinis
institutum esset. p.45. n. 95.

Quæres: an tunc hoc Sacramentum
esset sacrificium. ibid. n. 96.

Resolutio est affirmativa. ibid.

Quæst. V. Quomodo Sacramentum
Eucharistiæ necessarium sit? ibid.
n. 97.

Concl. I. Susceptio Eucharistiæ, nec
in re, nec in voto explicito, nec-
cessaria est necessitate mediæ ad
salutem, nec parvulis, nec adul-
tis. p. 46. n. 99.

Concl. II. Eucharistiæ susceptio nec-
cessaria est fidelibus, necessitate
præcepti, tam Ecclesiastici, quàm
divini. p. 48. n. 102.

Argumenta solvuntur. p. 49. n. 105.
Necessitas moralis hujus Sacramenti
explicatur. p. 52. n. 112.

Quæst. VI. An Sacramentum Eucha-
ristiæ consistat in solo usu, seu
sumptione? p. 54. n. 115.

Catholica Conclusio adversus moder-
nos Sectarios hæc est: Sacramen-
tum Eucharistiæ non consistit in
solo usu, aut illius sumptione.
p. 55. n. 116.

Infringuntur Hæreticorum responsa,
& argumenta. p.57. á n. 118.

Agitur de usu antiquo servandi Eu-
charistiam: de variis styllis, ac
consuetudinibus, in Ecclesia tole-
ratis, erga Sacramentum Eucharistiam,
illam tradendo in manibus fidelium.
p. 57. á n. 122.

Summo Pontifici soli permittitur Eu-
charistiam portare in itineribus.
p. 59. n. 126.

Quæst. VII. In quo essentialis ratio
Sacramenti Eucharistiæ consistat?
ibid. num. 127.

Concl. I. consecratio, qua panis, &
vinum, transubstantiantur in cor-
pus, & sanguinem Christi, non

Zzz 2

est

- est formaliter Sacramentum Eucharistiæ, nec aliquid ad illud essentialiter, & intrinsicè pertinens. p. 60. n. 129.
- Argumentorum solutio. p. 61. n. 132.
- Concl. II. Corpus, & sanguis Christi Domini non constituunt, nec totaliter, nec partialiter Sacramentum Eucharistiæ formaliter sumptum. pag. 66. n. 143.
- Enervantur argumenta. pag. 68. num. 149.
- Conclusio III. Eucharistiæ Sacramentum formaliter, & essentialiter consistit in solis speciebus consecratis, quatenus connotant corpus, & sanguinem Christi sub ipsis contineri. p. 71. n. 157.
- Argumenta solvantur. p. 73. n. 162.
- Quæst. VIII. An hoc Sacramentum unum sit, vel multiplex in se? p. 75. num. 166.
- I. Conclusio: Eucharistia sub specie panis distinctum Sacramentum est ab Eucharistia sub specie vini. p. 76. n. 168.
- II. Conclusio: Eucharistiæ Sacramentum integrè, & completè sumptum, ac ex utraque specie compactum, est unicum Sacramentum in specie infima, seu athoma. pag. 77. n. 171.
- III. Conclusio: Unitas assignata Sacramenti Eucharistiæ, unitas est integritatis, non indivisibilitatis. p. 79. n. 175.
- Solvuntur argumenta. p. 80. n. 177.
- Qui unam tantum speciem recipit, tantum quoad rem recipit, quam qui duas species accipit. pag. 83. num. 181.
- IV. Conclusio: Sacramentum Eucharistiæ plurificatur numero ex pluralitate reali specierum consecratarum: ita ut tot sint Sacramenta numero distincta, quot sunt hostiæ, & calices consecrati. ibidem, n. 182.
- Solvuntur objecta adversus hanc conclusionem. p. 86. n. 188.
- Dubia quædam proponuntur, ac resolvuntur. p. 91. n. 200.

- Dubium I. Unde sumatur propriè unitas Eucharistiæ? ibidem.
- Dubium II. An significatio totalis, integrata ex distinctis speciebus hujus Sacramenti, importet distinctas signi relationes, ex quibus componatur? Vel potius sit una indivisibilis relatio in toto aggregato? p. 92. n. 203.
- De convenientia, & congruentia hujus SS. Sacramenti aliqua elucidantur, & præcipuè ex N. Subt. Doct. p. 93. n. 205.

DISPUTATIO II.

De materia, & forma Sacramenti Eucharistiæ. p. 94.

- Quæstio I. Quid sit materia hujus SS. Sacramenti? ibidem. n. 208.
- Conclus. I. Panis, & vinum, sunt materia necessaria Eucharistiæ conficiendæ. p. 95. n. 209.
- Conclusio II. Materia Eucharistiæ conficiendæ necessariò debet esse panis triticus, aqua naturali coalescens, aut immixtus, atque igne decoctus: & insuper debet esse vinum vitis, aut vitigineum. p. 97. num. 214.
- Argumentorum solutio. p. 99. n. 218.
- Corollaria præcedentis doctrinæ, tam pro pertinentibus ad panem, quam ad vinum, prout sunt materia consecrationis corporis, & sanguinis Christi. p. 100. n. 221.
- Ulterius, variæ resolutiones erga vinum, & solutiones adversantium. ibid. & per num. seq.
- Resolutio I. Nulla est consecratio in agrestâ, & in botro. p. 102. num. 225.
- Resolutio II. Mustum validè consecrari potest. ibid. n. 226.
- Resolutio III. Nec acetum, nec vinum congelatum est sufficiens materia consecrationis. ibid. n. 227.
- Quædam illationes ex dictis. p. 103. num. 229.
- Refelitur error Aquariorum. ibid. n. 230.
- Diu viguit consuetudo in quibus-

- busdam Ecclesiis conficiendi Eucharistiam mane, & vespere in Coena Domini. ibid. n. 231.
- Quæst. II. An panis, ex quo Eucharistia conficitur, debeat esse Azymus, aut Fermentatus? pag. 104. num. 232.
- Conclus. I. Panis, tam Azymus, quam fermentatus est materia apta consecrationis. ibid. n. 233.
- Conclus. II. Panis Azymus convenientior est, quam fermentatus. p. 105. n. 234.
- Conclus. III. In Ecclesia Romana ab Apostolorum ætate, usque ad hanc, viguit perpetuus Azymi usus. ibid. n. 235.
- Conclus. IV. Incertum est, quo tempore invaluit apud Græcos panis fermentati usus: videtur tamen principiasse ante Schisma Photianum. p. 106. n. 236.
- Conclus. V. Panis in Eucharistia consecrandus debet esse figura rotundus, & exilis, ex antiqua disciplina Ecclesiæ. p. 107. n. 238.
- Argumentorum solutio. ibid. n. 240.
- Dubium solutum: An Latini apud Græcos commorantes possint in fermento consecrare? & è converso Græci in Azymo? pag. 110. n. 246.
- Statuitur, Græcos non peccare, consecrando in fermentato. ibid. n. 248.
- Quæst. III. An, & quo jure, seu præcepto miscenda sit aqua vino consecrando? pag. 112. n. 251.
- Conclus. I. Vino consecrando necessariò est aqua permiscenda. pag. 113. n. 253.
- Conclus. II. Talis aquæ mixtio necessaria non est necessitate Sacramenti; nec obligat ex divino præcepto, sed dumtaxat ex Ecclesiastico. p. 114. n. 256.
- Argumenta solvantur. p. 115. n. 258.
- Dubiola aliqua resolvuntur. p. 120. num. 268.
- Dubium I. In qua quantitate aqua sit miscenda vino consecrando? ibid.
- Dubium II. Quanta judicabitur aqua exigua, & modica? Resolvitur, & aliquorum scrupula remouentur. ibid. n. 269.
- Dubium III. An illa aqua debeat esse naturalis? Et an frigida, aut calida? p. 121. n. 270.
- Quæst. IV. An aqua vino in calice mixta, immediatè in Christi sanguinem convertatur? ibid. n. 271.
- Sit Conclusio: Non convertitur immediatè in Christi sanguinem, sed tantum mediatè. pag. 122. num. 272.
- Est dicere, quòd prius converti debet illa aqua in vinum, & ex inde in sanguinem. ibid.
- Variæ infringuntur adversantium resolutiones. ibid. n. 273.
- Argumenta enervantur. pag. 126. n. 280.
- Dubium duplex proponitur, & resolvitur. p. 133. n. 293.
- I. Dubium: An si aqua convertatur in vinum, saltem in ultimo instanti prolationis verborum, tunc maneat consecrata, & in Christi sanguinem conversa. ibid.
- Resolvitur negativè. p. 134. n. 294.
- II. Dubium: An, si aqua convertatur in vinum, post calicis consecrationem, consecrata maneret? p. 136. n. 296.
- Resolvitur etiam negativè. ibid.
- Quæst. V. Quomodo necessaria sit consecratio sub utraque specie? ibid. n. 297.
- Conclus. I. Utriusque speciei, scilicet, panis, & vini consecratio non est de necessitate Sacramenti Eucharistiæ: ac proinde si in una tantum specie fieret consecratio, validum esset Sacramentum. ibid. num. 298.
- Solutio argumentorum. p. 136. num. 299.
- Conclus. II. Utramque materiam Eucharistiæ consecrare, est de necessitate præcepti, nedum ecclesiastici, sed etiam divini. pag. 137. num. 302.
- Conclus. III. Neque Summus Pontifex dispensare potest, ut conse-

- cretur in sola una specie. p. 138. num. 304.
- Argumenta solvuntur. p. 139. n. 306.
- Quæst. VI. Quænam requirantur conditiones ex parte materiæ ad consecrationem? p. 140. n. 309.
- Dico I. Materia consecranda certa, ac determinata debet esse ex intentione consecrantis ad validam consecrationem. Unde sola materia validè consecratur à Sacerdote, quam determinatè consecrare intendit. p. 141. n. 310.
- Dico II. Materia consecrationis debet esse Ministro sufficienter præsens, ad hoc ut valida sit consecratio. ibid. n. 312.
- Dico III. Quæcumque minima quantitas sensibilis, in qua substantia panis, & vini conservari possit, est materia apta consecrationis. p. 142. n. 314.
- Dico IV. Quæcumque quantitas magna materia est apta consecrationis, dummodo sit moraliter præsens, & demonstrabilis per pronomen *Hoc*, vel *Hic*. p. 143. n. 118.
- Argumenta cuilibet ex his resolutionibus pertinentia ad calcem uniuscujusque inveniuntur soluta. ibid. n. 119.
- Quæst. VII. Quæ sit forma Eucharistiæ sub speciebus panis? p. 144. num. 320.
- Conclus. I. Essentialis forma consecrationis corporis Christi, consistit in his verbis: *Hoc est corpus meum*. ibid. n. 321.
- Argumentorum solutio. p. 145. n. 323.
- Conclus. II. Licet forma essentialis consecrationis panis consistat in prædictis quatuor verbis: tamen necessariò præmittenda sunt verba illa: *Qui pridie, quàm pateretur &c.* aut æquivalentia, sine quibus probabiliter dubium esset Sacramentum. p. 146. n. 327.
- Objecta solvuntur. p. 148. n. 332.
- Conclus. III. Probabilius verò est, Eucharistiæ Sacramentum validum esse, per hoc præcisè, quòd proferantur hæc verba: *Hoc est cor-*

- pus meum*, absolutè, & nullis aliis prætermissis. p. 150. n. 337.
- Argumenta solvuntur. ibid. n. 338.
- Dubium I. An verbum *est* necessariò debeat exprimi ad consecrationem? & resolvitur affirmativè. p. 151. n. 339.
- Dubium II. Quomodo particula *enim* necessaria sit? Resolvitur, necessariam esse ex ecclesiastico præcepto. p. 152. n. 342.
- Petes: Ad quid ponitur in consecratione particula *enim*? Resolvitur. ibid. n. 343.
- Quæst. VIII. Quænam sit essentialis forma consecrationis Calicis? pag. 153. n. 345.
- Conclusio: Forma consecrationis sanguinis essentialiter consistit in solis illis verbis: *Hic est Calix sanguinis mei*: vel in æquivalentibus, nempe: *Hic est sanguis meus*. ibidem. n. 347.
- Argumenta solvuntur. p. 155. n. 353.
- Petes: Cur in consecratione Calicis exprimuntur verba *Passionem significantia*, nempe, *qui pro nobis effundetur &c.* & non exprimitur talia in consecratione corporis? p. 159. n. 365.
- Quæst. IX. Quomodo verba consecrationis proferri debeant à Sacerdote? ibid. n. 366.
- Concl. Verba consecrationis proferri debent recitativè, & simul significantivè. p. 160. n. 368.
- Solutio Argument. p. 162. n. 372.
- Quæst. X. Quomodo verba consecrationis sint vera? Et quomodo efficacia? p. 164. n. 378.
- Concl. I. Verba consecrationis propriè, & in rigore sermonis, sunt vera, quando proferuntur: at verò non nisi in ultimò instanti prolationis eorum, corpus, & sanguis Christi, sub speciebus panis, & vini, reperiuntur. ibid. n. 379.
- Argumenta infringuntur. p. 165. n. 380.
- Concl. II. Forma consecrationis est conversiva, seu causat corporis, & sanguinis Christi præsentiam, in quan-

- quantum significativa, non in quantum vera. p. 167. n. 385.
- Argumenta solvuntur, & doctrina stabilitur notabilis pro illorum clara solutione, & recta intelligentia hujus difficultatis. p. 168. n. 383.
- Quæst. XI. Quid significant pronomen *Hoc*, & *Hic*, in consecratione panis, & vini? p. 171. n. 392.
- I. Concl. Pronomen *Hoc* non demonstrat in forma consecrationis in recto substantiam panis: nec panis accidentia: nec aliquid commune substantiæ panis, & corporis Christi: nec demum demonstrat expressè ipsum Christi corpus in recto. p. 172. n. 393.
- II. Concl. Pronomen *Hoc* non sumitur in forma consecrationis adjectivè, sed substantivè, scilicet, pro re, vel ente singulari, quod est corpus Christi. Idem est dicendum de pronome *Hic*. Et explicatur quid per hoc sit intelligendum. ibid. n. 394.
- Solvuntur argumenta. p. 173. n. 396.
- Qualis sit genuinus sensus verborum consecrationis? p. 175. n. 400.
- Quæst. XII. An Christus in consecratione usus fuerit verbis? Et an verba, quibus Sacerdos Sacramentum conficit, eadem sint cum illis, quibus Christus Dominus consecravit? ibid. n. 401.
- Quæ fuerit formula benedicendi prændium, quæ viguit apud Judæos? ibid.
- I. Concl. Dominus revera usus est verbis in consecratione: fueruntque in consecratione panis ista: *Hoc est corpus meum*: Et ista in consecratione vini: *Hic est calix sanguinis mei*. p. 176. n. 403.
- II. Concl. Sacerdotes novæ legis iisdem omnino verbis consecrant corpus, & sanguinem Christi, quibus ipsemet consecravit. p. 177. n. 405.
- III. Concl. Quamvis verissimum sit, Christum verbis consecrasse, tamen non est hucusque ab Eccle-

- sia definitum, Christum Dominum in Eucharistiæ consecratione verba quædam adhibuisse. p. 178. n. 406.
- Argumenta adversus has conclusiones solvuntur. ibid. n. 407.
- Dubitabis: Utrum Græci, existimantes, verba Christi non sufficere ad consecrationem, revera ipsi consecrent? p. 182. n. 415.
- Dubium resolvitur, & cujusdam Græci stultitia erga hoc refellitur. ibid. num. 416.

DISPUTATIO III.

De vera Christi existentia sub speciebus consecratis: aliisque effectibus consecrationis, & transubstantiationis. p. 183.

- Quæst. I. An Christi corpus, & sanguis, verè, & realiter sint præsentia speciebus Eucharisticis? ibid. num. 417.
- Referuntur præcipui errores erga Sacramentum Eucharistiæ. ibid. n. 418.
- Conclusio Catholica: Corpus, & sanguis Christi Domini verè, realiter, & substantialiter sunt sub speciebus Eucharisticis. p. 185. n. 423.
- Demonstratur Catholica veritas ex verbis Christi Eucharistiam promittentis. ibid. n. 424.
- Probatur ulterius ex verbis Christi Eucharistiam instituentis. pag. 186. n. 428.
- Eadem demonstratur veritas ex traditione Divina, & Apostolica. p. 187. n. 430.
- Probatur etiam ex variis Æcumenicis Conciliis. p. 188. n. 434.
- Probatur eadem veritas ex SS. Patribus. p. 189. n. 435.
- Probatur hæc realis Christi præsentia in Sacramento rationibus Theologicis. ibid. n. 436.
- Roboratur ex vita Sanctorum ab Ecclesiæ initio. ibid. n. 437.
- In ejusdem veritatis confirmationem refertur miraculum, quod in Dara-
roca

- roca cernitur. p.190.n.438.
 Infringuntur argumenta Hæreticorum ex Sac. Scriptura petita. ibid. n. 439.
 Argumenta, quæ ex Patribus desumunt, infracta. p.193.n.446.
 Argumenta à ratione solvuntur. pag. 196. n. 451.
 Hæretici admonentur, ut suos errores agnoscant, & abjurent, atque ad veritatem veiant. pag.197. n. 453.
 Quæst. II. An corpus, & sanguis Christi sint in Eucharistia per veram conversionem, & transubstantiationem, substantiæ panis, & vini, in substantiam corporis, & sanguinis Christi? ibid.n.454
 Conclus. I. Nihil substantiæ panis, & vini manet in Eucharistia post consecrationem, sed tota convertitur, & transubstantiatur in corpus, & sanguinem Christi Domini. p.198.n.454.
 Conclusio II. Transubstantiatio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, rectè colligitur ex verbis consecrationis practicèsumptis. ibid. n.457.
 Solvuntur objectiones. p.200.n.459.
 Notabilis doctrina Subt. Doct. in præsentia materia. ib. n.460.
 Varii errores Berengarii circa Eucharistiam. p.202.n.464.
 Corollarium præcedentis doctrinæ. Nullam partem panis manere, sive quoad materiam, sive quoad formam, sive quoad existentiam, sive quoad subsistentiam, in ejus conversione in Corpus Christi. p. 203. n. 467.
 Quæst. III. An possibile sit corpus Christi in Eucharistia subsistere, ibi perseverante panis substantia? p. 204. n. 469.
 Assertio I. Absolutè loquendo fieri potuit, ut Christus, salva manente substantia panis, haberet præsentiam sacramentalem; & quidem ejusdem rationis, qua nunc est præsens. p. 205. n. 470.
 Assertio II. Transubstantiationem panis, & vini, necessario non colligi ex verbis consecrationis pure speculative sumptis. Explicatur genuinus sensus hujus difficultatis. ib. n. 472.
 Argumentorum solutio. pag. 206. n. 474.
 Corollarium ex dictis valde notabile. p. 208. n. 477.
 Quæst. IV. Quid sint, quæ, & quot ad veram conversionem, & transubstantiationem requirantur. ib. n. 478.
 Conditio 1. ad conversionem veram substantialem requisita. p. 209. n. 479.
 An per conversionem, aut transubstantiationem, annihiletur panis in Eucharistia? Difficultas hæc explicatur, & resolvitur, ac mens Subt. Doct. apperitur. ibid. num. 480.
 An dessitio panis possit dici annihilatio? p.210.n.481.
 Conditio 2. necessaria ad substantialem conversionem. pag. 211. n. 483.
 Conditio 3. verè conversionis substantialis. ibid. n. 485.
 Resolvitur dubium: An inter dessitionem termini à quo, & positionem termini ad quem, necessaria sit connexio phisica, & ex natura rei? an sufficiat, quod sit tantum moralis? p.212.n.486.
 Conditio 4. ad conversionem substantialem. ib. n. 487.
 Statuitur: Quid sit in re transubstantiatio. ibid. n. 488.
 Quæst. V. Quænam sit actio transubstantiativa panis in corpus Christi Domini? p.213.n.489.
 Conclusio nostra: Actio transubstantiativa panis in corpus Christi, solum est actio adductiva, non productiva, nec reproductiva. ibidem n. 491.
 Argumenta solvuntur. p.215.n.495
 Subtilis doctrina in præsentia materia. p.219.n.502.
 Judicium hujus difficilis controversiæ. p. 223. n. 510.
 Quæst.

- Quæstio VI. Quomodo existat Christus sub speciebus Eucharisticis? Quid ponatur in Eucharistia? & quomodo? ibid.n.511.
 Explicatur differentia præsentia sacramentalis à præsentia circumscriptionis, & diffinitiva. ibid.
 Dico I. Præsentia corporis, & sanguinis Christi, quæ causatur ab actione conversiva, est entitas positiva, & relativa, reducibilis ad prædicamentum ubi. pag. 224. n. 512.
 Argumentis fit satis. pag. 225. num. 514.
 Dico II. Terminus ad quem transubstantiationis eucharisticæ, seu terminus formalis, est directe, & per se, corpus Christi constans materia, & forma corporeitatis. Idem respectively asserendum est de sanguine. p.226. n. 516.
 Dico III. Inter corpus, & sanguinem Christi, ac species consecratas, nulla datur unio phisica. p. 227. n. 519.
 Argumenta Thomistarum solvuntur. p. 228. n. 520.
 Dico IV. Christus post consecrationem, & per illam, ponitur, & est in hostia, non solum totus in tota, sed etiam est totus in qualibet hostiæ particula: & hoc sive separentur particulae, sive permaneant inseparatæ. p.229.n.523.
 Argumenta solvuntur: & insimul explanatur modus mirabilis, quo in Eucharistia existit Christus. ibid. num. 525.
 Dico V. Sub specie panis solum ponitur corpus Christi directe, & ex vi verborum, & sanguis sub speciebus vini: at vero per concomitantiam tam in hostia, quam in calice, est totus integer Christus: hoc est, ponitur Anima, Divinitas, subsistentia, seu Divini Verbi Personalitas. p.230.n.527.
 Solvuntur objecta. Et insimul declaratur mens Subt. Doct. illum vindicando ab imposturis. pag. 231. n. 529.
 Tom. II.
 Alia ejusdem mirabilis doctrina in his difficultatibus valde notanda. p. 232. n. 530.
 Dico VI. Corpus Christi ponitur cum tota sua quantitate in hoc Sacramento. p.233.n.533.
 Argumenta solvuntur. pag. 234. n. 535.
 Interrogas: An quantitas corporis Christi ponatur in Eucharistia per se? an solum concomitanter? pag. 236. n. 538.
 Quæst. VII. Resolvens Dubia quædam ex proxime dictis emanata. ibid. n. 539.
 Dubium 1. Quid includatur in ratione corporis, & sanguinis Christi: dum dicitur, ex vi verborum poni sub speciebus panis, & vini? ibid. n. 540.
 Præfertur sententia de forma corporeitatis omnibus aliis oppositis sententiis. ibid.
 Dubium 2. An totus Christus non solum sit in partibus hostiæ consecratæ, sed etiam in punctis, seu indivisibilibus continuativis, & unitivis ipsius hostiæ? p. 237. n. 542.
 Resolvitur affirmative contra plures Scotistas. ibid.
 Argumenta solvuntur. pag. 238. n. 343.
 Dubium 3. Quid sit aliquid existere per concomitantiam in Eucharistia? Et traditur aptior, & clarior explicatio hujus vocis per concomitantiam. p.239.n.545.
 Quid sit Personas Divinas Patris, & Spiritus Sancti, esse in Eucharistia per circuminsessionem. ibid.
 Dubium IV. An Corpus Christi in Eucharistia aliquam habeat figuram? ibid. n. 546.
 Resolutio est: quod habet figuram organicam, intrinsecam, & entitativam. Et ostenditur quid sit hæc figura entitativa. p. 240. n. 547.
 Quomodo, aut qua positione, possit concipi à nobis, Christum stare in Eucharistia? ibid.
 Dubium V. Quæ denominationes conveniant corpori Christi in Sacramento. Aaaa men-

- mento Eucharistiæ ratione specierum? ibid. n. 548.
- Quæst. VIII. Quid, & quomodo possit Christus agere, & pati in Eucharistia. ibid. n. 549.
- Conclus. I. Omnis operatio immanens, quæ primario convenit Christo, prout existit in Cælo, convenit illi concomitanter in Sacramento. At vero operatio immanens pure spiritualis, ut intellectio, & votio, quæ inhæsse possunt Christo in Sacramento, non insunt illi ibi, si dependent a sensibus. p. 241. n. 550.
- Videtur Doct. Subt. docere hic, præsentiam objecti requiri ad causandum, non ad terminandum, cuius oppositum tenet pluribus in locis. p. 242. n. 553.
- Hac de causa conciliatur sententia Doct. p. 243. n. 554.
- Varia Corollaria ex dictis: & insimul adducitur Nominalium doctrina, asserentium, Christum in Eucharistia videre se ipsum, & circumstantes oculis corporeis. p. 244. n. 556.
- Conclus. II. Christus in Eucharistia agere potest actione physica spiritali, transeunte in passum externum, & insimul potest pati, seu recipere aliquam formam spiritali, v. g. ab Angelo sibi sufficienter præsentem: at vero non potest habere per se aliquam actionem corpoream, nec in se ipsum, nec in passum externum. ibid. n. 557.
- Unde non potest Christus in Eucharistia movere organice corpus suum intra species, nec extra illas. ibid.
- Conclus. III. Corpus Christi, mediante specierum motione, nec per se, nec per accidens movetur, nec moveri potest, ab agente creato, sed movetur immediate à solo Deo. p. 245. n. 560.
- Explicatur, quomodo, & quando dicatur, quod movens aliquid per se, moveat etiam per accidens id, quod est in moto per se? ibid. n. 561.
- Quæst. IX. An Corpus Christi possit in Eucharistia videri, & cognosci? Et à quo? p. 247. n. 563.
- Conclusio I. Intellectus, sive Angelus, sive Beati, solutus, vel conjunctus cum corpore, naturaliter videre potest Corpus Christi in Eucharistia existens. ibid. n. 564.
- Conclus. II. Corpus Christi in Eucharistia non potest naturaliter videri ab oculo corporeo: imo nec supernaturaliter sub indivisibili modo existendi, quem ibi habet. p. 249. n. 566.
- Objectiones solvuntur. p. 250. n. 568.
- Resolvuntur tria Dubia. ibid.
- Dubium I. An apparitiones Christi sub speciebus Eucharisticis fuerint reales, ac veræ apparitiones? An tantum fuerint apparentes? ibid. n. 570.
- Dubium II. An præsentia corporis Christi in Eucharistia sit supernaturalis quoad substantiam, vel tantum quoad modum? Et explicatur quid per hoc intelligatur. p. 251. n. 571.
- Dico: Talem præsentiam esse supernaturalem quoad substantiam. ibid. n. 573.
- Dubium III. Quando, & Quomodo Christus desinat esse sub speciebus Eucharisticis? p. 252. n. 575.
- Resolvitur I. pars: Christus Dominus desinit esse sub speciebus Eucharisticis, quando istæ sic mutantur, & corrumpuntur, ut substantia panis, & vini, etiam corrumpatur, si adesset sub illis accidentibus. ibid.
- Resolvitur II. pars dubii: Christus non desinit esse in hoc Sacramento per motum localem, aut propriam mutationem, sed per simplicem deperditionem præsentia realis Sacramentalis, quam sub speciebus habet. ibid. n. 576.
- Quæst. X. Per varia dubia resolvens quidquid de accidentibus Sacramentalibus dubitari solet. p. 253. n. 577.

Du-

- Dubitatur I. An accidentia panis, & vini maneant in Eucharistia sine omni subiecto substantiali? ibid.
- Dico: accidentia absoluta panis, & vini, quæ percipiuntur aliquo sensu manent in Eucharistia post consecrationem sine ullo subiecto substantiali: non tamen omnia sine subiecto accidentali. ibid. n. 578.
- Aliqui novitatibus addicti, negant dari accidentia in rerum natura: alii negant, realiter distingui à substantia. p. 254. n. 579.
- Dubitatur II. An quantitas specierum in Eucharistia acquirat aliquem modum positivum, qui dicatur per se itatis? aut conservetur concursu novo, & differenti ab eo, quo tam ipsa, quam cætera accidentia, conservabantur unita substantia panis, & vini?
- Resolvitur negative quoad utramque partem. ibid. n. 581.
- Dubitatur 3. Quid accidentia Eucharistica agere possint, & pati? pag. 255. n. 583.
- Est quærere: An eosdem effectus, quos producebant illa accidentia unita substantiis panis, & vini, efficiant separata, & in præsentia corporis, & sanguinis Christi? v. g. an nutriant, inebrient, &c. ibid.
- Resolutio: Accidentia eucharistica habent, vel habere possunt, omnem actionem, tam intentionalem, quam realem, quam extra Eucharistiam habebant cum substantia panis, & vini. ibid. n. 584.
- Varia Corollaria ex dictis. pag. 256. num. 585.
- Dubitatur IV. Quantum temporis durent in stomacho species consecrata? ib. n. 586.
- DISPUTATIO IV.
- De Ministro Sacramenti Eucharistiæ. pag. 257.
- Quæst. I. Quis sit legitimus Minister. Tom. II.
- ter potens hoc Sacramentum conficere? Et referuntur hæreticorum errores. ibid. n. 587.
- Conclus. I. Solus Sacerdos novæ legis est Minister hoc Sacramentum consecrans, & conficiens. ib. n. 588.
- Hæreticorum objecta infringuntur. p. 258. n. 589.
- Conclus. II. Quilibet Sacerdos rite ordinatur, quantumvis hæreticus, Excommunicatus, Schismaticus, aut degradatus, modo agat cum debita intentione in materia vera, & forma, potest consecrare valide: non vero licite. pag. 260. n. 594.
- Argumentorum solutio. p. 261. n. 597.
- Dubitatur: An plures Sacerdotes valide, ac licite possint eandem materiam consecrare? p. 262. n. 599.
- Affirmative resolvitur. ib. n. 600.
- Solutio ad argumentum resolutionem impugnare intendens. p. 263. n. 601.
- Quæst. II. Quis administrare valeat Sacramentum Eucharistiæ? ibidem. num. 602.
- Adstruitur, & explicatur duplex potestas jurisdictionis, & duplex dispensatio Eucharistiæ. ibid.
- Conclus. I. Solus Sacerdos ex suo principali officio est ordinarius dispensator Eucharistiæ: & hoc ei competit, sive ex jurisdictione ordinaria, sive delegata. ibidem n. 603.
- Conclus. II. Non omnes Sacerdotes possunt licite hoc Sacramentum ministrare, sed solum illi, qui habent potestatem jurisdictionis ordinariam, vel delegatam. p. 264. n. 604.
- Sed quæres: Quis habeat hanc jurisdictionem, & auctoritatem delegatam, & quis ordinariam? ibid. num. 605.
- Conclus. III. Diaconus, urgente casu necessitatis, dispensare potest corpus, & sanguinem Domini, ex speciali commissione Sacerdotis. p. 265. n. 606.

Aaaa 2

Dia-

Diaconus etiam potest, in casu urgentis necessitatis, seipsum, & alios, Eucharistiam ministrare. p. 266. n. 608.

Conclus. IV. Nullus alius, præter Sacerdotem, & Diaconum, potest Eucharistiam sibi, nec aliis ministrare, etiam urgente casu necessitatis. ib. n. 609.

Quamvis vero hoc interdictum sit laicis, non ex jure divino, sed solum jure Ecclesiastico. p. 267. num. 610.

DISPUTATIO V.

De suscipientibus Eucharistiam.
p. 268.

Quæst. I. Quis possit Eucharistiam suscipere? Et quinam arcendi sunt à sacra Communione? ibidem. n. 612.

Conclusio I. Olim infantibus paulo post Baptismum conferebatur Eucharistia: & etiam conferebatur perpetuo amentibus. pag. 269. n. 613.

Hodie vero hoc non licet, in Ecclesia Latina saltem: apud aliquos vero adhuc viget illa praxis. ibidem.

Cur illa pristina consuetudo abolita fuerit? ibid. n. 614.

Quid dicendum de mutis, & surdis? ibidem.

Quando Pueris administranda sit Eucharistia? p. 270. n. 615.

Conclusio 2. Sacra Communione denegari debet theatricis, & histrionicis, donec resipuerint à tali comertio, & negotio. ibidem. n. 616.

Deneganda est etiam publicis peccatoribus, nempe, usurariis, raptoribus, adulteris, & meretricibus, qui etiam admoniti, ut resipiscant, abstinere recusant, & nolunt. ibid.

Conclusio 3. Peccatori autem occulto publice petenti Eucharistiam, deneganda non est coram his, qui

ejus peccatum ignorant. pag. 271. num. 617.

Deneganda est vero, si peccator occultus privatim petat sacram Communionem. ib. n. 618.

Excipiendus tamen est casus, quando delictum notum est per confessionem, quidquid sentiant aliqui. ibidem.

Quid sentiendum sit de afficiendis extremo supplicio? Et pariter, quid sentiendum de mortuis? pag. 272. num. 619.

Refertur, quando, & in quibus Provinciis, denegetur supplicio afficiendis sacra Communione. ib.

Dico I. Eucharistiam extremo supplicio afficiendis non esse denegandam. ibid. n. 621.

Dico II. Eucharistia non est ingerenda ori defunctorum, nec collocanda supra eorum pectus; quamvis utrumque aliquando fuerit in usu. ibid. n. 622.

Quæst. II. An communitio sub utraque specie, quæ prioribus sæculis satis frequens fuit, potuerit prohiberi ab Ecclesia? Et an justè de causis fuerit prohibita? Refertur error erga hoc. p. 274. n. 623.

Conclusio I. Non tenentur præcepto divini ad communionem sub utraque specie, tam Laici, quam Sacerdotes non conficientes, ut blaterant hæretici. ibid. n. 624.

Non moderna, sed antiquissima, & a tempore Apostolorum, fuit etiam communitio sub unica tantum specie. p. 277. n. 628.

Conclusio II. Justissime interdixit Ecclesia Laycis communionem sub utraque specie. p. 278. n. 630.

Justa verò causa potest ipsamet Ecclesia usum calicis laycis concedere. ibid.

Et defacto aliquibus concessit, & quibus. ibid. n. 631.

Dum Pontifex solemniter celebrat, Diaconus, & etiam Subdiaconus, de calice communicant. ibid.

Conclusio III. Non expedit, sublatum

tum calicis usum iterum laicis permittens. 279. n. 632.

Quid hac in re acciderit in Tridentina Synodo? ibidem.

Argumenta hæreticorum infringuntur. ibid. n. 633.

Doctrina notabilis adversus Sectarios. 280. n. 635.

Dubium quoddam proponitur, nempe: An ex opere operato plus gratiæ conferatur suscipienti utraque speciem, quam unicam tantum? p. 282. n. 638.

Resolutio est, quod communicanti sub utraque specie non conferatur amplior gratia, quam conferatur communicanti sub unica. ib. n. 639.

Reges Galliarum possunt ex Ecclesiæ concessionem communicare sub duplici specie in die suæ coronationis. p. 283. n. 641.

Solvuntur Objectiones adversus præcedentem resolutionem. ibid. n. 641. & 42.

Quæres: Cur Sum. Pontifex solemniter celebrans communitet ratione diversa ab aliis Sacerdotibus? ibidem num. 642.

Quæstio III. De dispositionibus necessariis ad fructuosam Eucharistiæ sumptionem. p. 284. n. 643.

Conclus. I. Ad debitam, & dignam Sacramenti Eucharistiæ receptionem necessaria est fides, & status gratiæ sanctificantis. ib. n. 644.

Argumenta solvuntur. pag. 285. num. 645.

Conclus. II. Omnis fidelis constius peccati mortalis, tenetur sub præcepto gravi, præmittere communioni confessionem sacramentalem, dummodo possit. ib. n. 647.

Quid intelligatur per illam particulam *dequam primum*, expressam à Tridentino? p. 286. n. 648.

Conclus. III. Ad dignam Eucharistiæ sumptionem requiritur ex parte corporis jejunium naturale, & carnis munditia ab omni copula, aut pollutione maxime culpabili. pag. 287. n. 649.

Concessum aliquando fuit Sacerdo-

tibus celebrare ad vesperam in Coena Domini, & consequenter non jejunis, in memoriam facti ipsius Christi. ib. n. 649.

Quæres: Quid plures sentiunt, & quid sentiendum sit de actu conjugii: impediatur ne debitam Communionem? ib. n. 651.

Quæres item: quæ infirmitates impediatur Communionem? pag. 288. num. 652.

Varii referuntur casus, in quibus licite potest quis communicare esto non sit jejunus. pag. 289. n. 654.

Quæres etiam: Quid sit, & in quo consistat jejunium naturale? & per quid frangatur? pag. 290. n. 656.

Resolvuntur varii casus. ibid.

Quæres denique: Quid sentiendum de Tabaco, præsertim in fumo? pag. 291. n. 657.

DISPUTATIO VI.

De mirandis divini Eucharistiæ effectibus in animam, & corpus.

Quæstio I. Qualem gratiam causet Eucharistia? & an remittat peccata? p. 292. n. 659.

Conclusio. Primarius effectus hujus Eucharistici Sacramenti non est prima gratia, seu remissiva peccati mortalis: bene vero augmentum gratiæ sanctificantis. ibid. n. 660.

Remittit etiam directè, seu ex opere operato peccata venialia. ibidem.

Sed quid requiratur, aut sit necessarium, ut sic remittat peccata venialia? ibid. n. 660.

Hæreticorum objecta enervantur. p. 293. n. 661.

Quæstio II. De cæteris Eucharistiæ effectibus, quoad animam, & quoad corpus. p. 294. n. 663.

Dubium I. Quando Eucharistia operetur suos mirabiles effectus? pag. 296. n. 666.

Re-

Resolvitur Dubium. *ibidem.*
 Dubium 2. An hoc Sacramentum causet gratiam toto tempore, quo species consecratae conservantur in stomacho? Et quomodo tunc illam causet? *ibid.n. 667.*
 Resolvitur negativé ex opere operato: affirmative vero ex opere operantis. *ibid.*
 Solutio duplicis argumenti. pag. 297. num. 668.
 Dubium 3. An qui Eucharistiam recipit in peccato mortali, si antequam corrumpantur species, vere coneratur, gratiam recipiat? *ibid. n. 669.*
 Resolvitur affirmative contra plures Theologos. *ibidem.*
 Subdubitabis: Si post dignam Communionem quis peccaret, & sta-

tim ante specierum corruptionem poeniteret, nonne sacramentalem gratiam reciperet? *ibid.*
 Resolutio est negativa. *ibid.*
 Dubium 4. An infirmo possit in eadem infirmitate ministrari iterum, atque iterum hoc saluberrimum Sacramentum? *p. 298. n. 670.*
 Respondeo affirmative. *ibidem*
 Sed quot dies intercedere debeant inter unam, & aliam Communionem? *ibidem*
 Dubium 5. Quid de frequenti, aut quotidiana Communionem, sentiendum sit? *ibid. n. 671.*
 Pro frequenti, ac profiqua laycorum Communionem aliquæ traduntur regulæ valde utiles. *ibidem. num. 672.*

TRACTATUS VII.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

DISPUTATIO UNICA.

Complectens quidquid ad Missæ Sacrificium attinet.

Questio I. In quo consistat Sacrificium in communi? & an Missa veram sacrificii rationem habeat. *p. 300. n. 1.*
 Quodnam sit sacrificium proprium, & improprium? *ibid.*
 Conclusio I. In qua statuitur, ac explicatur definitio sacrificii proprii dicti. *ibid. n. 2.*
 Sacrificium essentialiter, distinguitur à cæteris rebus divino cultui deservientibus. *p. 301. n. 4.*
 Præcipua nomina, quæ huic sacrificio adaptantur. *p. 302. n. 5.*
 Missa olim erat duplex, nempe, Catechumenorum, & fidelium. numer. 7.
 Conclusio 2. Eucharistiæ celebratio, quæ solitè Missa dicitur, est vere, & propriè Sacrificium. *p. 303. n. 8.*
 Hæreticorum Evassiones infringun-

tur. *p. 304. à n. 11.*
 Quare Christus dicitur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, & non secundum Aaron? *pag. 305. n. 14.*
 Hæreticorum enervantur argumenta. *p. 306. n. 17.*
 Aliæ instantiæ Calvinii præveniuntur. *p. 308. n. 22.*
 Quæst. II. In quo Sacrificium Missæ formaliter consistit? *p. 309. n. 23.*
 Dico I. Non consistit essentialiter in oblatione præcedente, nec consequente consecrationem. *pag. 310. n. 24.*
 Dico II. Neque consistit in hostiæ fractione, nec in sumptione. *ibid. n. 25.*
 Dico III. Sacrificium Missæ essentialiter consistit in sola consecratione. *p. 311. n. 26.*

Di-

Dico IV. Eucharistiæ sumptio requiritur ex Christi voluntate, licet non ad essentiam, benè vero ad sacrificii integritatem. *ibid. n. 27.*
 Dico V. Hostiæ oblatio facta ante consecrationem, & oblatio post consecrationem: pariter fractio, ac divisio hostiæ, solum est necessaria ex determinatione Ecclesiæ. *ibid. n. 28.*
 Quid significet hostiæ divisio in tres partes? Et in ritu Muzarabi dividitur in septem partes, sub num. 28. *p. 312.*
 Argumentorum solutio à num. 29.
 Quæres I. Quæ sit hostia, & res oblata in Missa? Resolvitur: esse corpus, & sanguinem Christi, sub speciebus panis, & vini. *pag. 315. n. 39.*
 Quæres II. An in Missæ Sacrificio sit materia, & forma? Et quæ sit? *ibid. n. 40.*
 Quæst. III. An consecratio utriusque speciei sit de essentia sacrificii? *p. 316. n. 41.*
 Concl. Utriusque speciei consecratio necessaria est essentialiter ad Missæ Sacrificium. *ibid. n. 42.*
 Solutio argum. *p. 317. n. 44.*
 Quæres: An in Missa unum tantum, aut duplex, sit Sacrificium? Resp. esse unicum. *p. 319. n. 48.*
 Quæst. IV. An Missæ Sacrificium sit Latreuticum, Eucharisticum, Impetratorium, & Propitiatorium? *320. n. 49.*
 Explicatur differentia, ac varietas Sacrificiorum in omni lege. *ibid. n. 49. 50. 51.*
 Assero I. Missæ Sacrificium est Latreuticum, & Eucharisticum. *p. 321. n. 53.*
 Assero II. Est etiam Impetratorium beneficiorum, tam spiritualium, quam temporalium: & simul Propitiatorium, seu remissivum peccatorum, & poenarum. *pag. 322. num. 54.*
 Etiam est satisfactorium. *pag. 324. num. 59.*
 Quæres 1. An Ecclesia institueret

possit aliquod aliud sacrificium? Negative. *ib. n. 50.*
 Quæres 2. Quomodo Christus offerat Sacrificium Missæ? *ib. n. 62.*
 Dico: Christus non offert Sacrificium Missæ proxime, & immediate, sed mediate, & remote. *p. 325. n. 63.*
 Argumentorum solutio. *ib. n. 64.*
 Quæst. V. Quomodo hoc sacrificium suos causet effectus. *p. 326. n. 66.*
 Conclus. 1. Sacrificium Missæ suos confert effectus ex opere operato. *ibid. n. 67.*
 Conclus. 2. Quamvis peccata remittat, non immediate, sed solum mediate. *p. 327. n. 69.*
 Differentiæ plures inter Sacramentum, & sacrificium. *ib. n. 70.*
 Argumentorum solutio. *pag. 328. à n. 71.*
 Quas sordes, & maculas vetera sacrificia expiatoria abstergebant? *p. 329. n. 74.*
 Quid sit operari ex opere operantis, & ex opere operato? *ibid.*
 Quæst. VI. Quibus Missæ sacrificium prodesse possit? *ib. n. 75.*
 Conclus. 1. Missæ Sacrificium fructuose offerri potest pro omnibus fidelibus viatoribus. *pag. 330. num. 76.*
 Conclus. 2. Offerri non potest pro Excommunicato vitando, nec pro tolerato. *ib. n. 77.*
 Solvitur argumentum in favorem Excommunicati tolerati. *ib. n. 78.*
 Conclus. 3. Nec potest offerri pro Paganis, aut Infidelibus; nec pro Catechumenis: bene vero offerri potest indirecte pro omnibus illis. *p. 331. n. 79.*
 Argumentorum solutio. *pag. 332. à num. 82.*
 Conclus. IV. Potest Sacerdos, ut persona privata, effundere præces in memento Missæ pro Excommunicatis, & non baptizatis. *pag. 333. n. 85.*
 Conclus. V. Potest offerri pro Beatis Missæ Sacrificium, ut est Latreuticum, & Eucharisticum, & quod-

- quodammodo etiam , ut impetratorium. pag. 334. n. 87.
- Conclus. 6. Offeritur utilissime Missæ Sacrificium , ut est Propitiatorium , aut expiatorium , pro defunctis in Purgatorio existentibus. ibid. n. 89.
- Conclus. 7. Offerri non potest valdé , nec licité pro existentibus in Inferno. pag. 335. n. 91.
- Solvuntur argumenta in oppositum. pag. 335. á n. 93.
- Quæst. VII. Resolvens aliqua dubia ad sacrificii fructum attinentia. p. 336. n. 96.
- Quomodo animæ in purgatorio existentes membra sint Ecclesiæ? ibidem.
- Dub. 1. An si Sacerdos fidelem aliquem excluderet á sacrificio , adhuc prodesset excluso? Respond. affirmativé. p. 337. n. 97.
- Dub. 2. An alii , præter Sacerdotem , Deo offerant Sacrificium Missæ? Affirmativé. ibid. n. 98.
- Dub. 3. An Missæ Sacrificium prosit ex opere operato ipsis offerentibus esto pro illis non offeratur? Explicatur sensus dubii. ib. n. 99.
- Resolvitur negative. p. 338. n. 100.
- Idem dicendum venit de suffragiis particularibus. ib. n. 101.
- Differéncia , quæ adest inter suffragia , & Sanctorum communionem. num. 102.
- Quæst. VIII. Cujus sacrificii applicatio attendi debeat? Et explicatur hujus difficultatis sensus. pag. 339. num. 103.
- Conclus. Sacerdotis applicatio valida est , etiamsi indebité facta sit. ibid. n. 104.
- Objectionum solutio. pag. 340. á n. 106.
- Quæres I. Qualis sacrificii applicatio necessaria sit , ut ex opere operato prodesse possit? Resolvitur , sufficere habitualetm. pag. 341. n. 109.
- Quæres II. Cui prosit sacrificium , quod Sacerdos non applicavit : vel applicat subjecto incapaci fructus illius? ibid. n. 110.
- Quas partes Sacrificium habeat , & quæ? ibid. n. 111.
- Quæst. IX. Quem valorem habeat Missæ Sacrificium. p. 342. n. 112.
- Conc. Valor , & effectus Sacrificii Missæ infinitus non est , sed finitus , juxta Christi Domini voluntatem , & institutionem. p. 343. n. 114.
- Impugnantur Adversantium solutiones. p. 344. á n. 117.
- Objecta solvuntur. p. 345. á n. 121.
- Quæst. X. plures resolvens casus atinentes ad Missæ Sacrificium p. 349. n. 132.
- Postest pro Missa stipendium recipi , non veró pro aliis Sacramentis ministrandis. ibid.
- Casus I. Utrum omnes Sacerdotes teneantur aliquando celebrare? Et si tenentur , quoties in anno. ibid. n. 133. 134. 135.
- Casus II. Quibus diebus teneantur celebrare Sacerdotes , animarum curam habentes? Resp. teneri omnibus illis diebus , quibus fideles tenentur audire Sacrum , & aliquibus aliis , prout ibi explicatur pag. 350. n. 136.
- Casus III. Quibus diebus teneantur Parochi applicare Sacrificium pro populo sibi commisso? ibid. num. 137. Resolvitur cum aliqua prudenti distinctione. num. 138.
- Casus IV. Utrum Sacerdos celebrare possit omnibus anni diebus? Resp. posse : exceptis veró omnino tribus postremis diebus hebdomadæ sanctæ , in quibus minime licet , præter unicam Missam solemnem in die Jovis , & Sabbati sancti p. 351. n. 139.
- Excipitur festum S. Joseph , & Anunciationis , si in cœna Domini inciderint , & quare? ibid. n. 140.
- Antiquitus non licebat celebrare in Sabbato sancto : & quare? p. 352. num. 141.
- Casus V. An eidem Sacerdoti liceat plures Missas celebrare eodem die? Resp. non licere , nisi ex aliquo privilegio , vel in casu notoriæ necessitatis. Explicantur hæc ibid. n. 143. 44. & 45.

Ca-

- Casus VI. An possit Sacerdos duplex stipendium pro una Missa accipere? Explicatur sensus , & respondetur omnino negative. p. 353. n. 146.
- Casus VII. An possit Sacerdos plura modica stipendia , accepta pro diversis Missis , ad unam restringere? Exemplificatur. Et respondetur negative , quin opinio contraria sustineri jam possit. ibid. n. 147. & 48.
- Casus VIII. An possit quis rettinere sibi aliquam partem stipendii Missæ , dummodo stipendium , juxta taxam loci , tribuat celebranti? Excipiuntur Beneficiati , aut Cappellani , prout explicatur ibi. p. 354. n. 149.
- Resp. negative absolute. num. 150.
- Et etiam quamvis celebrans in illo minori stipendio conveniret , sive coacte , sive spontanee. num. 151.
- Casus IX. An licite possit Sacerdos dicere Missas anticipate pro his , qui postea stipendia tribuent? Resp. negative absolute. p. 355. n. 153.
- Casus X. Accepit Sacerdos pro una Missa stipendium ordinarium , quod sufficiens non est ad materiam gravem constituendam , & illam non applicat : quomodo tunc peccaret? Respond. peccare mortaliter. ibid. num. 154.
- Casus XI. An compensatio occulta locum habeat in celebratione Missarum? Explicatur sensus hujus casus. p. 356. n. 156.
- Respondetur negative , & ostenditur quam perniosa opinio contraria fuerit. p. 357. n. 157. & 58.
- Quæstio XI. De tempore , & loco , ad celebrandum conveniente. pag. 357. n. 159.
- Tempus ab Ecclesia præscriptum ad celebrandum communiter dicitur esse ab aurora usque ad meridiem , excepto die Nativitatis Domini. num. 159.
- Quæritur : An aliæ duæ Missæ , ex tribus , quæ dici possunt in Nativitate Domini , celebrari possint successive ad Missam mediæ noctis , seu ante auroram? Respond. negative , atque ab usu in contrarium omnino abstinendos esse Sacerdotes. ibidem
- Olim excipiebatur dies in Cœna Domini , & quando tunc permissum fuit celebrare? p. 358. n. 160.
- Usus antiquus celebrandi hora tertia , sexta , & nona. ib. n. 161.
- Dub. An hodie , absque privilegio , possit Missa incipi ad horam nonam? Referuntur opiniones , Apostolicæ concessionis : & insimul ad quid deservit Privilegium aliquod , etsi per illud nihil de novo concedatur? Resolvitur dubium per n. 162. 63. & 64.
- De locis , in quibus licet , & non licet , sacrificium celebrare.
- De privilegio erigendi Altaria in Domibus.
- De Ecclesia poluta , & á quo reconciliari potest? & an in navibus celebrari possit? Resolvuntur hæc omnia num. 165. & sequentibus.
- Examinantur Mystera , & præcipue partes Sacrificii Missæ. á n. 171. usque ad n. 176.
- De Altari , seu Ara , in qua celebrari potest. De Sacris indumentis. De Calice , Patena , & materia , qua confici debeant. De Corporalibus. Et á quibus omnia hæc possint benedici? p. 363. á n. 177. usque ad 180.
- Dub. Quando Calix amittat consecrationem? p. 366. n. 184.
- De Amictu , Alba , Cingulo , Manipulo , Stola , & Planeta , seu Casulla : & quid ista significant? ibid. á n. 185. usque ad 87.
- An hæc benedici debeant : & á quibus? p. 367. n. 187.



Bbbb

TRAC.

TRACTATUS VIII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Præmittitur, quid de illo docuerit Concilium Florent.

DISPUTATIO I.

De Sacramento Ordinis in communi.

- Q**uæst. I. An in Ecclesia sit Ordo, aut Ministrorum ordinatio? & an sit verum Sacramentum. p.369. n. 1.
- Dico I.** In Ecclesia Dei necessariò est Ordo, seu membrorum ipsius inter se subordinatio. pag. 370. num. 2.
- Dico II.** In Ecclesia Dei necessaria est ordinatio graduum, & Ministrorum Ecclesiasticorum, quibus Clerici laicis sunt superiores, eisque res divinas administrare ipsi soli possunt, & debent. Est contra Hæreticos. ibid. n. 4.
- Dico III.** Ordo, seu Ecclesiastica ordinatio est verum, ac proprium novæ legis Sacramentum. p. 371. num. 6.
- Dico IV.** Sacramentum Ordinis physicè, & metaphisicè definitur. p. 372. num. 8.
- Argumenta contra assertiones istas solvuntur.** ibid. n. 9.
- Quæres I.** Quando Christus instituit Sacramentum Ordinis? pag. 374. num. 13.
- Duplex distinguenda est potestas in Ecclesiæ Ministris, nempe, potestas ordinis, & jurisdictionis.** ibid. num. 14.
- Quæres II.** Quinam dicendi sint Clerici? Et unde vocantur tales? p. 375. n. 15.
- Quæst. II.** Unitatem, & multiplici-
tatem Sacramenti Ordinis resolvens. pag. 375. n. 16.
- Resolutio I.** Sacramentum Ordinis est unum unitate generica, non specifica. ib. n. 17.
- Resolutio II.** Ordines sacramentales

- principaliter sunt septem, nempe, Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, & Ostiariatus. p.376. n. 18.
- Argumenta adversus has resolutiones solvuntur.** ibid. n. 19.
- Dubitabis: An Cantorum, & Psalmistarum institutio sit verus Ordo Ecclesiasticus? Resolvitur negativè contra plures.** p.379. n. 25.
- Objectiones solvuntur.** ibid. n. 26.
- Quæst. III.** De Materia, & forma Ordinis in communi. p. 380. n. 28.
- Explicatur sensus duplicis difficultatis resolvendæ.** p. 381. n. 30.
- Conclus. I.** Quilibet Ordo essentialitèr constat aliqua re sensibili, & exteriori, tamquam materia, & ex verbis, tamquam forma. ibid. num. 31.
- Conclusio II.** Materia, & forma Sacramenti Ordinis non fuerunt determinatæ à Christo Domino in particulari, seu in specie: sed tantum in communi, & in genere, pag. 382. n. 33.
- Argumentorum satisfactio.** pag. 383. n. 35.
- Idem ac in Sacramento Ordinis evenit in aliquibus aliis Sacramentis, quoad determinationem materiæ, & formæ.** p.384. n. 37.
- Quæst. IV.** An Ecclesia efficere possit, quòd aliquid sit alicubi materia essentialis alicujus Sacramenti, quæ alibi non esset talis? pag. 384. n. 38.
- Responsio affirmativa.** n. 39.
- Plures solvuntur replicæ.** pag. 385. num. 40.

DIS-

DISPUTATIO II.

De Ordinibus in particulari.

- Quæst. I.** Quid sentiendum de Prima Tonsura? Et quid de Episcopatu? p. 387. n. 43.
- Explicatur, quid sit, & quotuplex accipiatur Tonsura?** ibidem.
- Plures referuntur sententiæ erga Episcopatum.** p.388. n. 45.
- Dico I.** Tonsura Clericalis non est verum Sacramentum Ordinis, seu verus Ordo. ib. n. 46.
- Argumentorum solutio.** p.389. n. 47.
- Dico II.** Episcopatus ex se est verus Ordo: non verò à Sacerdotio adquatè distinctus. p.390. n. 49.
- Quæ fuerit mens Subt. Doct. hac in re.** ibid. n. 50.
- Objecta adversus utramque resolutionis partem solvuntur.** pag. 391. num. 52.
- Quænam sit materia, & forma Ordinis Episcopalis?** p.394. n. 59.
- Ad hujus ordinationis valorem sufficit formam proferri ab uno solo Episcopo, quamvis, ex Ecclesiæ dispositione, à tribus proferatur.** ibid. n. 60.
- Quæst. II.** De singulis Minoribus Ordinibus in specie, de eorumque materiis, & formis. p.395. n. 61.
- De Ostiario: De ejus materia, & forma; ac de illius definitione, tam phisica, quam metaphisica.** ibid. n. 62.
- Quæ sint officia, & munera Ostiariorum?** p.395. n. 63.
- De effectibus hujus Ordinis.** p. 396. num. 64.
- De Lectoratu, de ejus definitionibus: de materia, forma, & illius effectibus.** ibid. n. 65.
- De sufficientia necessaria ad hunc ordinem.** ib. n. 66.
- De Exorcista: de hujus ordinis materia, & forma; definitione, & effectibus.** ibid. n. 67.
- Duplex Exorcistæ differentia.** pag. 397. n. 68.
- Tom. II.

- Quæ dispositiones requirantur in Exorcista?** ibid. n. 69.
- Solvitur quædam replica.** ib. n. 70.
- Acolythatus materia, & forma, valde controvertitur: & resolvitur; hunc ordinem duplicem habere materiam, & formam partialem, ex quibus coalescit una totalis.** p. 398. n. 71.
- Stabiliuntur definitiones Acolythatus: assignatur materia, forma, & illius effectus.** ibid. n. 72.
- Varia officia, quæ Acolythus exercet in Ecclesia.** ib. n. 73.
- Referuntur sententiæ de tempore, in quo Christus hos instituit Ordines; & stabilitur nostrum judicium.** p. 399. n. 74. & 75.
- Quæst. III.** De Ordinibus Majoribus in specie, de eorum materiis, & formis. pag. 400. n. 76.
- De Subdiaconatu: hujus Ordinis definitio traditur: illius materia, & forma, assignatur: et controversia erga hoc satis agitata resolvitur.** ibid. n. 78.
- Stabilitur, Subdiaconatum esse Ordinem Sacrum: et quare antiquitus inter Sacros Ordines non computabatur.** p.401. n. 79.
- Quæres: si in Subdiaconi ordinatione traderetur calix sine patena, aut patena sine calice: vel si calix, et patena, consecrati non essent validus esset Ordo ille? Negativa responsio quoad utramque partem.** ibid. n. 80.
- De Diaconatu.** Varia Authorum placita erga illius materiam, et formam referuntur. p. 402. n. 81.
- Nostra sententia est, hunc ordinem duplici materia, et forma partiali constare, ex quibus una totalis coalescit: insimul demonstratur, quæ sit.** ib. n. 82. et 83.
- Describuntur munera, et officia Diaconi.** p.403. n. 84.
- Solvuntur objecta.** ib. n. 85. & 86.
- De Presbyteratu.** Referuntur varia placita erga materiam, & formam hujus Ordinis: explicatur insimul, quomodo accipi potest Presbyteratus.
- Bbb 2 ra-

- ratus? p.404.n.87.& 88.
 Dico : Materiam totalem Presbyteratus stare in traditione Calicis cum vino, & patenæ cum hostia : & formam in illis verbis: *Accipe potestatem &c.* p.405. n. 89.
 Objectionum solutio : & insimul exponitur, quo sensu apud Doctores intelligatur *impositio manus Episcopi*, quam plures volunt, esse materiam Presbyteratus. *ibidem* num. 90.
 Duplex advertentia erga potestatem Sacerdoti collatam in Ordine. pag. 406. n. 91.
 Quæst. IV. De contactu materiæ, necessariò, tam in Ministro, quam in subjecto. p.406.n. 92.
 Quotuplex sit contactus phisicus, & in quo á contactu morali distinguatur? *ibid.*
 Dico I. Ad valorem Ordinis necessariò requiritur, quòd ordinatus phisicè tangat instrumenta, quæ sunt materia illius Ordinis, quem suscipit. *ibid.* n. 93.
 Dico II. Etiam est necessarium, quòd ordinans per se ipsum instrimenta tangat, & porrigat ei, quem ordinat. p. 407. n. 94.
 Contactus phisicus mediatus est sufficiens, non verò moralis. *ibid.* n. 95.
 Objecta solvuntur. *ibid.* n. 96.

DISPUTATIO III.

De Ministro, subjecto, & requisitis Sacramenti Ordinis.

- Quæst. I. De Ministro Sacramenti Ordinis pertractans. p. 409. n. 98.
 Concl. I. Solus Episcopus est Sacramenti Ordinis Minister ordinarius. *ibid.* n. 99.
 Concl. II. Pontifex committere potest Sacerdoti administrationem primæ tonsuræ, & Minorum Ordinum. p. 410. n. 100.
 Concl. III. Ex commissione Sum. Pontificis potest simplex Sacerdos conferre Ordines Majores Subdiaco-

- natus, & Diaconatus. *ibid.* n. 101.
 Concl. IV. Sacerdos necessariò debet ordinari ab Episcopo, quin possit adhuc ex commissione validè ordinari ab alio. p. 411. n. 103.
 Concl. V. Episcopus excommunicatus, hæreticus, & degradatus, validè ordinaret, quamvis illicitè. *ibid.* n. 104.
 Solvitur argumentum. p. 412. n. 105.
 Quæst. II. De subjecto capaci Sacramenti Ordinis. p. 412. n. 106.
 Dico I. Fœminæ sunt incapaces Sacramenti Ordinis. *ibid.* n. 107.
 Evelluntur objecta hæreticorum plura. p. 413. n. 108.
 Dico II. Catechumeni non sunt capaces Sacramenti Ordinis : bene verò Infantes baptizati. p. 414. n. 111.
 Argumentorum solutio. *ibid.* n. 112.
 Quæstio III. Qua lege annexus sit cœlibatus sacris ordinibus? p. 416. n. 117.
 Dico I. Nec uxorati ante Ordinem sacrum, nec uxorati post illius receptionem, tenentur ad continentiam cum suis uxoribus jure divino, sed tantum ecclesiastico præcepto. p. 417. n. 118.
 Dico II. Lex Ecclesiæ prohibet, ordinatos in sacris nubere post ordinationem : & Latinis non permittit uti Matrimonio antea contracto : sed omnes illi tenentur ad perpetuum cœlibatum. p. 418. n. 120.
 Dico III. Justè, ac utiliter, statutum est ab Ecclesiâ, ut castitatem servent sacris ordinibus initiati. p. 419. n. 122.
 Quo tempore Ecclesiâ præceperit continentiam initiatis ordinibus sacris. *ibid.* n. 124.
 Matrimonium contractum ab ordinatis in sacris non semper fuit irritum, sicut est modò. p. 420. n. 125.
 Plurima solvuntur argumenta : 1. DD. Catholicorum. *ibid.* á n. 126, postea hæreticorum á n. 129.
 Quæst. IV. Plura resolvens dubia, ex

- supra dictis emanata. p. 423. n. 132.
 Quæres I. Quo jure Bigamus incapax sit Ordinis. *ibid.*
 Quotuplex sit Bigamia? *ibid.* n. 133.
 Dico : Bigamus solum jure Ecclesiastico incapax est Ordinis. *ibid.* n. 134.
 Solvitur argumentum. *ibid.* n. 135.
 Quæres II. An sacris initiati teneantur ad continentiam immediatè per legem Ecclesiasticam? An mediante voto castitatis. p. 424. n. 136.
 Probabilior est sententia, asserens teneri ad continentiam ratione utriusque. *ibid.*
 Quæres III. An obligetur ad continentiam, qui suscipit sacrum ordinem ob metum in virum constantem cadentem? Sententiæ referuntur, & negativa præfertur. *ibid.* n. 138.
 Quæres IV. An qui ante annum pubertatis ordinantur in Sacris, teneantur ad continentiam? Explicatur sensus difficultatis, referuntur sententiæ, & affirmativa, tamquam verior, amplectitur. p. 425. n. 140.
 Quæres V. Quæ requirantur ab Ecclesia ex parte ordinati ad debitam ordinationem?
 Requiritur ætas congrua : sufficiens scientia: non habere interstitia: Beneficium, aut Patrimonium : & quòd ordines certis conferantur temporibus. p.426.n.141.
 De ætate necessaria. Ubi agitur etiam de Regularium Privilegiis. *ibid.* n. 142.
 De scientia ad Ordines requisita. p. 427. n. 144.
 De interstitiis: Quid sit annus solaris, & Ecclesiasticus : & qualis illorum ad Ordines suscipiendos est computandus? *ibid.* n. 145.
 Quæres : An Prælati Provinciales dispensare possint interstitia in suis subditis? p.428.n.146.
 De Beneficio, & Patrimonio. *ibid.* num. 147.
 De temporibus conferendi Ordines. *ibid.* n. 148.

TRACTATUS IX.

DE SACRAMENTO MATRIMONII,

Præmittitur quid Florentinum doceat de hoc Sacramento.

DISPUTATIO I.

De essentia, & existentia, Sacramenti Matrimonii.

- Quæst. I. De natura, essentia, & divisione hujus Sacramenti. p. 430. num. 1.
 Quomodo, & quotuplex Matrimonium considerari potest? *ibid.* n. 1. & 2.
 Definitur Matrimonium, ut contractus, & ut Sacramentum. pag. 431. num. 3.
 In Matrimonio plura distinguuntur? & quæ? p. 432. n. 4.
 Dico I. Matrimonium in se licitum, & honestum est. Contra hæreticos. *ibidem* n. 5.
 Argumenta illorum solvuntur. *ibid.* num. 6.
 Dico II. Essentia Matrimonii in usu illius, seu in carnali conjunctione, ut asserunt aliqui, non parum temerè. p.433.n. 8.
 Matrimonium BB. Virginis cum S. Joseph verissimum conjugium fuit, sine virginitatis violatione : & referuntur alii verè conjugati, & simul

- mul veré Virgines. *ibid.*
 Dico III. Matrimonium formaliter, & essentialiter, consistit in mutuo conjugum vinculo, seu nexu. p. 434. n. 9.
 Argumenta solvuntur. *ib. n. 11.*
 Matrimonium considerari debet in fieri, & in facto esse: differentia illius sub hac consideratione: & ad illius intelligentiam adducitur doctrina specialis. pag. 435. num. 14.
 Quæst. II. An Matrimonium sit verum Sacramentum? Et quando institutum fuit á Domino? p. 436. num. 15.
 Conclus. I. Matrimonium est verum novæ legis Sacramentum, á Christo Domino institutum. *ib. n. 16.*
 Argumenta Hæreticorum infringuntur. p. 437. n. 18.
 Quamvis sit Sacramentum, non est virginitate excellentius, sed est è converso. p. 438. n. 19
 Duæ advertentiæ præ aliorum solutione: & quomodo Matrimonium significet conjunctionem Christi cum Ecclesia, & cum natura humana? Atque in quo stet formalis ratio hujus Sacramenti. *ibid.* á n. 21.
 Conclus. II. Matrimonium ante Legem Evangelicam non fuit verum, ac propriè Sacramentum: sed tantum in sensu improprio. p. 439. n. 23.
 Objectionum solutio p. 440. n. 26.
 De tempore, quo Christus Matrimonium instituit. p. 441. n. 27.
 In quibus differant Matrimonium, in quantum contractus, & in quantum Sacramentum? & in quo conveniant? *ibid. n. 28.*
 Quæst. III. De indissolubilitate, & dissolubilitate Matrimonii. p. 442. n. 29.
 Referuntur opiniones, & varii modi dicendi. Ut concilientur, statuitur indissolubilitas in actu primo, & quasi radicalis, & in actu secundo, & formalis. *ibid. n. 29. & 30.*
 Dico I. Omne legitimum Matrimonium ex sua natura est indissolubile in actu primo, & quasi radicaliter. p. 442. n. 31.
 Dico II. Matrimonium non consummatum non est indissolubile jure naturæ, formaliter, exercitè, & in actu secundo: sed tale est jure Ecclesiastico. Explicatur resolutionis sensus. p. 443. n. 32. & 33.
 Dico III. Matrimonium ratum dissolvi omnino potest per religiosam professionem unius conjugis: & per Pontificiam dispensationem. p. 444. n. 34.
 Satisfit Argumentis. *ibid. n. 36.*
 Dico IV. Matrimonium fidelium consummatum omnino indissolubile est jure divino. p. 445. n. 37.
 Solvitur argumentum ex Scriptura. *ibid. n. 38.*
 Dico V. Matrimonium consummatum, etiam non baptizatorum, est indissolubile jure, ac præcepto etiam divino. p. 446. n. 39.
 Quæres I. An Infidelis conversus ad fidem, seu factus fidelis, teneatur cohabitare cum conjugè in infidelitate permanente? *ib. n. 40.*
 Dico I. Fidelis non tenetur cohabitare cum conjugè infideli, quamvis iste velit. *ibid. n. 41.*
 Dico II. In Ecclesiæ exordio non poterat conversus ad fidem Matrimonium dissolvere: potest verò temporibus istis, si consors infidelis non vult converti. pag. 447. num. 42.
 Quæres II. An Matrimonium infidelium fiat Sacramentum, quando baptizantur? Responsio negativa. *ibid. n. 43.*
 Solvitur argumentum. p. 448. n. 44.
 Quæres III. An si fidelis legitime contrahat cum infideli, ex dispensatione super impedimento dirimente, esset ex parte fidelis verum Sacramentum? *ibid. n. 46.*
 Respondet negative contra plures DD. *ib. n. 46.*
 Solvuntur objecta. p. 449. n. 47.
 Quæres IV. Quid fieri debeat in illo casu, ut tale Matrimonium sit Sacra-

- cramentum? Respond. quòd debet contrahere de novo. p. 450. n. 48.
 Solvitur argumentum. *ib. n. 49.*
 Quæst. V. An inter fideles separari possit in Matrimonio ratio contractus á ratione Sacramenti? pag. 450. n. 50.
 Conclusio: In Matrimonio inter baptizatos inseparabilis est ratio contractus á ratione Sacramenti, supposita institutione Christi. p. 451. num. 51.
 Argumenta solvuntur. *ib. n. 52.*
 Ecclesia quinque prioribus sæculis toleravit Matrimonia fidelium cum infidelibus, & quare? pag. 453. num. 56.
 Matrimonia orthodoxorum cum infidelibus illicita, ac invalida sunt, saltem ex Ecclesiæ dispositione. *ibid. n. 57.*
 An per dispensationem licita, & valida possint fieri? Variant Theologi, & referuntur illorum fundamenta. *ib. n. 57. & 58.*
 Quæst. V. An inter absentes Sacramentum Matrimonii contrahi possit? ac de consensu necessario ad illius valorem. p. 454. n. 60.
 Conclus. I. Matrimonium inter absentes per procuratorem, aut nuntium validum est, tam ut contractus, quam ut Sacramentum. *ibid. num. 61.*
 Objecta solvuntur. p. 455. n. 62.
 Conclus. II. Ut Matrimonium sit validum, necessarius est contrahentium consensus, sensibiliter significatus: & solus hic consensus necessarius est, absolute loquendo. p. 456. n. 65.
 Solvuntur objecta. p. 457. n. 67.
 Conclus. III. Per nullam potestatem creatam suppleri potest in contrahentibus consensus in Matrimonio. pag. 458. n. 69.
 Argumentorum solutio. *ibid. n. 70.*
 Quid dicendum de potestate Dei absoluta: poterit ne Deus id facere? Respond. affirmativè, & explicatur sensus resolutionis. pag. 459. num. 72.
 Conclus. IV. Prædictus consensus debet esse absolutus. Exponuntur conditiones, quæ invalidant, & quæ illicitum saltem faciunt Matrimonium. *ib. n. 73.*
 Conclus. V. Consensus conjugum debet esse de præsentì, quin sufficiat de futuro: pariter debet esse verus, quin sufficiat externus sine interno. p. 460. n. 75.
 Argumentorum solutio. p. 461. n. 77.
 Corollaria quædam ex dictis emanata, de conditionibus necessariis in procuratore, quando per illum contrahitur, & de requisitis tunc in contrahentibus absentibus. *ibid. n. 79. 80. & 81.*
- DISPUTATIO II.
- De materia, forma, & Ministro Matrimonii: de illius effectibus, necessitate, & solemnitate.*
- Quæst. I. De Materia, forma, & Ministro Sacramenti Matrimonii. p. 463. n. 82.
 Referuntur plures sententiæ antiquæ & modernæ. p. 464. n. 83.
 Conclusio I. Materia remota Sacramenti Matrimonii sunt corpora sponsorum: & proxima eorum mutua traditio. *ibid. n. 84.*
 Conclusio II. Forma hujus Sacramenti sunt verba, seu externæ signa, quibus conjuges suum ad invicem manifestant consensum internum, de illa mutua acceptatione corporum. *ibid. n. 85.* Sufficiens distinctio materiæ, & formæ. *ibid.*
 Argumenta adversariorum solvuntur. p. 465. n. 86.
 Conclusio III. Minister Sacramenti Matrimonii non est Sacerdos, benedicens conjuges: sed sunt ipsimet contrahentes. p. 466. n. 88.
 Confutantur adversantium responsa, & simul probatur conclusio. *ibid. n. 90. 91. & 92.*
 Argumenta infringuntur p. 467. n. 93.

Quæst.

- Quæst. II. Quomodo Matrimonium fuerit, & sit modò necessarium? Et quomodo ejus pluralitas, aut Poligamia, prohibita sit? p. 469. n. 97.
- Referuntur errores, & pluralitas Poligamiæ. ibidem.
- Conclusio I. Matrimonium aliquando fuit necessarium ex præcepto divino: non ita est in Evangelica lege, quoad omnes, & singulos: præcisa communi necessitate totius generis humani. p. 470. n. 98.
- In casu talis necessitatis, necdum Deus, sed etiam Principes illud præcipere possent. ibid. n. 99. De fide declaratur virginitatem, seu coelibatum præstantius Matrimonio. ibid. n. 100.
- Conclusio II. Poligamia successiva non est illicita. p. 471. n. 102.
- Objectiones solutæ. p. 471. n. 103.
- Conclusio III. Poligamia simultanea omni jure est illicita, & Matrimonium invalidat. p. 472. n. 105.
- Solvuntur argumenta. p. 473. n. 108.
- Conclusio IV. Patres antiqui, qui plures habuerunt uxores, à culpa fuerunt immunes. p. 474. n. 110.
- Corollaria ex divina dispensatione cum Patriarchis antiquis, & de prohibitione nimie mulierum multitudinis. ibid. n. 111. & 112.
- Poligamia virilis est absurda, & nunquam concessa; ac quæ sit ista? n. 112.
- Quæst. III. De fine, objecto, & effectibus Matrimonii. p. 475. n. 113.
- Quæ sint Matrimonii bona præcipua? p. 476. n. 114.
- Conclusio I. Tria hæc: bonum Proles, fidei, & Sacramenti sunt de essentia Matrimonii sumpta in actu 1. & quoad obligationem: non verò sunt de illius substantia in actu 2. & quoad executionem. ibid. n. 115. Explicatur intelligentia n. antec.
- Conditiones contra bona hæc Matrimonium nullum reddunt. p. 477. n. 116.
- Conclusio II. Validum esset Matrimonium cum pacto de non petendo debitum, seu servandi continentiam, aut mutuo votendo castitatem. ibid. n. 117.
- Argumentorum solutio. ibid. n. 118.
- Ex dictis facile declaratur, quomodo validum fuit Sacratissimum Matrimonium BB. V. Mariæ cum S. Josepho, utroque votum perfectissimum castitatis habente, & in illius observantia in statu Matrimonii firmiter perseverante. p. 478. n. 121.
- Quæst. IV. De Matrimonii solemnitate: ac de Matrimonii clandestinis. p. 479. n. 122.
- Notabilia præmittuntur, & quotuplex dicatur clandestinum. ibi.
- Conclusio I. Matrimonia clandestina semper fuerunt prohibita; non jure naturali stricto, nec divino, sed Ecclesiastico. Nec invalida fuerunt ante Tridentini decretum. p. 480. n. 124. Solvuntur argumenta. ibid. n. 125.
- Conclusio II. Matrimonia clandestina irrita sunt ex Decreto Tridentini. Nec à præsentia Parochi, aut Sacerdotis, ab ipso, vel Episcopo deputati, & testium, dispensari potest: bene verò à proclamationum publicitate. p. 481. n. 127.
- Argumentis fit satis. ibid. n. 128.
- Quid sentiendum in regnis, ubi decretum Tridentini publicatum non est? p. 482. n. 130.
- Quo fine fieri debeant proclamationes: & quomodo confirmatæ sint, & obligent in Gallia istæ Ecclesiasticæ leges? ibid. n. 131.
- Quæst. V. Quidquid ad Divortium Matrimonii attinet explanans. p. 483. n. 132.
- Quid, & quotuplex sit Divortium? ibi.
- Dico I. Si alter conjugum cadat in verum, & voluntarium adulterium, potest innocens ab eo, quoad thorum divertere, si velit. ibidem num. 133.
- Præter adulterii crimen, aliæ possunt esse legitime causæ divortii fa-

- faciendi? & quales illæ sint? pag. 484. n. 134.
- Solvitur argumentum: & exprimitur, quale debeat esse adulterium, ut divortium sit licitum. pag. 485. num. 136.
- Quæres I. An divortium fieri possit autoritate propria conjugis innocentis? Potest esse quoad thorum, & quoad habitationem. Semper verò remanet vinculum conjugale, etiam commisso adulterio. ibid. n. 137.
- Resp. I. Causa adulterii potest conjux innocens divertere se quoad thorum sua autoritate: non tamen quoad cohabitationem, & domum: sed ad hoc expectari debet Ecclesiæ judicium. pag. 486. num. 139.
- Multo minus poterit tale divortium fieri ex aliis causis, nempe, ex periculo peccandi: ex periculo contrahendi morbum lethalem: ex sevitia unius conjugis: ob hæresim, aut infidelitatem. pag. 487. num. 142.
- Quæres II. An divortio facto quicumque ex prædictis causis, possit innocens ingredi religionem? Respond. negativè, adulterio excepto. Etiam excipitur, quando fit publica autoritate, propter hæresim. ibid. n. 143.
- Quæres II. Divortio facto, cui conjugum tradendi sunt filii. ibidem. num. 144.
- DISPUTATIO III.
- De Sponsalibus.*
- Quæst. I. Quid sint sponsalia? Quomodo fiant? Et quæ requirantur ad illa? p. 488. n. 145.
- Sponsalium definitio, & ejus explicatio. ibid. n. 145. & 46.
- Aliquæ objectiones solutæ. pag. 489. n. 147.
- Dico I. Sponsalia inter solos spon- sos, aut sine testibus facta, valida sunt. ib. n. 148.
- Tom. II.
- Dico II. Consensus coactus, aut ex metu extortus, invalidat sponsalia. p. 490. n. 149.
- Dico III. Sponsalia ante pubertatem facta valida sunt, dummodo spondentes septimum ætatis annum compleverint. ibid. n. 150.
- Satisfit duplici objiciunculæ. ibidem num. 151.
- Quæst. II. De sponsalium obligatione, & solubilitate. p. 491.
- Conclusio I. sponsalia promittentes in conscientia, & sub gravi peccato, tenentur promissum implere: & ad id possunt in foro externo compelli. ibid. n. 152.
- Causæ Matrimoniales spectant ad judicem Ecclesiasticum ex Tridentino. ibidem.
- Solutio argumentorum. ibid. n. 153.
- Conclusio II. Sponsalia pluribus de causis possunt dissolvi: & quæ sint causæ. p. 492. n. 155. & 156.
- Triplex corollarium erga sponsalium celebrationem, & effectum. n. 157.
- Sponsalia non transeunt in Matrimonium per copulam. ibid.
- Quæst. III. Aliqua resolvens dubia. p. 493. n. 158.
- Dubium I. An sponsalia solvantur per simplex votum castitatis? Et an, qui illa contraxit, statum clericalem licite possit amplecti? ibid.
- Resolvitur quoad utramque partem, quod verius videtur. ibidem.
- Dub. II. An qui fide promisit, & sine animo se obligandi, teneatur ad sponsalium adimpletionem? Respondetur affirmativè, & quare. p. 494. n. 159.
- Dub. III. An sponsalia inter habentes impedimentum dirimens, cum hac conditione: *Si Papa dispenseret?* valida sint? Respondéo negativè de illis, in quibus Papa non solet dispensare. ibid. n. 160.
- De illis verò, in quibus dispensare solet, sententiæ referuntur, & affirmativa eligitur, ut verior. ibid. num. 161.
- Dub. IV. An, si in prædicto casu, illa conditio non exprimeretur, nec
- Cccc sig-

significaretur, valida essent adhuc? Respondeo negativé. pag. 495. n. 162.
 Aliqua referuntur de consuetudinibus in celebratione Matrimoniorum. ib. n. 163.

DISPUTATIO IV.

De Matrimonii impedimentis.

Quæstio I. Quæ, & qualia sint Matrimonii impedimenta? pag. 496. num. 164.
 Impedimenta Matrimonium impediens antiquo jure fuerunt plura: hodie veró ad quatuor reducuntur. Referuntur, & explicantur. ibid. num. 165.
 Quæres: An Ecclesia, & Sæculares Principes, potestatem habeant statuendi impedimenta Matrimonii? pag. 497. n. 168.
 Dico I. Ecclesia potestatem legitimam habet instituendi aliqua impedimenta, etiam Matrimonium dirimentia. pag. 498. num. 169.
 Decretum clandestinitatis datum ad instantiam Oratorum Regis Gallicæ. ibid.
 Dico II. Principes temporales statuere possunt impedimenta dirimentia Matrimonii, in quantum est contractus politicus, & civilis. ibid. n. 170.
 Argumenta contra utramque partem solvuntur. ib. & n. 171.
 Quæst. II. De impedimentis Matrimonium dirimentibus. p. 499. n. 173.
 De impedimento erroris: & conditionis. p. 500. n. 174.
 Dico I. Error circa substantiam personæ est impedimentum dirimens: & pariter error conditionis servilis. ib. n. 175.
 Dico II. Error circa qualitates magis accidentales non dirimit Matrimonium. Exponuntur quæ illæ sint. p. 501. n. 176.
 Argumentorum solutio. ibid. n. 178.
 Advertentiæ necessariæ pro errore, & conditione servili. p. 502. n. 179.

De impedimento voti. ibid. n. 181.
 De cognatione Matrimonium dirimente: & quotuplex sit? pag. 503. num. 182.
 De cognatione naturali, seu consanguinitatis. ib. & n. seq.
 Dico I. Matrimonium consanguineorum in linea recta ascendentium, & descendentium, in quolibet gradu, jure naturali est nullum. pag. 505. n. 185.
 Dico II. Probabilius est, Matrimonium jure naturæ prohibitum esse in linea transversali inter fratres, & sorores. p. 506. n. 187.
 Dico III. Consanguinitas in linea transversali dirimit Matrimonium, usque ad quartum gradum jure Ecclesiastico. ibid. n. 188.
 De cognatione spiritali, & quid sit? p. 507. n. 190.
 Quæ requirantur conditiones ad cognationem spiritualem contrahendam. p. 508. n. 192.
 Cognatio spiritalis jure Ecclesiastico dirimit Matrimonium. ibidem. num. 193.
 De cognatione legali: & quo jure Matrimonium dirimat. ib. n. 194.
 De impedimento criminis: & quo jure Matrimonium dirimat? p. 509. num. 195.
 Dico I. Quando quis adulterium committit, & promittit adulteræ, cum ipsa Matrimonium contracturum esse, mortua conjuge, adest impedimentum dirimens criminis. p. 510. n. 196.
 Etiam si talis promissio non sit vera, sed ficta. ib. n. 197.
 Dico II. Impedimentum criminis contrahitur aliquando per conjugicidium sine adulterio: & aliquando non, nisi per conjugicidium adulterio conjunctum. ib. n. 198.
 Notabilia quædam ad dictorum intelligentiam. p. 511. n. 199.
 Dico III. Impedimentum criminis exurgit inter eos, qui legitimo Matrimonio conjuncti sunt, & scienter novum contrahere attentant. ib. n. 201.

Re-

Recopilatio hujus impedimenti. pag. 512. n. 202.
 De impedimento disparitatis cultus. pag. 512. n. 203.
 De impedimento vis, aut violentiæ. pag. 513. n. 204.
 Dico I. Matrimonium contractum ex metu levi, etiam injuste incusso, & ad extorquendum consensum, est validum. ib. n. 205.
 Dico II. Matrimonium ex gravi metu, injuste incusso ad extorquendum consensum, est invalidum. p. 514. n. 206.
 At veró non semper ex metu gravi invalidum est; & exponuntur aliqua ad talis metus intelligentiam. ibidem.
 Dico III. Matrimonium initum ex gravi metu, juste tamen incusso, est validum: & pariter si á causa libera non incutiatur. Explicatur tota resolutio. ib. n. 207.
 Quæres I. An qui contrahit ex metu, seu vi, debeat ponere consensum internum? vel possit dissentire interiùs? Respond. debere interiùs consentire: cum animo veró non cohabitandi cum consorte. p. 515. n. 208.
 Etiam si non consentiret interiùs, non simularet Sacramentum, cujus simulatio est mala, & graviter peccaminosa. ibid. n. 209.
 Quæres II. An Matrimonium ex metu gravi initum subsequente copula, & cohabitatione, ratificetur? Respondetur sub distinctione, quando ratificetur, & quando non. p. 516. n. 210.
 Hoc impedimentum solum dirimit ex jure humano. ibid. n. 211.
 De impedimento Ordinis. ibidem. num. 212.
 De impedimento Ligaminis. p. 517. num. 213.
 De impedimento Honestatis. ibidem. n. 214. Duplex advertentiæ. ibidem.
 Dico: Impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus validis non dirimit ultra primum gradum: sed

Tom. II.

ex Matrimonio rato dirimit usque ad quartum gradum. n. 215.
 Quædam sequelæ ex doctrina præcedente. p. 518. n. 216.
 Ut impedimentum honestatis oriatur ex sponsalibus, hæc debent esse absoluta. p. 518. n. 218.
 Quæres: An sponsalia exterioriùs valida, interiùs veró in valida, honestatem Matrimonii diremptivam inducant? R. negativé contra plures. p. 519. n. 219.
 De impedimento Affinitatis. Hæc definitur, & explicatur. ibid. n. 220.
 Quæres I. Quos habeat effectus affinitas, Matrimonio contracto superveniens? Et quis habilitare potest ad petendum debitum. p. 521. n. 223.
 Quæres II. Quo jure Affinitas dirimat? ibid. n. 224.
 Dico: Affinitas, in quacumque linea sit, & gradus, solum dirimit jure humano civili, & Ecclesiastico. ibidem. n. 225.
 Argumentum solvitur. p. 523. num. 228.
 De impedimento impotentis. Definitur, dividitur, & explicatur. ibid. n. 230.
 Dico I. impotentia antecedens absoluta, & perpetua, Matrimonium dirimit, sive cognita sit, sive non: impotentia vero subsequens Matrimonium, non solvit illud. p. 524. n. 231.
 Solvantur argumenta. ibid. n. 232.
 Dico II. Quælibet impotentia temporalis, & quæ auferri potest per media licita, & sine mortis periculo, non dirimit Matrimonium. Quomodo intelligendi sunt, qui docent, mulierem teneri ad patientiam incisionem. p. 525. n. 234.
 Dubitabis: Quid fieri debeat, si dubium sit: an impotentia sit perpetua, aut temporalis? Matrimonium antecedens, vel subsequens? Resolvitur cum distinctione. ibid. n. 236. & seq.

De

- De Parochi, & testium præsentia. Remissivè ad Disp. 2.
- Dico I. Parochus debet esse illius loci, in quo contrahentes domicilium, aut quasi domicilium habent: aut est proprius Parochus, saltem unius illorum, pag. 526. num. 238.
- Dico II. Parochus regulariter debet esse Sacerdos: non tamen necessariò: debet verò esse delegatus à Parocho. p. 527. n. 239.
- Proprius Parochus assistere potest Matrimonio in quacumque alia Parochia, aut loco, in quo nullus contrahentium est domiciliarius. ibid. n. 240.
- Qui Parochi delegare possint? ibidem.
- Dico III. Parochus excommunicatus, irregularis, interdictus, aut suspensus, dummodo non sit privatus, aut suspensus ab officio Parochi, potest assistere Matrimonio validè, non verò licitè. ibid. num. 241.
- Quilibet, etiam excommunicatus, infamis, aut alio quocumque defectu notatus, dummodo habeat rationis usum, sive vir, sive mulier, possunt esse testes ad valorem Matrimonii. ibid. n. 242.
- Dico IV. Præsentia Parochi debet esse, nedum phisica, sed etiam moralis: ita ut advertat ea, quæ fiunt: non tamen est necessariùm, ut consentiat, sed sufficit præsentia, etiam coacta. pag. 528. n. 243.
- Quæres I. Si duo domicilium relinquunt vero animo, sed cum fine nubendi extra illud, & antequam aliud acquirant, contraherent in loco, per quem transeunt, valebit ne Matrimonium coram Parocho illius loci? Affirmativè. p. 529. n. 244.
- Quæres II. Et resolvitur, quis sit Parochus militum, qui sunt in castris. Et si quis ex errore habeatur Parochus, & ut talis assistat Matrimonio, an sit validum. p. 529. n. 245.

- De impedimento raptus: & quid iste sit? p. 530. n. 246.
- Quæres: An incuratur hoc impedimentum ex parte foeminae, si virum invitum rapiat ad contrahendum? Referuntur sententiæ, & pars affirmativa placet. ibidem n. 247.
- Pœnæ, quas incurrunt raptores, & raptus factores. ibid.

DISPUTATIO V.

De dispensatione impedimentorum.

- Quæst. I. Quis dispensare possit in impedimentis Matrimonii? pag. 531. n. 248.
- Dico I. Pontifex dispensare potest in omnibus impedimentis, tam impedientibus, quam dirimentibus, jure Ecclesiastico. ibid. n. 249.
- Dico II. Episcopus dispensare potest in aliquibus casibus in impedimentis dirimentibus post Matrimonium contractum: conditiones ad hoc exigite assignantur. ibid. n. 250. Potest delegare facultatem dispensandi. p. 532. n. 251.
- Potest etiam in casu urgentissimo ante Matrimonium contractum. ibid. n. 252.
- Quæres: An alii, præter Episcopum in sua Diocesi possint in his impedimentis dispensare? Potest Nuntius Apostolicus: & in quibus? pag. 533. n. 253.
- Potest etiam Commissarius Cruciatæ: & in quibus? ibid. n. 254.
- Quæst. II. Quæ sint causæ dispensationis? & quomodo hæc postulari debeat? ibid. n. 255.
- Quid in deprecatione exprimi debeat, ut dispensatio obtineatur legitima, & non sit subreptitia, aut obreptitia? p. 534. n. 257. et seq.
- Quid dicendum, si partes post obtentam Romæ dispensationem, commercium carnale habere inceperint? Et quid si cõpula erat occulta, quando dispensatio obtenta fuit, & postea fiat publica, ante

- te quam Ordinarius dispensationem executioni mandat? p. 535. n. 261.
- Quæst. III. Quomodo scribendum sit ad dispensationem obtinendam? p. 536. n. 262.
- Explicantur principaliores clausulæ, quæ apponuntur in litteris Pœnitentiariæ. p. 537. n. 265.
- Quæst. IV. Quid faciendum post obtentam dispensationem impedimenti Matrimonii cum illo contracti? Assignantur varii modi revalidandi Matrimonium. p. 538. n. 268.
- Quid facere debeat Confessarius, si pœnitens de valore Matrimonii sui, jam contracti dubitat, & illi ad dubium deponendum interrogat? p. 540. n. 272.
- Methodus præclara exequendi dispensationem, tam ad contrahendum Matrimonium, quam post illius contractionem, audita prius sacramentali confessione, & data absolutione à peccatis, & censuris. ibid. n. 273.
- Institutio, ac Constitutio Regia, decernens methodum recurrendi in posterum ad Romanam curiam pro Matrimonialibus dispensationibus pro foro externo impetrandis. p. 541. n. 275.
- Breve SS. D. Pii VI. concessum Catholico Regi Carolo III. anno 1780. pro Hispaniæ regnis, in quo quatuor principaliter Hispanis concedit deinceps in ordine ad dispensationes Matrimoniales. p. 542. n. 277.
- Quid I. decernat, ac concedat Pontifex prædicto in Brevi. ibid. n. 278.
- Aliqua valde advertenda pro recta hujus concessionis intelligentia. ibid. n. 279.
- Quid II. in hoc Brevi declaret Pontifex ibid. n. 280.
- Agitur de dispensationibus in forma pauperum impetrandis pro foro externo, juxta Brevis mentem. p. 543. n. 281.
- Quid III. statuatur prædictum Breve? ibid. n. 282.
- Quid IV. decernat, ac stabiliat? ibid. n. 283.
- Nulla facultas dispensandi in aliquo ex impedimentis conceditur per hoc Breve Episcopis Hispaniæ. ibidem.
- Exponitur, quænam *subreptio*, & *obreptio*, nullas reddit, & quænam non invalidat Pontificias dispensationes. p. 544. n. 284.

FINIS INDICIS.

